COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA

CURA ET STUDIO

SALVATORIS PALLOTTINI

S. THEOLOGIAE DOCTORIS, IN ROMANA CURIA ADVOCATI, PENES EAMDEM SACRAM CONGREGATIONEM MATRIMONIORUM, SACRARUM ORDINATIONUM, PROFESSIONUM RELIGIOSARUM DEFENSORIS EX OFFICIO, SUPPLICUM LIBELLORUM ET COMMISSIONUM, QUAE BREVIBUS APOSTOLICIS LITTERIS ANNULO PISCATORIS OBSIGNATIS CONFECTAE AD ECCLESIASTICOS IUDICES EXTERIS IN REGNIS MORANTES MITTUNTUR, REVISORIS, ET CONCILII VATICANI NOTARII.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

ALMA COLLEGE 262.211 LIBRARY P179 Alma, California

TOMUS VI.

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXIX.

37245

1831
C65
v.6
1868

COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS [redacted]

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA.

---

§. II.

CAPELLANUS QUOAD ONERA IN GENERE.

1. Deficientibus Capellaniae fundis, cessat quidem onus superimpositae celebrationis Missarum, sed si qui reliqui sunt fundi, horum ratione Missas Capellanus celebrare tenetur *in Neapolitana Capellaniae die 29 Novembris 1817* §. *Horum.*

2. Qua de re si Testator facultatem Capellano dederit sibi constituendi Capellaniam pro Patrimonio Sacro et fundus exin sic perierit, ut vix superesset summa per Constitutiones Synodales libera ab omni onere taxata, tenetur adhuc is tot Missas celebrare, quot reditus habeantur, cum datam a Testatore facultatem assignandi Capellaniam in Sacrum Patrimonium in eius suorumque consanguineorum animarum damnum vertere non deceat *in Neapolitana Capellaniae die 20 Decembris 1817.*

3. Iamvero Dominicus de Lillo testamento anni 1746 praecepit, ut post obitum fratris sui Iosephi, quem heredem usufructuarium fecerat, tres instituerentur perpetuae Capellaniae cum onere Missae quotidianae, exceptis quatuor singulis mensibus diebus, quos Capellanis liberos reliquit. Fraternae voluntati morem gessit Iosephus, qui sine mora tres fundavit Capellanias, assignatis pro earum fundis ducatorum quinque millibus, quae foenore collocata ducatos biscentum quadraginta duos quotannis reddebant. Multa cavit Fundator pro sortis fructuumque securitate, ac prospiciens augmentum vel decrementum reditus si alia ratione restituta pecunia collocaretur, voluit, ut duo ex tribus Capellanis haberent praecipuam summam annuam ducatorum septuaginta duorum pro unoquoque, quin ea unquam decremento subiecta maneret: quidquid autem ab huiusmodi summa superesset, tertius Capellanus tot Missas ad rationem duorum carolenorum celebrare deberet. Illud etiam Capellanis concessum, ut pro Patrimonio Sacro sibi Capellanias assignare possent. Unam

ex duabus, quarum certus reditus ducatorum septuaginta duorum, anno 1776 ab iis, quibus collationis ius erat, obtinuit Antonius Izzo, facta ipsi facultate eam sibi constituendi in Sacrum Patrimonium. In possessione Capellaniae positus Antonius, eiusdemque titulo Presbiter factus, eius onera religiose adimplevit usque ad annum 1790, quo ei reditus denegati fuerunt; vindicata enim fuerant ab anterioribus creditoribus bona, a quibus reditus ipsi pendebant. Ab eo tempore usque ad annum 1817 Missas celebrare destitit omnino, quamvis ducatos triginta sex a bonorum possessoribus intentata lite recuperasse ac singulis annis percepisse fateretur. Putavit enim, hanc summam sibi praecipue habendam esse pro Patrimonio Sacro, quod iuxta Constitutiones Synodales Neapolis in ducatis triginta sex ab omni onere immune esse debebat. Theologos se consuluisse, sibique assentiri affirmavit; pro maiori tamen conscientiae suae tranquillitate Summi Pontificis veniam imploravit, qua ab onere praeterito et futuro Missarum absolveretur. Emus Archiepiscopus ab Oratore narrata confirmavit ac censuit, reditus periisse Fundatoris culpa, qui suos nummos non satis caute credidit, nullam actionem, quae utilis esset, intentari posse, nec adversus debitores singulorum investimentorum, qui decocti penitus erant, nec adversus Capellaniarum Patronos, qui, etiamsi tenerentur, paupertate excusabantur; ideoque absolutionem Sacerdotis nomine postulavit ab omni Missarum onere. Horum tamen e conspectu non satis aequum videbatur, facultatem a Testatore datam assignandi Capellaniam in Sacrum Patrimonium eius suorumque consanguineorum animarum esse damno. Ipse quidem, qui hanc facultatem dedit, celebrationem Missarum voluit expresseque mandavit, ne ipsius suorumque animabus suffragiis privaretur: deficientibus siquidem fundis, cessat onus superimpositae celebrationis; at, si qui reliqui sunt fundi, horum ratione Missas celebrandas esse saepius definivit Sacra Congregatio. Cum igitur adhuc ducatos triginta sex perciperet Sacerdos Izzo, aequum videbatur, horum ratione ei onus incumbere Missas celebrandi, detractis antea oneribus, quae dictam summam fortasse decurtare poterant.

4. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad tot Missas, quot reditus ad rationem carolenorum duorum, et consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum, celebratis viginti Missis intra triennium – *in Neapolitana Capellaniae die 20 Decembris 1817.*

5. Hinc eleemosyna Missarum vel statuta in fundatione vel si de ea nulla facta fuerit mentio, iuxta reditus fundorum praefinitur a Sacra Congregatione *in Albinganen. die 12 Decembris 1778.*

6. Enimvero Antonius Sibilla Pauli filius ex oppido Plebis Albinganensis Diaecesis condito testamento sub die 6 iulii 1673 inter cetera – fundavit Capellaniam sive Legatum in Ecclesia S. Ioannis Baptistae Plebis Missarum duarum in singula hebdomada cum applicatione Sacrificii pro anima sua et eius uxoris ac successorum in perpetuum et omni futuro tempore, cui Capellae sive Legato reliquit terram aggregatam sitam in territorio Trovastani vocatam *la terra della noce* una cum alia terra ibi contigua vocata *la tardia* in eodem territorio –. Hanc terram Testator pro implemento Missarum oneris – obligavit, et eam esse obnoxiam voluit omni futuro tempore –, ita ut eam Patronus tradere teneretur Capellano per ipsum eligendo, – qui obliget se celebrare statim sequuta morte dictas duas Missas singula hebdomada super Aris Sanctissimi Rosarii et Sanctissimi Crucifixi et promittat dictam terram manutenere –. Patronum autem huius Capellaniae de iure patronatus laicorum esse voluit Paulum Augustinum Sibilla eius filium, quem etiam heredem universalem instituit. Rursus idem Testator sub die 17 Decembris 1677 in codicillis unam Missam qualibet hebdomada cum respectiva terra vocata *li Sozeni* addidit praefatae Capellaniae seu Legato. Defuncto Testatore, Antonius Sibilla iunior, et eiusdem Testatoris ex filio nepos, alienavit ante dictas terras, sed onera Missarum implevit: imo Legatum praedictum augere voluit in aliis tribus Missis in singulis hebdomadis a Capellano celebrandis, quas tamen celebrare posset, ubi vellet; et pro dotali fundo dictarum Missarum quatuor designavit praedia ac domum suae habitationis, declaravitque quod in eis-

dem tribus Missis per eum additis comprehenderetur annuum onus, quo gravabatur alterum ex assignatis praediis in vocabulo *Ligazorio* celebrationis quinque Missarum ad Altare S. Bernardini in Ecclesia, quae per tres circiter horae quadrantes distabat ab Oppido Plebis, onusque adiecit Capellano interessendi cum superpelliceo expositioni Sanctissimi Sacramenti, quae feria sexta cuiusvis hebdomadae fieri solebat in praefata Ecclesia S. Ioannis Baptistae oppidi Plebis. Tandem ius nominandi Capellanum reliquit Sacerdoti Petro Paulo Manfredi eius cognato, cui decedenti substituit Emmanuelem Manfredi alterum eius cognatum istiusque filios et descendentes masculos in infinitum: deinde suum fiduciarium scripsit heredem eumdem Sacerdotem Petrum Paulum Manfredi, qui anno 1730 suam declaravit fiduciam in schedula non aperienda, nisi post obitum Paulae Manfredi sororis suae ac Testatoris viduae eiusque heredis usufructuariae, quae cum obierit anno 1776 ex ea declaratione deprehensum fuit, quod debitis solutis ex superextantibus bonis hereditatis Capellania erigeretur cum onere tot Missarum, quot fructus hereditatis ferre possent ad rationem duodecim solidorum pro unaquaque Missa; quodque idem Sacerdos fiduciarius praeceperat, post eius obitum huic Capellaniae superaddendum esse praedium in vocabulo *il Castelletto,* quod ipse Patrimonii Sacri titulo possidebat, ac esse Missarum numerum proportionabiliter augendum.

7. Patronus Emmanuel Manfredi cum esset in amentiam prolapsus, Antonius Maria Manfredi illius filius et curator narravit, nullam eleemosynam praefinitam fuisse pro sex Missis hebdomadalibus primae Capellaniae volitae ab Antonio Sibilla Seniore et auctae ab Antonio Sibilla iuniore; et quamvis pro secunda Capellania declarata a Sacerdote Petro Paulo Manfredi herede fiduciario dicti Antonii iunioris taxata fuisset Missarum eleemosyna in obulis duodecim monetae Ianuae pro qualibet, haec tamen inferior erat eleemosynae Romani iulii unius, ideoque supplicavit, ut Missarum omnium eleemosyna praefiniretur ad rationem taxae perpetuae ad effectum, ut amborum Fundatorum voluntates firmiter valerent executioni demandari. Expensis itaque fructibus omnium fundorum, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Firmo remanente integro onere tum quinque annuarum Missarum, tum trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum in Altaribus per Antonium seniorem destinatis cum eleemosyna ad rationem perpetuae, reliquae Missae ab Antonio iuniore praescriptae reducantur ad rationem manualis, iuxta quantitatem redituum quotannis distincte percipiendorum, sublato onere Capellano interessendi expositioni Sanctissimi Sacramenti, et quoad legatum Missarum relictum a Petro Paulo Manfredi super eius praedio *il Castelletto* celebrentur tot Missae, quot ex annuo reditu celebrari poterunt ad rationem manualis – *in Albinganen. die 12 Decembris 1778.*

8. Quod si Fundator Capellanias erexerit in Ecclesia Collegiata, sed praecise onus divinis officiis interessendi Capellanis non imposuerit (1), exhortandi quidem, sed cogi non possunt, ut divinis officiis intersint praesertim solemnioribus diebus; his enim in terminis proposito dubio: – IV. Quaenam servitia iidem omnes Capellani praestare debeant Collegiatae Ecclesiae, et quibus in casibus excusentur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, exhortandos, sed non cogendos, ut divinis officiis intersint solemnioribus diebus – *in Senogallien. Mansionariae die 16 Maii 1733.*

9. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Senogallien. Mansionariae die 17 Aprilis 1734.*

10. Capellanus autem gravatur onere excipiendi fidelium confessiones eique terminus arbitrio Episcopi praefigendus est ad eas excipiendas, si Testator nedum verbis hortati-

(1) His quippe verbis id Fundator mandavit, *ut in §. Marcus* – ibi – Pregando in fine detti Signori Arcipreti e Canonici a favorire con la solita loro bontà detti Signori Mansionarii o Cappellani con certezza, che di simile dimostrazione anch' essi sapranno corrispondere col rimostrarle almeno col desiderio di servirli nelle funzioni della chiesa ed in particolare ne' giorni più conspicui e bisognosi, ne' quali speriamo potersene compromettere, siccome li preghiamo –.

vis, sed et imperativis huiusmodi onus imposuerit *in Senogallien. Capellaniae die 20 Aprilis 1793.*

11. Enimvero ex omnibus suis bonis instituit anno 1675 Petrus Angelus Mattioli laicalem Capellaniam hebdomadalium Missarum quinque in Ecclesia S. Mariae de Platea Montis Novi ad Altare Sanctissimi Nominis Iesu, et in una testamenti parte hortatus est Capellanum ad gratis excipiendas fidelium confessiones, in altera praescripsit, ut Sacerdos post Petrum Paulum Brunacci eligendus aptus esset ad fidelium confessiones excipiendas. Qui ad annum 1793 fuerunt Capellani, fere omnes audiendae confessionis onus subierunt. In novissima idcirco Capellani electione decreverunt Collatores, Abbas nempe S. Mariae ac moderatores Conventualium et Reformatorum, (ad quos delatum erat ius nominandi) quod nisi Capellanus intra terminum unius mensis aptus esset ad confessiones excipiendas et huiusmodi munus exerceret in Ecclesia, nova fieret Capellani electio; seque electus Capellanus, Sacerdos scilicet Petrus Coccoli, qui facultate carebat excipiendi confessiones, indefinite obligavit satisfacere omnibus oneribus ad Capellaniam spectantibus. Hoc non obstante, immunem se autumans ab exequendo Testatoris consilio ex prioribus illis testamenti verbis – a voler compiacersi di confessare –, fieri neglexit Confessarius ab anno et ultra, donec hac de re vexatus, Sacrae Congregationis declarationem suis tamen votis consentaneam postulavit. At Parochus Ecclesiae, ubi erecta erat Capellania, pro eiusdem servitio onus Capellano impositum excipiendi fidelium confessiones praetendit. Dominicus Balè, qui alter fuit ex concurrentibus ad Capellaniam, supplicavit, ut Sacra Congregatio deliberare etiam dignaretur, num ob non adimpletam electionis conditionem ceciderit Coccolus Capellania. Manifestum autem onus excipiendi fidelium confessiones videbatur, cum etiam verba illa hortativa, veluti prolata in ultima voluntate, resolverentur in praeceptum, et obligationem inducerent. Insuper in altera testamenti parte Testator mandavit, ut Sacerdos eligendus esset aptus ad confessiones excipiendas. Idcirco dum Sacerdotem excipiendis confessionibus idoneum voluit de tempore electionis, actu confessarium designasse censebatur. Idque confirmabatur ex observantia; nam licet non omnes ab instituta Capellania fuerint Confessarii, id tamen quoad unum vel alterum evenire potuit ob conniventiam vel negligentiam Collatorum, satisque ad rem videri poterat, quod–omnes fere confessiones audiendi onus subierunt –. Qua de re cecidisse videbatur Coccolus Capellania ob non impetratam Confessarii pagellam intra mensem ab eius electione, iuxta Collatorum legem, voluntati Fundatoris consentaneam; maxime quia in subscribendis actis Congregationis promisit satisfacere omnibus oneribus ad Capellaniam spectantibus. Altera tamen ex parte non decreverunt Collatores caducitatem ipso facto, statim nempe elapso mense absque impetrata Confessarii pagella, sed resolutivam in hoc casu addiderunt, quod posset fieri alterius Capellani electio. Quum hac igitur usi non fuerint facultate, et ob egregias Coccoli virtutes maior ei faveret illorum pars, locus fortasse esse poterat purgationi morae. Maxime quia neglexit Coccolus fieri Confessarius ex opinione, quod id Testator simpliciter consuluisset. Quaelibet enim ratio, minus etiam vera, a poena excusat caducitatis.

12. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellano Mattioli incumbat onus excipiendi fidelium confessiones in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An sit locus privationi Capellaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; et praefigendum esse terminum arbitrio Emi Episcopi ad excipiendas confessiones – *in Senogallien. Capellaniae die 20 Aprilis 1793.*

13. Quin imo Capellani tenentur excipere fidelium confessiones, si Testator in eodem testamento primum mandaverit, ut eligerentur Sacerdotes seculares cum praelatione eorum, qui proprii Oppidi seu Patriae essent, dummodo hi potestatem excipiendi Confessiones haberent, ac dein dixerit, quod praefati Capellani, potestate excipiendi confessiones pollentes, eas excipere deberent, sed eorumdem tamen arbitrio; his enim in terminis proposito dubio: – VI. An Capellani Ziani teneantur administrare Sacramentum Poenitentiae in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Affirmative nisi sint legitime

impediti – *in Sutrina Capellaniae die 18 Aprilis 1795.*

14. Nam dictio dummodo seu *purchè* conditionem inducit et facultatem excipiendi Confessiones per modum conditionis requirit, nec non obligationem posteriora verba inducere videntur, non vero arbitrium Capellanis relinquunt, quod frustraneam quodammodo redderet obligationem obtinendi pagellam Confessarii per modum conditionis praecedenter impositam *in Sutrina Capellaniae die 18 Aprilis 1795* §. *Remissam.*

15. Cum itaque Capellani ad id instituti fuerint in Ecclesia Parochiali, ut eidem in divinis officiis celebrandis et administrandis ecclesiasticis Sacramentis aliisque muneribus peragendis inservirent, tenentur obedientiam praestare Archipresbitero in omnibus functionibus et in divinis eidemque inservire, quin valeant ullam facere functionem absque illius licentia, licet eadem non respiciat curam animarum *in Imolen. Iurium Parochialium die 12 Februarii et die 23 Iulii 1707 lib. 57 Decretorum.*

16. Siquidem Episcopus Musottus annò 1586 erexit Ecclesiam Beatae Mariae de Ponte rupto dein de Ponte sancto nuncupatam in Parochialem Archipresbiteratum nuncupandum, ac duos in ea Capellanos cum spe alios creandi ad nutum ipsius Episcopi amovibiles certo annuo reditu assignato, – qui dictae Ecclesiae diligenter et devote tam in celebrandis divinis officiis, quam administrandis ecclesiasticis Sacramentis et aliis muneribus peragendis inservire valeant –; nec non onere adiecto quotidianam Missam celebrandi cum aliis clausulis appositis in literis erectionis. Successive vero de anno 1628 Urbanus VIII erexit in eadem Ecclesia Parochiali perpetuum simplex seculare Beneficium non residentiale Abbatiam nuncupatum sub invocatione S. Michaelis, addito onere Abbati in singulos dies Sacrum faciendi per se vel per alium, ultra tres alias Missas singulis pariter diebus – a tribus aliis Presbiteris ad nutum ipsius Beneficiati de cetero ponendis et amovendis celebrari solitas –. His autem ita se habentibus, pleraeque subortae fuerunt controversiae inter Dominicum Aldovrandum unum ex dictis Presbyteris deputatis a moderno Emo Abbate et possessore praefati Beneficii et itidem modernum Archipresbiterum eiusdem Ecclesiae Parochialis. Propositis itaque dubiis: – II. An Capellani et Sacrista Ecclesiae Sanctae Mariae Pontis Sancti in Suburbiis Civitatis Imolae debeant Archipresbitero in Ecclesiasticis functionibus et in divinis obedientiam praestare eidemque inservire, vel potius tantum quoad functiones Parochiales? III. An liceat Abbati et Capellanis facere functiones tam Parochiales, quam non Parochiales in dicta Ecclesia absque licentia Archipresbiteri? IV. An dicti Capellani pro tempore volentes facere aliquam ex dictis functionibus non respicientibus dictam curam animarum teneantur obtinere licentiam ab Emo Abbate, vel potius ab Archipresbitero? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Imolen. Iurium Parochialium die 12 Februarii 1707 lib. 57 Decretorum.*

17. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Imolen. Iurium Parochialium die 23 Iulii 1707 lib. 57 Decretorum.*

18. Parochus vero nequit possidere Capellaniam, si Fundator iniunxerit Capellano onus residendi nec non habitandi domum prope Capellam extructam, ibique docendi Pueros prima literarum rudimenta, fideique praecepta, ac Missam celebrandi, quin obstet Decretum Ordinarii, qui huiusmodi onera abrogaverit, multoque minus obstet Constitutio *Quod divina Sapientia* Leonis XII, attenta tamen redituum imminutione indulgetur reductio Missarum, quin imo iuxta mox concurrente causa commutatur voluntas Testatoris *in Bononien. Capellaniae die 26 Martii 1836 die 24 Martii 1838 et die 1 Februarii 1840.*

19. Siquidem Antonius Franciscus Belloni in praedio, quod vocabant *il Portone*, quodque fideicommissariis bonis suae gentis accensebatur, Aediculam extruxit, quam sacris supellectilibus apprime instructam Trinitati Augustissimae dicavit. Publicis deinde tabulis, die 27 augusti 1664 exaratis, Capellaniam in eadem instituit, cui dotis nomine tribuit tot Loca Montis Benedictini, quot summam

libellarum 10500, comprehensa tamen summa libellarum 250, quam favore dicti Oratorii assignaverat, constituerent. Ius autem nominandi Capellanum sibi vivens reservavit Fundator, et post eius obitum illud deferri voluit ad eum, qui pro tempore possideret primogenituram, ab Angelo Belloni constitutam, et in defectum omnium linearum et vocatorum ad primogenituram, ad Vicarium Generalem Curiae Bononiensis. Interim Capellani obligationes recensuit, statuitque prae primis, eum Sacerdotem esse debere, qui domicilium et residentiam habere teneretur in domo prope Oratorium aedificata, et Missam ibidem celebrare quotidie, quatuor exceptis diebus in singulos menses, nec non Pueros docere absque ullo stipendio. Recogitans, inde fieri posse quandoque, ut Aedicula domus et sacra supellectilia reparatione indigerent, mandavit, ut ad hunc effectum quotannis deponerentur decem et octo libellae in sacro Monte Pietatis. Quod si fructus imminuerentur, etiam numerus Missarum proportionabiliter reduceretur. Anno autem 1820 die 20 Martii Summi Pontificis auctoritate Missae cohibitae fuerunt ad centum septuaginta duas in singulos annos, ex redituum imminutione obventa ob Locorum Montium deficientiam. Postmodum anno 1830 vacante Capellania, nec quopiam extante de Familia Fundatoris, Bononiensis Generalis Vicarius in Capellanum nominavit Sacerdotem Angelum Bartoloni, ac inde die 31 augusti 1832 Sacerdotem Dominicum Angeli Archipresbiterum Ponticuli. At obstitit Petrus Cellini, qui die 6 decembris anno 1820 emerat ab Anna Maria Laziosi filia equitis Peregrini Tommasoli Laziosi bona, quae a vinculo fideicommissario per notissimam legem diei 5 Thermidori anno sexto libera transierant in Marchionem Alexandrum, ultimum gentis Belloniae. In tabulis venditionis expresse cautum fuit de gratuita cessione iurispatronatus, quo titulo hereditario fruebatur Anna Maria Laziosi. Idcirco Petrus Cellini ad Sacram Congregationem confugit, simulque petiit Missarum reductionem nec non acriter contendit, incompatibilem esse Capellaniam cum Parochi officio, quum Capellanus in dicta domo residere, et Missam celebrare, et Pueros docere prima literarum rudimenta fideique praecepta deberet, quin obstaret Constitutio s. m. Leonis XII *Quod divina sapientia*, quippe cum edita haec fuerit non ad evertendas, sed ad confirmandas adiuvandasque piorum Fundatorum voluntates. Archipresbiter contra sustinuit, incompatibilem haud esse Capellaniam cum Archipresbiteratu, cum esset mere laicalis; et Archiepiscopum Decreto suo abrogasse tam residentiam, quam obligationem docendi Pueros, quae inutilis erat post dictam Constitutionem Leonis XII, qua communales scholae fuerunt praefinitae.

20. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An substineatur collatio Capellaniae facta Archipresbitero Dominico Angeli in casu etc. II. An Capellanus teneatur inhabitare domum a Fundatore extructam in casu etc. III. An Capellanus teneatur docere Pueros iuxta Fundatoris iussum in casu etc. IV. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum et tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative in omnibus – *in Bononien. Capellaniae die 26 Martii 1836.*

21. Sacrae Congregationis resolutio exequutorio munita fuerat Decreto ab Apostolicae Camerae Auditore die 10 decembris 1836; ast exequi facto in omnibus nunquam ferme valuit. Archipresbiter autem novae audientiae beneficio donatus rursus institit pro collationis Capellaniae validitate, ex eo etiam quod ei collata fuerit, donec Sacerdos existeret, qui eam acceptare vellet; qui vero Sacerdos adhuc desiderabatur. Plura etiam cumulavit ad effectum excludendi incompatibilitatem. Petrus autem Cellini rursus institit pro Missarum reductione, cum reditus imminuti essent ad scuta 39, 76. Hinc repropositis dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu? III. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu? IV. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad quartum dubium in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, in decisis. Ad quartum, praevio recessu a decisis, pro reductione ad unam Missam singulis festis diebus etiam reductis – *in Bononien. Capellaniae die 24 Martii 1838.*

22. Post haec pro-Vicarius Generalis Bononiensis petiit, ut, commutata Fundatoris voluntate, ac ideo dempto onere docendi Pueros prima literarum rudimenta fideique praecepta nec non residentiae lege, omnes Capellaniae reditus in tot Missarum celebrationem ad rationem taxae Synodalis erogarentur. Quae preces Emo Archiepiscopo ablegatae pro informatione et voto, audito in scriptis Petro Cellini, is conventionem remisit super nominandi iure inter Cellinium ipsum et pro-Vicarium suum Generalem initam, quae hisce articulis continebatur; 1°, quod Petrus Cellini manutenere deberet Capellam ac domum a Capellano inhabitandam; 2°. Pro-Vicarius Generalis cederet praefato Cellini ob huiusmodi onus manutentionis ius nominandi ad formam Capitis *Nobis fecit* 25 de iurepatronatus; 3°. quod Capellanus eligendus domum a Fundatore ad hunc effectum institutam inhabitare atque Missas in Capella diebus festis et rusticationis tempore celebrare deberet. Nam nemo unus reperiebatur, qui Capellaniam acceptaret duplici onere gravatam tum publicae instructionis, tum Missae festivae cum tenui emolumento scutorum 39. 76, quin feriatis diebus liceret alibi Missarum eleemosynam sibi quaerere ob residentiam; unde constabat, tres vel quatuor ex novissimis Capellanis nuncium misisse nominationi eorum favore peractae. Praeterea Emus Bononiensis Universitatis Archicancellarius renuit veniam suam praebere, ut hic docendi ludus in themate aperiretur. Subinde inutile factum erat praescriptum ephebeum; etenim eodem in loco, quem Testator designavit, publicum iam gymnasium erectum extabat, ubi Pueri rudimenta literarum optime addiscere valebant. Demum eleemosyna pro Missa quotidiana, dum viveret Testator, in obulis duodecim, tunc in obulis viginti constituta erat. Ad conventionem quod spectabat, obstare videbatur praeiudicium, quod Vicariis Bononiensibus pro tempore inferebatur, cum eis ius nominandi praecideretur; favebat vero utilitas haud exigua quidem, quam consequebatur Capellania ex obligationibus per Cellinium assumptis; quibus iam satisfacere difficile potuissent reditus superextantes.

23. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit annuendum precibus pro-Vicarii Generalis Bononiensis super reductione onerum in casu etc. II. An et quomodo sit approbanda conventio inter eumdem pro-Vicarium Generalem et Petrum Cellini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi facto verbo cum Sanctissimo, et capta inscriptione super latifundio tam pro securitate Missarum, quam pro manutentione Oratorii et sacrarum supellectilium – *in Bononien. Capellaniae die 1 Februarii 1840.*

24. Attenta enim redituum imminutione, locus est huiusmodi onerum deletioni vel reductioni; quandoquidem cum Rosatus de Eleonoris Capellaniam fundaverit cum onere retinendi scholam ac docendi doctrinam christianam, imminutis exin notabiliter reditibus, Sacra Congregatio delevit onus scholae ac docendi doctrinam christianam, Missas autem reduxit servata proportione redituum ad rationem eleemosynae manualis *in Reatina die 17 Decembris 1689.*

25. Quum autem reditus imminuti non fuerint, atque Testator Capellaniam erigi iusserit cum lege, quod si inter vocatos non esset idoneus ad explendum ludimagistri munus, nova electio fieri deberet, munus hoc per se ipsum Capellanus passive vocatus explere tenetur, licet quoad alteram Capellaniam Missas per alium donec ad Sacerdotium promoveatur celebrare valeat *in Anagnina Capellaniae die 27 Iunii et die 28 Novembris 1857.*

26. Enimvero Ferrantes Carbone Oppidi Morolo, ut defuncti germani fratris Marci voluntati satisfaceret, publicis tabulis diei 28 maii 1618, Episcopali accedente auctoritate, Capellaniam cum onere Missarum in Ecclesia Archipresbiterali eiusdem loci erigendam curavit. Ius nominandi Capellanum sibi ac suis filiis masculis et inde feminis reservavit; Capellano imposuit onus celebrandi per se ipsum, sed praeferendus semper propinquus ex domo ipsius Testatoris et Sororis, qui per alium celebrare posset, donec ad Sacerdotium promoveretur. Paucis post annis, die nempe 3 ianuarii 1625 supremis tabulis alteram in eadem Ecclesia institui iussit Capellaniam, praecipuo imposito Capellanis pro tempore onere ludimagistri munus publice in Oppido Moroli exercendi. Utramque Capellaniam post

rem iudicatam obtinuit passive vocatus Ambrosius Lelli, qui muneri scholae satisfacere ratus est ope alterius Sacerdotis ab se deputati, uti a duobus immediatis antecessoribus Capellanis factitatum adamussim fuerat. Nam Testator secundam Capellaniam cum eisdem legibus prout primam per ea verba – conforme al privilegio concesso e convenzioni dell'altra Cappella – instituerat. Contra Oppidi Archipresbiter contendit, Capellanum per se ipsum munus ludimagistri peragere debere, cum Testator edixisset, quod si ex familia vocata non adesset persona idonea *sufficiente*, Episcopus et heredes novam facere deberent electionem. Unde in altera ex Capellaniis idoneitatem in eligendo ac *sufficientiam* absolute requisivit, in altera ex capacitate nonnisi praelationem inter nominatos, minime vero exclusivum ius derivari voluit, quippe et incapacem adimplendis personaliter oneribus eligi permisit. Idcirco quoad adimplementum onerum plene diversam in secunda Capellania legem constituit. Nec obstare posse sustinuit contrariam observantiam, cum recens esset nec dimidium seculi excederet.

27. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An possessor Capellaniae SS. Hyacinthi ac Ursulae possit per alium, seu potius teneatur per se ipsum implere munus ludimagistri in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Anagnina Capellaniae die 27 Iunii 1857.*

28. Ambrosius mox obiecit regulam 36 Cancellariae de triennali possessione; dixit enim, post acerrimam litem cum legitimo Contradictore actam super institutione se ad utramque Capellaniam suique favore iudicatam usque ab anno 1852 a S. Rota ponente R. P. D. Alberghini institutionem obtinuisse anno 1852, atque in earum pacifica possessione versatum fuisse integro quinquennio, quin conditioni explendi munus ludimagistri per se ipsum subiectus fuerit. Idcirco, auctorante solemni reiudicata, a possessione deiici non poterat. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Anagnina Capellaniae die 28 Novembris 1857.*

29. Quin imo cum adsit iusta causa indultum et consuetudo, Rector et Capellani Ecclesiae ruralis cogi possunt ad retinendum in ea Augustissimum Sacramentum, nec non subministrare Populo Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae intra Ecclesiam ac extra etiam in casu necessitatis, atque Rector, non vero Capellani, debet subministrare oleum pro lampade ante Sanctissimum Sacramentum ardente *in Firmana die 8 Augusti 1772.*

30. Enimvero intra limites Parochiae, quae unica erat in castro Massiniani, aderat ruralis Ecclesia in honorem Sanctorum Felicis et Adaucti splendide erecta. Adnexus erat eidem Ecclesiae titulus Beneficii simplicis, cuius Rector ad Ecclesiae cultum duos retinebat Capellanos, quorum alter ibi quotidie celebrabat ac Sacramentum Poenitentiae ministrabat, alter celebrabat et applicabat diebus festivis. Quumque ob insignes gratias intercessione eorumdem Sanctorum a D.O.M. elargitas magna esset in eamdem Ecclesiam frequentia fidelium nedum ex finitimis locis, sed ex tota etiam Picaeni Provincia quotidie confluentium, hinc factum fuit, ut in vicinia eidem Ecclesiae plures extremae essent humiles domus veluti Vicum efformantes ad habitationem Villicorum ac nonnullorum etiam Opificum. Ob idem a tempore, cuius initii memoria deerat, asservari in eadem Ecclesia consuevit Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ut habitatoribus in ea vicinia morbo detentis praesto esset eius spirituale subsidium a Capellanis suppeditandum hyemali praesertim tempore, quo intermedium flumen imbribus tumescens impedimento esse solebat, ne Parochus in Castro degens eisdem aegrotis tempestive succurreret. Quum autem Emus Archiepiscopus in Sacra Visitatione anni 1768 animadvertit, nullum adesse pro Sacramenti retentione Apostolicum Indultum, unius anni tempus Ecclesiae Rectori ad illud obtinendum praestituit. Rectoris tamen negligentiae supplevit Castri Universitas, quae illud die 5 maii 1770 obtinuit in forma Brevis. Cum itaque causa praefati Indulti alia non fuisse videbatur, nisi ut prospiceretur adiacentium Incolarum necessitati, Rector ad retinendum Sanctissimum Sacramentum cogi poterat. Aderat etiam immemorabilis consuetudo; hinc quoad tempus praeteritum aliquam intercessisse praesume-

batur conventionem iniunctamque obligationem pro retentione Sanctissimi Sacramenti. Hinc Rector impensas pro cera oleo aliisque Ecclesiae servitio necessarias ferre debere videbatur, ex eo etiam quod reditum scutorum tercentum perciperet. Parochus autem in praefata Ecclesia iura Parochialia exercere poterat vigore immemorabilis consuetudinis; ut ob eamdem consuetudinem Capellani tenebantur administrare Populo Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae nec non exponere singulis diebus Dominicis Sacram Hostiam.

31. His mature perpensis, propositis dubiis: – II. An Rector et Capellani cogi possint ad retinendum in dicta Ecclesia Augustissimum Sacramentum in casu etc. III. An Rector et Capellani dictae Ecclesiae teneantur subministrare oleum pro lampade ante idem Sanctissimum Sacramentum ardente in casu etc. IV. An eadem Ecclesia SS. Felicis et Adaucti sit subiecta Parocho Massiniani, ita ut dictus Parochus valeat in ea Parochialia iura exercere in casu etc. V. An Capellani pro tempore in dicta Ecclesia existentes teneantur subministrare Populo etiam in casu infirmitatis Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae in casu etc. VI. An Rector et Capellani pro tempore teneantur exponere in dicta Ecclesia Sanctissimum Sacramentum singulis diebus Dominicis et festis et cum eo benedicere Populo, quoties habitatores expensas in id necessarias subeant in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius. Ad tertium, Affirmative quoad Rectorem; et amplius. Ad quartum, quoad iura Parochialia, Affirmative. Ad quintum, Affirmative intra Ecclesiam; et amplius: extra vero Ecclesiam, Affirmative in casu necessitatis tantum. Ad sextum, dilata; coadiuventur probationes, et scribatur Emo Archiepiscopo, iuxta instructionem – *in Firmana die 8 Augusti 1772.*

32. Unde Capellanus tenetur etiam suscipere Sacros Ordines, si Testator Sacerdotem de ipsius familia praeferri voluerit, quatenus adesset, alias Patroni Missas aliis celebrare faceret *in Nullius Lepriniani Capellaniae die 12 Iunii et die 7 Augusti 1773.*

33. Siquidem Angelus Cordari post obitum uxoris heredem universalem instituit Ecclesiam Sanctae Mariae Angelorum Lepriniani ea tamen conditione, ut Sodales eiusdem Ecclesiae ad Altare S. Iosephi celebrare facerent in perpetuum Missam qualibet hebdomada, et si existerent Presbiteri seu *Preti* filii Augustini Cordari, is Missas celebrare deberet cum eleemosyna duorum iuliorum pro unaquaque Missa. Sacra Congregatio die 14 martii 1772 censuit, Capellaniam hanc esse adiudicandam Carolo Cordari. At Sodales post haec existimantes, illam nonnisi a Sacerdote posse retineri, recursum habuerunt ad Sacram Congregationem, ut Clericus Carolus adigeretur ad Sacros Ordines suscipiendos. Ipsi enim dixerunt, Clericum Carolum Capellaniae nominationem postulasse, ut sacris Ordinibus initiari posset, eamque sub hac conditione fuisse eidem collatam. Addiderunt, Capellaniam qualitatem Sacerdotalem in Capellano requirere, cum Testator non ex certis bonis illam instituerit, aut Capellano administrationem commiserit, sed Ecclesiae S. Mariae Angelorum heredi institutae onus iniunxerit celebrationis Missarum, tributa solum hac in re praelatione Presbiteris de familia Cordari, quibus eleemosynam manuali maiorem assignavit. Contra vero Clericus Carolus, qui iam annum 36 agebat, sustinuit, se adigi non posse ad suscipiendos Sacros Ordines, quia Capellania non erat ecclesiastica, et quia Testator non imposuerat onus celebrandi per se ipsum. Namque Testator ipse independenter ab Ordinario Capellaniam erexit, nec aliud voluit, nisi simplex Missarum Legatum, quin obesset, quod descendentes Presbiteros de familia Cordari praeferri voluerit, cum Presbiteri nomen usurpaverit ad designandum munus, non autem ad distinguendam qualitatem; idque etiam ex eo deprehendi contendit, quod iisdem descendentibus indulserit, ut Capellania pro titulo Patrimonii Sacri deservire posset. Nihili vero habendam esse sustinuit expressionem in quodam supplici libello adiectam, ubi Capellania tamquam Sacerdotalis fuit appellata, cum nec a Patronis neque a Proviso nec ab ipso Ordinario Beneficii aut Capellaniae qualitas extra actum erectionis valeat immutari.

34. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Clericus Carolus Cordari teneatur suscipere Sacros Ordines in casu etc.–, S.Congregatio respondit: – Affirmative – *in Nullius Lepriniani Capellaniae die 12 Iunii 1773.*

35. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nullius Lepriniani Capellaniae die 7 Augusti 1773.*

36. Quod si Capellanus ex lege fundationis non teneatur celebrare per se ipsum, non est cogendus ad se promovendum ad sacros Ordines; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Ioannes Philippus Vieri sit cogendus ad se promovendum ad sacros Ordines in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Romana Capellaniae die 29 Augusti 1722.*

37. Hinc si ex tabulis fundationis onus impositum fuisse videtur durante vita Fundatoris dumtaxat, Capellanus non tenetur illud implere, adeoque non est locus reductioni ob redituum tenuitatem *in Maceraten. Capellaniae die 18 Augusti 1764.*

38. Siquidem Laurentius Compagnoni - erexit et fundavit unam Capellaniam sive officiaturam laicalem amovibilem ad nutum in quacumque Ecclesia seu Altari tam intus, quam extra Civitatem Maceratae et in quocumque loco etc. ipsi Laurentio eius vita durante, et postea suis infrascriptis nepotibus placito etiam oretenus assignando –. Onus Capellano adiunxit tria Sacra qualibet hebdomada celebrandi, – scilicet unam Missam in die Dominico, alteram in alio die festivo de praecepto S. Matris Ecclesiae, quae occurreret infra hebdomadam, celebrare debeat pro nunc in Ecclesia Sanctissimae Conceptionis in possessione Cimarellae ipsorum illustrissimorum de Compagnonis durante vita naturali tantum dicti Laurentii et non ultra, reservato tamen interim favore dicti Laurentii iure permutandi dictam Ecclesiam et aliam seu alias ad libitum et toties et quoties etc., Ecclesias eligendi et designandi in qua celebrari velit dictas tres Missas in diebus supra destinatis et non alias; alteram vero tertiam Missam ad libitum celebrare debeat in quacumque Ecclesia, dummodo tamen infra hebdomadam non occurrat alter dies festivus de praecepto Ecclesiae -. Reservato iure nominandi Capellanum sibi et descendentibus ex Iuliano fratre, addidit: – Casu, quo in dicta Ecclesia Cimarellae celebrari non possint dictae tres Missae, idem dictus Laurentius designavit Ecclesiam divae Mariae de Misericordia intus hanc Civitatem Maceratae, et quatenus in dicta Ecclesia divae Mariae dictae Missae celebrari non possint quavis de causa et occasione, tunc et eo casu et eo ipso voluit, quod dictae tres Missae celebrari debeant in Ecclesia Cathedrali Maceratae, et cum onere adiuncto dicto Capellano pro tempore confitendi et administrandi Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae in dicta Ecclesia rurali dicti praedii Cimarellae, donec dicta Ecclesia extiterit et non alibi, quia sic etc. –. Post obitum Testatoris, in Ecclesia Cimarellae tam tempore Juliani primi Capellani, quam tempore Alberti, qui Capellaniam adhuc retinebat, unum Sacrum in hebdomada diebus festis peractum fuit, alia duo in aliis Ecclesiis, neglecta administratione Sacramentorum in rurali Ecclesia. Id cum forte animadvertisset Albertus in dubitationem incidit, an hoc onus morte Testatoris cessaverit vel duraret adhuc. Supplicavit itaque, ut id declararetur, et si adhuc duraret, ab onere liberaretur. Existimavit autem, Testatoris morte cessasse illud onus, quia Fundator Sacra in Ecclesia rurali celebranda voluit sua – durante vita naturali tantum et non ultra –, licet ius etiam de hoc variandi sibi liberum reservaverit; ex eo etiam quod nonnisi annuos reditus scutorum 27.30 Capellaniae assignaverat, non idoneos certe, ut Capellanus, qui intolerabile illud onus ferret, inveniretur, cum administrare deberet Sacramenta extra Civitatem in Ecclesia quinto lapide dissita.

39. Propositis hinc dubiis: – I. An Capellanus pro tempore teneatur ministrare Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae in Ecclesia rurali praedii Cimarellae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus reductioni seu remissioni dicti oneris in casu etc. –, Sacra Congregatio, scissis primum EE. PP. suffragiis, die 21 iulii 1764 respondit: – Iterum proponatur –; sed mox Causa iterum proposita respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Maceraten. Capellaniae die 18 Augusti 1764.*

40. Idcirco Capellanus non tenetur implere onera, quae in fundatione non habentur; nam Sacra Congregatio saepe saepius declaravit, quod Ordinarius seu Vicarius Genera-

lis non posset onera superaddere in fundatione non apposita, uti respondit anno 1589 Episcopo Ariminensi lib. 7 epistolarum pag. 38, in Sarnen. 3 iulii 1690 lib. 40 Decretorum pag. 340, et in Asten. Capellaniae die 14 februarii 1699 pag. 57 lib. 49 Decretorum; absque eo quod obstare posset aut acceptatio Rectoris tunc temporis, aut factum illius successorum, tum quia successorum observantia erat difformis, tum quia actus a Praedecessoribus gesti tunc Successoribus praeiudicare possunt, quando versamur in Praedecessoribus, qui habent ius obligandi se et suos Successores *in Florentina die 12 Martii 1718* §. *Pro*.

41. Siquidem Franciscus de Ginoris in suo ultimo, quo decessit, testamento anno 1448 heredi mandavit, ut Capellam a se emptam dotaret in florenis quingentis, quin ullum imposuerit onus Rectori Capellae: nec inde, cum praefata Capella fuerit dotata, ulla oneris mentio facta est. Anno 1596 exorta fuit controversia inter Rectorem et Priorem et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii, in qua Capella sita erat, et Capellae Rectorem, qui fuerat a Canonicis punctatus, ex quo choro non interfuerat; et controversiae decisione commissa tunc temporis Vicario Generali Florentino, fuit ab eodem demandatum, ut delerentur punctaturae, eodemque contextu Vicarius declaravit, ut a die 1 maii 1597 Rector Capellae eiusque Successores tenerentur per se, vel per alium Missas in hebdomada bis celebrare, nec non quolibet anno festivitatem facere Sanctorum Francisci et Hieronymi cum impensa scutorum trium, et facere unum officium defunctorum pro animamabus defunctorum familiae de Ginoris. Capellae Rector se subiecit oneribus a Vicario Generali Florentino impositis. At ignorabatur, quaenam fuerit eius Successorum praecisa observantia; immediatus enim praedecessor Laurentii de Franchis moderni Capellani, qui Capellaniam obtinuit spatio annorum 56, nec festum Sanctorum Francisci et Hieronymi, nec officium defunctorum celebravit, licet Missas pro maiori parte recitaverit absque eo quod, an eas nec ne applicaverit in suffragium animae Fundatoris aut aliorum de ipsius familia. Rebus in hoc statu manentibus, collata fuit Capellania Laurentio de Franchis, qui animadvertens, reditus Apothecae assignatos decrevisse, manum admovit ad perquirendam Capellaniae fundationem, supplicesque preces Sacrae Congregationi exhibuit pro declaratione suae exemptionis ab oneribus a Vicario Generali iniunctis anno 1597. Nam Vicarius Generalis nova non poterat imponere onera in fundatione nullatenus indicta; nec antecessores successores praeiudicare poterant. Aderat tamen sententia a dicto Vicario lata, nec non actus per longum temporis spatium continuati, ex quibus, licet a principio fuerint voluntarii, dari actio et coactio in futurum videbatur favore piae Causae ad terminos Textus in Cap. *Ad Apostolicam* de simonia.

42. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Rector Capellaniae teneatur adimplere onera, de quibus agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Florentina die 12 Martii 1718*.

43. Unde Capellanus ab Ordinario institutus ad formam fundationis non tenetur ferre onera, quae Patroni eidem de novo imposuerunt in actu nominationis, cum in fundatione non extent *in Tudertina Capellaniae die 12 Martii 1718*.

44. Iamvero anno 1686 Confratres Societatis Beatissimae Virginis Mariae de Lilio Terrae Aquaspartae Diaecesis Tudertinae, post factam nonnullorum bonorum assignationem, Capellaniam perpetuam instituerunt, reservando sibimetipsis ius nominandi sive praesentandi, et onere Capellano imposito celebrandi certum numerum Missarum, et alias quasdam sacras functiones pro Confraternitate peragendi. Constabat exin de canonica praefatae Capellaniae erectione cum dictis oneribus, licet Decretum erectionis non reperiretur. At facta postea nova nominatione a Confratribus in personam Clerici Caietani cum superadditione nonnullorum aliorum onerum, quorum nulla mentio habebatur in praeteritis Capellaniae institutionibus per Curiam Episcopalem gestis, et signanter audiendi confessiones Confratrum et Sororum, is post adeptam Capellaniae possessionem contendit, se non teneri, nisi ad onera in fundatione expressa, tum quia nominatio, a Confratribus facta, ab Ordinario admissa fuerat cum honoribus et oneribus in fundatione et erectione

expressis, tum quia non erat in facultate Confratrum nova onera superaddere, quae in fundatione non fuerant apposita. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An Clericus Caietanus Corsetti teneatur ad onera de novo apposita in nominatione de se facta a Confratribus et non memorata in fundatione? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, et amplius – *in Tudertina Capellaniae die 12 Martii 1718.*

45. Hinc Sacra Congregatio in Viterbien. 11 ianuarii 1698, in Mexicana 16 maii 1699, et in Derthusen. 4 iunii 1701 statuit, Capellanos ad alia onera non adstringendos, quam quae ex voluntate Testatoris derivent, adeo ut nec Heres nec Patronus nec Episcopus possit in Beneficii erectione iniungere, vel addere nova onera *in Toletana die 29 Novembris 1766* §. *Sacra.*

46. Idcirco si Sacra Congregatio onera reduxerit ob redituum imminutionem, nequit Episcopus eadem onera, quae in testamento praescripta fuerunt, Capellano imponere, cum praesertim non auctis Capellaniae reditibus locus esse non possit augmento oneris *in Narnien. Capellaniae die 9 Februarii 1754.*

47. Siquidem testamento, quo anno 1691 decessit Lucia Montarellia, praecepit, ut in Parochiali Ecclesia S. Mariae in Pensulis erigeretur Capellania, assignatis in dotem tredecim Locis Montium. Ius nominandi Capellanos legavit Episcopis Narniensibus, qui tamen nominare deberent propinquos ipsius Testatricis, si statum ecclesiasticum amplecti vellent. Voluit autem, ut Capellanus celebraret vel celebrari faceret quotidie Missam in praefata Ecclesia, donec cum hereditate usufructus Viro eius relictus simul uniretur, vel quando ad hereditatem rediret praedium, quod Testatrix coniugibus Adriano Geraldini et Paulae Consacchi donaverat; et postea dictus Capellanus celebrare deberet dumtaxat quinque Missas in praefata Ecclesia ea tamen conditione, ut celebraret vel celebrari faceret Missam diebus festis de praecepto, nec non teneretur canere in choro et organo in Ecclesia Cathedrali Narniensi diebus, quibus solebat – cantarsi in musica o a Cappella –. Post haec usumfructum suae hereditatis legavit Iosepho Parosini viro, quem constituit in annuis scutis viginti, ac denique heredem universalem instituit. Heres scripta fuit Ecclesia S. Mariae in Pensulis et pro ea Rector pro tempore ea tamen conditione, ut Rector nihil sibi vindicare posset, sed omnes fructus pro Ecclesiae commodo applicari deberent cum onere duarum Missarum qualibet hebdomada, quando praedictus usufructus consolidaretur cum proprietate. Post obitum Testatricis et primi Capellani ab eadem nominati, novus Capellanus petiit, ut Sacrorum onus reduceretur, quod fructus locorum Montium impares essent oneribus Capellano datis. Episcopus censuit, reductioni locum esse posse, quod – sibi videretur nimis grave onus assistendi choro, quoties musice canitur in Cathedrali, quod solet fieri in omnibus diebus festis et sub ritu duplici, cum ex dictis Locis Montium, solutis expensis necessariis pro exactione fructuum, remaneant ad favorem dicti Capellani vix scuta tria –. Sacra Congregatio die 21 iunii 1692 rescripsit, ut Episcopus, – veris existentibus narratis et vocatis, si qui fuerint vocandi, ac deleto onere assistendi in choro et decantandi, onus praefatum iuxta proportionatam extantium redituum quantitatem ad rationem eleemosynae perpetuae inspecto regionis more, pro suo arbitrio et conscientia moderaretur et reduceret –.

48. Voluit Episcopus post hoc Rescriptum Capellaniam erigere, sed obstitit Capitulum Cathedralis, a quo denegabatur assensus – deletioni oneris assistendi in choro et decantandi; ideoque Capellanus Franciscus Mezzani novas hac de re preces obtulit. Hinc S. Congregatio die 20 septembris 1692 censuit, – servandum et exequendum esse Decretum diei 21 iunii proxime praeteriti, addita clausula quod, purificatis enunciatis conditionibus in testamento appositis, tunc proportionabiliter augeri deberent onera, iuxta redituum augmentum et ad formam testamenti –. Atque ita tandem Episcopus Capellaniam erexit, – onusque assistendi choro et decantandi delevit cum onere celebrandi ex fructibus Locorum Montium Missas ad rationem perpetuae, nempe ad rationem obulorum 17½ pro qualibet, per dictam S. Congregationem reducto ad formam praedictorum Rescriptorum –. At dein, defuncto Capellano, ab Episcopo tunc temporis collata fuit Capellania Mathiae Scholari, addito con-

tra Rescripta Sacrae Congregationis onere canendi in choro et organo, ut disposuerat Testatrix. Onus hoc implevit per aliquod temporis spatium: sed inde se contulit in Castrum *Pieve Torine* Diaecesis Camerini, in quo per triginta et ultra annos vixit, Capellaniae quidem possessionem retinuit, onus vero non implevit. Hic postea decessit, et Paulus Mezzani tamquam de genere vocatorum institutionem postulavit, sed Episcopus renuit, quia cum esset in Ecclesia Spoletana Canonicus non poterat onus canendi in choro et organo Cathedralis Narniensis subire: obstitit etiam Capitulum eiusdem Cathedralis. Paulus vero advertit, quod morte Iosephi cessaverat quidem usufructus, et morte coniugum Geraldini bona donata reversa fuerant ad hereditatem, sed lucro hereditatis, quae data fuit a Testatrice Parochiali Ecclesiae, non vero Capellaniae; adeoque, non auctis Capellaniae reditibus, locum esse non posse sustinuit augmento oneris.

49. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An, stante purificatione conditionum in testamento appositarum, sit locus augmento onerum celebrationis Missarum quinque pro qualibet hebdomada et cantus ad formam supradicti testamenti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Narnien. Capellaniae die 9 Februarii 1754.*

50. Quod si iusta adsit causa, Sacra Congregatio, Patrona petente, nova Capellano iniungit onera, quae in fundatione non fuerunt apposita *in Toletana die 20 Decembris 1766.*

51. Enimvero Philippus Garzia de Mennaca postremis tabulis anni 1701, electa sibi sepultura in Ecclesia S. Torquati Monialium Ordinis S. Augustini, erigendam in ea mandavit post obitum duarum Sororum perpetuam Capellaniam unius Missae quotidianae; atque eidem Capellaniae assignavit annua ducata tercentum ex pensionibus quarumdam domorum, quas possidebat in Regia Villa Matriti. Ius nominandi Capellanum reliquit Bernardo Marchan eius ex sorore nepoti ac istius descendentibus masculis ac feminis; hisce vero deficientibus, illud transferri voluit in Priorissam pro tempore Monasterii S. Torquati, quod cito plane factum fuit, propterea quod Bernardus occubuit absque filiis. Quare Priorissa Monasterii, Decreto Ordinarii declarata patrona Capellaniae, anno 1745 praesentavit et Ordinarius instituit Iosephum Perez Morales; is autem, locatis aedibus, celebrationi Missae quotidianae praeposuit Sacerdotem Regularem, qui munus sibi iniunctum adimplebat hora sibi benevisa. Quum ea interim esset Monasterii conditio, ut ob eius paupertatem assiduum habere non valeret Ecclesiae Ministrum, Priorissa idcirco, conversis oculis in Capellanum Garzia, indultum imploravit, quo sibi liceret futuris Capellanis iniungere haec onera, nimirum ut in Civitate Toletana residerent, Monialium confessiones audirent, Sacramenta ministrarent, morientibus ferrent spirituale auxilium, Missam sive cantatam iuxta diei solemnitatem, sive lectam celebrarent post horam tertiam recitationis canonicae, atque in omnibus se conformarent usibus et horis Monasterii; et in casu infirmitatis senectutis et cuiuslibet legitimi impedimenti tenerentur cum consensu Priorissae, et per eos soluto congruo stipendio, alium Sacerdotem Secularem idoneum in sui locum subrogare, qui omnia ea onera adimpleret. Asseruit Priorissa, exitum Monasterii superare introitum, imparem esse ad quotidianum Capellanum habendum, vix diebus festis propriis sumptibus Sacrum habere, Capellanum Garzia hora sibi benevisa celebrare, ad Sacramenta ministranda cogi non posse, hinc diebus ferialibus plures Moniales suo officio detentas Missam non audire, Sacramenta iuxta sui Ordinis regulas infra hebdomadam minime percipere, nullum Sacerdotem assistere Monialibus in extremo vitae agone, gravem itaque imminere vitae spiritualis desolationem et discrimen. Addidit, alienam non esse Testatoris voluntatem, cum Capellaniam in Ecclesia Monasterii erexerit, ibi tumulari voluerit, Priorissam substituerit in iurepatronatus, domum Monasterio proximam Capellano assignaverit.

52. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratricis precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta modum, et modus est iniungendi onus futuris Capellanis celebrandi Missam hora a Priorissa designanda et administrandi Sacramentum

Eucharistiae Monialibus – *in Toletana die 20 Decembris 1766.*

53. Unde Capellanus tenetur interim implere onera secundae fundationis, si saltem implicite eam adprobaverit, licet reditus impares facti fuerint, uti tamen potest iure suo *in Collen. Onerum die 15 Decembris 1804.*

54. Iamvero delitescebat omnino fundatio Capellaniae seu Beneficii sub titulo S. Francisci erecti in Ecclesia Praepositurali et Collegiata S. Mariae Assumptae Oppidi Podii Bonitii. Compertum tantum erat anno 1618, Rectorem huius Capellaniae fuisse Presbiterum Georgeum Croceati, qui scripsit adnotationem in tabulario Episcopali reconditam, unde onera huius Capellaniae bonaque ad ipsam spectantia innotescebant. Constabat praeterea, quod Patronatus huius Capellaniae ex donationis titulo in familiam Rusignani pervenit, cuius in hereditatem successit nobilis gens Muzzi Florentina. Cum ita accepisset Capellaniam Ioseph Muzzi, anno 1766 Nicolaus eius Patruus et Capellae Patronus dotem et onera eiusdem Beneficii auxit. Nam impetrato opportuno Decreto a Vicario Generali Collensi instrumentum stipulavit, absente Iosepho Muzzi Rectore et pro eo acceptante actuario, quin tamen constaret, quod Ioseph expresse in hoc augmentum consenserit. In hoc vero instrumento Nicolaus assignavit Loca quinque Montium Florentina, ex quibus redibant annua scuta quindecim, iniuncto onere Rectori celebrandi vel celebrari faciendi Missam ad meridiem singulis diebus festis. Cum Rector Ioseph Muzzi Parochus esset in Castro Florentino et deinceps Canonicus in Metropolitana Florentina, administrationem bonorum Capellaniae concredidit Nicolao eius patruo ac dein Octavio Muzzi nepoti, qui onera omnia tum veteris, tum novae fundationis ex utriusque reditibus implere curarunt. Sed anno 1801 ob rerum discrimina cessavit exactio Locorum Montium; et quamquam ex fructibus bonorum primae fundationis onera omnia impleri possent, attamen omisit Canonicus Muzzi celebrationem Missarum, quae in secunda fundatione praescripta erant, ratus se non teneri ex fructibus primae erectionis satisfacere onera posterius imposita, si fundus pro his assignatus deterior evasisset. Nam imparem esse contendit fundum quinque Locorum Montium celebrationi octoginta duarum Missarum, quorum fructus consistebant in scutis quindecim, et detractis oneribus vix eleemosyna ascendebat ad iulium unum cum dimidio, quae exigua erat pro Missis cum applicatione statisque horis ad meridiem celebrandis. Irritam porro fuisse dixit secundam fundationem, quippe quae facta, ipso absente nec expresse consentiente, ita ut Vicarius Generalis non potuerit onera primae fundationi superaddere. Verum Episcopus observavit, quod – cum peracta fuerit accessio dotalis ad vetus Beneficium novaque onera imposita, eiusdem Rector erat actualis Sacerdos Orator Iosephi Muzzi nepos ex fratre Nicolai Muzzi, qui supradicta causa novam Beneficio dotem adiecit. Cum Rector, utpote in Castro Florentino Parochi munere fungeretur, abesset, explicite non consensit; ast quidem implicite annuit singulis annis Locorum Montium percipiens fructus, et Missis festivis satisfaciens, ex quo se novum onus accepisse dignoscebatur. Haud dubitandum est, quin Rector in huiusce institutionis ignorantia permansisset. Nam eius Patruus id non egisset, Nepote nesciente, quo cum familiaritate utebatur –.

55. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Rector Capellaniae teneatur implere onera secundae fundationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et Rector utatur iure suo – *in Collen. Onerum die 15 Decembris 1804.*

56. Nam Capellanus non potest propria auctoritate minuere onera Capellaniae adnexa, licet fructus eiusdem calamitate temporum sint deperditi *in Nullius die 7 Ianuarii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 303.*

57. Hinc tenetur Capellanus deferre Pluviale et Sacrum celebrare certis diebus et horis in Tabella Ecclesiae praescriptis, si ex libris praesertim Sacristiae constet de huiusmodi oneribus, licet reditus sint tenues et in fundatione non apposita nec unquam impleta fuisse Patroni contendant *in Callien. die 7 Maii 1718 et die 4 Martii 1719.*

58. Enimvero Comites de Lutiis patroni contenderunt, Capellanum a se nominatum non teneri deferre Pluviale certis diebus et celebrare certis pariter diebus et horis praescriptis in Cathedrali Ecclesia Calliensi, ubi

erecta erat Capellania. Nam probarunt, reditus Capellaniae esse in scutis 27 et obulis 30 monetae Urbini, et Capellanum debere celebrare quolibet anno Missas 182, adeoque eum aliis oneribus gravari non potuisse. Insuper contenderunt, huiusmodi onera nullatenus adesse in fundatione Capellaniae; ac Testes exhibuerunt ad probandam observantiam, ex qua sui Capellani ad libitum in Cathedrali celebraverant extra dies et horas in Tabellis praescriptas. Adversus haec respondit Episcopus, se curare observantiam Tabellarum ob eum solum finem, ne sua Cathedralis debito fraudaretur obsequio; et, praemissa protestatione, subdidit, antiquum esse morem Ecclesiae Calliensis, quod fierent Tabellae, tum pro diebus et horis, in quibus Sacerdotes debebant deferre Pluvialia, tum pariter pro diebus et horis, in quibus Missae erant celebrandae, quae res, ut poneretur in claris, copiam authenticam transmisit antiquarum Tabellarum, nec non antiquas Constitutiones editas usque de anno 1586, in quibus a suis Praedecessoribus demandatum fuerat, ut ordo Tabellae servaretur quoad Pluviale deferendum nec non celebrationem Missarum in Cathedrali Ecclesia explendam. Ad id comprobandum accedebant plures Sacerdotes, qui observantiam Tabellae confirmarunt: et ipsimet Capellani per dictos Patronos nominati, occasione accipiendi institutionem ab Episcopo, se iuramento obstrinxerant observandi dispositionem Tabellae. His interim perpensis, proposito dubio: – An Capellanus S. Bernardini teneatur deferre Pluviale et Sacrum celebrare certis diebus et horis praescriptis in Tabellis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et extrahantur partitae ex libris Sacristiae, citatis interesse habentibus, et interim praesens Capellanus observet Tabellam – *in Callien. die 7 Maii 1718.*

59. Facta itaque partitarum extractione, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius – *in Callien. die 4 Martii 1719.*

60. Cum itaque dubium sit quoad onera per Capellanos adimplenda, Sacra Congregatio sapientissimas profert declarationes tum quoad praeteritum, tum quoad futurum *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 28 Aprilis 1781.*

61. Siquidem in Collegiata Ecclesia Terrae Matterillae extabat S. Sebastiani Sacellum, cui b. m. Felix Bartolucci postremis tabulis 23 octobris anni 1528 plura reliquit praedia; onus autem imposuit Rectori, – quod debeat celebrare Missas et divina officia in ipsa Capella continuo diebus Dominicis et festis plus et minus prout videbitur Massariis terrae Matterillae et eius heredibus (quibus reliquit ius nominandi) et ipsas Missas et divina officia debeat dicere et celebrare ad honorem S. Mariae de Laureto et pro anima eiusdem Testatoris et remissione omnium suorum peccatorum ac etiam pro omnibus eorum Auctorum –. Hac posita dispositione, in aliquibus visitationibus a decessoribus Praefectis expletis decretum fuit impositumque legebatur onus cathechismi et Missam in aurora celebrandi singulis diebus festis. Praeterea idem Capellanus annua scuta tria organorum modulatori Ecclesiae Collegiatae persolvit, quo iure minime patebat. Postmodum vero ob redituum imminutionem nedum cathechesis omissa fuit, sed saepe etiam Missarum celebratio, eam in medium aliquando proferentes Capellani excusationem, quod non insteterint Patroni, in quorum arbitrium putabant collatum Capellani Missarum numerum. Quaerebatur ergo, qua ratione quoad praeteritum et in posterum huiusce pii Legati implemento esset consulendum. Post haec etiam Perna Roscetti alterum pium Legatum, cuius legitima desiderabatur interpretatio, scripsit in ultimo, cum quo decessit, elogio anno 1649. Haec siquidem Sodalitio Mortis terrae Montis Rivosi adimplendum reliquit legatum trium Missarum prima die lunae cuiuslibet mensis ad Altare Rosarii cum una Missa cantata. In controversiam adducebatur, utrum Missa cum cantu in tribus Missis esset computanda, (uti eo usque servatum fere semper fuerat) vel potius praeter Missam cum cantu tres aliae Missae deberent celebrari. Hinc quoad Capellaniam S. Sebastiani dubium erat, an Missarum numerus etiam pro diebus Dominicis, nedum pro aliis festis, et continua divinorum officiorum celebratio in arbitrium Massariorum seu Priorum dictae Terrae fuerit collata. At Officii divini nomine Missae Sacrificium satis intelligitur ex Canone *De iis* distinct. 12; in praesenti tamen casu separata et distincta

erat Missarum atque divinorum officiorum celebratio. Capellanus percipiebat annua scuta circiter sexdecim, et aliquantisper uberiores esse poterant reditus, si nonnulla inculta praedia in emphytheusim darentur. Alterum vero Legatum quondam Pernae Roscetti annuos ferebat reditus scutorum septem et obulorum viginti ex censibus in sorte scutorum 120. Dubium tamen erat, utrum demandata Missarum trium lectarum celebratio cum una Missa cantata apertam et manifestam exhiberet Testantis voluntatem celebrationis annuae trium Missarum lectarum et alterius Missae cum cantu. Dictio *cum* usurpata videbatur in casu loco dictionis *et;* ideoque copulativa erat et coniunctionem inducebat ex lege *Si ita fuerit* ff. de manumiss. testam., quin contraria obesset observantia, cum certae et manifestae piae voluntati adversaretur.

62. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de adimplemento Legatorum quondam Felicis Bartolucci et Pernae Roscetti in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo illorum implemento quoad praeteritum et in posterum sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, quoad praeteritum, ad D. Secretarium cum Sanctissimo, et quoad futurum, Legatum Bartolucci esse adimplendum cum celebratione unius Missae diebus singulis Dominicis et festis, et Legatum Pernae Roscetti esse adimplendum cum celebratione trium Missarum lectarum et una cum cantu prima die lunae cuiuslibet mensis – *in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 28 Aprilis 1781.*

63. Capellanus autem non tenetur solvere collectam extraordinariam, et si eam solverit cum animo repetendi, locus est repetitioni indebiti, quando Communitas partem congruae eidem *demonstrative* super aliquo proprio fundo statuerit *in Spoletana die 27 Februarii 1790.*

64. Siquidem in commodum praesertim utilitatemque suorum Civium Fematris fundationem designavit Sacerdos Ioannes Femi perpetuae Capellaniae ex tenui, quod in Patria possidebat, Beneficio fructibusque scutorum quatuor centum, quae ipse donabat, ut Sacrum nempe singulis diebus festis faceret Capellanus, Parochum coadiuvaret, Puerosque tamquam Ludimagister erudiret. Manus ei praebuit adiutrices Communitas Castri, cessitque anno 1707 praefato Ludimagistro reditum annuum scutorum novem circiter, quem ex locatione montis *Castelluccio* habebat. Praeter unionem Beneficii, quae simul habuit effectum, adimpleta fuerunt omnia, suoque nomine locare consueverunt Capellani pascua per Communitatem cessa, quorum annui affictus ad scuta 34 paullatim creverunt. Ad dimittendum collectarum cameralium debitum, quo ab anno 1760 ad annum 1773 premebatur Nursia, collectam anno 1779 per quindennium imposuit obulorum 35 singulis dependentium Universitatum familiis, solvendam ex fructibus et pascuis *del Castelluccio.* Suam igitur partem reiecerunt Fematrini in Sacerdotem Iacobum Antonium Buccetti Capellanum, qui ad mensem Februarium 1787, animo tamen repetendi, annua hoc nomine solvit scuta 8, 75. Tandem Sacrae Congregationi supplicavit pro restitutione indebiti; eoque defuncto, instantiam prosequuti sunt illius heredes et modernus Capellanus. Publici repraesentantes Castri exposuerunt Episcopo rationem, cur solvi a Capellano deberet nova collecta, quod nempe familiae consiliares, quibus reservata erant pascua, – nullum percipiunt commodum et utilem compensationem onerum Communitatatis, quae sustinere coguntur –; quodque – Capellano donata fuere pascua pro annuo fructu scutorum decem vel duodecim, et nunc ascendunt ad scuta triginta quatuor –. Prior quippe ratio omnino despicienda non erat, quum praeter alia communitativa onera solvere etiam tenerentur consiliares familiae collectam pro pascuis, quae amplius non possidebant contra regulam Textus in Lege *Imperatores* 7 ff. de publican. et vectigal. Quoad alteram vero advertebatur, quod licet Communitas assignaverit Capellano pascuorum reditum cum indicatione summae in annuis scutis decem vel duodecim, ea tamen addidit verba – quando più, quando meno –. Indefinite ergo assignatus dici poterat illorum reditus, et quantitas *demonstrative* adiecta. Et in hoc supposito pascuorum augmentum in commodum cedere debuisset Capellani, ita ut nec potuisset nec poterat extraordinaria Communitatis collecta gravari. Mens alia ex

parte urgebat cedentium, qui eam assignare voluisse videbantur reditus partem, quam cum fructu scutorum quatuor centum ad mediocrem Capellani sustentationem in scutis decem aut duodecim sufficere posse arbitrabantur; ac in id etiam concurrere videbatur Sacrae Congregationis Boni Regiminis voluntas, quae cessionem approbavit – della rata della montagna del Castelluccio –, ex qua per Cancellarium Fematris asserebatur haberi posse – un anno per l'altro il frutto di scudi dieci in dodici –. In his porro terminis *taxative* assignata videri poterat expressa quantitas; ideoque exigi potuisse et posse collectam ratione augmenti. Etiamsi vero solvenda esset collecta a Communitate, omnino adhuc explorata non videbatur restitutio summae per decessorem Capellanum solutae. Nam expleta quidem fuit huiusmodi solutio animo repetendi, ex quo salvum dici poterat ius solvendi, ex illius tamen iteratione ad annum 1787 protestatio repetendi adversari videbatur facto. Episcopus retulit, reditus non excedere quantitatem scutorum sexaginta circiter; ac censuit, attenta Capellani et Ludimagistri utilitate, - iustum ac conveniens esse Capellani instantiae indulgere –.

65. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et ad quem spectet onus solvendi collectam in casu etc. II. An sit locus repetitioni indebiti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, spectare ad Universitatem Fematris. Ad secundum, Affirmative – *in Spoletana die 27 Februarii 1790.*

66. Unde Capellanus, qui possidet Capellaniam ad nutum Patronorum amovibilem, et Ecclesiae Fabrica suos habeat peculiares reditus, non tenetur praestare fructus dimidii anni *in Firmana die 19 Septembris 1767.*

67. Enimvero Iannottus Gualterius Archiepiscopus Firmanus, qua heres et executor voluntatis Sacripantis Pancalli, anno 1683 certis assignatis bonis Capellaniam erexit ea lege, – ut esset de iurepatronatus descendentium masculorum in infinitum quondam Georgii Egidii de Monte Florum habitantium in Castro Campi Feudoni ad nutum nostrum donec vixerimus et supradictorum descendentium ut supra nominatorum amovibilem –, cum onere duarum Missarum in qualibet hebdomada, et in primum Capellanum non amovibilem, sed perpetuum elegit Clericum Lucam Egidii filium dicti Georgii; post huius vero obitum voluit eligi, – antiquiorem Sacerdotem de dictis descendentibus quondam Georgii, quatenus adsint plures Sacerdotes, quatenus vero non adsint, eligatur qui sit Sacerdos de dicta descendentia, et quatenus non adsit Sacerdos, eligatur Clericus, qui promoveri possit ad Sacerdotium intra annum, et quatenus non adsit Clericus, qui promoveri possit ad Sacerdotium intra annum, tunc eligatur per supradictos descendentes, quem voluerint; omniaque demum sua auctoritate confirmavit ac Capellaniam iurisdictioni et visitationi Archiepiscoporum pro tempore submisit, iniuncto etiam annuo canone unius librae cerae albae a Capellano eisdem pro tempore Archiepiscopis tradendo. Contendit Capitulum Metropolitanae Firmanae, Capellaniam subiici legi praestationis mediae annatae, cum eam ecclesiasticam censeret, etiamsi amovibilis esset; quia nihilominus potestate habitu seu aptitudine perpetua erat. Hoc enim sufficere sustinuit ad indolem seu essentiam Capellaniae ecclesiasticae et Beneficii. Contra Capellanus dixit, duo ex Benedicti XIII constitutione, cuius initium: *Pius misericors,* requiri, ut praestationi mediae annatae esset locus; alterum, quod res sit de Beneficio, alterum vero quod Ecclesia Cathedralis reditibus pro Fabrica sit destituta. At in casu Capellania nulla Ordinarii auctoritate erecta erat; nam Iannottus Gualterius eam fundavit non tamquam Archiepiscopus Firmanus, sed tamquam persona privata. Agebatur praeterea de Capellania mere manuali et ad nutum Patronorum amovibili; id autem repugnare videbatur naturae et essentiae Beneficii, et nonnisi improprie et abusive Beneficium esse. Probavit inde Capellanus, Fabricam Ecclesiae Cathedralis suos habere reditus, nec subsidio mediae annatae egere.

68. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An debeantur Ecclesiae Cathedrali fructus dimidii anni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Firmana die 19 Septembris 1767.*

69. Ceterum a Capellanis, non vero ab Administratoribus Capellae solvenda est taxa pro usu sacrarum supellectilium, si ex tabu-

bulis fundationis id satis pateat *in Nucerina Paganorum die 2 Maii 1705 lib. 55 Decretorum.*

70. Iamvero « proposito in hac Sacra Congregatione sub die 20 aprilis 1695 dubio: « An taxa Carolenorum tredecim pro singulis centum Missis ab Episcopo antecessore Sacerdotibus indicta pro usu sacrarum supellectilium, quae a Sacristia Ecclesiae Cathedralis eisdem ministrantur, solvenda erat a Capellanis ex pia dispositione Leonardi Franda celebrantibus in Altari Capellae Sanctissimi Rosarii in ipsa Cathedrali Ecclesia existentis, an vero a Rectoribus et Administratoribus potius eiusdem Capellae », responsum praedicta die fuit: « Spectare ad Rectorem, non diminuto Missarum numero ». Hinc suborta postea quaestione, an nomine Rectorum praefati Administratores, an autem dicti Capellani intelligerentur, informantibus dumtaxat ipsis Administratoribus, sub die 20 septembris superioris anni Sacra Congregatio respondit: « Intelligi Capellanos »; et Partibus etiam sub die 10 ianuarii praeteriti super intelligentia primi Rescripti utrinque informantibus persistendum censuit: « In decisis ». Nunc vero dimissa ulteriori contentione super intellectu ac declaratione huiusmodi, cupientes supradicti Capellani veluti ex integro a Sacra Congregatione definiri, an onus praefatae Taxae ad Administratores Rectoresque dictae Capellae Sanctissimi Rosarii, an vero ad ipsos potius Capellanos pertineat, ab EE. VV. decerni postulant: – An Taxa Carolenorum tredecim pro usu sacrarum supellectilium solvenda sit ab Administratoribus seu Rectoribus Capellae Sanctissimi Rosarii, vel potius a Capellanis in ea celebrantibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Esse solvendam a Capellanis – *in Nucerina Paganorum die 2 Maii 1705 lib. 55 Decretorum.*

71. Idcirco ex fructibus Capellaniae subministranda sunt utensilia per Administratores seu Sancteses; proposito enim dubio: – VI. An et quis teneatur annuatim solvere Capitulo SS. Faustini et Iovitae utensilia Missarum et in qua summa in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, utensilia esse subministranda per Sancteses ex fructibus Capellaniae – *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

72. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad sextum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, in decisis, et amplius – *in Viterbien. Capellaniae die 21 Novembris 1767.*

73. Nam omnes et singuli Beneficia seu Capellanias sub perpetuo Missarum onere obtinentes utensilia Sacrario Ecclesiae, ubi Missarum celebrationem peragunt, persolvere tenentur *in Romana Utensilium die 28 Ianuarii 1736* §. *At.*

Item *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *De* (1).

74. Certa hinc est iuris dispositio, qua omnes Capellani adiguntur ad utensilium solutionem, etiamsi Sacrarium sit dives *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Ad VI.*

75. Etenim licet ageretur de Ecclesia Cingulana peculiares habente reditus supellectilibus instruendis addictos, proposito dubio: – An Rectores Beneficiorum, Capellani, aliique celebrantes in Ecclesia Collegiata Cinguli teneantur solvere utensilia Capitulo dictae Ecclesiae, et pro qua summa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Rectores Beneficiorum, Capellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Capellanias perpetuas, et ipsum Capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad solutionem utensilium Sacristiae ad rationem unius obuli pro qualibet Missa, exceptis tantum a solutione utensilium Missis adventitiis – *in Auximana die 23 Februarii 1726.*

76. Unde Decreta, quae tempore Urbani VIII fuerunt ab Sacra Congregatione super celebratione Missarum edita, loquuntur dumtaxat de Missis manualibus et adventitiis, non autem de quotidianis et perpetuis notavit Rota in decis. 463 n. 6 coram Molines *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *Et quamvis.*

77. Nisi enim obstet voluntas Fundatoris, regulariter onus sacrorum utensilium feren-

(1) Monacell. in Form. for. Eccles. part. 4, n. 181, pag. 107; Ursaya tom. 4, part. 2, discept. 22, n. 67, et tom. 5, part. 2; Piton. de controv. patron. alleg. 14, n. 46.

dum est a Canonicis vel Beneficiatis, quibus certa Praebenda assignata est, non autem a Fundatoris heredibus; disputato enim inter heredem et Capellanum dubio: – An et a quo sint solvenda utensilia pro celebratione Missae quotidianae et ad quam rationem, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, utensilia solvenda esse a Capellano ad rationem scutorum quatuor pro quolibet anno – *in Romana die 10 Maii 1727.*

78. Et contraria Testatoris voluntas eruitur, quando dos relicta par haud sit expensis utensilium; in casu enim, quo Testator pro dote decem Capellaniarum legaverat Ecclesiae solum decem Loca Montium, proposito dubio: – An augmentum usque ad scuta quatuor pro qualibet Capellania debeatur ab herede, seu potius a Capellanis? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Romana Utensilium die 11 Aprilis 1739.*

79. Idcirco si Capellani seu Altaristae auditi non fuerint, antequam Sacra Congregatio declaret, an iidem Missas celebrantes ex Capellaniarum obligatione teneantur suppeditare sumptus consumptionis paramentorum et cerae, cum Sacrarium tenuissimos reditus ac proventus habeat, mandat, eos audiendos esse, et interim servari solitum *in Macerat. Visitationis Sacrorum Liminum die 29 Aprilis 1664.*

80. Capellani autem nedum sub comminatione censurarum in actu visitationis teneantur exhibere Ordinario libros continentes legata, fundationes Beneficiorum, computa reddituum et exituum nec non notulam eorum, qui Capellanias et Beneficia possident atque notulam bonorum alienatorum Ecclesiae, sed et debent asportare et relinquere in mansionibus praefati Ordinarii omnes libros, qui ad exigentiam visitationis spectant *in Calaguritana Visitationis die 18 Iunii 1701 et die 9 Septembris 1702 lib. 51 et 52 Decretorum.*

81. Iamvero – Abbas Monasterii Beatae Mariae de Naxera Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispaniarum, habens iurisdictionem ordinariam et ius visitandi Ecclesiam Parochialem Sanctae Crucis ac Ecclesiam S. Michaelis dictae Civitatis earumque Clericos et Capellanos privative quoad Episcopum, in reliquis vero cumulative cum eodem, ut constat ex antiqua sententia usque et ab anno 1412 per sedem Apostolicam confirmata ac per S. Rotam de anno 1606 canonizata, volens de anno 1700 visitare dictam Ecclesiam Parochialem S. Crucis plenarie et subiective suo Monasterio unitam, ut habetur in decis. 53, 67 et 77 tom. 3 coram Ubaldo, et decis. 1023, 1067 et 1098 coram Emerix iuniori, requisivit ad hunc effectum, etiam sub poena censurarum, exhibitionem librorum anniversariorum Capellaniarum et Operum piorum illorumque computa nec non instrumenta fundationum a praefatis Clericis et Capellanis, qui, dictos libros exhibere renuentes, recursum habuerunt ad Regium Tribunal, ex cuius Rescripto Abbas supradictus coactus fuit ab ulteriori progressu in visitatione se abstinere. Tandem remissa Causa ad hanc Sacram Congregationem per R. P. Auditorem Sanctissimi sub die 18 iunii anni proximi praeteriti disputata fuerunt octo sequentia dubia videlicet: – I. An Capellani Ecclesiae S. Crucis teneantur in actu Visitationis exhibere libros antiquos et recentes continentes legata et bona relicta eidem Ecclesiae? II. An teneantur exhibere libros continentes Anniversaria aliaque onera et Opera pia in dicta Ecclesia fundata? III. An teneantur exhibere libros continentes fundationes Beneficiorum et Capellaniarum earumdemque fundationum instrumenta? IV. An teneantur exhibere libros continentes computa redituum et exituum Ecclesiae eorumque fundationes? V. An teneantur exhibere notulam eorum, qui possident Capellanias et alia Beneficia in dicta Ecclesia et illorum, qui debent Anniversaria aliaque pia Opera adimplere? VI. An teneantur exhibere notulam bonorum alienatorum Ecclesiae et respective noviter acquisitorum, atque instrumentorum et scripturarum easdem alienationes et acquisitiones respicientium? *Et quatenus affirmative.* VII. An censurae relaxatae per Abbatem de Naxera contra dictos Capellanos in actu Visitationis pro praemissorum exhibitione sustineantur in casu etc. VIII. An Abbas teneatur restituere libros Baptismatum et Matrimoniorum in casu etc. –; quibus dubiis EE. VV. die 18 iunii 1701 responderunt: – Ad primum usque ad sextum, Affirmative. Ad septimum, Abbatem uti posse remedio censurarum. Ad

octavum, Negative praeterquam quoad libros currentes –.

82. Praetendentibus autem praefatis Clericis et Capellanis, ipsos adhuc non teneri ad asportationem et exhibitionem dictorum librorum, ac ad eos relinquendum in mansionibus dicti Abbatis, sed ab isto esse revidendos in asserta aula capitulari eorumdem, sequens dubium ad instantiam Abbatis supradicti EE. VV. resolvendum proponitur: – An Abbas occasione Visitationis eaque durante possit cogere Capellanos Ecclesiae S. Crucis ad asportandum, exhibendum et relinquendum in eius mansionibus Abbatialibus libros et scripturas originales concernentes Visitationem in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Affirmative ad formam Resolutionis in Hispalen. (1) – *in Calaguritana Visitationis die 9 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

83. Hinc antequam Sacra Congregatio declaret, Capellanum ob redituum defectum non teneri implere cuncta onera, vel locum esse eorum reductioni, omnibus utitur mediis, ut res pateat *in Feretrana Reductionis Onerum die 3 Septembris 1718 et die 7 Septembris 1720.*

84. Enimvero licet a Congregatione super statu Regularium, occasione suppressionis cuiusdam parvi Conventus S. Augustini de Plano Mileti Feretranae Diaecesis, fuerit demandatum, quod erigeretur Capellania perpetua, quod Capellanus in Conventu resideret, per se ipsum quotidie celebraret, in schola doceret, Parocho auxiliaretur in cura animarum, et quolibet anno solveret Seminario scuta viginti, comperto nihilominus quod reditus conventus erant admodum tenues, eadem Sacra Congregatio absolvit Capellanum a retentione scholae, et solutionem Seminario faciendam quolibet anno reduxit ad scuta decem. Sacerdos Paulus Antonius Barnabeus novus inde Capellanus contendit, se non esse obligatum ad solvenda praedicta scuta decem Seminario, quia reditus Capellaniae tunc non excedebant scuta 20 et obulos 50, ex quibus si detraherentur scuta octo circiter pro annuis oneribus, non supererant nisi scuta duodecim circiter, ex quibus si essent detrahenda scuta decem quolibet anno pro Seminario, ipse pro scutis duobus teneretur residere in aedibus Conventus, Missam quotidianam celebrare, et Parochum coadiuvare in exercitio curae animarum, ad quae vitanda absurda conclusit, vel se non teneri ad annuam solutionem scutorum decem, vel esse locum reductioni aliorum onerum Capellaniae. Adversus haec excepit Seminarium, non esse locum absolutioni ab onere scutorum decem annuorum, quia Testes a Capellano adducti patiebantur exceptiones in persona et in dictis, et quia eadem bona, quae aderant tempore suppressionis Conventus, aderant etiam de praesenti, ita ut redituum deterioratio, quatenus esset in facto verificata, in iure non relevaret, utpote procedens ab omissione debitae culturae. Propositis interim dubiis: – I. An Capellanus Conventus suppressi S. Augustini Plani Mileti teneatur ad annuam praestationem scutorum decem favore Seminarii Montis Feretrani? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus reductioni aliorum onerum dictae Capellaniae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Firmetur status, et examinentur Testes formiter, auditis interesse habentibus – *in Feretrana Reductionis Onerum die 3 Septembris 1718.*

85. Factum fuit formale Tertium examen; repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, dilata; et melius firmetur status, et scribatur Episcopo pro informatione super necessitate coadiuvandi Parochum – *in Feretrana Reductionis Onerum die 7 Septembris 1720.*

86. Si enim redituum imminutio de facto probetur et iusta adsit causa, reducitur etiam onus coadiuvandi Parochum; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative quoad onus tantum coadiuvandi Parochum arbitrio Emi Abbatis, qui mandet celebrari Missas tam pro praeterito, quam pro futuro; et amplius – *in Sublacen. Capellaniae die 13 Iunii 1743.*

87. Unde si Capellanus ad domum colonicam aedificandam petat, ut excidere posset arbores fere infructuosas, nec non facultatem

(1) Huiusmodi Resolutio prostat in Verb. *Abbas*, §. V, n. 252, Tom. I.

creandi censum, ac Missarum suspensionem, Sacra Congregatio ante omnia mandat, ut Episcopus referat de annuo reditu Capellaniae per decennium *in Fanen. die 20 Iulii 1805.*

88. Siquidem Presbiter Paternianus Fanelli titulo Patrimonii Sacri possidebat Capellaniam a Francisca Gasperoli institutam, cuius fructus ex praedio redeuntes in Missas erogandi erant omnes. Quum in hoc fundo non esset domus colonica, Fanellius eam aedificare volebat, quo melior evaderet agri conditio et a furibus segetes servaret. Impensam pro hac domo sibi necessariam esse dixit in scutis 260, quam facere posse negabat, nisi tria ab EE. PP. exoraret, scilicet ut excidere posset ex fundo quercus pro summa scutorum centum triginta, ut pro reliqua summa ipsum praedium obnoxium facere posset aere alieno contrahendo, ut Missae suspenderentur quoad ex fructibus fundi dimissum esset debitum. Episcopus retulit: - Peritum ex officio deputavi, qui non solum arbores humi sternendas fere infructuosas esse ac culturae damnosas me certum reddidit, verum etiam earumdem valorem ad quinque supra centum scutata attingere existimavit. Alterum quoque Peritum deputare non omisi pro novae domus aedificatione, cuius impensam ad scuta bis centum pertingere fecit. Quantum praeterea utilitati sit cessura isthaec aedificatio satis compertum est, si perpendatur, agrum a praedonibus, quibus antea erat obnoxium, iam fore non tantum defensum, verum etiam uberiores fructus ex maiori Coloni sedulitate esse redditurum. Desunt igitur Peritorum iudicio tantum nonaginta quinque scutata, atque solvendi erunt quotannis fructus census imponendi, ac inde deponendae ratae pro extinctione. Necessarium proinde erit, ut Orator interea absolvatur ab onere Missarum pro ea quantitate, usque dum praedium Capellaniae liberetur ab aere alieno contrahendo -. His autem perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum aedificationi domus colonicae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata, et Episcopus referat de annuo reditu Capellaniae per decennium - *in Fanen. die 20 Iulii 1805.*

89. Quod si res sit satis perspecta, ad effectum restaurandi domum et praedia Capellaniae, indulgetur ad biennium suspensio Missarum et dispensatio a residentia et praestatione hospitii *in Lunen. Sarzanen. die 19 Ianuarii 1793.*

90. Siquidem heredem scripsit anno 1656 Franciscus Malacalza Constantiam eius sororem; instituitque post eius obitum Capellaniam ad Altare Beatae Mariae Virginis in nova Parochiali Ecclesia Iucani per Sacerdotem Michaelem Angelum Monsignori eius ex sorore nepotem erigendam. Huiusce Capellaniae patronatum reliquit descendentibus ex duabus sororibus, Maria nempe nupta Laurentio Monsignori et Dominica Ioanni de Blasio. In primum ipse Capellanum nominavit praefatum Michaelem Angelum Monsignori cum hebdomadali onere Missarum quatuor, residendi in sua habitationis domo, in eaque recipiendi Patres S. Andreae de Sarzana Seraphici Ordinis S. Francisci de Assisio et Patres S. Francisci de Paula, uti esset dictorum Patrum hospitium; eumque post illum – ex dictis descendentibus, qui primus Sacerdos erit –, et in concursu post illum – ex dictis descendentibus, qui primus Sacerdos erit –, et in concursu plurium Sacerdotum magis idoneum doctum sapientem iudicio Sarzanensis Episcopi. Defuncto sub annum 1790 Sacerdote Luca Poletti novissimo Capellano, directe per institutionem Episcopi Capellaniam obtinuit Laurentius Morchio unicus (si germanum excipieres eius fratrem Dominicum) inter reliquos vocatos Sacerdos. Ipse cum labentem beneficii domum neglectamque ab eius praedecessore culturam praediorum invenerit, supplices EE. PP. porrexit preces pro temporanea Missarum suspensione et dispensatione a residentia et hospitio ad effectum restaurandi domum et praedia. Precibus contradixit unus ex Patronis, nempe Felix Monsignori, qui institutionem petiit, paratum se exhibens ad omnia sustinenda onera, fatiscentem reparandam domum et praedia restauranda. Vicarius Capitularis retulit, annuum Capellaniae reditum, ducto per decennium calculo, non excedere scuta Romana 28, et decrementum evenisse ex culpa Capellani praedecessoris, nec facile ob difficultates litis urgentemque reparationum necessitatem adversus decessoris heredes agi posse pro refectione damnorum.

91. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit locus suspensioni Missarum dispen-

sationi a residentia et praestationi hospitii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus ad biennium, celebrata unica Missa quolibet mense et docto coram Episcopo de erogatione superextantium redituum in causam expressam – *in Lunen. Sarzanen die 19 Ianuarii 1793.*

92. Hinc indulgetur Capellano reintegratio ex fructibus Capellaniae de expensis litis factis pro recuperandis fundis eiusdem Capellaniae, iniuncta tamen obligatione prosequendi litem, nec non reductio Missarum ad taxam perpetuae usque dum augeantur fructus, atque etiam absolutio quoad Missas in praeteritum non celebratas *in Civitatis Castellanae Reductionis et Absolutionis die 18 Februarii 1815.*

93. Iamvero Sacerdos Leopoldus Ridolfi cum adhuc esset Clericus anno 1786 obtinuit Capellaniam sive Legatum pium ab Annibale Cellini institutam. Fundus huius Capellaniae consistebat in scutis quingentum, ex quibus pro rata scutorum quatuor centum viginti quinque tenebatur familia Cencelli, pro rata scutorum quinquaginta debebatur ab heredibus Silvestri Anselmi census similis summae, et pro rata scutorum viginti quinque debitrix erat hereditas Catharinae Celli ex causa itidem census. At haec nomina omnia, quae constituebant fundum Capellaniae, erant implicata. Nam familia Cencelli pro scutis 425 assignavit praedium, cui nomen i *Vignali*, quod cum a tertiis possessoribus retineretur, oportuit Capellano iudicio agere et interdicto Salviano experiri, ut possessionem fundi obtineret. Per triennium lis prosequuta fuit, et Leopoldus Ridolfi Capellanus tres sententias votis suis secundas reportavit. Sed interea celebratae non fuerunt Missae duo hebdomadales, ita ut ad Missas ter centum duodecim Capellanus tenebatur. Itaque supplicavit Sacrae Congregationi pro absolutione, sive quia ipse per se cum non esset Sacerdos applicare non poterat, neque per alios attenta paucitate Sacerdotum, sive quia ipse in possessionem fundi Capellaniae non iverat, neque fructus perceperat, et sumptus pro sustinenda lite facere tenebatur. Ex his Sacra Congregatio Episcopo Civitatis Castellanae commisit per Rescriptum diei 21 Maii 1789, ut – quoad Missas non celebratas earumque suspensionem sive in totum sive in parte, usque quo sive in totum sive in parte iverit Orator in possessionem bonorum, pro suo arbitrio et conscientia condonare possit et valeat ita tamen, ut si quid ex fructibus pro tempore praeterito recuperandis superfuerit quantitati expensarum pro litibus coram eodem Episcopo liquidandarum pro eo excessu Orator ipse ad huiusmodi Missarum celebrationem teneatur –. Verum cum ab iis sententiis, quas Capellanus Ridolfi obtinuerat, concessa fuisset appellatio, iste animo cecidit, litemque deseruit. Pro censu scutorum 50 debito ab heredibus Anselmi nunquam iudicio egit, cum delitesceret instrumentum impositionis census. Ab heredibus vero Catharinae Celli censum recuperavit in sorte scutorum 25 annui fructus scuti 1.50, et simul scuta 45.50 pro fructibus decursis et insolutis. Hinc Sacerdos Leopoldus Ridolfi tria postulavit, tum ut scuta 45, quae exegit ab heredibus Catharinae Celli, accipere posset in causam sumptuum litis, tum reductionem Missarum ad taxam perpetuae ad ratam annui fructus scuti 1.50, tum absolutionem pro Missis in praeteritum non celebratis. Episcopus vicinior Sutrinus rogatus de sua sententia censuit, instantiis – annui posse mihi videtur, si iustam iudicaverit ista S. Congregatio fuisse causam deserendi litem –. Quamquam fructus in scutis 45 provenirent ex alio credito, quam ex illo, pro quo acta lis fuit, attamen par esse videbatur ratio, cum utrumque creditum fundum Capellaniae efformaret. Si igitur Capellanus redintegrandus erat de expensis, nil interesse videbatur, num ex uno, an alio credito reintegraretur, cum expensae factae essent in utilitatem Capellaniae. Ad reductionem autem Missarum quod spectabat, ex censu Cencelli retrahebatur annuum scutum unum et obuli quinquaginta, id quod impar omnino erat ad celebrandas geminas Missas hebdomadales. Quoad absolutionem iam a Sacra Congregatione ex Rescripto diei 21 Maii 1789 obtinuerat Capellanus, ut in suspensum relinquerentur Missae huiusmodi, usque dum vel in totum vel in partem possessionem fundorum Capellaniae recuperasset. Hinc post annos viginti quinque adeo excrevit cumulus Missarum, quae in praeteritum celebratae non fuerunt, ut fere impossibile esset eas implere. Aberat autem mala fides, cum ideo

inadimpletae extiterunt, quia deficiebant reditus.

94. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellanus Ridolfi et in qua summa sit redintegrandus ex fructibus Capellaniae Cellini de expensis litis factis pro recuperandis fundis Capellaniae in casu etc. II. An et quomodo sit concedenda reductio in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad Missas in praeteritum non celebratas in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative facta ab Episcopo liquidatione expensarum et iniuncta obligatione prosequendi litem quoad litem quoad praedium *li Vignali*. Ad secundum, Affirmative ad taxam perpetuae usque dum augeantur fructus Capellaniae. Ad tertium, Affirmative – *in Civitatis Castellanae Reductionis et Absolutionis die 18 Februarii 1815*.

95. Quod si reditus Capellaniae satis sint pro ministerio simplicis Sacerdotis in parvo Oppido, non indulgetur onerum reductio, licet Capellanus aere suo fundos culpa aliorum deterioratos reparaverit, dum alias Sacra Congregatio ad hunc effectum indulsisset facultatem creandi census et suspensionem Missarum *in Portuen. Reductionis Onerum die 18 Aprilis 1795*.

96. Enimvero Agnes de Paulis instituit anno 1712 heredem in usufructu Antonium Serbaroli et in proprietate Nosocomium S. Ioannis Calabitae Urbis sub lege, ut erigeretur Capellania, nisi dicti Patres in terra Caesani Hospitale fundarent. Quum inde Patres Calabitae Rescriptum S. Congregationis diei 12 Decembris 1732 adimplevissent, hereditatem idcirco cum perceptis fructibus in summa scutorum 281.30 dimiserunt anno 1733, et sequenti anno 1734 renunciatus fuit auctoritate ordinaria Capellanus cum utroque onere Missae quotidianae et coadiuvandi Parochum ad formam praefati Rescripti Sacrae Congregationis Ludovicus Serbaroli, cuius successores ad annum 1765, quo nominatus fuit ad Capellaniam modernus illius possessor Bernardinus Narducci, diu in adimplendis oneribus defecerunt, causamque dederunt deputationi Administratoris. Vix autem Narduccius in Capellanum electus Sacrae Congregationi supplicavit, ut, ob imminutos Capellaniae reditus non sua, sed Patrum Calabitarum et primi et secundi ac tertii Capellani culpa, liberaretur saltem ab onere coadiuvandi Parochum; probavitque deteriorem bonorum statum duplici agrimensoris et fabri murarii peritia. Alter siquidem ex Peritis ad reducenda in pristinum praedia rustica necessariam duxit impensam scutorum 650, alter pro urbanis reparandis aedibus requiri dixit scuta 250. Contradictricem tamen habuit Narduccius Communitatem Caesani, nihilque Sacra Congregatio innovandum putavit. Preces ille renovavit alias etiam ob causas: et Sacra Congregatio die 21 Aprilis 1787 facultatem ei dedit creandi censum scutorum centum et gratiam indulsit suspensionis Missarum, ut reficere posset aedes. At is maluit aere suo solvere scuta 18.70, reparare aedes, et integrum celebrare Missarum numerum. Aliquod hinc postulavit levamen ab oneribus impositis per Rescriptum anni 1732, quae et ipse semper adimplevit. Emus Episcopus Portuensis annuum Capellaniae reditum statuit in scutis 111.78, iuxta peritias anni 1782, Orator vero in scutis tantum 97, ob posteriores bonorum deteriorationes; et hoc posito introitu, ita ex decennii calculo statuit exitum: annua scuta 30 pro fructibus census scutorum 1000, scuta 72 pro Missa quotidiana et onere coadiuvandi Parochum, et scuta 19 pro instaurationibus et dislocationibus urbanarum aedium ac domus praesertim Urbis per Salvianistam dimissae. Iuxta calculum igitur Oratoris passivus status superabat activum in scutis 24, seu quod idem erat, remanebant pro Missa quotidiana et coadiuvatione Parochi scuta 48, detractis a reditu scutorum 97 fructibus census et manutentione bonorum. Si attenderetur contra firmatio status anni 1782, simplicique praeferretur assertioni Oratoris, Capellaniae reditus summam attingebat scutorum 111.78, a quibus deductis fructibus census scutorum 1000 et expensis pro conservatione bonorum, remanebant pro utroque onere Capellaniae scuta 62, 78.

97. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quae onera et quomodo sint reducenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Portuen Reductionis Onerum die 18 Aprilis 1795*.

98. Hinc si unus fundus deterior factus fuerit, non permittitur subrogatio alterius

fundi nec reductio Missarum indulgetur, cum alia subsistant bona originarie subiecta oneri Missarum, stante tamen impotentia, conceditur absolutio quoad praeteritas omissiones *in Tyburtina Reductionis die 27 Aprilis 1816.*

99. Siquidem bonis suis omnibus Martia Pecorari donavit Ioanni Philippo Morelli anno 1767 ea adiecta conditione, ut, si debitis solutis satis amplum capitale superesset, celebrare facere deberet in perpetuum annuas Missas centum ad eleemosynam manualem in Ecclesia S. Petri Vicovarii. Bona donata a Philippo Morelli in Aloisium filium pervenere, qui in dimissionem aeris alieni scutorum 565 Marchioni Gondislavo Nunez bona donata cessit. Ab hoc ex empto transierunt in Sacerdotem Angelum Fanti anno 1799, in quo constitutum fuit pretium scutorum quingentum et designata bona, atque Sacerdos Fanti emptor celebrationem centum Missarum in se recepit. Cum Sacerdos Fanti integrum pretium non repraesentasset, Marchio Nunez, instaurato iudicio, ab A. C. Pelagallo mandatum pro residuo pretio scutorum tercentum impetravit. Composita lis fuit mediante retrocessione duorum praediorum, quae a Sacerdote Fanti empta fuerant. Vixit hic implicatus aere alieno, ut miserrimum beneficium Cap. *Odoardus* implorare coactus fuerit, et obaeratus intestatusque occubuit. Eius legitimam hereditatem absque beneficio legis et inventarii adivit Franciscus Fanti frater, qui cum domum ex donatione Martiae provenientem possideret adeo fatiscentem, ut reparationibus indigeret, et ipse paupertate laboraret, postulavit, ut fas sibi esset pro fundo legati subrogare apothecam, quam ipse libere possidebat, ut, indulta absolutione quoad praeteritum et reductionem quoad futurum, tot Missae pro legato celebrarentur, quot ad manualem pensionibus scutorum duorum et obulorum quadraginta respondebant. Vicarius Capitularis remisit peritiam expensarum pro restauratione domus, quae requirebant summam scutorum 265. 70 et particulam fundationis et contractus, et addidit: – Crederem, posse locum dari subrogationi apothecae pro maiori indemnitate pii Legati eiusdemque assicuratione, si domus huic obnoxia oneri periret, non autem cum absoluta liberatione domus ab onere legati –. Reductionem pariter concedi posse censuit, donec domus esset restaurata. At non una tantum domus, sed omnes fundi donationi subiecti fuerunt a donatrice oneri centum Missarum. Fundi vero rustici erant penes Marchionem Nunez, quos sibi ab Angelo Fanti retrocessos possidebat. Quare cum subsisterent bona originaria subiecta oneri Missarum, si unus fundus deterior factus sit, concedi non poterat reductio, quae denegatur, cum fundus relictus sit idoneus oneribus ferendis. Hinc Marchio Nunez actionem convertebat adversus Franciscum Fanti, si ad implementum oneris adigeretur: sed Franciscus inopia premebatur, et erogare debebat summam scutorum 265 pro reparationibus domus. Hinc absolutionem petiit Orator pro Missis a triennio ob impotentiam non celebratis.

100. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda subrogatio apothecae in locum domus relictae pro implemento onerum Missarum in casu etc. II. An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative celebratis pro una vice Missis decem ad formam fundationis – *in Tyburtina Reductionis die 27 Aprilis 1816.*

101. Cum autem omnes Missae applicari deberent nec locus esset novae reductioni, ad dubium, an et quae onera sint implenda, Sacra Congregatio respondit, iuxta votum Episcopi *in Regien die 3 Augusti 1765.*

102. Siquidem Andreas Rota duas Capellanias per Card. Thuscum fundatas, qui praeter Missas alia onera praeceperat, possidebat; sed ut suam liberaret religionem potissimum de oneribus, quae non implebantur, mandante Summo Pontifice, declarandum proposuit, an Sacra post reductionem omnia pro familia Thusca applicanda essent, eoque casu novam reductionem Sacrorum postulavit, atque onerum non implendorum declarationem, sive potius onerum remissionem exoravit. Episcopus, post narratam factorum seriem, in haec verba suam sententiam aperuit: – Ex quo ergo mihi demandatum est, meam qualemcumque super hoc aperire sententiam,

humiliter crederem, optime locum esse petitae reformationi obtentae reductionis, eamque opportunissimam arbitrarer ad firmandum tandem aliquando in perpetuum statum Capellaniarum, ut implorat Orator principalis patronus et reliqui vices heredum Cardinalis Thusci gerentes. Reformationem vero crederem peragi posse hoc pacto, faciendo videlicet novum exactum computum redituum antiquorum, et etiam illorum, quos non accidentaliter, sed ex propria industria et labore nuper auxit Orator in eum finem, ut Missae quoque augerentur. Facto hoc computo, putarem pro casibus fortuitis et manutentionibus honestam fieri posse redituum diminutionem in decima parte, ne locus amplius esset imposterum reductioni petendae. Peracta hac diminutione, sentirem, reditus omnes implicandos esse in celebratione ad Altare Capellae et applicatione tot Missarum ad normam taxae Benedictinae pro Missis perpetuis iuxta obtentum et executum gratiosum Rescriptum, cum ita sufficienter aliquo modo provisum videatur congruae substentationi et manutentioni Capellanorum volitae in fundatione. Quoad vero reliqua onera omnia, ex quo Orator non repugnat aliquid annuatim impendere pro ipsorum repristinatione, ut deinceps successores sui aequaliter teneantur, iudicarem, reformationem ipsorum fieri posse hoc pacto, videlicet quod deinceps Capellani teneantur ad semel in mense pro quolibet recitandas litanias Beatae Mariae Virginis post Missam celebratam vel privatim, vel publice; secundo quod de proprio teneantur aliquid solvere Sacristiae Cathedralis utcumque satis provisae pro cera in dictarum Missarum celebratione necessaria, quamvis mihi non constet, quod unquam pro hac cera aliquid solutum vel postulatum fuerit pro praeterito; tertio denique, quod si forte in futurum contingeret mors alicuius personae, quae se probaret de familia Fundatoris (incertum quippe est, an aliquis de tali familia supersit) teneantur Capellani eius exequiis et anniversariis interesse nec non pro unaquaque triginta Missas continuas applicare ex numero earum, quae in reformatione reductionis taxatae fuissent –.

103. His mature perpensis, proposito dubio: – III. An et quae onera implenda sint in casu etc. –, S. Congregatio, cum edixerit quod omnes Missae applicari deberent, nec esset locus novae reductioni, respondit: – Ad tertium, iuxta votum Episcopi - *in Regien. die 3 Augusti 1765.*

104. Hinc cum Testator certam praestituerit eleemosynam, Capellani nequeunt obtinere Missarum reductionem; sed quoad alia onera, si iusta adsit causa, Sacra Congregatio rem arbitrio Episcopi committit *in Aesina die 26 Novembris 1785.*

105. Enimvero Sanctes Liegi ex oppido Castri Plani Capellaniam instituit pro Sacerdotibus Oppidi sorte extrahendis in annos singulos ea lege, ut Capellanus totidem Missas in designato privilegiato Altari celebraret cum eleemosyna obulorum duodecim, quot responderent fructibus hereditatis, et Missam solemnem in omni sabbato et in diebus quibuscumque Beatae Virginis sacris, diversa non assignata eleemosyna. Praecepit etiam, ut adesset Vesperis Missis solemnibus et aliis quibuscumque functionibus Parochialibus, ita ut, si septies in anno ab his cessasset, exclusus perpetuo esset a sortitione et a Capellania caderet. Horum onerum reductionem petierunt Sacerdotes dicti Castri Plani exequutores designati huiusce piae dispositionis, nec non reductionem Missarum ad taxam conciliarem, exemptionem a celebratione Missae solemnis iis diebus, quibus Parochus loci solemnem Missam celebrabat, facultatem Capellano celebrandi per alium, ac denique exemptionem seu moderationem arbitrio EE. PP. quoad interventum sacris functionibus. Episcopus retulit, totam hereditatem in praedio consistere, quod vix attingebat scuta 800, eamque gravatam aere alieno pro tunc certo in scutis 200, et instantiae annuendum putabat in omnibus. Sed re per summarium Precum degustata, praecepit Sacra Congregatio, ut plenior ab Episcopo informatio exquireretur, scilicet referret de annuo reditu praedii, in quo tota posita erat hereditas, de numero Presbiterorum, an eousque impleta omnia supradicta onera fuerint, et quae taxa esset in loco eleemosynae manualis. Retulit Episcopus, onera semper impleta fuisse. De eleemosyna manuali nihil habuit Episcopus; sed forte quia res notissima erat in tota Marchiae Provincia eam esse obulorum decem. Addidit Episcopus, delendam sibi videri inofficiosam illam huius-

ce Testatoris legem, ut qui ex Capellanis electis septies intra annum in adimplemento defecisset, nedum Capellania privaretur, sed ex albo quoque aliorum Sacerdotum, qui ad hanc Capellaniam concurrere poterant, deleretur. Annuendum haud autem videbatur reductioni Missarum, quia nunquam ea locum habet, quando certa a Testatore praestituta est eleemosyna, ut hic obulorum duodecim in singulas. Quoad facultatem celebrandi per alium ea non indigebant Capellani, attentis fundationis verbis. Moderationem vero interessentiae tot solemnibus, quot Testator edixit, Episcopi sententia, et ipsa eorum amplitudo comparata emolumento soli Missarum celebrationi alligato suadere videbatur.

106. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reductioni onerum et respective moderationi testamentariae dispositionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad reductionem Missarum, Negative; in reliquis arbitrio Episcopi – *in Aesina die 26 Novembris 1785.*

107. Imo si Clericus sit de genere Patronorum et inopia laboret nedum indulgetur temporanea suspensio onerum, ut studiis vacare possit, sed et absolutio quoad praeteritum, cum omissio contigerit ex impotentia, non autem ex culpa *in Piscien. Suspensionis Onerum die 29 Martii 1806.*

108. Enimvero Vincentius Landucci postremis tabulis anni 1630 iussit erigi Capellaniam in Ecclesia Plebana S. Laurentii Collis, in eiusque dotem assignavit quatuor fundos unamque domum. Onera vero iniunxit unam Missam singulo quoque die Dominico, alteram die Martis cuiuslibet hebdomadae, alteram die Sabbati cuiuslibet pariter hebdomadae; et ulterius voluit, ut Capellanus deberet adesse inservire et assistere in choro omnibusque functionibus fieri solitis in Ecclesia praedicta et tenere accensam lampadem ante Altare S. Michaelis Archangeli eiusque festum celebrare facere, nec non die immediate sequenti non impedita anniversarium mortuorum pro omnibus defunctis propriae familiae, atque demum manutenere fulcitum et provisum praedictum Altare. Alteram Capellaniam in Ecclesia S. Petri Buggiano ex suo asse hereditario erigendam reliquit Nicolaus Coli in suo testamento cum onere Capellano celebrare faciendi numerum Missarum iuxta vires hereditatis et ab Ordinario determinandum. Ex Decreto vero Ordinarii Capellanus tenebatur ad Missas quatuor cum applicatione Sacrificii pro anima Fundatoris et aliorum, quos in mente habebat, pro qualibet hebdomada celebrandas quolibet die Dominico et quocumque alio festo occurrente infra eamdem hebdomadam, et reliquas diebus feriatis ad libitum; debebat etiam celebrare festum S. Catharinae cum campanis et organo, nec non manutenere altare S. Catharinae. Tertiam tandem Capellaniam codicillis diei 12 septembris 1649 ordinavit Catharina Cecchi, quam eius filius et heres Carolus Galeotti erexit anno 1687 in Ecclesia Praeposituralí Pisciensi cum onere unius Missae de requiem diebus ferialibus et solemnitatibus. Hanc tamen Missam quotidianam reduxit Episcopus Pisciensis ex facultatibus concessis a s. m. Benedicti XIII ex Decreto Sacrae Congregationis diei 25 iunii 1729, ut patebat ex sententia reductionis, in qua statuebatur, – quod onera Missarum futuris temporibus sint celebranda omnibus diebus festivis de praecepto singulis annis, et insuper duas Missas feriales pro qualibet hebdomada ad libitum Capellani pro tempore circa dies et ultra omnibus feriis sextis quadragesimae, in quibus si cadat aliud festum possit Capellanus celebrare die antecedenti, vel subsequenti –. Haec erant onera, quae adnexa reperiebantur tribus dictis Capellaniis, quas Clericus Landucci possidebat. Horum omnium suspensionem postulavit, donec Romae maneret, ut studiis operam navaret, et ad sacerdotium idoneus esset; simulque postulavit, ut quoad praeteritum absolveretur ob omissa Sacra fere ad tria millia et celebrationem festorum. Episcopus retulit, Capellanias huiusmodi pertinere ad patronatum familiae Landucci; familiam hanc angustiis domesticis laborare, ut vix haberet, unde vivere posset, ex hisce Capellaniis redire annua scuta 164, sed detractis oneribus pro Capellano superesse scuta 71, omissa fuisse Sacra non quidem fraude, sed ex impotentia, ob praeteriti temporis discrimina. Ex his censuit, concedendam esse temporaneam onerum suspensionem, exceptis tamen Missis celebrandis die festivo, cum in Populi detrimentum vergeret, ac pari modo indulgendam esse absolutionem quoad praeteritum.

109. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo et ad quod tempus sit concedenda suspensio onerum in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et pro Missis ferialibus ad quinquennium tantum, si tamdiu etc. Ad secundum, Affirmative celebratis pro unica vice Missis triginta applicandis collective pro omnibus Fundatoribus – *in Piscien. Suspensionis Onerum die 29 Martii 1806.*

110. Attenta enim redituum tenuitate, indulgetur interim Clerico Patrono temporanea Missarum suspensio, donec ad Sacerdotium promoveatur, dummodo tamen studiis vacet *in Apuana Reductionis die 18 Martii 1809.*

111. Siquidem Exequutores testamentarii, iuxta mandatum Sacerdotis Leonardi Bongi, Beneficium seu Capellaniam ecclesiasticam instituerunt ad Altare Sanctissimi Crucifixi Ecclesiae Parochialis S. Terentii in Montibus, cuius Capellaniae ius nominandi sibi quoad viverent reservarunt, eisque defunctis pro duabus vocibus addixerunt Operariis Ecclesiae S. Terentii, pro tertia vero Antonio Bongi Testatoris fratri atque ex huius deinceps descendentibus illi, qui maior natu esset. Passivam vero nominationem dederunt Clericis descendentibus ex masculina stirpe ab ipso Antonio, cuius filium Clericum Franciscum pro primo Beneficiato nominarunt. Onera vero huiusmodi imposita fuerunt Beneficiatis, scilicet residendi in Oppido S. Terentii, celebrandi duas Missas singulis hebdomadis et omnibus diebus festis, coadiuvandi Parochum in sacris functionibus ac horis Canonicis, nec non parandi agapem in feria V maioris hebdomadae quatuor pauperibus. Veruntamen indulserunt Exequutores testamentarii Clerico Francisco Bongi primo Capellano, – et non aliis Capellanis futuris, ut si literis operam dare vellet, id libere facere possit per duos annos continuos, dummodo per idoneum Sacerdotem in dicta Capellania celebrare faciat singulo mense Missam unam –. Defuncto anno 1806 Sacerdote Ioanne Baptista Lorenzoni, qui Capellaniam tenebat, nominatus fuit tamquam ex masculina progenie Antonii Bongi agnatus Clericus Ioseph Bongi, qui supplicavit pro reductione Missarum, attenta diminutione redituum. Episcopus retulit, ex Patronis duos Operarios adversari instantiae quippe fundationi contrariae, Parochum vero S. Terentii et Petrum Bongi suffragari, cuius petitio non adversabatur testamento, in quo nullum certum onus Missarum praescriptum erat. Episcopus censuit, quod posset – indulgeri diminutio duarum Missarum, quae celebrantur diebus ferialibus –. At praesentes Capellaniae fructus attingebant scuta 45. 71, expensae pro oneribus scuta 28. 13; hinc libera pro Capellano supererant scuta 17. 50: haec autem quantitas satis esse videbatur Capellano, ut Parochum coadiuvaret et resideret. Advertebatur tamen, quod inter expensas adnotarentur scuta quatuordecim pro eleemosyna 186 Missarum: tenuis erat haec eleemosyna et longe citra modulum currentis et veteris eleemosynae manualis, cum vix obuli octo ac ne vix quidem darentur pro singulis Sacris operandis; atque Episcopus ipse affirmabat, sufficientem non esse huiusmodi eleemosynam, attento exiguo numero Presbiterorum, et requiri saltem iulios duos pro eleemosyna singularum Missarum. Postulavit itaque Clericus Bongi, ut, quoad ipse ad Presbiteratum ascenderet, sibi liceret uti facultate a Fundatoribus concessa, scilicet celebrandi per alium Sacerdotem unam Missam singulis mensibus. Episcopus Oratoris precibus adhaesit.

112. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quae onera et quomodo sint reducenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, suspensis tantum Missis ferialibus ad biennium, nisi prius Orator ad Sacerdotium promoveatur, dummodo interim studiis vacet, et postea recurrat, docto – *in Apuana Reductionis die 18 Martii 1809.*

113. Quin imo si reditus deficiant, nedum reductio onerum ad tempus, sed et plures prorogationes Capellanis, perdurante redituum deficientia, conceduntur *in Thelesina Reductionis Onerum die 21 Iulii 1832 die 10 Septembris 1836 et die 6 Maii 1843.*

114. Siquidem in oppido S. Laurentii Minoris Thelesinae Diaecesis existebat Collegiata et Parochialis Ecclesia, cui praeter Archipresbiterum undecim Capellani inserviebant. Hi enim tenebantur interesse Missis

cantatis et conventualibus nec non primis vesperis diebus festis, functiones maioris hebdomadae Sabbati Pentecostes noctis Nativitatis Domini et commemorationis omnium defunctorum peragere, Missam ad Auroram et prope meridiem diebus festis celebrare, coadiuvare Archipresbiterum in cura animarum, celebrari Missas 732, atque quadraginta duo anniversaria explere. Introitus autem ascendebat ad scuta 224. 87, exitus pertingebat summam scutorum 225, 75. Hac posita redituum penuria, Capellani anno 1820 et 1825 per R. Fabricam S. Petri iterum iterumque ad quinquennium impetrarunt congruam Missarum aliorumque legatorum reductionem. Elapso iamdudum postremo quinquennio, quoniam eadem rerum adiuncta perseverare conspiciebantur, Bartholomaeus Faenza Collegiatae et Parochialis Ecclesiae Archipresbiter petiit ad aliud quinquennium praecedentium reductionum prorogationem. Episcopus instantiae favit. Proposito itaque dubio: – An et quomodo proroganda sit onerum reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad formam praecedentis Indulti, iuxta votum Episcopi ad quinquennium – *in Thelesina Reductionis Onerum die 21 Iulii 1832.*

115. Expirata fuerat postrema R. Fabricae prorogatio iam ab anno 1830, et quum nulla adiuncta restrictio fuerit in praefato Sacrae Congregationis Rescripto, dubitarunt Capellani, an istiusmodi quinquennale indultum supputandum esset a die alterius iam expirati, vel potius a die, quo fuit pervulgatum. In hac enim perplexitate ex duplici causa Sacram Congregationem denuo adierunt, ut scilicet prima dubietas de indulti tempore dirimeretur, atque ad alterum quinquennium reductio eadem prorogaretur; quod omni confici posse putarunt, si per septennium duratura prorogatio indulgeretur. Episcopus Capellanorum votis adhaesit, cum eaedem perdurarent causae, quae praecedentes Missarum reductiones obtinere meruerunt. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo proroganda sit onerum reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevia sanatione quoad praeteritum celebratis tribus Missis lectis, pro gratia ad quinquennium, incipiendum a die praesentis indulti, ad formam praecedentium, facto verbo cum Sanctissimo – *in Thelesina Reductionis onerum die 10 Septembris 1836.*

116. Supplices iterum adstiterunt Capellani, ut, attentis rerum circumstantiis, ex quibus vix vel ne vix quidem sperari poterat redituum augmentum, in perpetuum indulgeretur reductio, vel saltem ad decennium. Episcopus censuit, gratiam hanc indulgeri posse, cum eaedem perdurarent causae. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit proroganda reductio onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad decennium, incipiendum a die expirati ultimi indulti – *in Thelesina Reductionis Onerum die 6 Maii 1843.*

117. Unde si reditus deficiant, ac spes sit, quod reditus augeri potuerint, indulgetur etiam reductio Missarum, donec augeantur reditus; his enim in terminis proposito dubio: – III. An et quae onera et quomodo sint reducenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative ad formam Decreti Episcopi Natali cum reductione Missarum ad centum tantum ad formam Decreti Episcopi Manni, donec augeatur reditus – *in Tyburtina die 18 Decembris 1824.*

118. Nam si reditus Capellaniae satis amplius non sint ad ferenda onera in fundatione imposita, locus est commutationi voluntatis, iuxta votum Episcopi *in Interamnen die 19 Aprilis et die 19 Iulii 1777.*

119. Iamvero in executionem piae voluntatis Cleriae Sersanti Fadulfi Interamnensis R. P. D. Fadulfus Episcopus Anconitanus eius filius Capellaniam ad nutum amovibilem erexit, cui in dotem assignavit praedium in vocabulo *Fiori.* Onus Capellano indixit quotannis centum celebrandi Sacra, seu potius curandi, ut Missae ad rationem eleemosynae manualis partim celebrarentur a Religiosis strictioris Observantiae Conventus S. Mariae *dell' Oro,* partim a Capuccinis, et partim in Capella S. Antonii Patavini sacrae Aedis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Civitatis Interamnae, nec non tradendi Patribus strictioris Observantiae Interamnae dimidium rubri frumenti ad rationem iuliorum duodecim pro qualibet rubri quarta, nec non duas salmas musti ad rationem iuliorum novem pro qualibet; eamdemque rerum traditionem anno quolibet a Capellano fieri ius-

sit favore Patrum Capuccinorum praeter olei quinque metretas. Dictum Capellaniae praedium alienavit Iulius Fadulfi, cuius filii alterum alienato praedio subrogarunt in vocabulo *Piedelmonte*, quae subrogatio fuit a tunc Interamnensi Episcopo comprobata. Verum cum huius subrogati praedii fructus impares essent ad subeunda onera supradicta et praesertim ad faciendas frumenti et musti traditiones, iuxta peculiarem taxam a Fundatore praescriptam, supplices idcirco fuerunt Cleriae heredes, ut, commutata illius voluntate, Capellanus fieret immunis a praefata legatorum traditione, utque tot ubicumque pro suo arbitrio Sacra celebraret, quot essent annui praedii reditus, detractis tamen expensis utensilium aliisque pro eiusdem praedii cultura necessariis. Ordinarius Oratorum precibus favit. Proposito interim dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Testatricis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 aprilis 1777 respondit: – Scribatur Episcopo iuxta instructionem –, ut scilicet referret, an fructus subrogati praedii *Piedelmonte* sufficerent nec ne pro omnium onerum implemento, ut iure decerni posset vel exequutio mentis Testatricis, quatenus reditus pares essent, vel eiusdem mentis commutatio, quatenus impares haberentur, utque certiorem redderet Sacram Congregationem de annuis reditibus dicti praedii, eorum facto calculo per decennium, vel per Peritos anno computato sterili cum fertili, et an dimidium rubri frumenti, computato similiter anno fertili cum sterili emi posset ad rationem iuliorum duodecim pro qualibet quarta, nec non musti pretium esset computandum ad rationem iuliorum novem pro qualibet salma, ac demum qua in Ecclesia tumulatum fuerit cadaver Testatricis.

120. His omnibus satisfecit Episcopus, transmisitque documenta comprobantia, quae retulit. Sic enim respondit: – Nec ex librorum inspectione, neque ex aliis legitimis documentis attenta eorum deficientia, calculum de reditibus praedii olivati subrogati vocabulo *Piedelmonte* per decennium habere potui, sed iuxta praescriptum ab EE. VV. electi fuerunt per me duo in arte agraria publici Periti, qui medio eorum iuramento retulerunt, quod inspecto et mature considerato eodem praedio sit valoris in proprietate scutorum quingentorum, ipsius vero reditus, deductis expensis pro cultura necessariis, cum dictum praedium non sit subiectum alicui canoni, computato anno fertili cum sterili, non excedunt pro portione dominicali annuam summam scutorum quindecim monetae Romanae, et sic satisfactis omnibus oneribus a Testatrice relictis, parum aut nihil pro Capellano remaneat. Quo vero ad dimidium rubrum, nempe quartas duas frumenti, quas Capellanus anno quolibet praestare tenetur Religiosis supra recensitis, computato itidem anno fertili cum sterili, pretium constituitur generaliter iuxta stylum huius Civitatis ad rationem iuliorum quindecim pro qualibet quarta, idest scutorum sex pro unoquoque rubro, et quoad mustum scuti unius pro qualibet salma, prout fusius EE. VV. recognoscere dignabuntur in annexis publicis documentis, ex quibus etiam apparet, cadaver praefatae quondam Cleriae Sersanti tumulatum fuisse in Ecclesia Conventus Minorum Conventualium S. Francisci huius Civitatis –. Iterumque suum votum aperuit ad concessionem gratiae proclive ea superaddita ratione, quia – praedia olivata in hac Civitate saepe saepius fallere solent in reditu –.

121. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, celebratis per Capellanum Missis in Capellis S. Antonii Abbatis et S. Antonii Patavini erectis in Ecclesia Minorum Conventualium S. Francisci, iuxta reditus praedii Pedemontis ad rationem eleemosynae manualis, detractis utensilibus, docto quolibet anno de adimplemento coram Episcopo – *in Interamnen. die 19 Iulii 1777.*

122. Nam ob diminutos Capellaniarum reditus, locus est reductioni onerum et commutationi voluntatis Testatoris ita tamen, ut et privatae Capellanorum utilitati et publico Ecclesiae commodo consulatur *in Leodien. die 24 Martii 1787.*

123. Siquidem ob diminutos Capellaniarum reditus Summo Pontifici supplicarunt Collegiatae Ecclesiae Thorensis Capellani pro reductione onerum et commutatione anniversariorum ad Missas lectas ita tamen, ut idoneum Capellaniae praestare possent titulum

pro sacra Ordinatione. Nam valde in Ecclesia Leodiensi necessaria erat sacrorum Ministrorum opera. Emus Cardinalis Gerdil nulli pepercit labori, nihil non cogitavit, ut rem implexissimam expediret ac opportuna proponeret remedia, quibus et privatae Capellanorum utilitati et publico Ecclesiae commodo consultum esset. Proposito hinc dubio : – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductione et absolutione in casu? –, S. Congregatio respondit: –Affirmative, iuxta votum Emi Relatoris – *in Leodien. die 24 Martii 1787.*

124. Hinc quando non inveniuntur Sacerdotes, qui Capellanias cum praescriptis oneribus statutoque reditu velint acceptare, locus est reductioni onerum et Missarum *in Ianuen. Reductionis Missarum et Onerum die 17 Iunii 1786.*

125. Iamvero Monasterium Monialium S. Augustini sub invocatione S. Sebastiani bene multis premebatur Missarum oneribus, sed ea omnia Archiepiscopus anno 1751 reduxit ad octo Capellanias annui reditus scutorum circiter triginta sex ; et cum superextarent adhuc reditus, erogari eos iussit in tot Sacrorum celebrationem, attributa cuique eleemosyna obulorum sexdecim monetae Ianuensis seu obulorum duodecim cum dimidio circiter monetae Romanae. Anno 1777 per Rescriptum ex audientia Sanctissimi dictae octo Capellaniae ad septem quotidianas reductae fuerunt, causam reductioni dantibus tum imminutione redituum, tum onere Capellanis imposito assistendi absque alia mercede sacris Monasterii functionibus. Annuus dictarum septem Capellaniarum fructus statutus fuit in scutis quadraginta cum dimidio circiter, et quod superesset, erogari iussum fuit in eleemosynam tot Missarum lectarum, ad rationem obulorum sexdecim monetae Ianuensis. Inde eaedem Moniales pro ulteriori institerunt reductione, imparitatem allegantes tributorum septem ut supra Capellanis redituum, annonae etiam caritatem, maximam in adinveniendis Capellanis difficultatem, eamque adeo veram et exploratam, ut plures earumdem Capellaniarum actu vacarent. Archiepiscopus Monialium precibus favit, necessitatem novae reductionis confirmavit, ac verissimum esse dixit – nunc deficere Sacerdotes, qui acceptare velint enunciatas septem Capellanias cum assignato reditu scutorum dumtaxat quadraginta cum dimidio –. Proposuit itaque reductionis modum, scilicet augmentum dotis septem Capellaniarum ad scuta 48 cum dimidio circiter, comprehensis sacris utensilibus, factaque hac additione, superfuturas adhuc animadvertit libras 21. 12. 3 ex illis, quae fuissent in Missas lectas, de quibus supra, erogandae. Addidit Archiepiscopus, quod idem Monasterium duas alias habebat Capellanias cum onere Missae quotidianae: unam cuius reditus efferebantur ad libras 323. 17 circiter extra bancum, quarum librae 250 assignatae fuerunt pro eleemosyna Missae quotidianae, reliquae pro oleo ac cereis ardendis Capellae Beatae Mariae Virginis ac divi Augustini. Delenda haec onera cereorum et olei existimavit Archiepiscopus, – et quoties, inquit, huic recensita tollantur onera, habebitur Capellania sufficientis reditus –. Altera vero habebat reditum librarum 288, ut supra, cum quibus praeterea debebat servare lampadem ardentem ante Imaginem Beatae Mariae Virginis in Monasterii dormitorio locatam; huic nedum auferendum esse onus dictae lampadis, sed addendas quoque esse dictas libras superextantes 21. 12. 3 censuit Archiepiscopus: – Capellaniae huiusmodi dempto onere augendum censerem reditum cum assignatione librarum 21. 12. 3, quae supererunt ex Missis manualibus, aucto reditu septem Capellaniarum –. Res cum ita essent, locus esse videbatur Sacrorum reductioni, ex eo quod haud inveniebantur Sacerdotes, qui Capellanias cum praescriptis oneribus statutoque reditu vellent acceptare.

126. Proposito hinc dubio : – An et quomodo sit precibus annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Reductionem esse faciendam, iuxta votum Archiepiscopi ita tamen, ut Missae ex reditibus uniendis et respective ex delendis oneribus celebrandae applicentur pro particularibus Benefactoribus quoad fieri separatio poterit, sin minus collective – *in Ianuen. Reductionis Missarum et Onerum die 17 Iunii 1786.*

127. Idcirco cum absolutione quoad praeteritum conceditur reductio Missarum, ut constitui valeant duo Patrimonia Sacra pro Clericis pauperibus *in Anconitana Reductionis die 14 Decembris 1816.*

128. Siquidem postremis tabulis Andreas Candelari geminam Capellaniam laicalem erexit, et suis heredibus, quibus ius nominandi tribuerat, dedit facultatem administrandi fundum Capellaniae, quin rationes reddere tenerentur; sed ab heredibus solvenda essent singulis Capellanis annua scuta quadraginta octo, et ad hunc effectum obligatum voluit fideicommissum ab ipso institutum, cum onere praefatis Capellanis celebrandi quotidie Missam. Quamquam Testator supremum clauserit diem anno 1797, tamen testamentum nonnisi anno 1800 apertum est: quo quidem tempore aucta eleemosyna Missarum, annuum stipendium scutorum quadraginta octo satis non erat ad quotidianam Missarum celebrationem. Heredes, profanata cum esset Ecclesia S. Sebastiani, iniuncta tamen onera adimpleri curarunt, quin Capellanos nominaverint. Anno vero 1815, rogato instrumento, Capellanum pro una Capellania nominarunt Constantium Gigliucci titulo Patrimonii Sacri, aucto stipendio ad annua scuta septuaginta duo. Alterius vero Capellaniae Missas, non quidem quotidianas, sed tot, quot ex superextantibus scutis viginti quatuor celebrare poterant, impleverant, nullo tamen electo Rectore. Cum autem Constantius Gigliucci, quippe qui provisus de Praepositura Montis Fani, Capellaniam hanc renunciaverit, heredes Andreae Candelari Aloisius Filius et Augustinus Philippus Vincentius nepotes ex praedefuncto altero Francisco postularunt reductionem Missae quotidianae ad centum viginti pro unaquaque Capellania, et eas destinari pro Patrimonio Sacro duorum pauperum Clericorum. Emus Episcopus existimavit – postulationem veritate iustitia atque ingenti rei sacrae utilitate commendatam dignam, propterea cui per amplissimum Ordinem Vestrum benigne, uti et mea vota efflagitant, annuatur –. Hinc et absolutio concedenda videbatur pro Missis, quas heredes fatebantur inadimpletas a die, qua in nominatione Constantii Gigliucci eidem assignarunt annua scuta septuaginta duo cum onere Missae quotidianae pro una ex Capellaniis, et curarunt pro altera Capellania tot Missas celebrari, quot celebrari poterant ex superextantibus annuis scutis viginti quatuor.

129. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda reductio in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative celebratis infra annum Missis centum – *in Anconitana Reductionis die 14 Decembris 1816.*

130. Nam attenta reddituum imminutione, nedum absolutio quoad praeteritas omissiones, sed et reductio onerum indulgetur *in Romana Reductionis Onerum die 27 Iunii 1829.*

131. Nihil enim magis frequens in Sacra Congregatione, quam onerum reductio, ob redituum decrementum *in Romana Reductionis Onerum die 30 Maii 1829* §. *Ex hac.*

132. Enimvero in supremis tabulis anni 1764 Cardinalis Cosmas Imperiali pro Ianuensibus Sacerdotibus fundavit Capellanias sex in Ecclesia S. Ioannis Baptistae Nationis Ianuensis, assignavitque Capellano menstrua scuta sex cum onere vicissim diebus festis explicandi Evangelium et docendi doctrinam christianam. In codicillis autem applicationem cuilibet demandavit Missarum viginti in menses singulos sub lege celebrandi quotidie Missam in praefata Ecclesia ac residere in cubiculis ibidem assignandis; poenamque pro quavis vice indixit iuliorum duorum attribuendam ei, qui ex Capellanis vices gereret, si in explenda cathechesi vel explicando Evangelio deficeret. Executores testamentarii cesserunt Ecclesiae et Sodalitati Gentis Liguris centum septuaginta tria Loca Montium eorumque fructus in scutis 519, ut cuncta onera implerentur; sed ob rerum calamitates fructus in scutis 519 redacti exin fuerunt ad sola scutata 243. 93, hinc et Capellaniae ad solas tres redactae extiterunt. Quin imo multis ab annis Evangelium explicatum non fuit, et multoties etiam doctrinae christianae omissa est explicatio. Quapropter duo postulavit Praesul Gubernator Ecclesiae et Sodalitii, alterum ut sola obligatio explicandi Evangelii revivisceret in Capellanis et solis diebus festis de praecepto, alterum ut quoad praeteritum esset locus sanationi seu absolutioni. Emus Protector censuit, – annuendum esse precibus; cum enim duo onera Evangelii et doctrinae christianae adimplenda forent per turnum a sex Capellanis, cum modo redacti

sint ad tres tantum, postulat aequitas, ut onus duplex festorum dierum a sex implendum redigatur ad unum implendum a tribus; alias hodierni Capellani, qui numero minores sunt, gravarentur magis, quam veteres numero plures, cum *il turno* hodie, imminuto Capellanorum numero, redeat ocius, quam antea rediret. Pari ratione censeo annuendum petitae sanationi seu condonationi quoad praeteritum, ut ita consulatur Praesulis et Capellanorum conscientiae, firma tamen in reliquis omnibus in posterum voluntate Testatoris –.

133. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu? II. An et quomodo sit concedenda onerum reductio in casu? –, Sacra Congregatio respondit – Ad primum, Affirmative pro absolutione, celebratis tribus Missis, nec non convalidatione reductionis, quatenus opus sit, sex Capellaniarum ad tres tantum. Ad secundum, Affirmative; reducta tantum cathechesi post meridiem, iuxta votum Emi Protectoris – *in Romana Onerum die 27 Iunii 1829.*

134. Quin imo cum reditus defecerint, locus est reductioni onerum, licet Fundatrices reductionem prohibuerint sub poena caducitatis *in Alatrina Reductionis Onerum die 27 Augusti 1791.*

135. Nam lex fundationis, reductionem prohibens, circumscribere nequit Sacrae Congregationis potestatem, ne onerum reductionem ex iuxta causa concedat, ut observat Pitonius in discept. eccles. 99 n. 92 et 94 *in Alatrina Reductionis Onerum die* 27 *Augusti 1791* §. *Reductionem.*

136. Siquidem piae mulieres Felix et Catharina Ceccarelli donarunt anno 1699 Capellae SS. Clementis et Antonii Patavini erectae in Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli oppidi Vici praediola quaedam annui reditus scutorum 7. 25, annuosque census scutorum 20. 75 ad rationem scutorum decem pro quolibet centenario. Ex hoc autem reditu laicalem instituerunt Capellaniam hebdomadalium Missarum trium, publicumque Ludimagistrum, assignatis nempe Capellano scutis tredecim, Ludimagistro quindecim, sub declaratione, quod – nullo unquam tempore de inexigibilitate, evictione et deficientia quacumque minima teneatur –. Declararunt insuper, utriusque pii operis – reductionem sive diminutionem, in quantum possunt et valeant, impraticabilem fore et esse quavis auctoritate; alias haec donatio et cessio censuum et possessionum sit nunc pro tunc et habeatur pro nulla et invalida, ac si facta non esset, et onus huiusmodi evanescat –. Ac reservarunt tandem iuspatronatus natu maioribus familiarum Sterbini et Iacobelli per turnum. Celebratae ad annum 1790 fuerunt Missae: post Parochum vero Lauretum Sterbini, quem ad sexennium Fundatrices in Ludimagistrum deputarunt, nullum alium in eius locum ob imminutos reditus suffectum constabat. Qua de re ab anno 1730 deliberare cepit Vicensis Communitas de supplendo stipendio, illudque anno primum 1735, quo ei Sterbinii et Iacobellii attenuatum cesserunt fundum et patronatum, in scutis statuit decem; deindeque anno 1765 in scutis viginti quinque, postquam scilicet patronatum anno 1753 veluti damnosum retrocesserat, et ab eo tempore Ludimagistrum nomine suo deputare consuevit. Inde tandem lacessitus componi debuit quoad praeteritum cum R. Fabrica S. Petri Ioseph Sterbini, adiitque Sacram Congregationem pro reductione unius et alterius oneris quoad futurum. Alatrinus Episcopus censuit, – firma remanente obligatione celebrationis trium Missarum in qualibet hebdomada, posse esse locum reductioni oneris Ludimagistri ob imminutionem redituum, qui vere impares sunt pro utroque onere ferendo, ultra expensas annuatim occurrentes pro manutentione dictae Capellae, sacrarum supellectilium, cathedratici, et collectarum cameralium –. Retulit quippe, praediorum reditus in annuis tunc consistere scutis circiter novem, census in scutis 11. 36, ob imminutas per decoctionem debitorum sortes, imminutasque usuras a scutis decem ad sex. Hac de causa patronatum cessisse dixit Patronos Communitati, Communitatem Patronis.

137. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, iuxta votum Episcopi – *in Alatrina Reductionis Onerum die 27 Augusti 1791.*

§. III.

CAPELLANUS QUOAD ONERA MISSARUM ET QUANDO CELEBRARE DEBEAT PER SE IPSUM.

1. Quum nedum Defunctorum voluntates sancte servandas utrumque ius imperet, adeo ut nec in melius immutandae sint, ac ius alteri quaesitum inviolabiliter custodiri sancitum sit, sed nec nova onera Beneficiis imponenda esse iubeat Textus in Cap. *Dilectus* de consuetudine, Amostaz in lib. 2 de Causis piis docet, quod – si Fundator non praescripserit dies festos, potest Capellanus pro lubitu celebrare – *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840* §. *Adsertas.*

2. Unde Pignatellius in consult. 3 n. 14 tom. 9 probat, quod – Episcopus non potest suis ordinationibus augere ipsius Ecclesiae commoditatem in praeiudicium libertatis, quam Testator reliquit Capellano, sive de iure competentis Rectori; Ecclesia enim hoc in casu ageret de lucro captando maioris sui commodi, quod fieri non debet cum aliena iactura – *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840* §. *Adsertas.*

3. Quin imo Pitonius in allegat. 100 de controv. patron. n. 29 concludit, quod – coarctare Capellanos Beneficiorum de iurepatronatus ad celebrandum certis horis et diebus sit servitus, quae tollit libertatem eorum, et quae veluti non imposita per Fundatorem non est imponenda ab Episcopo, cui potestas non est gravandi Beneficia iurispatronatus hac servitute non data per Fundatorem –; deinde dictus Auctor refellit ceu erroneam Ceccoperii sententiam, inquiens: – Neque verum est hoc, censeri se conformasse cum norma ordinate celebrandi, quia cum Missas celebrari ipse voluerit pro suffragio animae suae, non censetur, illas voluisse accomunare cum aliis Missis ad Populi commoditatem, dum non prospexit Populo, sed sibi in celebratione Missarum –; idemque docet fere Rota in Valentina Iurispatronatus 1789 coram Orano, et Toletana Capellaniae 14 Februarii 1583 coram Robusterio *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840* §. *Adsertas.*

4. Nec aliena videtur Sacrae Congregationis sententia, praesertim cum agitur de Capellanis, ut animadvertit Garcias de Benef. part. 7 cap. 1 n. 112; quandoquidem in una Pisauren. 6 aprilis 1647 relata apud Monacellium in Form. for. eccles. part. 2 tit. 13 form. 2 n. 56 decretum fuit: – Neque ab Episcopo cogi possunt Capellani, sed tantum hortari ad celebrandum certis diebus et horis, si in fundatione hoc eis non reperiatur iniunctum –; idemque resolutum est in una Firmana 5 Februarii 1628 et in una Pisauren. Capellaniae die 14 martii 1653, ubi proposito dubio: – An Capellanis Capellaniarum possint ab Episcopo assignari dies et horae, in quibus celebrent Missas ex obligatione earumdem Capellaniarum? –, Sacra Congregatio respondit: – Episcopum non posse cogere huiusmodi Capellanos, ut Missas celebrent certis diebus et horis – *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840* §. *Nec.*

5. Qua de re si Testator in Fundatione Capellaniae ad commodum potius Capellani et propriae animae suffragium, quam ad Ecclesiae et Populi utilitatem prospexerit, nequit Episcopus celebrationem Missarum, quas Testator ad libitum Capellani infra annum litandas reliquit, ad certos dies festos statumque tempus coarctare *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840.*

6. Enimvero Angelus Silvaggi Reatinus supremis tabulis diei 20 augusti 1827 iussit erigi Capellaniam sub invocatione Beatae Columbae ad Aedem S. Petro martyri sacram, ubi Sodalitium a bona morte nuncupatum Sacra faciebat. Mandavit insuper, Capellanum ab Antistite pro tempore eligendum esse clericum, et si is adesset inter descendentes suorum heredum praeferri deberet; eidemque Capellano imposuit onus celebrandi bis centum Missas, nec non uti Capellanus praefati Sodalitii omnibus functionibus ab eodem peragendis interessendi. Verum codicillaribus tabulis diei 27 octobris 1836 exaratis Testa-

tor summam ab heredibus tradendam pro dote Capellaniae auxit ad scutata tercenta, praeter fundos iam designatos; declaravitque ac voluit, ut Capellanus onus dumtaxat haberet celebrandi annuatim Missas bis centum ad Altare ab Episcopo designandum, demptis omnino oneribus interessendi functionibus praedictī Sodalitii. Humanis rebus exempto die ultima martii 1838 Testatore, Executores testamentarii amplissimis aucti facultatibus Capellaniam erigere curarunt. Ast cum Episcopus existimaverit in Bulla erectionis collationisque conditionem apponere, ut a Capellano – ex bis centum Missis quindecim ita in unoquoque mense celebrentur, ut in unoquoque die festo et in omnibus diebus, in quibus ab Ecclesia, in qua erecta Capellania, fit Defunctorum commemoratio, Missa non desit –, fortiter obstitere Testatoris heredes et Sacrae Congregationi dirimendam proposuerunt quaestionem, quas Testator ad libitum Capellani infra annum litandas reliquit, ad certos dies festos statumque tempus coarctare. Episcopus autem sustinuit, se id potuisse de iure facere ex eo etiam, quod Executores testamentarii ab Testatore circa dubia interpretandi facultatibus donati faterentur, Testatorem voluisse, ut in Ecclesia S. Petri martyris diebus potissimum festivis minori, quo fieri poterat sumptu ac debita Populi satisfactione sacrae functiones celebrarentur, ac augmentum dotis Capellaniae non ita heredes persolvere praecipisse, ut Sodalitas bonae mortis compensaretur de oneribus, quibus Capellanum per codicillum exuerat, sed quia monitus ipse fuerat, adsignatos fundos Capellaniae erigendae impares esse; adeoque opus esse, ut congruam saltem 300 scutorum conficeret. Ex adverso heredes Silvaggi inclamarunt, Testatorem nullam dedisse facultatem novi oneris adiiciendi, quin immo potius expressim prohibuisse per ea verba praeceptiva: – volo, ut Capellanus onus tantum celebrandi habeat –. Nec minimum attendendam esse urserunt praesumptam Populi utilitatem; siquidem non hanc, sed animae suae suffragium, et Capellani commodum dumtaxat prae oculis habuisse satis ostendit, dum pensum Testamento iniunctum sacris functionibus adessendi codicillo ademit, dumque auxit pro duplo stipendium sine ullo augmento numeri Missarum. Multo minus id licitum esse in praesens adverterunt, quo iam designatus erat ad Capellaniam Clericus Vincentius Palmegiani ex altera Testatoris filia descendens; etenim hic cum singulis unus polleret qualitatibus a Fundatore volitis, ius habebat quaesitum ad Capellaniam absque aliis a fundatione oneribus obtinendam, atque adeo facultates suas excessisse Episcopum propugnarunt.

7. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An liceat Reatino Antistiti adiicere onera, de quibus agitur, Capellaniae Silvaggi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840.*

8. Capellanus vero tenetur diebus festis Missam celebrare pro hora ab Episcopo designanda, si necessitas seu Populi commoditas urgeret, ac Testatoris mens ea fuisse videatur, ut fidelium necessitati consulere voluerit *in Urbevetana die 19 Aprilis 1777.*

9. Traditum enim est, Episcopo fas esse qualitatibus derogandi in fundatione alicuius Beneficii a Fundatore oppositis ex causa necessitatis ac utilitatis Ecclesiae *in Reatina celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840* §. *Enimvero* (1).

10. Unde Ceccoperius in lib. 3 de lucubrat. can. n. 164 putat, Capellanis non licere Sacra Mysteria peragere, sed iuxta ordinationem eius, cui competit ius disponendi Missas in Ecclesia; compertum propterea est, Episcopi munus esse providere in Sacrae Visitationis actu, ut Missae ad Populi commoditatem diebus praesertim celebrentur, neque hoc novum onus intelligendum, sed normam esse ordinate celebrandi Missas iam a Fundatore impositas, qui iuri communi praesumitur se voluisse conformare, idcirco Sacram Congregationem edixisse apud Nicolium in Floscul. verb. *Capellanus*, quod Capellanus etiam iurispatronatus debet in horis commodis Ecclesiae celebrare *in Reatina Celebrationis Missarum die 4 Aprilis 1840* §. *Enimvero.*

(1) Lambertin. de iurepatronat. part. 1, art. 30, n. 3, 7, 8, 12 et 15; Monet. Cap. 10 de derogat. ult. volunt. in fundat. Benef. n. 526.

11. Siquidem erat in Diaecesi Urbevetana Castrum nuncupatum S. Venantii, cuius Populi spirituali servitio unus Parochus olim reperiebatur addictus, deficientibus penitus Capellaniis. Pietatis ductu et Religionis Canonicus quondam Carolus Misericordi ex eodem Castro postrema suae voluntatis dispositione cavit, ut perpetua erigeretur Capellania in Ecclesia S. Liberatae dicti Castri cum onere quolibet die festo adorandum in illa Sacrificium offerendi, simulque vetuit huic oneri per Parochum satisfieri, nisi eademmet die alteram Missam in una ex Ecclesiis Castri celebrari curaret. Patronatum activum et passivum certis reliquit familiis in testamento designatis. Parochus ad omnes sui muneris partes obeundas cogebatur de mane diebus Deo sacris Missam celebrare: Populus autem in unum ad Ecclesiam eadem hora convenire non poterat. Matribus enim necesse erat infantes regere, nonnullis prout agricolis usuvenire solebat in custodia boum et armentorum occupari, aliis et alia remanere negocia, dum familiae reliqua pars ad audiendam Missam se conferebat. Unde accidebat saepius, quod multi Sacro non interessent, nisi praesens afferretur remedium. Rector tamen praedictae Capellaniae, lege fundationis attenta, existimabat, liberum sibi esse quamcumque horam magis benevisam eligere, sine respectu ad Populum, eoque non expectato, Missam recitare consuevit. De hoc doluerunt Massarii illius Castri, qui petierunt declarari, an Capellanus praefatus congrua temporis spatia post Missam Parochialem observare teneretur, ut incolae, qui illam audire nequibant, ad secundam possent accedere. Episcopus putavit Capellanum propria libertate frui ex Pontificii Iuris dispositione, et ex tabulis fundationis, dum Testator horas ad celebrandum non praefinivit. Idcirco nova onera Capellano imponi non poterant. Aderant insuper duo in Castro Sacerdotes, qui valerent succurrere, prout in pastorali Visitatione idem Episcopus providit, praescribendo diversas horas pro celebratione, quarum postrema alternatim ab omnibus, nec Parocho excepto, observanda erat circa meridiem. Ceccoperius autem in lucubrat. can. lib. 3 tit. 12 fuse tradit, plurium Doctorum vestigia premens, teneri Sacerdotes quoscumque ad celebrandum obligatos Missam inchoare debitis horis atque temporibus aptis iuxta ordinem tabellae vel mandatum Sacristiae pro Populi commoditate, etsi Capellanias de iure patronatus laicorum obtineant: et Episcopi partes esse in actu Visitationis providere, ut prima Missa summo mane et dein ceterae debito intervallo usque ad meridiem praesertim diebus festis ad Populi solatium recitentur. Nec quicquam obstare iuris theorema, quod non possit Episcopus novum onus imponere Capellaniis iurispatronatus laicorum, quia id intelligitur de maiori Sacrorum numero, non autem de norma ordinate peragendi Missas in fundatione adiectas, quod onus nec novum est, cum ab ipso iure sit impositum, et ei Fundatorem se voluisse conformare praesumitur. Imo nec Fundatoribus ipsis, quamvis mere laicales ordinent Capellanias, licere pactum apponere, quod Rectores temporibus et horis sibi benevisis libere possint celebrare, quod in detrimentum vergeret servitii Ecclesiae et cultus divini. Ac revera laudabiliter S. Carolus Borromaeus aliique Episcopi Synodalibus Constitutionibus proviserunt, ut in Ecclesiis, in quibus plures Missae recitari solent, per distincta temporum intervalla ad Populi commoditatem dicantur a primo mane usque ad meridiem, seu alias per congrua spatia. Idque in casu praesertim locum habere videbatur, cum Fundator prohibuerit, ne oneri Missarum per Parochum satisfieret, nisi ipsa die altera Missa in una ex Ecclesiis Castri celebraretur.

12. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et qua hora Rector Capellaniae Misericordi diebus festis teneatur Missam celebrare in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Teneri pro hora ab Episcopo designanda, et scribatur iuxta instructionem – *in Urbevetana die 19 Aprilis 1777.*

13. Animadvertendum tamen est, quod tempus celebrationis Missarum incipit ab aurora et terminatur in meridie ex Can. *Nocte sancta* et Can. *Necesse est* de consecratione dist. 1 atque ex Rubricis Missalis tit. de defect. in minister. ipso occurrent. *in Camerinen. Capellaniae die 18 Martii 1797* §. *Quatenus.*

14. Toleratur autem prorogatio celebrationis ad tertiam horae partem ultra meridiem;

iure ergo incipi nequit Missa primo quadrante post meridiem, ut terminetur prima circiter hora *in Camerinen. Capellaniae die 18 Martii 1797 §. Quatenus.*

15. Quin imo si iusta concurrat causa, Sacra Congregatio indulget erectionem Capellaniae cum onere Capellano celebrandi Missam primo circiter quadrante post meridiem *in Camerinen. Capellaniae die 6 Maii 1797.*

16. Iamvero Sodalitium Suffragii erectum in Parochiali et Collegiata Ecclesia S. Venantii Civitatis Camerini statuit ex redundantibus reditibus Missarum, quibus ipsum gravabatur, erigere Capellaniam cum onere celebrandi Missam diebus festis primo circiter quadrante post meridiem. Quum enim in praefata Ecclesia nulla suppeteret Missa privilegii gratia celebranda, lapsa hora meridiana, hinc crebro contingebat, ut plures vel cives vel praecipue agricolae extra ipsam Civitatem morantes, cum aliquantulum distarent a dicta Civitate, nec non advenae studio rerum humanarum implicati, ecclesiastico praecepto parere nequirent. Idcirco proposito dubio: – II. An sit concedendum indultum celebrandi Missam primo circiter quadrante post meridiem singulis diebus festis de praecepto in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Camerinen. Capellaniae die 6 Maii 1797.*

17. Hinc si Testator mandaverit celebrari quotidie Missam in aurora singula die etiam pro commoditate hominum loci, ut possent illam audire, antequam incumberent operibus, Capellanus nedum diebus feriatis, sed et festivis Missam in aurora celebrare tenetur, quin obstet contrarium Episcopi Decretum *in Placentina Celebrationis Missae die 8 Iunii 1771.*

18. Iamvero Sacerdos Ioannes Thomas Bascape anno 1682 perpetuam instituit Capellaniam sub invocatione Sanctissimae Virginis Mariae de Rosario et SS. Ioannis Baptistae et Thomae de Aquino ad Altare ab ipso antea erectum in Ecclesia Parochiali SS. Cosmae et Damiani Oppidi Mornici Diaecesis Placentinae, deditque Capellano onus celebrandi unam Missam quotidianam in dicto Altari pro suae animae suorumque consanguineorum expiatione. In posterioribus autem Codicillis legem adiecit, – quod Capellanus debeat Missam quotidianam perpetuam in ipso fundationis instrumento dispositam celebrare in aurora singula die, et hoc etiam pro maiori commodo et beneficio hominum eiusdem loci Mornici, ut possit illam audire, antequam incumbant operibus –. Capellaniam hanc inde possidebat Sacerdos Paulus Villani; reclamante Communitate, Episcopus die 26 septembris 1768 decrevit: – Capellanum celebrare debere diebus feriatis pro maiori commodo Populi in aurora, diebus autem festivis celebrare possit hora ipsi melius visa, dummodo tamen non celebret tempore Missae Parochialis et hora impeditiva functionum parochialium –. At Communitas sustinuit, claram esse fundationis legem celebrandi singulis diebus non solum festivis, sed etiam feriatis Missam in aurora, cum Testator illam expresse celebrari praeceperit singula die, quae verba dies omnes tam festos, quam feriatos comprehendunt. Nec legem indefinite latam coercendam putavit ad solos dies feriatos ob causam a Fundatore iis verbis expressam, nimirum: – et hoc etiam pro maiori commodo et beneficio hominum eiusdem loci Mornici, ut possint illam audire, antequam incumbant operibus –. Haec enim non fuisse videbatur unica et finalis causa Fundatoris, ad quam totam suam legem coercere voluit, sed potius causa expressa stare ampliative et ad maiorem rationem, iuxta naturam dictionis *etiam*, ut ex Lege *Etiam* 141 ff. de verborum significatione. Addidit insuper, diebus etiam festis plura permissa esse opera tam domestica, quam rustica, videlicet ducendi ad pastum animalia, curandi armenta, iter habendi, aliaque huiusmodi. Probavit praeterea testimonio Parochi perennem observantiam; ac demum advertit, huiusmodi onus haberi etiam per solemnes tam cum antecessore, quam cum moderno Capellano conventiones a Communitate initas. Contra Capellanus Paulus Villani contendit, Fundatorem Missam in aurora celebrari iussisse eo animo et fine, ut dicti homines possent illam audire, – antequam incumbant operibus –. Idcirco dispositio amplianda non erat ad dies festos. Sustinuit etiam, favere sibi observantiam celebrandi Sacrum in diebus festis hora benevisa, ac spernendum testimonium Parochi, quia ab aliis Testibus reiectum et iuramento minime firmatum.

19. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Capellanus teneatur quotidie celebrare Missam in aurora etiam diebus festivis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius – *in Placentina Celebrationis Missae die 8 Iunii 1771.*

20. Idcirco etiam Capellanus a Fundatore nominatus Missam celebrare tenetur certis horis ac in Ecclesia et in Altari ab eodem designatis, nisi contrarium luculenter constet ex verbis fundationis *in Gerunden. Celebrationis Missarum die 3 Aprilis 1734.*

21. Siquidem Petrus Fabrega Beneficiatus Collegiatae Ecclesiae S. Felicis in instrumento donationis anno 1710, constituto idoneo fundo, iussit unum Missae Sacrificium quotidie fieri a Capitularibus eiusdem Ecclesiae ad Altare ibidem dedicatum Beatae Virgini Mariae certa hora ab ipso Fundatore praescripta, facultate sibi reservata nominandi aliquem ex addictis eidem Collegiatae. Unde in testamento, quod postmodum condidit, ad peragendam dictae quotidianae Missae celebrationem nominavit Franciscum Fabrega pronepotem suum eiusdemque Collegiatae Canonicum. Hic autem contendit, se non affici conditione celebrandi certis horis in Ecclesia et Altari a Fundatore designatis. At ex verbis fundationis videbatur, quod huiusmodi conditio ab omnibus servari deberet: sed solum Canonico Fabrega tributa fuerit per electionem Fundatoris praelatio in Missarum celebratione et in assignati emolumenti assecutione. Proposito hinc dubio: – An onus celebrandi dictam Missam quotidianam certis horis ac in Ecclesia et in Altari a Fundatore designatis afficiat dictum Canonicum Fabrega in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative – *in Gerunden. Celebrationis Missarum die 3 Aprilis 1734.*

22. Hinc si Fundator mandaverit Missam celebrare in omnibus diebus festivis de praecepto ac in aliis festivitatibus Beatissimae Virginis, Capellanus non obstante observantia tenetur Sacrum facere etiam in festivitatibus Virginis, quae non sunt de praecepto; non debet vero supplere alia die, si festum Beatae Virginis occurrat diebus Dominicis aliisque festis de praecepto, nec Missam celebrare cogitur in aliis etiam festivitatibus Beatae Virginis ab Ecclesia indictis post erectionem Capellaniae *in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum die 19 Februarii 1791.*

23. Iamvero erigi fecit anno 1648 Angelus de Pennacchis in Ecclesia S. Mariae Gratiarum Castri Veteris Beneficium simplex seu Capellaniam cum onere Sacri – in omnibus diebus festivis de praecepto ac in aliis festivitatibus Beatissimae Virginis –, ac reservata sibi suisque electione Capellani; annuique illius reditus scuta attingebant 14; 82½. In iis Beatae Virginis festivitatibus Sacrum semper celebrarunt Capellani, quae erant de praecepto, licet ad aliud quandoque per Decreta Sacrae Visitationis in aliis etiam festivitatibus coacti. Novissimi tamen compositionem a R. Fabrica S. Petri impetrarunt pro Missis ad formam Decretorum non celebratis. Huius tandem rei curam assumpsit modernus Praefectus Abbatis Ferentilli, cum declarationem ab Sacra Congregatione postulaverit. Capellani semper celebrarunt quidem in festivitatibus de praecepto, sed huiusmodi observantia nihil facienda esse videbatur; nam demandata fuit Missae celebratio tum – in omnibus diebus festivis de praecepto –, cum – in aliis festivitatibus Beatissimae Virginis –. Unde restringi non poterat onus ad festivitates de praecepto, sed potius extendi debebat ex ampliativa orationis parte – ac in aliis festivitatibus Beatissimae Virginis –, ne inutilis et supervacanea esset huiusmodi ampliatio contra regulam Textus in Lege *Cum in testamento* 24 ff. de rebus dubiis. Si vero festum Beatae Virginis occurreret diebus Dominicis aliisque festis de praecepto, Capellanus minime supplere videbatur Missam alia die. Nam haud praescripsit Fundator, ut tot celebrari deberent Missae, quot dies essent festi de praecepto ac Beatae Virginis festivitates, sed ut iis celebrarentur diebus. Ex hoc sane censeri valebat de una in designatis diebus solicitum fuisse celebratione, non de Missarum numero, qui suppleri deberet. Parocho etiam praescripta est singulis diebus festis Missa pro Populo, et tamen non tenetur eam supplere die pro festo, si cum die Dominico Festum concurrat de Praecepto. Hinc nec Missam celebrare debere Capellanus videbatur in aliis festivitatibus Beatae Virginis ab Ecclesia indictis post erectionem

Beneficii. Namque de incognitis non cogitasse Fundator festivitatibus videbatur, cum praesertim tenuitas redituum in scutis 14, 52½ accederet.

24. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellanus de Pennacchis celebrare etiam teneatur Missam in festivitatibus Beatae Virginis, quae non sunt de praecepto in casu etc. II. An aliqua occurrente festivitate Beatae Virginis in diebus Dominicis aliisque festis de praecepto supplere teneatur Missam alia die in casu etc. III. An teneatur celebrare in aliis etiam festivitatibus Beatae Virginis ab Ecclesia indictis post erectionem Capellaniae in casu etc. –, Saera Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum Negative. Ad tertium, Negative – *in Nullius Ferentilli Visitationis sacrorum Liminum die 19 Februarii 1791.*

25. Capellani autem non tenentur Missas celebrare distributive in singulos dies, sed intra annum, si id arguitur ex Decreto erectionis per Ordinarium expletae, non vero ex Rescripto Sacrae Congregationis, in quo demandatur erectio Capellaniarum *in Firmana Capellaniarum die 23 Ianuarii 1796.*

26. Siquidem Communitas Oppidi Montis S. Martini supplicavit, ut ex superextantibus reditibus hereditatis Praesulis Armindi Ricci tres erigi permitteret Capellanias cum onere Missae quotidianae, easque in censum assignari alicui Religiosae Familiae, quam in Oppidum post suppressionem revocare cupiebat. Proposito igitur dubio: – An sit locus erectioni trium Capellaniarum ex fructibus superextantibus et illorum assignationi alicui ex Religionibus reformatis introducendae in terra Montis S. Martini in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 iunii 1706 respondit: – Affirmative ad rationem eleemosynae manualis unius nempe iulii pro qualibet Missa favore Religiosorum capacium, arbitrio Emi Archiepiscopi; et amplius –. Et vigore huiusce Rescripti cl. me. Cardinalis Cincius tunc Firmanus Archiepiscopus tres erexit Capellanias cum onere quotidiani Sacri, easque addixit Augustinianis PP. discalceatis cum annuo stipendio scutorum triginta sex pro qualibet. Licet autem huiusmodi Capellanias accepissent Patres, nunquam tamen quotidianas celebrarunt Missas, sed iustum illarum numerum intra annum. Inde vero de quotidianis Missis solicitus, stipendium Patribus retardavit Administrator hereditatis. Nam in instrumento erectionis imponebatur onus Missae quotidianae; idcirco quotidie et sine ulla vacatione celebrare iidem tenebantur, attenta praesertim acceptatione Patrum, quorum Procurator generalis in eodem erectionis instrumento promisit – celebrare tres Missas quotidianas, iuxta piam mentem Praesulis Armindi Ricci –. Accedebant acta sacrae Visitationis anni 1756 Firmani Archiepiscopi Borgia, qui onus iisdem Capellanis esse dixit Missae quotidianae. Atque hoc ipsum in pluribus accepti stipendii syngraphis fassi fuerunt Priores Coenobii; idcirco sustinuit, tollendum esse abusum anticipatae et posticipatae celebrationis. E diverso tamen fonte desumebant Religiosi Capellaniarum qualitatem, ex Rescripto nempe Sacrae Congregationis anni 1706, quod pro fundatione habendum arbitrabantur. Quidquid enim Communitas Montis S. Martini petiisset, propositum fuit dubium pro erectione Capellaniarum in genere, et in genere rescripsit Sacra Congregatio: – Affirmative –. Si in hoc igitur fundationis Rescripto addita non fuit lex quotidianae celebrationis, neque dixerunt Religiosi, praescribi potuit in erectione Capellaniarum. Reque vera non ad formam erectionis, sed Rescripti annotata fuit in Tabella Ecclesiae obligatio celebrationis Missarum, non distributive in singulos dies, sed pro commodo Patrum in singulos menses; et ita celebrarunt Religiosi spatio annorum octoginta et ultra. Insuper Sacra Congregatio obulos decem pro qualibet Missa taxavit, statuitque Firmanus Episcopus scuta triginta sex, quae non respondebant diebus anni 365. Congruere ergo non videbatur huiusmodi assignatio Missis quotidianis, sed tot Missarum celebrationi, quot intra annum ad manualem eleemosynam obulorum decem capiebant stipendium. Alias perincommodam minusque Religiosis profi-cuam quotidianam celebrationem in eorum verterentur damnum tenues Capellaniae, quae iuxta instrumentum erectionis in supplementum alimentorum fuerant assignatae.

27. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sint celebrandae Mis-

sae, de quibus agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative intra annum – *in Firmana Capellaniae die 23 Ianuarii 1796.*

28. Unde Capellanus tenetur Missas celebrare in Capella et Altari, ubi Beneficium est erectum et Fundatores sepulti fuerunt, licet praecise locum Testator non designaverit, dum legatum Missarum reliquit *in Compsana die 9 Augusti 1766.*

29. Enimvero anno 1629 Antonio Vincentio et Dionysio de Cicchellis etiam nomine Ioannis Petri fratris absentis petentibus, qui aliqua bona Sacello S. Donati prius a se fundato donaverant, Curia Compsana perpetuum Beneficium erexit cum iurepatronatus favore masculorum familiae, iisque deficientibus, descendentium ex feminis, nulla alia data expressa lege, nisi propinquiores, si extarent, praeferendi. Anno 1656 idem Dionysius primus Beneficii Rector suis tabulis plura praefatae Capellae bona legavit ea lege, ut Capellanus Missas centum celebrare deberet pro anima ipsius Testatoris et pro satisfactione legatorum, quae fratres pater et mater fecerant; et si legata praescripta excederent annua Sacra centum, mandavit, ut maior numerus per heredes impleretur, et quidquid superesset ex fructibus dictorum bonorum in commodum Capellani sine onere cederet. Hinc Sacerdos Caietanus Lavinius Rector Beneficii erecti ad Altare S. Donati in Ecclesia S. Mariae Petrae Paganae Compsanae Diaecesis petiit declarari, liberum sibi esse, ut praefata Sacra ubique celebraret. Namque contendit, onus Sacrorum pendere ex legato; Testatorem autem de celebrandis Missis nullum locum dixisse, nullam Ecclesiam, nullam Aram; in ipsa augenda dote non Sacellum, neque Ecclesiam respexisse, sed commodum Rectoris, vel ex familia, vel ex propinquis eligendi, pro sui expiatione et implemento voluntatis tam patris, quam matris et fratrum, qui antea defuncti erant; nullo proinde iure ad Sacra inibi celebranda cogi posse, non auferendam sibi libertatem, quam suo iure habebat, et quae in quocumque dubio favorem legis merebatur, non esse locum coniecturis, neque ex similibus esse capienda exempla, ubi pro libertate mens et voluntas Testatoris apertissima est. Advertebatur vero, quod Testator dederit Capellae S. Donati legatum cum onere tamen, quod Capellanus, qui esset in dicta Capella, celebrare deberet annua Sacra centum. Unde legatum relictum videbatur intuitu Capellae, non vero commodo Rectorum. Advertebatur etiam, quod Dionysius Rector Beneficii fuerit unus ex Fundatoribus Sacelli, quodque in eo tum alii Fundatores, quorum voluntas impleri debebat, sepulturam habuerant, tum ipse qui legabat, sepeliendus erat, uti sepultus est.

30. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et in quo loco sit adimplendum legatum Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – in Capella et Altari S. Donati – *in Compsana die 9 Augusti 1766.*

31. Quando enim bona sunt irrevocabiliter Capellae seu Altari relicta, ibique Beneficium erectum, nequaquam Capellano licet celebrare Missam in Ecclesia sibi benevisa, licet Patronus, qui ius variandi praetendit, assensum praebeat *in Perusina Oneris Missarum die 29 Novembris 1766.*

32. Siquidem Ioannes Antonius Bigazzinius Perusinus heres Laviniae Muschiae matris ex eius legato erexit Capellaniam Perusiae in Ecclesia Monachorum S. Bernardi ad Altare eiusdem Sancti cum onere Missae quotidianae et certis datis conditionibus, et praesertim de poena sive emolumento aliquo favore Monasterii quolibet die, quo sive per se ipsum, sive per alium legitime impeditus Capellanus non celebraret. Glottus Raynerius Canonicus Perusinus, qui eam possidebat, supplicavit pro facultate celebrandi in Ecclesia Cathedrali, de qua obtinuerat consensum a Curtio patre unico patrono, et ab iis Monachis, qui tamen Beneplacitum Apostolicum super ea facultate reservarunt. Contradixit usque ab initio nomine totius Congregationis Procurator generalis Ordinis, ne Ecclesia quotidiano Sacro privaretur, nec emolumentum amitteret ex omissionibus Capellani obventurum. Nam Capellania erecta erat in designata Ecclesia ad Altare maius S. Bernardi ab herede, qui Testatricis mandatum implevit consummavitque per irrevocabilem actum: ibi eousque Sacra acta fuerunt; Testatrix dedit facultatem variandi filio, non vero moderno Patrono; insuper Iacobus Antonius filius in erectione respexit unice conditiones ex abbundanti adie-

ctas a se, non autem facultatem de Capellania, vel celebrandis Sacris transferendis ad aliam Ecclesiam et aliud Altare diversum a primo, cui iam irrevocabilem inter vivos dotis fecerat donationem; inanis erat Patroni consensus, qui filii commodo connivebat, neque ullum habebat derogandi arbitrium de lege et de loco Capellaniae. Contra Glottus contendit, se legitimam habere causam ob Canonicatum, quem possidebat; Patronum assensum praebuisse, et ex facultate ipsa, quam Testatrix primo heredi, hic autem successoribus dedit in ipsa fundatione Capellaniae; neque obstare, quod dos Capellaniae ipsi Altari per irrevocabilem donationem data fuerit; in ipsa donatione reservatum Patronis ius variandi; Testatricem nullum certum locum respexisse, arbitrium de loco dedisse nullis limitibus circumscriptum, in illa Ecclesia conditam non fuisse, se autem Glottum esse descendentem ex Lavinia, etiam ex praesumpta Testatricis mente sibi hanc libertatem non invidendam, nec denegandam. Episcopus petitioni vehementer favit.

33. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An liceat Capellano Missam in Ecclesia sibi benevisa celebrare in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Perusina Oneris Missarum die 29 Novembris 1766.*

34. Cum itaque Testator non solum determinatam Ecclesiam, sed etiam Altare determinatum pro celebratione Missarum expresserit, Sacra Congregatio renuit concedere Capellano facultatem celebrandi Missas quocumque in loco, licet adsit charitatis causa erga parentes, ac reditus imminuti fuerint *in Senogallien. Translationis Missarum die 27 Novembris 1773.*

35. Enimvero Ioannes Baptista Magi de terra Montis Luri laicalem Capellaniam erigi mandavit ad Altare Maius Ecclesiae Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti et Crucis Civitatis Senogalliae. Nominationem ad huiusmodi Capellaniam obtinuit anno 1756 a fratribus de Tamburrinis Sacerdos Ioseph Niccolini ex Oppido Gradariae, quod quadraginta milliariis Senogallia distabat. Hic eodem in Oppido morari cogebatur, ut parentibus aetate gravibus et summa inopia laborantibus nec non duabus sororibus, quarum una infirmabatur, opem et auxilium praestaret. Cum vero Capellaniam dimittere non posset, cuius titulo ad sacros Ordines fuerat promotus, facultatem imploravit celebrandi Missas quocumque in loco reperiretur. Nam etiam reditus imminutos esse asseruit, qui olim ad scuta 21 pertingebant, in praesens ne ad scuta quidem 12 ascenderent. Patroni huic petitioni non solum consensum praestabant, sed et id vehementer exoptabant. Sodales vero acriter contradixerunt, cum adversaretur voluntati Testatoris, qui non alibi, quam ad Altare maius Ecclesiae Sodalitii Missas celebrari mandavit, dum eiusdem Altaris tabulam descripsit, Iesu Christi Crucifixi imaginem praeseferentem. Addiderunt, Oratorem potius Missarum reductionem ob redituum imminutionem petere posse, quam facultatem celebrandi Missas extra Ecclesiam a Testatore designatam. Episcopus autem instantiae Oratoris ad certum tempus favit, cum in Ecclesia Confraternitatis praeter alia Beneficia quatuor erectae reperirentur Capellaniae et plura extarent legata cum onere Missarum.

36. His utrinque perpensis, proposito dubio – An et quomodo sit locus translationi oneris Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Senogallien Translationis Missarum die 27 Novembris 1773.*

37. Quin imo licet Testator expressis verbis Ecclesiam non determinaverit, non propterea Capellano absolutum conceditur Indultum celebrandi Missas in Ecclesia sibi benevisa *in Camerinen. die 11 Maii 1793.*

38. Siquidem laicalem Capellaniam Canonicus olim Iacobus Mancini testamento erigi iussit anno 1765 in rurali Ecclesia S. Francisci de Paula, quam ipse vivens suo sumptu aedificare curaverat penes villam *delle Calve.* In dotem assignavit Testator activum censum scutorum mille annuique reditus scutorum 35, iniuncto Rectoribus onere celebrandi Missas in dicta Ecclesia sex designatis solemnitatibus cum eleemosyna triginta obulorum, atque eodem fructu manutenendi dictam Ecclesiam ac supellectiles, nec non id quod superesset, erogandi in tot Missas ad rationem obulorum viginti pro qualibet Missa. Ex litera fundationis Sacerdos Ludovicus Franceschini primo nominatus iniunctum censuit implementum

onerum in rurali Ecclesia S. Francisci de Paula quoad Missas tantum in sex praescriptis solemnitatibus celebrandas; his ergo exceptis, ceteras Missas a die adeptae possessionis implere cepit in alia Ecclesia Civitatis Camerini, atque hac methodo ad annum 1785 iniunctis oneribus satisfecit. Tunc vero ob reprobatam in Sacra Visitatione celebrationem earumdem Missarum extra titularem Ecclesiam S. Francisci de Paula, Sacram Congregationem exoravit, ut implementum huiusmodi quoad praeteritum et futurum etiam probaret. Hinc die 11 martii 1786 rescriptum fuit: – Firmo remanente onere sex festorum ad formam testamenti, quoad reliquas Missas pro gratia arbitrio Episcopi et in Ecclesia ab ipso designata, dummodo diebus festis celebretur in Ecclesia in testamento praescripta, servata forma Constitutionis *Etsi minime;* et quoad praeteritum pro gratia absolutionis, dummodo constet de celebratione omnium Missarum –. Statim vero reclamavit Franceschinius contra iniunctum onus festivae celebrationis in Ecclesia titulari; rogavitque, ut EE. PP. declarare dignarentur, liberum esse controversi oneris implementum in qualibet Ecclesia, vel hanc saltem veniam ad sui vitam concedere. Nam quando Testator mandavit, ut ex residuo redituum tum Missae celebrarentur ad rationem viginti obulorum pro qualibet Missa nullam designavit Ecclesiam; ideoque liberum reliquisse videbatur celebrationis locum. Idque magis magisque colligebatur a discretiva, cum Testator in celebrandis disserens solemnitatibus earum implementum expresse imperaverit – in dicta Ecclesia –, de qua vicissim si mentionem reticuit, ubi de aliis egit Missarum oneribus, ibidem celebrationem noluisse praesumebatur. Accedebat etiam observantia viginti annorum ab initio ipso fundationis.

39. Praecipua e contra fuit Testatoris praedilectio erga ruralem Ecclesiam *delle Calve,* de qua indicia non ambigua exhibebat aedificium illud suo aere extructum, vel perpetuae Capellaniae fundatio, qua eiusdem manutentioni et cultus prospicere voluit. Idque satis declaratum videbatur, sive ex praecedentis orationis parte, qua Testator annuas sex solemnitates expresse celebrari iussit in Ecclesia S. Francisci de Paula, sive ea posteriori dispositione, de qua agebatur. Ibi enim sub eodem sermonis periodo inquit: – Debet etiam Capellanus cum eodem fructu manutenere Ecclesiam et supellectiles –, atque immediate prosequitur: – et ex residuo tot Missas celebrare tenetur ad rationem viginti obulorum pro qualibet –. Licet ergo non edixerit, qua in Ecclesia celebrari deberent Missae, per aequipollens tamen declaravit ob immediate praecedentem titularis Ecclesiae mentionem, quo sane in casu extranea sunt argumenta discretivae locutionis, sed alia potius subintrat regula, ut a praecedenti orationis parte immediate posterior interpretanda sit: nec obstabat observantia in proprium commodum inducta, et in quolibet dubio de celebrationis loco titularis Ecclesia praeferenda erat. Franceschinius demum in id totus institit, ut saltem indultum concederetur dempta conditione festivae celebrationis; is enim distentus munere Capellani Urbani in Lateranensi Basilica, per se ipsum implemento eorumdem onerum vacare nequibat. De Missis tamen agebatur celebrandis cum pingui eleemosyna obulorum viginti; nec probabat Orator deficientiam Sacerdotum, qui illorum implementum cum eodem stipendio susciperent, et vicissim ideo festivam Sacra Congregatio imperaverat celebrationem, ut circumstantis Populi commodo consultum esset.

40. His utrinque perpensis propositis dubiis: – I. An Missae praescriptae a Iacobo Mancini ex residuo redituum cum eleemosyna obulorum viginti sint celebrandae in Ecclesia S. Francisci de Paula in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus translationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ad formam Indulti 11 martii 1786 – *in Camerinen. die 11 Maii 1793.*

41. Unde Capellani recentiores nequeunt gaudere beneficio vacandi a celebratione unius Missae in singulis hebdomadis, uti eo gaudent veteres Capellani ex actu erectionis, cum respectivus Fundator id non indulsisse videatur; detenti tamen aliqua infirmitate minime obstringuntur, uti veteres Capellani, Missas ac cetera onera per substitutos implere *in Casertana Capellaniarum die 14 Decembris 1737 et die 21 Aprilis 1742.*

42. Enimvero Iacobus Landulphus postremis tabulis anni 1656 erigi iussit quatuor Capellanias in Ecclesia Sanctissimi Corporis Christi Civitatis Magdalunae cum dote quinquaginta ducatorum pro singulis Capellanis, nec non respectivo onere applicandi Missas, quas celebrarent, quin tamen obstringi possent ad onus chori ferendum vel aliud, prout alii Capellani praefatae Ecclesiae. Administratores dictae Ecclesiae dispositionem testamentariam executioni mandarunt: sed anno 1701 ad augendum cultum Ecclesiaeque servitium scuta decem addiderunt doti cuiuslibet Capellani, ut instar aliorum Capellanorum, qui in eadem Ecclesia reperiebantur instituti, tenerentur singulis diebus choro interesse Ecclesiaeque servitio incumbere. Hoc onus quatuor Capellani acceptarunt: at quia in veteri dictarum sexdecim Capellaniarum erectione cautum fuerat, singulos earumdem Rectores posse semel in hebdomada a Missae celebratione vacare, tempore autem infirmitatis teneri alios, qui Missas celebrarent aliaque subirent onera, substituere, si ipsorum aegritudo ultra tres menses protraheretur, praedicti Capellani recentiores postularunt declarari, an instar veterum Capellanorum una die cuiuslibet hebdomadae essent a Missae celebratione et applicatione immunes, et an infirmitate aliqua detenti minime obstringerentur, uti veteres Capellani, Missas per substitutos celebrare, tametsi infirma ipsorum valetudo ultra tres menses perduraret. Nam praefatus Testator nullum certum praescripserat Missarum numerum, sed eum tacite remisit Capellanorum arbitrio in his verbis, – che siano tenuti tutte le Messe, che celebreranno, quelle le debbano applicare per l'anime delle prenominate persone –; adeoque circa eumdem Missarum numerum sese conformare voluit veteri dictae Ecclesiae consuetudini. Ad alteram vero declarationem quod spectabat, perpenderunt, in sustinenda sarcina cuncta per alium supplere parem cum veteribus causam non habere; insuper de iure Capellanum aegrotantem quotidianae Missae onere obstrictum non teneri per alium Missas celebrare, sed ab earum celebratione ita immunem esse, ut postquam convaluerit, etiamsi liber inde foret, non obstringatur Missas, quas tempore infirmitatis omisit, supplere. Demum generalis accedebat consuetudo, quae vigere dicebatur in Neapolitano Regno, ut nempe Capellani toto aegritudinis tempore Missas per alium celebrare non tenerentur, nisi id fuerit a Testatore expresse demandatum. Episcopus instantiae Capellanorum favit.

43. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An quatuor Capellani quondam Iacobi Landulphi Ecclesiae receptitiae Sanctissimi Corporis Christi Civitatis Magdalunae ad instar antiquorum Capellanorum competat beneficium vacandi a celebratione unius Missae in singulis hebdomadis? II. An iidem quatuor Capellani impediti ex causa adversae valetudinis teneantur supplere per alium in Missis adimplendis ac in canendis horis canonicis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et quoad celebrationem iuxta mentem Fundatoris, videatur particulariter. Ad secundum, Negative – *in Casertana Capellaniarum die 14 Decembris 1737.*

44. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: In decisis, et amplius – *in Casertana Capellaniarum die 21 Aprilis 1742.*

45. Hinc si Capellanus subreptitie obtinuerit potestatem celebrandi Missam in quacumque Ecclesia sibi benevisa, Sacra Congregatio illam revocat ac mandat, servandam esse revocationem; his enim in terminis proposito dubio: – An Indultum a Sacerdote Petro Francisco Glussiano reportatum sustineatur, seu potius servanda sit eiusdem Indulti revocatio obtenta a Confraternitate S. Nazzarii in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et ad mentem – *in Mediolanen. Capellaniae die 22 Novembris 1738.*

46. Quin imo cum iusta et rationabilis causa desit, Sacra Congregatio nec ipsi Fundatori post erectionis Decretum permittit, ut Missa in alia Ecclesia eidem benevisa et commodiori celebretur, nec etiam Capellanum ab eodem nominatum et consanguineum tempore infirmitatis dispensat ab onere celebrandi per alium *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1778.*

47. Siquidem exoptans Balthassar Cara-

vaggio propriae suorumque defunctorum animae suffragari, sub diem 9 augusti 1735 irrevocabilem plurium bonorum donationem inter vivos in manibus Vicarii Generalis Laudensis favore Causae piae exaravit ea sub lege, ut celebraretur perpetuo et omni tempore Missa una quotidiana ad Altare Beatae Virginis Mariae septem dolorum erectum in Ecclesia Parochiali S. Iacobi Maioris dictae Civitatis, cum eleemosyna solidorum viginti pro qualibet Missa, solvenda per Capellanum pro tempore R. D. Proposito pro tempore dictae Ecclesiae Parochialis, quae Missa diebus festis celebrari deberet hora commoda dictae Ecclesiae et Populo per Capellanum eligendum ab ipsomet donante et post eius obitum a persona vel personis per ipsum designatis vel designandis in eius testamento condito vel condendo. Post interpositum a Vicario Generali Decretum idem Balthassar deputavit Ioannem Baptistam Caravaggium consanguineum suum. Inde anno 1736 postulavit ab Episcopo facultatem celebrari faciendi dictam Missam per tres vel quatuor menses pro commoditate ipsius in alia Ecclesia sibi benevisa, durante eiusdem vita et vita naturali eius uxoris et neptis; sed Episcopus id per bimestre tantum et durante eius vita et uxoris dumtaxat indulsit. Praeter hoc Episcopus, considerans, praefatum Capellanum e Fundatoris sanguine descendere, eidem, Fundatore pariter petente, concessit, + ut eveniente tali aegritudine, qua iuxta votum Medici celebrare non possit, arctari non valeat ad supplendum per alium Sacerdotem Missis omissis, tempore eiusdem aegritudinis, dummodo tamen per attestationem Medici coram nobis probetur vera impotentia ad celebrandum, in cuius conspectu ordinabitur per Parochum S. Iacobi, admittendam esse eamdem attestationem pro legitima probatione, salvo in reliquis dicto instrumento fundationis –.

48. At aegre ferens Balthassar Caravaggius petitam facultatem celebrari faciendi in Ecclesiis benevisis et commodioribus, tum ad duos dumtaxat menses cuiuslibet anni, tum ad sui suaeque uxoris dumtaxat vitam fuisse ab Episcopo restrictam, exclusa ipsius nepte, ad Sacram Congregationem confugit. Cum autem interea temporis Balthassar e vivis fuerit ereptus, mox Maria Bellinzaga eius neptis instantiam a Patruo promotam instauravit. Nam 1°. praefatus Balthassar, tametsi in fundationis instrumento mentem suam haud satis explicaverit, eam tamen semper fuisse contendit, ut 1°. Capellanus in Ecclesiis, quae sibi uxori et nepti commodiores essent, Missam posset celebrare, quemadmodum habebatur ex Testium depositione; 2°. idem Balthassar principaliter respexerit ad animae suae suorumque defunctorum suffragationem, non vero ad cultum Ecclesiae S. Iacobi Maioris; 3°. neque cultus dictae Ecclesiae ex Missarum translatione ad quatuor tantum anni menses petita minueretur, neque ullum Parocho obveniret detrimentum. E contrario advertebatur, Fundatorem Missam quotidianam in Ecclesia S. Iacobi maioris statuisse, ut diebus festis celebrari deberet - hora commoda dictae Ecclesiae et Populo –, nec non eumdem declaravisse, se ita disponere - intuitu specialis devotionis, qua flagrat erga B. Virginem Mariam septem dolorum –. Nec exemptio supplendi per alium concedi videbatur; nam Bassianus Mancini Praepositus Parochialis Ecclesiae S. Salvatoris in ipso instrumento fundationis Capellaniae in haec verba se obligaverat: – Casu, quo dictus Clericus (nimirum Ioannes Baptista Caravaggius in primum Capellanum nominatus) non celebret aut celebrare non faciat dictam Missam quotidianam, praedictus D. Praepositus Mancinus subministrabit de suo proprio quidquid necessarium erit pro eiusdem Missae celebratione, etiamsi dictus Clericus eleemosynam exegisset et dictam Missam non celebrasset aut celebrare non fecisset, sicuti etiam in casu impotentiae, inhabilitatis aut alias etc. dicti Clerici ad celebrandum, et sic ad percipiendam dictam eleemosynam ut supra assignatam eidem Clerico subministrabit etiam de proprio omnia necessaria ad eius victum et vestitum in quantitate correspondente dictae eleemosynae omni anno, si totidem erunt necessariae –.

49. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et per quot anni menses sit permittenda celebratio Missae pro Capellania erecta in Parochiali Ecclesia S. Iacobi Laudae in alia Ecclesia ipsi Fundatori benevisa? II. An Capellanus tempore infirmitatis di-

spensandus sit ab onere celebrandi per alium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque – *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738.*

50. Qua de re si Ecclesia et Altare, ubi erecta fuerit Capellania, corruerint, et Capitulum cum omnibus iuribus translatum sit in aliam Ecclesiam, Capellanus in hac, non autem in alia Ecclesia onera Missarum implere tenetur, licet huiusmodi Capellania servitium chori non habeat *in Aquipendien. Oneris Missarum die 4 Aprilis 1772.*

51. Enimvero in Ecclesia Cathedrali iam ab antiquo tempore erecta fuerat Capellania ad Altare S. Spiritus et gloriosae Conceptionis Virginis Mariae cum onere trium Missarum in dicto Altari cuiuslibet hebdomadae celebrandarum, nec non alio adiuncto onere, ut in die Conceptionis Capellanus teneretur ibi cantare seu cantari facere Missam, et facere prandium sive refectionem Canonicis singulo anno, alias deberet solvere Capitulo ducatos duos auri largos de fructibus dictae Capellaniae cum hoc pacto, quod praefatum Capitulum deberet cantare Missam sive cantari facere in dicta Capella sive Altari in secunda feria Pentecostes. Translata inde Cathedralitate et Capitulo Ecclesiae Castrensis ad aliam S. Sepulchri Aquipendiensis, Capellani pro tempore singulas Missas tam lectas, quam solemnes in Cathedrali Aquipendii celebrarunt. Verum cum Capellaniae bona sita essent in territorio Oppidi Ischiae, quod Castro postea diruto erat ceteris proximius, modernus Capellanus Iulianus de Rubeis postulavit, ut sibi fieret potestas onera dictarum Missarum deinceps implendi in Ecclesia Parochiali ipsius Oppidi Ischiae. Namque contendit, translationem respicere Capitulum et Praebendas chorales, non vero Capellaniam Sanctissimae Conceptionis, quae servitium chori non habebat. Diruto proinde Castro eiusque Ecclesia Cathedrali, onera Capellaniae in finitima potius Parochiali implenda esse sustinuit. Addidit, antecessores Capellanos proprio facto et voluntate praeiudicium irrogare nequivisse Successoribus. Contra Capitulum probavit, ipsam Cathedralitatem Ecclesiae Castrensis omniaque iura ad eam spectantia fuisse translata. Idcirco cum praefata Capellania erecta fuisset ad Altare dirutae et suppressae Cathedralis Castrensis, imo ab ipso Fundatore quoque contemplatum esset Capitulum, cui remunerationem pro Missis solemnibus reliquit, onus etiam Sacrorum in suppressa Cathedrali Castrensi implendorum ad Aquipendii novam Cathedralem translatum remanserit. Ad haec observantia accedebat, qua Capellani semper in ea onera impleverunt. Unde Episcopus conclusit: – Censerem propterea manutenendos fore Canonicos huius Cathedralis in possessione satisfaciendi praedicta Missarum onera in hac eadem Ecclesia –.

52. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An liceat Capellano Sanctissimae Conceptionis celebrare Missas tam lectas, quam solemnes in Ecclesia maiori terrae Ischiae, vel potius teneatur illas celebrare in Ecclesia Cathedrali Aquipendii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Aquipendien. Oneris Missarum die 4 Aprilis 1772.*

53. Cum itaque Testator mandaverit, ut Missae celebrentur per designatos Capellanos, et si praefati Capellani vel aliquis eorum non essent idonei, alios substituit, hi quidem ius celebrandi Missas habent, quoties omnes vel aliquis ex illis idonei non fuerint vel etiam absint aut legitimo detineantur impedimento, nec non integrum Missarum stipendium percipere debent *in Romana Legati seu Capellaniarum die 8 Februarii 1744 et die 22 Ianuarii 1746.*

54. Iamvero Ioannes Pasqua postremis tabulis legatum scripsit Basilicae S. Laurentii et Damasi Capellanis choralibus, qui vulgo *chiericoni* vocabantur, cum onere Sacrorum: in casu vero, quo nullus eorum idoneus esset aut alter ex eis, voluit, ut quindecim Missae in singulos menses celebrari deberent per Collegium Beneficiatorum et Capellanos Valtrini, donec Capellani Chorales idonei existerent. Hinc duae inter Capellanos chorales et Valtrinum Collegium ortae quaestiones, contendentibus Capellanis substitutionem Collegii Valtrini locum habere eo tantum casu, quo nullus e quatuor Capellanis, quibus Testator legavit, idoneus esset oneri Sacrorum implendo, non vero cum unus aut alter; hoc enim casu onus et emolumentum non ad substitu-

tum, sed ad alios Capellanos, qui idonei erant, deferri iure accrescendi seu non decrescendi. Et si contrarium verius videretur, contenderunt iidem Capellani chorales, non posse compelli ad solvendum Collegio Valtrino integrum stipendium Sacri cuiuslibet a Testatore statutum in obulis sexdecim cum dimidio, sed tantum iulium unum, et quod reliquum erat, lucrifacere posse. At prima quaestio facile dirimi poterat ex aperta litera testamenti contra Capellanos chorales; nam Testator utrumque casum, quod scilicet dicti quatuor Capellani aut aliquis ex illis idonei non essent, consideravit. Ad alteram vero quaestionem quod spectabat, quidquid Theologi certaverint, in propatulo erant Decreta generalia Sacrae Congregationis ab Urbano VIII et Innocentio XII probata, quibus praestitutum est, non posse eum, cui pinguius stipendium Sacro agendo praestatur, aliquod retinere, si alteri Sacerdoti mandet, ut Sacrum faciat; sed integrum, quod accipit stipendium, delegato Sacerdoti praestare tenetur.

55. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Missae ordinatae in testamento bo.me. Canonici Pasqua celebrandae in Basilica SS. Laurentii et Damasi per Capellanos chorales eiusdem Basilicae ob deficientiam sive incapacitatem unius vel plurium dictorum Capellanorum celebrandae sint per Beneficiatos Clericos Beneficiatos et Capellanos Valtrinos? *Et quatenus affirmative.* II. An eleemosyna Missarum solvenda supradictis Beneficiatis Clericis Beneficiatis et Capellanis Valtrinis taxanda sit ad rationem iulii unius, sive obulorum sexdecim cum dimidio pro qualibet Missa, iuxta dispositionem eiusdem Canonici Pasqua in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Romana Legati die 8 Februarii 1774.*

56. Canonici exin et duo Capellani chorales ab illis electi postularunt, ut iudicium retractaretur, cum ipsi auditi non fuerit; et contenderunt, Capellanos chorales, qui vel ratione absentiae, vel alia quavis causa Sacra agere non possent, facultatem habere onus a Testatore iniunctum implendi per alios, quos ipsi vellent, Sacerdotes, neque adigi posse, ut uterentur Beneficiatis et Capellanis Valtrinis, qui a Testatore fuerunt substituti eo dumtaxat casu, quo electio Capellanorum choralium acta non fuisset, vel irrita, quia non essent idonei. Propositis vero dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis? *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An Capellani chorales in casu absentiae seu alterius legitimi impedimenti possint Missas celebrare per alios, seu potius Missae sint celebrandae per Beneficiatos Clericos Beneficiatos et Capellanos Valtrinos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis quoad utrumque dubium. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Romana Capellaniarum die 22 Ianuarii 1746.*

57. Ne dubium autem, quod Secularis esse potest Capellanus Capellaniae in Ecclesia Regularium erigendae *in Comen. die 27 Maii 1656 lib. 19 Decretorum pag. 639.*

58. Hinc proposito dubio: – An Beneficia et Capellaniae ecclesiasticae sub ea lege per Testatores ordinatae, ut ad eas primo admittantur Clerici Seculares ad titulum Capellaniarum huiusmodi ad sacros Ordines promovendi, et deinde succedant Regulares, sic ad eosdem Regulares transire debeant, ut Capellanis primo nominatis decedentibus, vel alia quacumque causa Capellanias huiusmodi non consequentibus, possint per se ipsos, non autem per Sacerdotes Seculares ab eis praesentandos et a locorum Ordinariis instituendos, Missas celebrare aliaque onera implere administrare illarum bona omnesque fructus percipere, proindeque standum sit in decisis in Mexicana 16 maii 1699 et 8 iulii 1713 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus – *in Mexicana Erectionis Capellaniarum die 25 Ianuarii 1749.*

59. Unde Capellanus tenetur celebrari facere Missam quotidianam proprio sumptu etiam cum eleemosyna quindecim obulorum pro qualibet Missa, si hac lege a Patrono in actu electionis Capellaniam acceptaverit *in Caesenaten. Capellaniae die 19 Decembris 1795 et die 12 Martii 1796.*

60. Siquidem anno 1666 Ioannes Franciscus Alberi Capellaniam mere laicalem sub invocatione S. Ioannis Baptistae instituit in Ecclesia Carminis Civitatis Caesenae ad Al-

tare Beatae Virginis, suaque omnia bona assignavit cum onere Missae quotidianae. Ad petitionem Communitatis Caesenae patronae anno 1787 Summus Pontifex ad publicum Oratorium Terrae Portus Caesenatici quotidianam Missam transtulit, servata Testatoris dispositione quoad duo Officia et administrationem bonorum. Atque in executionem Pontificii Rescripti publicavit Communitas capitula ab eligendo Capellano observanda, illudque praesertim, quod deficiente Capellano in celebratione Missarum in praefato Oratorio ipse Praetor pro tempore celebrari faceret per alium Sacerdotem cum eleemosyna obulorum quindecim pro qualibet Missa. In Capellanum deinde electo Clerico Leonardo Gentilini, per publicum ipse instrumentum et sub solidali fideiussione Silvestri eius Patris se obligavit ad unguem servare praefata capitula. Cum post annum 1793 Gentilinius ab obligatione deflecteret, Praetor Terrae Caesenatici Patribus Capuccinis celebrationem Missae committere debuit. Hinc anno 1794 in ius vocavit Communitas Gentilinium pro reintegratione eleemosynae usque tunc solutae et futurae assumptae obligationis implemento, obtinuitque die 21 iulii a Vicario Capitulari Caesenatensi utrumque. At Gentilinius penes Sacram Congregationem contendit, neque ex facto, neque ex iure cogi posse ad quotidianam celebrationem cum eleemosyna obulorum quindecim. Nam ipse asseruit, Capellaniae reditus esse scutorum dumtaxat 46, onera 61. 75; hinc esset quotannis in damno scutorum 15, 75. Ex iure vero aliqua ex Beneficio remanere debebat quota libera pro Beneficiato. Contra Communitas sustinuit, Gentilinium onera per plures annos ex pacto implevisse; adeoque non esse amplius locum poenitentiae. Probavit etiam, quod de tempore collationis reditus ascendebat ad scuta 57. 40, ab anno 1762 ad scuta 62, uti testabatur colonus ab ipso Capellano productus. Hinc si ex scutis 62 demerentur scuta 2. 75 pro oneribus Cameralibus et scuta 5 pro duplici Officio, supererant scuta 54. 25, quae satis superque erant pro eleemosyna Missae quotidianae ad obulos etiam 15. Vicarius Capitularis retulit, reditus augeri posse, si stabilia cum aliquo crumenae incommodo ad pinguiorem fundum reducta essent; manualem eleemosynam intra Civitatem communiter, exceptis diebus festis, esse decem obulorum, extra vero Civitatem duodecim, et in diebus festivis viginti ac etiam viginti quinque.

61. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et cuius sumptu sit celebranda Missa quotidiana in Oratorio Portus Caesenatici in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative sumptu Capellani – *in Caesenaten. Capellaniae die 19 Decembris 1795.*

62. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Caesenaten. Capellaniae die 12 Martii 1796.*

63. Quod si Testator Missam quotidianam cum designato reditu ad eleemosynam viginti obulorum pro qualibet taxative praescripserit, Capellanus non tenetur ultra Missam quotidianam alias Missas celebrare, licet designatus reditus excreverit, si vero decreverit, tenetur Missas celebrare ad eleemosynam obulorum quindecim pro qualibet ad formam testamenti *in Spoletana Capellaniae die 17 Decembris 1796.*

64. Enimvero, quibusdam assignatis censibus, fundavit Sacerdos Abel Avanzi testamento anni 1786 perpetuam laicalem Capellaniam cum onere celebrandi tot Missas ad rationem obulorum quindecim pro qualibet, quot praefati census fructus redderent. Codicillis autem sequentis anni 1787, moderata testamentaria dispositione, praecepit, ut Capellanus celebrare deberet Missam quotidianam ad rationem obulorum viginti pro qualibet, dummodo fructus redderent scuta septuaginta duo; in casu vero, quo fructus non pertingerent summam scutorum septuaginta duo, Capellanus, prout in testamento declaratum erat, Missas celebrare teneretur pro summa, quae existeret, et si ipse eas celebrare non posset, per alium Sacerdotem celebrari faceret, habita ratione ad annuos fructus. Ipsius tamen Testatoris industria aucti fuerunt censuum fructus, ita ut anno 1789, quo decessit, annua pertingerent scuta septuaginta duo. Primus ex illius nominatione Capellaniam obtinuit Maurus Avanzi eius ex fratre nepos et presbiter Oratorii S. Philippi Nerii. Huius opera creverunt, ut ipse asserebat, eiusdem Capellaniae reditus

ad annua scuta circiter octoginta. Dubitans propterea, num praeter quotidianam Missam cum eleemosyna obulorum viginti per Testatorem constituta, tot alias Missas celebrare teneretur ex fructibus auctis supra summam scutorum septuaginta duo, hinc ad suam sedandam conscientiam supplicavit, ut declararetur, num in casu etiam, quod Capellaniae reditus annua non pertingerent scuta septuaginta duo a Testatore relicta, firma esse deberet codicillaris dispositio pro celebratione Missarum ad eleemosynam obulorum viginti pro qualibet, et num alias Capellanus celebrare teneretur Missas ultra quotidianam, quoties excederent reditus scuta septuaginta duo. At satis manifestum erat, Testatorem quotidianam Missam taxative, non vero demonstrative demandasse; nec minus luculentum erat, Testatorem in casu imminutionis redituum infra summam septuaginta duo scutorum eleemosynam constituisse in obulis quindecim pro qualibet Missa.

65. Propositis itaque dubiis: – I. An pro reditu excedente summam scutorum 72 tot aliae ultra quotidianam sint celebrandae Missae in casu etc. II. An et ad quam eleemosynam celebrari debeant Missae in casu imminutionis reditus infra summam scutorum 72 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ad eleemosynam obulorum quindecim ad formam testamenti – *in Spoletana Capellaniae die 17 Decembris 1796.*

66. Hinc si Testator primum Capellaniam instituerit cum onere quinquaginta Missarum, mox addito alio fundo, alias viginti Missas praescripserit, ac dein dictas Missas quinquaginta taxative reduxit, quin mentionem de aliis viginti fecisset, Capellanus tenetur celebrare quadraginta quinque Missas, licet decessor per quinquaginta annos viginti quinque dumtaxat celebraverit *in Civitatis Plebis Oneris Missarum die 19 Augusti 1797.*

67. Siquidem anno 1744 per publicum instrumentum laicalem Capellaniam instituit Franciscus Padovani in Ecclesia Parochiali Sanctissimi Nominis Iesu, nonnullis assignatis bonis impositoque onere celebrandi quinquaginta Missas annuas, ac in eodem instrumento voluit, ut Capellanus, addito alio fundo, post illius obitum Missas viginti annuas celebraret in iam designato Altari. Anno vero 1756 in postremis tabulis reduxit onus Missarum quinquaginta ad viginti quinque, quin volam Missarum viginti fecisset. Ita huiusmodi reductionem interpretatus fuit primus Capellanus, qui per annos quinquaginta et ultra Capellaniam retinuit, ut pro bonis primae institutionis et pro praedio post mortem Fundatoris addito annuas dumtaxat celebraverit Missas viginti quinque. At suae timens conscientiae modernus Capellanus supplicavit, ut declararetur, num teneretur etiam ad celebrationem Missarum viginti pro secundo legato. Nam ratio, ob quam minuit Testator onus Missarum Capellano fuit, ut onus Capellani pro tempore ad unguem implerent. Haec sane ratio censeri poterat universalis et ad utrumque referri onus, quum eo tutius sit adimplementum Missarum, quo minor erat earum numerus. Episcopus vero censuit, Testatorem taxative loquutum fuisse de onere Missarum quinquaginta in prima Capellaniae institutione impositum, illudque unum reduxit, nulla penitus facta mentione alterius distincti oneris Missarum viginti, quarum celebrationem ex separato fundo praescripserat. Proposito itaque dubio: – An et quot Missae celebrari debeant in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et esse celebrandas Missas annuas quadraginta quinque; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Civitatis Plebis Oneris Missarum die 19 Augusti 1797.*

68. Hinc possidentes fundum duobus Legatis seu Capellaniis et pluribus obligationibus affectum, tenentur celebrare facere tot Missas ad rationem taxae Synodalis, quot superextantes proventus ferre possunt *in Ianuen. Reductionis et Translationis Missarum die 16 Decembris 1786.*

69. Siquidem domus, quam possidebant Oratrices Promontorio, nedum obnoxia erat duobus Legatis seu Capellaniis, sed et pluribus quoque obligationibus affecta. Ad primam ex dictis Capellaniis quod attinebat, pro cuius dote a Fundatore assignatae erant annuae librae 200, observabatur, an tota creditorum super hac domo phalanges, vel potius sola eam vinceret dos Catharinae Passano ad libras decem mille ascendens, ita ut ducto calculo valoris domus ab annuo illius reditu in

libris 800 tantum superesset, quantum dictae Capellaniae implemento late redundaret, quo in casu haud ita faciles esse deceret in concedenda huius Legati deletione aut reductione. Quo vero ad secundam, cuius dos erat librarum 600, grandiorem esse aeris alieni quantitatem, quae illam antevertebat, affirmarunt Oratrices. Admiserunt tamen quoad ratam librarum 2000 in partem dotis Capellaniae relictarum eamdem illis anterioritatem competere, quae debebatur dictae doti Catharinae Passano, a qua illae librae bis mille fundatrici huiusce alterius Capellaniae relictae fuerunt. Hinc Archiepiscopus decernendum censuit quoad hanc secundam Capellaniam, quod – Oratrices teneantur capitale huiusmodi librarum duo mille caute collocare cum monetali augmento, quo evehitur ad libras bis mille sex centas triginta sex huius monetae extra bancum ad hoc, ut ex ipsis proventibus singulis annis celebrare facere teneantur tot Missas rationata eleemosyna ad hanc Synodalem taxam, iniuncto pariter ipsis onere continuo celebrari faciendi tot Missas pariter ad formam Synodi, quot essent fructus capitalis praedicti a die adeptae possessionis domus eiusdem usque ad diem, qua perficitur impendium –.

70. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit providendum quoad Capellaniam institutam a Ioanne Baptista Boasi in casu etc. II. An et quomodo sit providendum quoad Capellaniam institutam a Laura Boasi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, applicatis Missis pro Ioanne Baptista et Laura – *in Ianuen. Reductionis et Translationis Missarum die 16 Decembris 1786.*

71. Qua de re si Fundator Capellaniam erigendam iusserit cum onere celebrandi Missas iuxta quantitatem reditus dotis arbitrio Ordinarii praescribendam, ac Ordinarius in actu Visitationis Missam quotidianam indixerit, Capellanus tenetur Missam quotidianam celebrare, quin excusari valeat, licet filius et heres Fundatoris antea Capellano aliisque futuris eligendis quatuor Missas qualibet hebdomada ex facultate, quae sibi data videbatur in actu erectionis, ad formam tamen fundationis, imposuisset *in Romana Celebrationis Missarum die 5 Septembris 1711 et die 9 Aprilis 1712 lib. 61 et 62 Decretorum.*

72. Enimvero – iam usque ab anno 1601 Matthaeus Carabellus Mediolanensis irrevocabiliter inter vivos donavit Ecclesiae aedificandae in terra Montis Mediolanensis Diaecesis sub invocatione Beatae Virginis Lauretanae scutata 500, reservata sibi eiusque descendentibus facultate in ea fundandi particularem Capellaniam de suo familiari Iure-patronatus, eique dotem dictorum scutorum 500 applicandi et augendi. Capellano vero pro tempore, cui adiudicari voluit fructus dictae dotis eiusmodi onus imposuit: « nominandus teneatur regere et administrare dictam Ecclesiam seu Capellaniam, et in ea Missam seu Missas celebrare iuxta quantitatem reditus dictae dotis seu maioris augendae, ut supra, arbitrio Ordinarii pro tempore praescribendam, reservata tamen sibi D. Matthaeo facultate praescribendi onus certum, quandocumque ei videbitur et placuerit ». Subinde de anno 1607 ante dictus Matthaeus in eius ultimo testamento demandavit suis heredibus, ut emerent in praefata terra tot bona stabilia vel annuos reditus, ex quibus perciperentur annua scuta centum monetae Romanae, comprehensis tamen annuis introitibus seu fructibus, qui percipi possent ex summa dictorum scutorum 500 ut supra donatorum. Post Testatoris decessum Caesar Carabellus eius filius et heres de anno 1612 obtinuit a s. m. Paulo V facultatem erigendi praedictam Capellaniam hic in Urbe in Ecclesia sibi benevisa et in literis Apostolicis desuper expeditis haec leguntur: « Unam Capellaniam pro uno Clerico seu Presbitero perpetuo Capellano, qui in ea nonnullas Missas seu Anniversarium eiusque numerum a praedicto Matthaeo praescriptum seu in exequutione praesentium ab eodem Caesare praescribendum celebrare seu celebrari facere teneatur ». Successive dictus Caesar de anno 1618 devenit ad fundationem dictae Capellaniae in Ecclesia Monialium S. Sylvestri de Capite ad Altare SS. Crucifixi, assignavitque dotem annuorum scutorum 100, et in instrumento assignationis praedictae haec praescripsit: « Pro uno Clerico seu Presbitero in eadem Capella perpetuo Capellano, qui in ea numerum Missarum et Anniversarium a dicto quondam

Matthaeo praescriptum seu ab eodem Caesare praescribendum celebrare seu celebrari facere, illique in divinis congrue deservire teneatur ». Ac insuper convenit cum Monialibus praedicti Monasterii, ut, deficiente Capellano a celebratione dictarum Missarum et Officiorum, liceret ipsis Monialibus dicta onera adimpleri facere ab aliis Capellanis, iisque congruam mercedem tradere ex dicto annuo reditu scutorum centum. Porro nullibi constat, fuisse unquam a dicto Caesare seu eius heredibus et descendentibus praefinitum certum Missarum seu Anniversariorum numerum, nec in Tabella onerum retineri solita in Sacrario eiusdem Ecclesiae Monialium descriptum fuit onus huiusmodi Capellaniae, adeo ut Capellani pro tempore consueverint celebrare illum Missarum numerum sibi benevisum, nulla relicta earum adnotatione in libris, quamvis in visitatione particulari Ecclesiae praedictae habita de anno 1707 Visitator describi fecit inter onera perpetua Tabellae illud oneris huius tenoris: » Pro anima Matthaei Carabelli Missa una quotidie celebranda ».

73. De anno 1696 cum reperirentur bona hereditaria Matthaei occupata a tertiis possessoribus, introductum fuit iudicium in Tribunali R. Fabricae inter Procuratorem eiusdem nec non Michaelem Angelum Olivetanum provisum de eadem Capellania de anno tum praecedenti 1695 actores ex una, et praefatos tertios possessores ex altera partibus de et super immissione in possessionem bonorum dicti Matthaei de Carabellis, exindeque de anno 1703 prodiit sententia definitiva a b. m. Severolo Iudice, confirmata in gradu appellationis ab Emo et Rmo D. Cardinali Panciatico Iudice Commissario de anno 1708, in qua pronunciatum fuit, praefatos Actores fore immittendos in actualem possessionem bonorum hereditariorum, ut supra, ibi: » Et ex illis non amoveri, nisi ex eorumdem bonorum fructibus, solutis prius libere scutis 100 quolibet anno eidem Olivetano pro eius debita provisione, fuerit tam dicta R. Fabrica ex hactenus deductis integre satisfacta de scutis 4424 nempe 1304 occasione dictae Capellaniae scut. 1950 pro legato scut. 50 ann. destinato in monacandis duabus Puellis et reliqua scuta 1170 pro altero legato scut. ann. pro Magistro Grammaticae, ad formam testamenti Matthaei minime impletis et satisfactis pro annis 39 etc., quam dictus Olivetanus de dicta eius annua provisione debita ad rationem scutorum centum incipien. a die 3 Augusti 1665 suae praesentationis, ut in diplomate fel. rec. Innocentii XII usque ad effectivam praesentis sententiae executionem ». Nihilominus idem Olivetanus sequendo morem Capellanorum antecessorum celebravit dumtaxat Missas sibi benevisas, nullo relicto documento dictae celebrationis, imo de anno 1710 obtinuit declarationem a Maria Fumagallo descendente et herede Patronorum dictae Capellaniae, quae declaravit arbitrio Capellani pro tempore remittere celebrationem seu quantitatem Missarum aut Anniversarii, seque nolle Capellaniam ulteriori onere praegravare. Verum pulsatus ab eodem Tribunali ad docendum de adimplemento dictarum Missarum, recurrit Olivetanus ad SS. D. N., remissis precibus ab eius R. P. Auditore ad hanc Sacram Congregationem, a qua requisitus Emus Urbis Vicarius informare, omnia praelibata confirmavit, sed nullum pandidit votum –.

74. Unde concordatis infrascriptis dubiis: – I. An et quas Missas teneatur celebrare Capellanus SS. Crucifixi in Ecclesia S. Sylvestri de Capite Urbis tam ante, quam post declarationem Patronorum in casu etc. *Et quatenus teneatur celebrare Missam quotidianam.* II. An possit excusari Michael Angelus Olivetanus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, teneri ad Missam quotidianam. Ad secundum, Negative a die captae possessionis bonorum per Olivetanum – *in Romana Celebrationis Missarum die 5 Septembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

75. Olivetanus vero non acquiescens resolutionibus praedictis, pariter adversus eas audiri obtinuit sub eo signanter motivo, quod recens reperit instrumentum declarationis numeri dictarum Missarum factae a Caesare Carabello filio et herede supradicti Matthaei sub die 27 iunii 1623, in quo agnoscendo in Capellanum Sacerdotem Ioannem Antonium Quatrium provisum Apostolicum, eidemque ac aliis Capellanis pro tempore assignavit quatuor foenilia hic in Urbe reditus tunc scutorum centum, risico tamen et periculo eorumdem Capellanorum pro tempore, subinde vi-

gore assertae facultatis, ac uti Patronus imposuit Missarum onus sub hoc tenore: « Et onus eidem R. D. Ioanni Antonio ac aliis pro tempore Capellanis dictae Capellaniae per ipsum D. Caesarem et suos etc. eligendis etc. imposuit celebrari faciendi perpetuis futuris temporibus in dicto Altari S. Silvestri, quando Altare perfectum fuerit et ornatum in dicta Ecclesia in aliquo ex aliis Altaribus, iuxta mentem et intentionem dicti quondam Matthaei Missas parvas numero quatuor qualibet hebdomada, durante mundo, incipiendo a die 1 iulii proximi futuri praesentis anni 1623 ». Reproposito vero dubio: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 5 septembris 1711 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus; et amplius – *in Romana Celebrationis Missarum die 9 Aprilis 1712 lib. 62 Decretorum.*

76. Quapropter cum Testator ex asse scripserit heredem Capellam SS. Rosarii erectam in Ecclesia S. Silvestri Villae Fallerinae Diaecesis Reatinae, ac mandaverit, ut celebrarentur tot Missae, quot fructus et reditus hereditatis ferre possent ad rationem taxae legalis, novus Capellanus continuare nequit, uti antecessor, in celebratione trium Missarum hebdomadalium; sed tenetur celebrare Missas iuxta quantitatem redituum ad rationem perpetuae; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Capellanus, de quo agitur, continuare possit in celebratione trium Missarum hebdomadalium pro adimplenda voluntate disponentis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. Quot Missae celebrari debeant in casu etc. III. Quaenam eleemosyna taxari debeat pro qualibet Missa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, iuxta quantitatem fructuum. Ad tertium, ad rationem perpetuae – *in Romana seu Reatina Capellaniae die 17 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

77. Cum autem Capitulum Ecclesiae Cathedralis Ferrariensis praetenderet, possessores Capellaniarum in ea erectarum teneri quotidie ad celebrationem Missarum alternatim per hebdomadas, Sacra Congregatio mandavit, ut Episcopus, auditis interesse habentibus, provideret prout de iure *in Ferrarien. Capellaniarum die 7 Iulii 1703 lib. 53 Decretorum.*

78. Enimvero – triplicis generis existunt in Ecclesia Cathedrali Capellaniae de iurepatronatus laicorum, quorum Capellani admittuntur ad distributiones iuxta qualitatem servitii; primi nempe sunt, quae habent certam fundationem et onus; secundi generis illae, quae habent quidem fundationem, sed onera confusa et taliter expressa, ut liquido Missarum onus colligi nequeat; et tertii demum, quae nullam habent fundationem, seu illa non reperitur. Quoad huiusmodi Capellanias secundo et tertio loco descriptas renovata est contentio (per seculum ante iam excitata) per Capitulum dictae Cathedralis, praetendens, Capellanos illarum teneri ad quotidie celebrandum Missas alternatim per hebdomadas; sed dicti Capellani id facere renuentes adducunt quoddam Decretum Synodale Episcopi Fontana editum anno 1599, in quo mandavit, omnes praefatos Capellanos teneri ad celebrationem Missae saltem singulis mensibus pro mortuis, qui Capellas dotarunt, quod confirmatum extitit a suo Successore cl. me. Cardinali Leno anno 1612, sed cum hoc non obstante Vicarius Generalis eiusdem Cardinalis anno 1617 Tabellam publicaverit, in qua iniungebatur Capellanis, ut celebrarent secundum earum fundationem, et quatenus ista non adesset, tenerentur celebrare alternatim per hebdomadas, quam Vicarius Capitularis anno 1697 renovavit, Capellani praedicti supplicarunt demandari observantiam Decreti Synodalis Episcopi Fontana, stante tenuitate suorum redituum, prout rescriptum extitit quatuor Capellanis similiter supplicantibus 26 Aprilis et 20 decembris 1698 ac 2 maii et 14 novembris 1699 quibus, non obstante Tabella, praevia relatione Ordinarii uniformiter responsum fuit: « Servandum esse Decretum Synodale Episcopi Fontana ». Exquisita itaque super his precibus nova informatione Eminentissimi Ordinarii, Eminentia Sua, praedicta confirmando rationesque hinc inde luculenter recensendo, concludit, quod si observandum sit dictum Decretum Synodale, res remanebit absoluta, cum omnes Capellaniae habeant reditus sufficientes, quatenus vero inhaerendum sit assertae consuetudini celebrandi alternatim per hebdomadas, (quae revera liquido probari non potest ex deficientia librorum Sacristiae) eo casu opus erit

aliter providere, constituendo nempe annua scuta 9 pro implemento dictae alternativae, et alia scuta quatuor pro solutione onerum cameralium ac sumptibus paramentorum, quae a Sacristia non subministrantur, concedendo etiam reductionem Missarum illis Capellanis, qui reditus sufficientes non habent –.

79. His igitur stantibus, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad Emum Episcopum, qui, auditis interesse habentibus, provideat prout de iure – *in Ferrarien. Capellaniarum die 7 Iulii 1703 lib. 53 Decretorum.*

80. Unde Capellanus tenetur ad celebrationem Missae quotidianae et trium Anniversariorum, cum ex verborum fundationis contextu huiusmodi onus arguatur, quin obstet, quod antecessores Capellani illud non adimpleverint, et ultimus status exemptus a Missarum celebratione comperiatur; modernus tamen Capellanus celebrare debet Missas in aliquo numero arbitrio Ordinarii, nec non tribus praedictis Anniversariis satisfacere *in Mediolanen. Oneris Missarum die 22 Iunii 1715 lib. 65 Decretorum.*

81. Iamvero – inde ab anno 1430 Marchisius de Auro Parochus Ecclesiae S. Quirici Mediolanensis, supremo exarato elogio, erigi in mox dicta Ecclesia iussit sacram Aram sub invocatione Purificationis Beatae Mariae Virginis, eique relictis quibusdam designatis bonis ac utensilibus ad Missarum celebrationem opportunis, constituit Beneficium Sacerdotale ac ius honorificum reliquit Abbatissae et Monialibus S. Mauritii Maioris Mediolanensis, quae praesentare deberent Sacerdotem ex familia de Auro, vel saltem qui infra annum promoveri posset: haec vero onera pius Testator Beneficiato imposuit, « teneatur omni die officia divina nocturna pariter et diurna celebrare etc. Item quod praedictus Sacerdos dictae Capellae teneatur quolibet anno in die Anniversarii mei facere unum annale, ad quod adsint duodecim Sacerdotes, qui habere debeant a dicto Sacerdote sive Beneficiato dictae Capellae solidos duos tertiolorum pro quolibet eorum, et aliud annale qualibet decima quinta die mensis octobris cuiuslibet anni pro remedio animae meae. Item aliud annale secunda die mensis augusti cuiuslibet anni; et quod praedictus Sacerdos teneatur dicere omni die, nisi sit festum solemne, tres orationes, videlicet unam pro anima mea, aliam pro anima Patris et Matris meae, et aliam pro animabus omnium Defunctorum ». Iam pridem translato huiusmodi Beneficio auctoritate ordinaria ad Ecclesiam exteriorem dictarum Monialium S. Mauritii, controversia modo instauratur super exequutione huiusce dispositionis; etenim Abbatissa et Moniales enixe contendunt, quod sub verborum praelibato contextu Beneficiatus ex lege fundationis debeat quotidie Sacrificium offerre; his vero adminiculis Moniales ipsae praetensionem hanc fulciuntur, nimirum quia in diplomate erectionis praedicti Beneficii adnotatum asseritur e regione mox dictae periodi in margine *omni die celebrare*, rursus in primaevis praesentationibus factis sub anno 1467 in narrativa Missarum celebratio ita exprimitur: « volentes indemnitati ipsius Capellae providere, ne diutius vacare contingeret, et in ea debita Missarum celebratio omittatur ». Expressius vero sub annis 1610 et 1611 Abbatissa et Moniales Capellanum et Beneficiatum praesentarunt « cum onere celebrandi seu celebrari faciendi ad dictum Altare Missam unam quotidianam »; praetereaque ex aliis rationibus in summario recensendis.

82. Contra vero huiusmodi Monialium praetensionem enixe insurgit Canonicus Natalis ab Auro modernus dicti Beneficii possessor, qui constanter inquit, nullo modo huiusmodi Missarum onere gravari posse, quod nunquam Antecessores, ut inquit, adimplevisse constat; id vero pro certo asserit, quod ultimus status saepedicti Beneficii exemptus a Missarum celebratione comperitur, siquidem sub anno 1656 mediante transactione collatum idem fuit tamquam simplex, nulla facta expressione Missae quotidianae, et certius ex ultima praesentatione a Monialibus facta, cuius vigore praelaudatus Canonicus de Auro Beneficium obtinet, dum taxat exprimitur « cum omnibus oneribus conditionibus, de quibus in instrumento fundationis ipsius Capellaniae superius inserto, quae omnia in eo contenta praedictus D. Natalis dell'Oro omnino observare et adimplere teneatur, et praesertim quod teneatur omni die officia di-

vina nocturna et diurna celebrare, et idem quod teneatur in die Anniversarii ipsius Fundatoris facere unum annale et aliud annale quolibet decimo quinto die octobris; item et aliud annale quolibet die 22 mensis augusti cuiuslibet anni, et tres orationes omni die recitare ». Ceteroquin vero idem dictus Beneficiatus neque Anniversaria recolere intendit ex longaeva eorum inobservantia, ex qua induci posse asserit praesumptionem opportunae commutationis, adstipulante praeterea modicitate redituum Beneficialium, quos computat in summa scutorum 35. 60 monetae Romanae, ut latius ex documentis a Beneficiato Vicario Generali Mediolanensi exhibitis, quae ipse Ordinarius transmisit una cum consuetis informationis literis. Equidem praeter exposita, id tantum in hac relatione recensetur, quod Anniversarium semel tantum quotannis agi consueverit, Missarumque onus in antiquis adductis documentis legitur impositum, et non semel exequutum –.

83. Praestituto itaque competenti termino praelibato moderno Beneficiato, quatenus iudicio Sacrae Congregationis sisteret, neque adhuc comparente, propositis dubiis: – I. An Beneficiatus Capellaniae Sacerdotalis, de qua agitur, teneatur ad celebrationem Missae quotidianae et trium Anniversariorum in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An teneatur modernus Capellanus ad satisfactionem Missarum et Anniversariorum pro tempore, quo possidet Capellaniam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum,quoad Anniversaria,Affirmative; quoad Missas, celebrandas esse in aliquo numero arbitrio Emi Archiepiscopi – *in Mediolanen. Oneris Missarum die 22 Iunii 1715 lib. 65 Decretorum.*

84. Quin imo cum ea sit mens Testatoris, ut Capellanus quotidie Missas celebrare teneatur, nullum parare possunt impedimentum, quominus huiusmodi onus is ferre debeat, Decreta sacrarum Visitationum ipsum Decretum erectionis nec non Decretum reductionis per Episcopum propria auctoritate latum *in Viterbien. die 30 Maii 1767.*

85. Nam Urbanus VIII die 22 septembris 1625 – districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diaecesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquo modo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis ac moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones moderationes et commutationes huiusmodi, si contra huius prohibitionis formam fieri contingerit, omnino nullas et inanes decernit –, ut in Bullar. nov. tom. 5 part. 5 pag. 335, omniaque postmodum approbavit confirmavitque die 22 decembris 1697 in Constitutione *Nuper* Innocentius XII in Bullar. tom. 9 pag. 467 *in Viterbien. Capellaniae die 4 Aprilis 1767* §. *De oneribus.*

86. Siquidem Sernutius Ciccolini in suo testamento diei 22 ianuarii 1726 heredem universalem instituit Capellam, quam extruxerat in Collegiata Sanctorum Faustini et Iovitae Civitatis Viterbiensis ea expresse lege, quod Capellanus – de die et nocte faciat residentiam in dicta Ecclesia, et dicat Missas et alia divina officia pro anima ipsius Testatoris et suorum defunctorum, et dicto Capellano provideant et satisfaciant de mercede sua et salario competenti, taliter quod dictus Capellanus vivere possit de fructibus bonorum hereditatis ipsius Testatoris, et si quid ex dictis fructibus supererit, ponant et mittant in hereditatem dictae Capellae –. Non omni tempore idem fuit vel Sacrorum numerus Capellano iniunctus, vel salarium eidem solutum. Ad annum usque 1622 quatuor tantum singulis hebdomadis celebratae fuerunt Missae. Salarii nomine annua scuta triginta data sunt. Eo autem anno cl. me. Cardinalis Episcopus Muti Sacrum quotidianum imperavit, auxitque salarium ad annua scuta quinquaginta. At in Sacra Visitatione cl. me. Cardinalis Episcopi Sanctaecrucis habita anno 1702 ita legitur: – ob redituum diminutionem onus Sacrorum ad quatuor in qualibet hebdomada reductum fuisse –. Et licet Episcopus Sermattei anno 1722 tradenda iussisset Capellano annua scuta triginta sex cum onere annuorum Sacrorum 250 ac solvendi Sacrario Ecclesiae nomine utensilium annua scuta 2.50, in sacris tamen successivis Visitationibus annorum 1731 et 1765 quatuor tantum hebdomadalium Sacrorum celebratio constituta fuit.

Anno 1709 Emus Episcopus in Capellaniam ecclesiasticam erexit, quatenus nondum erecta fuisset, et clericum Franciscum Fiani instituit – cum oneribus iuxta laudabilem consuetudinem hucusque in praedicta Ecclesia servatam, et praecipue cum onere celebrandi seu celebrari faciendi Missas quatuor in hebdomada praecipue in diebus festis –.

87. Vicarius Generalis, exortis in Curia Episcopali controversiis inter Capellanum et Capitulum, die 17 iunii 1747 sententiam tulit decernentem, Capellanum ad tramites erectionis teneri ad celebrationem annuorum Sacrorum 208. Modernus autem Episcopus in Sacra Visitatione anni 1765 decrevit, attendendam non esse nec Missarum reductionem, nec quamlibet aliam invectam huius Capellaniae immutationem, nisi Sedis Apostolicae auctoritate menti Testatoris derogatum sit; ac proinde Capellaniam fuisse et esse manualem, Capellano pro tempore annua scuta quinquaginta solvenda esse, teneri ad celebrationem Missae quotidianae. Capellanus contra sustinuit, Testatorem numerum Missarum non praefinivisse, eiusdem idcirco quantitatem ab Ordinario determinandam esse, iuxta proinde literam erectionis ad annua Sacra 208 dumtaxat teneri, spernendum hinc esse Decretum latum anno 1722 ab Episcopo Sermattei, onus 250 Missarum iniungens, tum quia non potuit erectionis legem mutare, tum quia nusquam servatum fuit, ut ex Visitationibus annorum 1731 et 1765. Capitulum vero contendit, Testatorem voluisse quotidianum Ecclesiae servitium pro suae animae suffragio, hinc eo magis censeri, voluisse quotidianum Sacrum in sui expiationem; et revera competentem Capellano assignasse mercedem, quotidianum Sacrum usque ad annum 1709 impletum fuisse, nequivisse proinde Card. Episcopum Sanctaecrucis propria auctoritate reducere et antiquissimam observantiam pervertere.

88. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An et quot Missas debeat annuatim celebrare Capellanus dictae Capellaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, teneri ad celebrationem Missae quotidianae – *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

89. Quod si Testator Capellaniam instituens nullum Missarum numerum praefinivisse videatur, locus est arbitrio Ordinarii in statuendo Missarum numero *in Recineten. Capellaniae die 27 Augusti 1791.*

90. Enimvero Capellaniam annui reditus scutorum quadraginta vel triginta sex, absque expressa celebrationis Missarum mentione, reliquit anno 1789 Sacerdos Antonius Bitti Antonio Rozzi, quoties ipse vel eius frater vellet statum ecclesiasticum amplecti, et – applicare quemadmodum mox dicam –. Suam vero in reliquis bonis aliasque purgantes Animas scripsit heredes, ut celebrari quotidie possent una vel duae Missae iuxta capacitatem et prudentiam Executorum testamentariorum, quibus amplam dedit facultatem iuxta vires hereditatis. Electo in Capellanum Clerico Aloisio Rozzi, orta est inter eum et Marchionem Philippum Antici executorem testamentarium quaestio de celebratione Missarum. Contendit hic, verba illa – applicare quemadmodum mox dicam –, intelligenda esse de quotidiana Missa, iuxta sequentem universae hereditatis dispositionem. Sustinuit ille, trahendam non esse huiusmodi dispositionem ad particularem Capellaniam, sibique ad summum imponi posse onus hebdomadalis Missae, quum ei potius Testator ob non designatam Missarum celebrationem providere voluisse videretur de Patrimonio Sacro. Si haec namque censeretur legantis voluntas, gravari forsan non poterat Capellanus quotidiana Missa; ac locus erat arbitrio in statuenda illius celebratione. Hinc clausula – quemadmodum mox dicam – referri poterat ad modum statuendi pro assumendo statu ecclesiastico, quem deinde Testator in mente retinuit ac non expressit; nam uno eodemque contextu declaravit, quoties vellet amplecti statum ecclesiasticum et applicare, quemadmodum mox dicam. Et in hoc supposito subsequens quotidianae Missae institutio discretivam potius inducebat, quod eam scilicet noluerit Testator quoad Capellaniam Rozzi, in qua non expressit. Contra licet in legato Capellaniae expressum non esset Missarum onus, hoc tamen praeseferre videbatur ipsius Capellaniae nomen, quum non sit aliud, quam onus celebrandi Missam annuatim in aliqua Ecclesia seu Capella. Censeri autem poterat quotidianum ex sequenti quotidiani Sacri institutione; quia una testamenti pars alteram

declarabat, virtute praesertim illius clausulae – quemadmodum mox dicam –, quae sequentem fortasse appellabat Missarum declarationem. In dubio demum ea capienda videbatur interpretatio, quae magis favebat verosimili Fundatoris intentioni, et per quam plenius ipsius saluti providebatur.

91. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et in quo numero sint celebrandae Missae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in numero praefiniendo arbitrio et conscientiae Vicarii Apostolici – *in Recineten. Capellaniae die 27 Augusti 1791.*

92. Qua de re cum Capellanus tot Missas in pluribus Ecclesiis, quot introitus habeantur ad rationem obulorum viginti pro qualibet Missa celebrare vel celebrari facere teneatur, iusta intercedente causa, Sacra Congregatio, inspectis annuis reditibus, numerum Missarum annuatim celebrandarum praefinire satagit *in Maceraten. die 2 Martii 1776.*

93. Iamvero Alphonsus Gabrielli amplissimam Exequutoribus testamentariis tribuit facultatem erigendi Capellaniam nec non constituendi eorum arbitrio numerum Sacrorum, quae agere Capellanus teneretur, eorumque numerum et celebrationem partiendi sex inter designatas Ecclesias. Defuncta Portia sorore Testatoris usufructuaria, praefati Exequutores die 15 septembris anni 1674 Capellaniam mere laicalem et amovibilem ad nutum erexerunt, imposito Capellano onere celebrandi vel celebrari faciendi tot Missas, quot introitus ferret hereditas praefati Testatoris, ad rationem viginti obulorum pro qualibet Missa. Cum inde hereditas in unico praedio consisteret, Gaspar Alaleoni modernus Capellanus narravit, esse perdifficile, quod exactissimum quotannis retineri posset computum fructuum omnium etiam minimorum ex dicto praedio recollectorum, qui erant in Missarum celebrationem erogandi: itemque narravit, quod cum incerta esset fructuum recollectio, incerta pariter efficeretur Missarum celebratio et fere impossibilis evaderet aequa partitio Missarum celebrandarum in qualibet ex praedictis sex Ecclesiis a Testatore designatis; narravitque demum, eamdem Missarum celebrationem fieri non posse quolibet mense iuxta praescriptum in erectione Capellaniae, cum expectanda esset recollectio fructuum, ex quorum retrahendo pretio Missae erant celebrandae. Hisce fretus rationibus, Gaspar Capellanus auctoritatem Sacrae Congregationis imploravit, ut eidem certus praefiniretur Missarum annuatim celebrandarum numerus, qui in sex aequas partes, quot erant designatae Ecclesiae, partiri commode posset, ut ita consultum esset indemnitati propriae conscientiae propter quamlibet inconsideratam omissionem vel oblivionem perceptorum fructuum in computo notandorum, utque ita Testatoris anima debitis non fraudaretur suffragiis praestitutis temporibus adimplendis. Praedium, anno fertili cum sterili computato, reddere poterat quotannis scuta 90. 35, ex quibus demptis annuis scutis novem pro collectis, reditus residuabat in annuis scutis 81.35, subiectis manutentioni domus ruralis. E contra probavit, facta per Notarios extractione partitarum introitus praedii quolibet anno in parvo codice notati, quod ipse per decennium, ab anno scilicet 1765 ad annum 1774, ex praedio perceperit scuta 857. 83, quibus divisis, perceperit annua scuta 85. 78, quae, demptis collectis, residuabantur in scutis 76. Haec eadem retulit Episcopus, et instantiae favit Capellani.

94. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et in quo numero Missae sint annuatim celebrandae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Esse celebrandam a Capellano Missam quotidianam, et in Ecclesiis iuxta modum ab Exequutoribus definitum – *in Maceraten. die 2 Martii 1776.*

95. Idcirco cum ex allatis documentis dubium adhuc supersit, quot Missas Capellanus celebrare teneatur, Sacra Congregatio mandat, ut fiant diligentiae iuxta instructionem, ac interim servetur solitum celebrationis sex Missarum *in Ripana Missarum die 20 Februarii 1712 lib. 62 Decretorum.*

96. Siquidem – praetendente Augustino Sebastiano Rectore Beneficii sub titulo S.Francisci terrae Aquaevivae, tam ipsum, quam eius praedecessorem Beneficiatum per lapsum triginta septem annorum satisfecisse oneribus incumbentibus eidem Beneficio cum celebratione sex Missarum in hebdomadam, nihilominus modernus Episcopus ex documentis visitationum recens repertis eumdem coegit ce-

lebrare Missas diebus singulis; quamobrem Rector praedictus recurrit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione. Requisitus idemmet Episcopus informare, transmisit memorata documenta una cum sua relatione, ex quibus id factum eruitur, quod iam olim, antequam erigeretur dictum Beneficium, aderat Ecclesia et Conventus Minorum Conventualium S. Francisci suppressus de anno 1653 vigore notissimae Bullae *Instaurandae,* eiusque reditus, qui tunc asserebantur consistere in annuis scutis 69 cum exitu scutorum 50 cum dimidio, fuerunt per Congregationem super statu Regularium applicati duobus tribusve Capellanis amovibilibus cum onere audiendi confessiones celebrandi Missas et Anniversaria atque adiuvandi Parochos in cura animarum, nullo tamen expresso praeciso numero dictarum Missarum sive Anniversariorum. Vigore cuius applicationis Episcopus Ursinus sub die 7 maii eiusdemmet anni in actu Visitationis Ecclesiae praedictae deputavit tres Capellanos amovibiles cum hac lege: « Qui ad beneplacitum D. S. et Sacrae Congregationis teneantur celebrare per se ipsos Missas infrascriptas statutis diebus, iuxta infrascriptam Tabellam in Sacristia dictae Ecclesiae repertam ». Praefata autem Tabella, quae habet inscriptionem: « Tabula Officiorum S. Francisci Aquaevivae suppressi etc. », exarata in calce dictae Visitationis, praesefert onus nonnullorum Officiorum a diversis piis disponentibus relictorum, ac per omnes menses in annum celebrandorum, quae in tot sunt numero sexdecim, sed nequidem exprimitur quot Anniversariis seu Missis unumquodque Officium constet. In sequenti Visitatione de anno 1654 peracta a successore Episcopo etiam Ursino fuerunt in dicta Ecclesia deputati tres alii Capellani amovibiles, qui teneantur, ut ibidem dicitur « duas Missas celebrare cum applicatione Sacrificii pro Benefactoribus ac alia onera satisfacere, prout in praeterita Visitatione ab antecessore facta et in Tabella Sacristiae existente ». Postmodum in alia Visitatione eiusdem Episcopi facta de anno 1669 reperitur haec adnotatio: « adsunt onera duarum Missarum in die et trium Missarum in diebus festivis, ultra Anniversaria: celebrantur per Capellanos ».

97. Successive de anno 1669 post declaratam nullam recensitam fructuum applicationem, erecta fuit dicta Ecclesia in Beneficium ecclesiasticum, ac de eo provisus a Sede Apostolica Emilius Aloisius, expressis oneribus in literis provisionis dumtaxat; cui novo Beneficio de anno 1672 a praelaudato Episcopo Ursino in Visitatione ad instantiam Communitatis iniunctum fuit, ut celebraret Anniversaria et Missas non celebratas ad tenorem notulae exhibitae ab eadem Communitate extractae a quodam processu fabricato super celebratione dictarum Missarum cum expressione distincta legatorum plurium Testatorum ac Notariorum stipulantium. Subsequenter de anno 1680 Episcopus Mainardus in Visitatione, facta expressione onerum incumbentium dictae Ecclesiae, duarum scilicet Missarum in diebus ferialibus et trium in diebus festivis ad tenorem supradictarum Visitationum suorum Praedecessorum, de anno 1654 et 1669 mandavit Carolo Feriotio tunc Beneficiato, ut illis satisfaceret et doceret de satisfactis. Sed in subsequentibus Visitationibus eiusdem Episcopi Mainardi de anno nempe 1684 1687 et 1690 reperto, quod Beneficiatus nonnisi sex Missas in hebdomada celebrasset sub motivo obtentae reductionis in singulis earum, mandavit, ut exhiberetur Rescriptum reductionis, nunquam vero exhibitum, ac ulterius ut celebrarentur Missae tunc praetermissae in numero 341, quae asseruntur celebratae in margine Visitationis. Tandem modernus Episcopus in prima eius Visitatione de anno 1706 nullo reperto vestigio dictae reductionis, praevio termino assignato Oratori Beneficiato ad docendum de ea, apposuit sequestrum super fructibus dicti Beneficii, qui hodie dicuntur ascendere ad annua circiter scuta quadraginta longe excedentia stipem sex Missarum in hebdomada, sed imparia pro eleemosyna duplicis Missae quotidianae, quae ibi est obulorum septem pro qualibet Missa, imo etiamnum excederent, si debita, ut prius, terris cultura adhiberetur, quemadmodum haec asserat Episcopus in eius relatione in Summario danda cum aliis supra memoratis documentis —.

98. His mature perpensis, propositis dubiis: — I. An et quot Missas teneatur celebrare Capellanus Ecclesiae S. Francisci Aquaevivae in casu etc. *Et quatenus teneatur ad duas*

Missas quotidianas. II. An sit locus reductioni et quomodo veniat indulgendum pro praeterito in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et fiant diligentiae iuxta instructionem, ac interim servetur solitum celebrationis sex Missarum in hebdomada – *in Ripana Missarum die 20 Februarii 1712 lib. 62 Decretorum.*

99. Cum itaque moderni Capellani praetenderent, Episcopum in erectione Capellaniarum eius arbitrio remissa excessisse, proposito dubio: – An et quale onus Missarum sit servandum a Capellanis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, servetur solitum – *in Sorana Capellaniarum die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

100. Hinc si ex pluribus Decretis per Episcopos factis in Visitationibus resultet, Rectorem Capellae habere onus celebrandi unam Missam singulis hebdomadis, Capellanus tenetur huiusmodi onus ferre, licet unum dumtaxat extet Decretum subinde tamen revocatum, nec non copia copiae fundationis, quae praefatum onus excludant *in Nucerina Paganorum Oneris Missarum die 19 Novembris 1729.*

101. Enimvero in Oppido Angriae Nucerinae Diaecesis aderat quaedam Capella sub titulo S. Nicolai Barensis, in qua ultra particularia Legata cum certis Missarum oneribus relicta ab Antonia de Robertis et Theresia de Conciliis, erectum quoque reperiebatur simplex Beneficium de iurepatronatus de Risis annui reditus ducatorum triginta circiter, cuius modernus possessor erat Sacerdos Dominicus Mazziotti. Ex pluribus Decretis factis per Episcopos in visitationibus tam antiquis, quam modernis, nempe de annis 1606 1611 1622 1626 1695 1701 1704 et 1707 resultabat, Rectorem huiusmodi Capellaniae habere onus celebrandi Missam unam singula hebdomada. Cum autem modernus Episcopus in prima sua Visitatione invenisset, dictum Sacerdotem oneri Missarum non satisfecisse, fructus Beneficii sequestrari mandavit. Capellanus vero innixus Decreto Visitationis anni 1692 nec non legi fundationis contendit, se gravari non posse praefato Missarum onere. Promotor Fiscalis contra sustinuit cum Episcopo, attendendum non esse Decretum Episcopi Parisii de anno 1692, quia idem Episcopus, melius postea edoctus, in posteriori Visitatione facta de anno 1695 relative se habens ad antiqua Decreta suorum praedecessorum, hanc eamdem celebrationem Missarum demandavit; minusque obstare putavit adductum instrumentum fundationis, quia erat copia copiae, et inverisimilia continebat; ibi enim asserebatur, Nuceriam esse Castrum Salernitanae Diaecesis, quando Cathedralis Nucerina esset antiquissima et a temporibus Apostolorum existeret, ac etiam quia in ipsa fundatione nulla mentio fiebat de bonis, quae pro dote Beneficii assignari debebant, nec de illis, quae actu possidebat Capellanus; et propterea asseri utique poterat, Fundatorem per posteriorem scripturam eadem bona dictae Capellaniae assignasse cum enunciato onere Missarum, aut praedicta bona ab aliis Benefactoribus cum eodem onere relicta fuisse.

102. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et usque ad quem numerum Rector Beneficii S. Nicolai teneatur celebrare Missas? *Et quatenus affirmative.* II. An ultra particularia Legata de Robertis et de Conciliis teneatur etiam celebrare unam Missam singulis hebdomadis seu diebus Dominicis, vel tantummodo in festivitate S. Nicolai in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, teneri ad unam Missam qualibet hebdomada die benevisa a Rectore; et amplius – *in Nucerina Paganorum Oneris Missarum die 19 Novembris 1729.*

103. Cum certum proinde sit, quod Capellanus Missas quidem celebrare teneatur, sed nullum vel de fundatione vel de Beneficii dotatione aut de Missarum numero aut diebus, quibus ipsae celebrari debeant, extet documentum, constat tamen ex confessione ipsius Capellani, tres antecessores Capellanos aliquibus tantum Dominicis festisque diebus per alium Missas celebrasse, et anno 1707 in contradictorio iudicio, Bullas fuisse expeditas absque ulla conditione, licet Episcopus instituisset, ut adiiceretur conditio celebrandi singulis diebus festis, Capellanus his non obstantibus celebrare tenetur Missam singulis diebus festis, ex eo quod huiusmodi observantia nec pacifica nec rationabilis videretur, sed potius Capellanorum arbitrio et negligentia inducta, adeoque praescriptionem inducere non poterat. His quippe in terminis proposito

dubio: – I. An et in qua quantitate et quibus diebus celebrari debeant Missae in Ecclesia rurali Plumbinariae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, celebrandas esse Missas singulis diebus Dominicis et festis de praecepto – *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771.*

104. Id enim etiam accedebat, quod cum ageretur de Missa celebranda in rurali Ecclesia, censebatur, Fundatorem se conformasse universali consuetudini, qua in Ecclesiis ruralibus ob Agricolarum commodum diebus Dominicis et festis Sacrum celebrari consuevit, quando de contraria voluntate non constet, ut ad rem Constantinus in vot. decis. 35 n. 13 tom. 1 *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771* §. *Id.*

105. Unde Capellanus tenetur adimplere onera Missarum in actu fundationis descripta, non vero ea in Tabella designata, nisi intra duos menses luculenter probet, eadem fuisse legitime reducta *in Aquipendii Missarum die 2 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

106. Enimvero – usque ab anno 1511 Nicolaus Sylvius Canonicus olim Cathedralis Civitatis Castrensis postea translatae ad hanc Civitatem Aquipendii dotavit de suis bonis Capellam seu Altare Sanctissimae Cenceptionis situm in Ecclesia S. Sabini, sub reservatione sui iurispatronatus, iniunxitque Capellano pro tempore id onus: « Quod praefatus Capellanus teneatur celebrare sive celebrari facere in dicta Capella sive Altari tres Missas pro qualibet hebdomada, videlicet die Dominico die lunae et veneris etc., in qua die Conceptionis dictus Capellanus teneatur ibi cantare sive cantari facere Missam gloriosae Conceptionis et facere prandium sive refectionem Canonicis et Capitulo dictae Ecclesiae S. Sabini etc. cum hoc pacto, quod Capitulum et Canonici debeant cantare Missam sive cantari facere in dicta Capella sive Altari in secunda feria Pentecostes ». In Tabella vero onerum Missarum provenientium ex dicta Civitate olim Castri, sistente in Ecclesia Cathedrali Aquipendii adest sequens particula: « Beneficium Sanctissimae Conceptionis, Missarum septuaginta quotannis cum Missis cantatis numero in alia Tabella... In fundatione in libro Benef. lit. C. fol. 148 Missarum trium singulis hebdomadis, scilicet Dominicae lunae et veneris diebus cum duabus Missis cantatis in die Sanctissimae Conceptionis et secunda feria Pentecostes ». Provisus extat de huiusmodi Capellania Archangelus Spagna, qui iuxta praescriptum Tabellae, ut ipse asseruit, sequendo morem suorum Praedecessorum adimpleri fecit onus Missarum septuaginta et unius Missae solemnis in die Sanctissimae Conceptionis singulis annis; sed de anno 1708 pulsatus a Commissario R. Fabricae in partibus pro satisfactione trium Missarum in hebdomada et duarum solemnium ad tenorem recensitae fundationis Nicolai Sylvii, passus fuit mandatum in scutis 228 pro Sacrificiis praetermissis, suspensum tamen per inhibitionem Iudicis eiusdem Tribunalis in Urbe. Sed nihilominus Rescripto Sanctissimi D. N. remissa fuit Causae cognitio ad hanc Sacram Congregationem, a qua requisitus informare Vicarius Apostolicus retulit, neutrum motivum subsistere, cui Orator innititur; non quidem primum praesumptae reductionis, cum nullibi de ea vestigium reperiatur neque de auditu, quin imo contrarium resultare ex Decretis Episcoporum cogentibus Capellanum ad praedictum adimplementum; nec minus alterum, quod scilicet in Tabella adnotatus reperiatur tantummodo numerus Missarum septuaginta, eo quod in ea luculenter descriptus conspiciatur numerus Missarum trium in hebdomada concordans cum fundatione –.

107. Citato itaque Procuratore R. Fabricae, proposito dubio: – An provisus teneatur adimplere onera Missarum ad tenorem erectionis Beneficii, vel ea descripta in Tabella in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Pro informatione novo Episcopo iuxta instructionem (1), praefixo per eumdem termino Ora-

(1) Scilicet, inspectis libris, in quibus adnotatur satisfactio onerum Missarum in Ecclesia, de qua agitur, libris visitationum eiusdem Beneficii, et in bullis collationum tam praesentis Beneficiati, quam antecessorum, distincte referat, quale onus Missarum sit expressum, habere idem Beneficium, ac quot Missae celebratae fuerint a Beneficiatis antecessoribus, ac ulterius transmittat praetensa Decreta facta a praedecessoribus, quae cogebant Beneficiatum ad adimplementum onerum iuxta fundationem, ut supponit Vicarius in eius relatione, ac demum ut Orator quam primum de primis edoceat, eidem terminum duorum mensium praefigat, alias, eo elapso, illum cogat ad celebrandum, iuxta fundationem, ceu videre est in Reg. Litt. lib. 24 die 2 maii 1711.

tori duorum mensium, quo elapso, teneri ad celebrationem iuxta fundationem – *in Aquipendii Missarum die 2 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

108. Quod si legitime fuerint Missae reductae ab Episcopo Apostolicis praedito facultatibus ob redituum imminutionem, quin reditus inde excreverint, sed potius maiores contingerint imminutiones, Capellanus tenetur celebrare Missas ad formam legitimae reductionis; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et quomodo sint celebrandae Missae in casu etc.–, S. Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative ad formam Decreti Episcopi anni 1727 – *in Fulginaten. Capellaniae die 17 Septembris 1796.*

109. Quum itaque Testator in actu fundationis, praeter Missam cantatam die quolibet Sabbato, Missam etiam lectam quotidianam praescripserit, sed in Tabella Missa dumtaxat cantata descripta reperiretur, Capellani celebrare non tenentur Missam quotidianam, si per causam annorum centum octoginta Missam tantum cantatam celebraverint, ac reditus valde tenues sint *in Recineten. Celebrationis Missarum die 7 Iulii 1708 lib. 58 Decretorum.*

110. Siquidem – usque et de anno 1513 in postremo elogio, sub quo decessit Petrus Antonius Ventura, gravavit suum heredem ad infrascriptum legatum, nempe: « reliquit et ordinavit, quod per infrascriptum eius heredem singulis annis detur medietas pensionis exigendae ex domo etc. illis Altaristis dictae Ecclesiae S. Mariae Castri Novi, qui in dicta Ecclesia celebrabunt Missas et alia divina Officia, et qui non participent in alia Ecclesia, quam quidem medietatem dictae pensionis domus ideo reliquit dictis Altaristis, quia voluit eos teneri singulis diebus futuris perpetuis temporibus ad celebrandam unam Missam peculiarem in dicta Ecclesia quotidie et ad dictam Missam magnam qualibet hebdomada in dicta Ecclesia die Sabbati cum hac conditione, quod si cessarent aliquo modo in dicendo dictas Missas, tunc dicta medietas dictae pensionis recadat ad Fraternitatem S. Luciae cum onere faciendi dicere duas Missas in supradicta Ecclesia S. Mariae ». Ulterius in fine Testator voluit, « quod in casu, quo heredes redimere vellent dictas domus a praefato onere, teneantur assignare tot bona stabilia reddentia in fructu medietatem pensionis dictae domus, et quae faciant florenos 23 ». Cum autem dicti Altaristae per cursum annorum 180 vigore praefatae dispositionis celebraverint dumtaxat unam Missam annuam cantatam in diebus Sabbati, accidit, ut de anno 1706 provocati fuerint a Promotore Fiscali R. Fabricae ad celebrandam, praeter dictam Missam cantatam, aliam Missam lectam quotidianam in vim eiusdem dispositionis, quapropter recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem pro favorabili declaratione, quam sane Oratoribus impartiendam Episcopus informare requisitus credit ex pluribus motivis, nimirum tenuitatis stipendii scutorum 11 bon. 50, antiquatae observantiae, descriptionis in Tabella unius tantum Missae cantatae, atque aliis recensitis in eius relatione in Summario exhibita –.

111. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Altaristae Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Castri novi, praeter Missam cantatam quolibet die Sabbato, teneantur ad aliam Missam lectam quolibet die in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Recineten. Celebrationis Missarum die 7 Iulii 1708 lib. 58 Decretorum.*

112. Unde cum Capellani per seculum et ultra duas tantum, non vero tres Missas quotidianas celebraverint, iidem non tenentur tres Missas celebrare *in Romana Declarationis Oneris Missarum die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

113. Enimvero – Cardinalis Paulus Caesius pro dote Capellae in Basilica Liberiana constitutae legavit fundum Petralatae, cuius fructus « dividi voluit in quatuor Capellanos, qui in eadem Ecclesia continuo habeant deservire et in Capella praedicta singulis diebus celebrare duas Missas ». Cardinalis Federicus eiusdem Caesiae Gentis, ultra dictum fundum Petralatae, eidem Capellae annuum reditum scutorum centum in testamento legavit, et disposita per Cardinalem Paulum servari praecepit, iuxta normam ab eo traditam, quae praeteriri non posset, addendo solum seu potius declarando, quod in dicta Capella semper debeant praesentari per Seniorem ac natum maiorem masculum de familia de Caesis ». Idem Cardinalis Federicus in suc-

cessivis codicillis loco annuorum scutorum centum legavit saepe dictae Capellae Loca viginti Montis Farinae « cum onere, quod adsint perpetuo sex Capellani, qui deserviant in divinis, iuxta normam traditam in eorum testamentis (Cardinalis Pauli et Federici), quae praeteriri non possint ». A fundatione et institutione per seculum et ultra sex relati Capellani duas tantum dietim Missas celebrarunt. Verum reverendissimus Ghezzius in Visitatione celebrari tres Missas quotidianas mandavit, donec aliter ab hac Sacra Congregatione decretum fuisset. Quare audito Emo Archipresbitero, qui censet, Oratores ab omni molestia absolvendos, proposita fuit Capellanorum instantia die 19 augusti 1713 per Summarium, et EE. VV. rescripserunt: « Ponatur in folio, citatis Patronis ». Nunc autem parendo mandatis cum legitima Patronorum interpellatione iterum EE. VV. Capellani supplicant declarari: - An Capellani Capellae de Caesis teneantur celebrare duas, seu potius tres Missas quotidianas in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Romana Declarationis Oneris Missarum die 12 Decembris 1716 lib. 66. Decretorum.*

114. Qua de re Capellanus tenetur celebrare duo Anniversaria et numerum Missarum ab Archiepiscopo, expensis Capellaniae reditibus, praescriptum, quin obstet, quod Fundatrix imposuerit onus Capellano officiandi Altare seu Capellam, cum verbum officiare Altare non denotet sacram psalmodiam chori in horis canonicis, sed celebrationem Missarum *in Florentina Abolitionis Oneris die 11 Decembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

115. Enimvero - editis anno 1625 ab hac Sacra Congregatione notissimis Decretis de celebratione et reductione Missarum, Capitulum Parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii, compositum ex Capellanis triginta tribus distributionum participantibus, aliisque sexdecim non participantibus, sed Praebendam omnibus habentibus scutorum quindecim, supplicavit huic Sacrae Congregationi die 12 ianuarii anni 1630, ut Missas, quas dicti Capellani sine applicatione, aliisque receptis eleemosynis celebrant, reducere dignaretur ad manualem eleemosynam, iuxta reditum proportionem cuiuscumque Capellaniae, cum onere Capellanis illas pro Fundationibus applicandi et facultate pro reliquis Missis eleemosynam recipiendi, et supplicem libellum Sacra Congregatio remisit ad Archiepiscopum Florentinum, qui pro sua conscientia id statuat, quod ad Dei honorem atque Ecclesiae servitium magis expedire iudicaverit. Archiepiscopus, expensis Capellaniarum reditibus, de quarum fundatione non constabat, certum numerum Missarum pro Fundatoribus applicandarum per Capellanos praefixit et inter cetera mandavit, ut Capellanus Capellaniae Conceptionis Beatae Mariae Virginis Missas bis centum triginta, ut supra, celebraret. Modernus Capellanus fundationem eiusdem Capellaniae in praesens producit, in qua Angela quondam Sandri Fundatrix per actum donationis inter vivos expletum anno 1458 mandat, « eligi unum Capellanum Ecclesiae S. Laurentii ad officiandum et qui officiare debeat in dicta Ecclesia unum Altare seu Capellam intitulatam sub nomine Conceptionis Beatae Mariae Virginis pro anima dictae Agnolettae etc., ut faciunt alii Capellani dictae Ecclesiae S. Laurentii in Capellis dictae Ecclesiae etc., et etiam cum pacto, quod Capellanus sic eligendus teneatur et debeat facere quolibet anno in perpetuum duo Anniversaria seu Officia pro anima dictae Agnolettae etc., et in die festo Conceptionis Virginis Mariae, et alium in die sequenti, in quibus Anniversariis celebrentur una Missa canenda et viginti Missae planae pro quolibet ». Praetendit Capellanus, abolendum esse onus Missarum bis centum triginta modo et forma, quibus supra impositum ea praecipue ratione, quia verbum officiare potius sacram psalmodiam chori in horis canonicis, quam celebrationem Missarum denotet. Archiepiscopus animadvertit, Fundatricem non mandasse eius Capellanum officiare Ecclesiam S. Laurentii, sed Capellam seu Altare a se designatum, sicuti reliqui Capellani alia Altaria officiabant, ideoque ne tot choros in dicta Ecclesia fuisse supponatur, quot Altaria, censet de celebratione Missarum intellexisse, praecipue cum officiare pro eius anima praeceperit, et consequenter est in voto, « Oratorem non esse absolvendum ob onere applicandi, nisi in quantum reditus Capella-

niae non sufficerent pro congrua eleemosyna, et habita hac proportione, esse augendam seu moderandam taxam Missarum bis centum triginta factam » –.

116. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et ad quae onera Missarum et Anniversariorum et ad eorum applicationem pro Fundatrice Capellanus Orator teneatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad duo Anniversaria, et ad Missas ad formam Decreti Archiepiscopi Martii Medicés; et amplius – *in Florentina Abolitionis Oneris die 11 Decembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

117. Hinc si Testatores mandaverint Capellanis celebrare divina officia in designatis Ecclesiis, iidem tenentur Missas pro intranti quantitate redituum applicare pro anima respectivorum Fundatorum, licet a tempore fundationis per quatuor ferme secula eas non celebraverint, sed oraverint dumtaxat *in Messanen. die 16 Maii 1778.*

118. Iamvero Simon della Abella testamento diei 18 martii 1357 heredem universalem instituit Monasterium S. Placidi; mandavitque, – quod dictum Monasterium teneatur et debeat dare de reditibus omnibus bonorum meorum anno quolibet cuidam Presbitero eligendo per fratres dicti Monasterii celebraturo continue divinum Officium in dicta Ecclesia S. Mariae Nuntiatae pro animabus mei et Aloisiae sororis mei et Marinae uxoris mei uncias auri tres –. Item Paulus de S. Andrea in suo ultimo testamento exarato die 18 aprilis 1404 ita disposuit: – Volo et mando, quod in Ecclesia mea sita in vinea mea de Faro sub vocabulo S. Catharinae habeat Capellanus ipsius Ecclesiae Augustales decem Centivalium meorum, prout hactenus habuit a me tempore vitae meae pro celebratione divini Officii celebrandi in eadem Ecclesia annuatim et in perpetuum, nec non quamdam vineulam separatam ab alia vinea mea, quae vocatur *la vigna delle Pighe,* quae erat salmarum 12 vini pro sustentatione ipsius Presbiteri celebrantis divina in eadem Ecclesia in perpetuum –. Denique Gratia Camiscia vidua Gerardi Camiscia in supremis suis tabulis scriptis die 5 septembris 1404 suae mentis arbitrium his verbis declaravit: – Do et mando et concedo Religioso et honesto viro fratri Benedicto de Astasio venerabili Abbati Monasterii S. Placidi pro se et successoribus suis nomine dicti Monasterii in perpetuum quamdam vineam cum domibus sitam et positam in contrada Calispera cum lege, quod dicti Abbas et Conventus anno quolibet in perpetuum teneantur dare Sacerdoti celebraturo in Altari dictae Gratiae donatricis intus Ecclesiam S. Nicolai Archiepiscopatus Messanae uncias auri duas –. Tria haec legata pia seu Beneficia inde possidebat Canonicus Ioannes Barastrelli Messanensis. Is enim cum comperiisset, ut asserebat, praedecessores Beneficiatos nullum onus implevisse, quia putarunt, ad nihil aliud se teneri, nisi ad Deum orandum pro animabus Fundatorum, non autem ad Missas pro eis celebrandas, hinc ipse ex praemissis fundationibus, quarum verba sensus et intellectus subobscuri erant, religione percitus, cupiens serenitati propriae conscientiae consulere, humiliter postulavit, ut per sacram Congregationem declararetur, cui oneri tam ipse, quam successores in dictis Legatis piis, vel Beneficiis satisfacere tenerentur. Advertit interim, ex primo Legato percipi in praesens scuta septem et obulos viginti, ex secundo scuta decem, ex tertio annua scuta duo et obulos quadraginta. Aderat quidem adeo longa et continua observantia, quae rem praesertim in dubio definire poterat; sed e contra ponderandum occurrebat, quod antedictae dispositiones quatuor ferme ab illinc seculis conditae fuerant, eaque propter aliquid tribuendum erat inscitiae Testatorum et Notariorum, qui distincte et dilucide proprias vel alienas voluntates non explicaverint, ut Heredes vel Iudices certi essent, quid Testatores senserint sub demandata celebratione divinorum Officiorum. Antiquitus enim Sacrificium Missae designabatur etiam Ministerii nomine, et Missarum celebratio etiam sub Officii nomine comprehendebatur, ut post Can. *De iis* distinct. 12 tradit Pasqualigius de Sacrificio novae legis quaest. 882 n. 4.

119. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad praeteritum ad D. Secretarium cum Sanctissimo; quo vero ad futurum, teneri Capellanum celebrare Missas in Al-

taribus a Fundatoribus designatis pro intranti quantitate redituum ad rationem taxae perpetuae cum applicatione pro anima respectivorum Fundatorum – *in Messanen. die 16 Maii 1778.*

120. Idcirco si Capellanus ex lege fundationis antiquissimae debeat penes Ecclesiam facere divinum Officium, tenetur interesse sacris functionibus ibi peragendis nec non Missas in suffragium animae Fundatoris celebrare, cum praesertim antiqua etiam Episcoporum Decreta id praecipere videantur, concessa tamen absolutione quoad praeteritas omissiones *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857.*

121. Siquidem in Ecclesia Terrae de Cecina Messaga ab anno 1300 Beneficium sub titulo S. Nicolai erectum extabat, cuius fundationis chirographum non inveniebatur, sed tantum existebat actus cessionis praediorum pro eiusdem erectione, in quo haec fundationis verba relata erant, quibus Fundator iubebat, – quod Ecclesia S. Nicolai ditaretur de bonis suis, ita quod unus Presbiter et unus Clericus ibi commode stare possent, et facere divinum Officium –. Aderant autem aliqua Episcoporum Decreta, ex quibus ac praesertim ex Decretis annorum 1608 et 1635 aliquam assistentiam sacris functionibus diebus festivis Capellanis incumbere videretur. Ceterum in hoc etiam contraria observantia obstabat. Aderant pariter pro celebratione Missarum Episcoporum Decreta, quae de huiusmodi onere Capellanis imposito dubitare forsan non sinebant. Idipsum suadere videbantur relata fundationis verba. Agebatur enim de vetustissima fundatione: antiquitus autem Missae Sacrificium designabatur etiam Ministerii nomine, et Missarum celebratio etiam sub Officii nomine comprehendebatur. Ad applicationem Missae quod vero pertinebat, Fundator spectare videbatur potius divinum cultum Ecclesiae servitium et Populi commoditatem; sed e contra advertebatur, ex praesumpta Fundatorum mente communiter receptum esse, quod Capellanus celebrare simul et applicare debeat Sacrosanctum Missae Sacrificium in expiationem animae Testatoris, licet sola celebratio praescripta fuerit, quoniam hic est praecipuus celebrationis effectus. Absolutio autem a praeteritis omissionibus denegari non solet, indicto aliquo Missarum numero compensationis loco iuxta Sacrae Congregationis praxim, ubi duo haec concurrant, scilicet bona fides et impotentia supplendi; quorum primum ob incertitudinem onerum, alterum ob exiguitatem redituum non deesse videbantur in themate.

122. His mature perpensis, propositis dubiis: – II. An Capellanus teneatur diebus festis assistere sacris functionibus in Ecclesia S. Nicolai in casu? III. An et quot Missas teneatur quotannis celebrare et applicare in casu? IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad praeteritas omissiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative etiam per alium. Ad tertium, Affirmative in omnibus singulis diebus festis de praecepto in designata Ecclesia sive per se sive per alium, facto verbo cum Sanctissimo. Ad quartum, Affirmative celebratis decem Missis in suffragium animae Fundatoris – *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857.*

123. Capellani autem, qui tenentur quotidie per se ipsos Missam celebrare, possunt quandoque, accedente aliqua rationabili causa, a celebratione vacare; propositis enim dubiis: – I. An Sacerdotes obligati ratione Beneficii Capellaniae Legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos possint aliquando a celebratione vacare? II. Et quando et quoties a dicta celebratione vacare possint? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative accedente aliqua rationabili causa – *in Collen. Celebrationis Missae die 18 Septembris 1633.*

124. Id tamen, inspectis fundationis legibus rerumque circumstantiis, admittitur; nam generaliter Capellanus, licet celebrare teneatur per se ipsum et legitime impediatur, tenetur adhuc per alium satisfacere oneribus a Testatore impositis *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Cui.*

125. Siquidem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis proposita, per Ursayam in tom. 5 part. 1 discept. 4 §. 6 n. 21 relata, respondit, – Sacerdotem, cui a Testatore impositum fuit onus quotidie per se celebrandi, si legitime impediatur, quominus id munus per se possit explere, teneri per alium satisfacere oneribus Missarum sibi a Testatore impositis – *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Cui.*

126. Qua de re si, legibus fundationis rerumque circumstantiis inspectis, rationabilis non adsit causa, Capellanus tenetur semper Missam celebrare; propositis enim dubiis: – I. An competat Capellano intra hebdomadam aliqua quiescentia honestatis et reverentiae causa? II. An mulcta solidorum decem debeat esse pro poena, vel pro mercede Missae non celebratae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in casu, de quo agitur, Negative nisi suppleat per alium. Ad secundum, cedere loco poenae – *in Dubium Celebrationis Missarum die 17 Septembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

127. Quin imo Sacra Congregatio nec Patrono a Fundatore descendenti et inopia presso indulgere censuit vacationem, excepto casu infirmitatis, quin Capellanus Missam libere applicare valeat *in Segusien. Reductionis Missarum die 16 Aprilis 1791.*

128. Siquidem Ioseph Antonius Coppo testamento anni 1765 laicalem plerisque ex bonis instituit Capellaniam ad Altare Beatae Virginis Gratiarum in Parochiali Ecclesia Capriarum; imposuitque Capellano onera residentiae et Missae quotidianae per se ipsum, nec non assistendi infirmis, administrandi Sacramentum Poenitentiae, erudiendi Pueros, reparandi Capellam, Altare, hereditarias aedes, sacram parandi supellectilem oleum ceram, praestandi Parocho eleemosynam Iuliorum duodecim pro annuis Missis quatuor cum cantu, distribuendi quotannis inter pauperes mensuras sex vulgo *emine* secalis cadumque vini, et duos alios tantum vini cados inter Capuccinos. Ab actuali tamen Sacerdotio exemit passive vocatos, quibus superextantes etiam attribuit bonorum fructus. Hanc Capellaniam iuxta nominationem exinde obtinuit Clericus Antonius Maria Bollati annorum circiter tredecim ex passive vocatis. Tales ipse non esse asseruit illius reditus, ut, detracto stipendio Sacerdotis, qui eius loco onera adimpleret, quidquam sibi iuxta votum Fundatoris superesset. Postulavit idcirco reductionem Missae quotidianae ad dies festos et assignationem vacationum, in quibus Capellanus pro tempore libere eam applicare valeret. Antistes testatus est de gravi Oratoris paupertate, utpote – ex honestis Parentibus tenuissimo patrimonio provisis, numerosa familia onera-tis; octo scilicet filiorum, et mater foecundissima nonum in utero gestat –, neque alium esse inter passive vocatos, requisitis praeditum; Capellaniae reditum in annuis scutis 186, omnibusque detractis oneribus ac scutis praesertim 80 pro Sacerdote subrogando, superextare affirmavit scuta viginti. Hinc Episcopo nimis videbatur – dura et ardua obligatio a Fundatore inducta, ut Capellanus teneatur quotidie celebrare ac etiam iusto interveniente impedimento, debeat alteri officium suum demandare in loco, ubi nulla adest copia Sacerdotis, praeter Parochum –. Advertebatur tamen cum Administratoribus Parocho Incolisque Capriarum, quod – dato aliquo tempore vacationis, verosimiliter Capellanus non resideret, ac tempore vacationum die festo non celebraret; sicque fraudaretur mens pii Fundatoris –.

129. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo sint concedendae vacationes et libera Missarum applicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio, denegata etiam reductione Missarum, respondit: – Ad secundum, quoad Vacationes, Negative excepto casu infirmitatis; quo vero ad applicationem, Negative – *in Segusien. Reductionis Missarum die 16 Aprilis 1791.*

130. Unde nec infirmitas iusta censetur causa omissionis; in casu enim, quo Capellanus, qui erat quotidie obligatus ad celebrandum per se ipsum, et omiserat propter infirmitatem celebrationem quadraginta sex Missarum, propositis dubiis: – I. An Capellanus, ut supra obligatus quotidie per se ipsum celebrare, potuerit omittere celebrationem pro tempore infirmitatis, et nihilominus eleemosynam praetermissae celebrationis consequi? II. An idem dicendum sit, dum Capellanus ultra obligationem celebrandi per se ipsum habet onus applicationis Sacrificii singulis diebus pro certis et determinatis personis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, et teneri supplere per alium celebrationem Missarum omissam occasione infirmitatis. Ad secundum, provisum in superiori – *in Romana Celebrationis Missarum die 4 Iunii 1689 lib. 39 Decretorum pag. 206.*

131. Idcirco licet quorumdam Doctorum opinione, quam refert et sequi videtur Amostaz de causis piis lib. 3 cap. 6, n. 24, Bene-

ficiatus seu Capellanus, cui incumbit onus Missam per se ipsum celebrandi, si aliquando aegrotet, non teneatur Missas per alium Presbiterum celebrari facere, ob oculos tamen habendum est, magis receptam hodie videri sententiam, quod Beneficiati vel Capellani, quantumvis gravati onere Missas per se ipsos celebrandi, obstringantur etiam earum celebrationem per alium supplere, si infirmitas aut aliud legitimum impedimentum ultra decem aut ad summum quindecim dies protrahatur, uti explicando Textum in Cap. *Significatum* 2 de Praebendis tradunt late adducti per Ursayam tom. 5 part. 1 discept. 4 §. 6 n. 19 et 20 *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Licet.*

132. Reiecta propterea opinione Amostaz, de veriori sententia Sacrae Congregationis testantur plures Doctores (1) *in Mediolanen. seu Lauden. die 23 Augusti 1760* §. *Nec.*

133. Hinc ex Barbosa in alleg. 24 n. 31 et Covarr. var. resol. lib. 3 cap. 13 n. 9 ab obligatione immunes videntur Capellani, si infirmitas est brevis, secus si diuturna; alii vero brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem, alii ex Decreto Concilii Mediolanensis VII tit. de Missa eam extendunt ad mensem, et alii mediam tenent sententiam terminumque statuunt dierum quindecim apud Cabassutium Iur. Can. theor. lib. 2 cap. 18 n. 10 *in Civitatis Plebis Visitationis sacrorum Liminum die 27 Augusti 1791* §. *Licet.*

Item *in Romana Capellaniarum die 26 Novembris 1796* §. *Posito.*

134. Iamvero si infirmitas non excedat spatium quindecim dierum, nec mens Fundatoris obstet, excusatur Capellanus a celebratione Missae; proposito enim dubio: - III. An tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium? -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies - *in Dubium Celebrationis Missarum die 17 Septembris 1695 lib. 45 Decretorum pag. 509.*

135. Unde cum Sacra Congregatio definierit, quod Capellani primae institutionis cl. me. Cardinalis Antonii Mariae Salviati tenerentur Missas celebrare per se ipsos, proposito dubio: - An durante infirmitate supplere teneantur Missas per alios in casu etc. -, S. Congregatio respondit: - Negative, dummodo infirmitas non excedat dies quindecim - *in Romana Capellaniarum die 26 Novembris 1796.*

136. Quin imo sive per se ipsum, sive per alium quotidie Capellanus celebrare adstrictus, nec ex causa infirmitatis celebrationem omittere potest ultra decem dies, cum id praesertim in actu fundationis constitutum fuerit, quin obstet, quod Legatum Missarum in Capellaniam ecclesiasticam erectum extet *in Mediolanen. seu Lauden. die 23 Augusti 1760.*

137. Iamvero testamento, quo decessit anno 1664, Eraclitus Morronius quotidianum Sacrum instituit in insigni Collegiata Ecclesia S. Nazzarii Mediolani perpetuo agendum a Sacerdote Ioanne Baptista Corbella collata eidem facultate non solum eligendi Sacerdotem, sed etiam deputandi in futurum Capellanum: stipendium vero constituit in scutis 53 praestandis a Capitulo Cathedralis Ecclesiae Laudensis herede instituto. Sacerdos Corbella sequendo mentem Testatoris erigi voluit choralem Capellaniam in eadem Ecclesia cum onere residentiae, et testamento suo auxit stipendium in aliis scutis 24, quod factum voluit ab heredibus. Instituto Capellano Clerico Ioanne Baptista Gambaia, hic suscepto Sacerdotio per annos fere quadraginta servitium praestitit, sed inde apoplexia correptus, cum ex paupertate alium Sacerdotem substituere, immo nec se alere posset, postulavit, ut stipendium quoad viveret percipiendi facultas ei relinqueretur, nullo substituto, qui onera impleret. Causa tamen non proposita ob supervenientem notitiam obitus praefati Gambaia Capellani, Capitulum Ecclesiae Cathedralis Laudensis heres Comitis Morroni Capellaniae fundatoris, cupiens quaestionem definiri pro futuris casibus, in ius vocavit coram Sacra Congregatione Cyprianum Arrigoni successorem Capellanum. Nam contendit, Comitem Morroni nudum scripsisse legatum Missarum, et vacationes ex causa infirmitatis limitasse ad decem dies. Quocirca arguit, longiores vacationes non esse Capellano indul-

(1) Scilicet Passerin. de stat. homin. tom. 2, quaest. 587, art. 4, n. 1120; Monacell. in append. ad tom. 1 form. leg. ad not. ad Decretum de celebrat. Miss. n. 7; Rigant. ad Reg. 24 Cancell. §. 5, n. 65; Benedict. XIV de Synod. Diaeces. lib. 7, cap. 72, n. 5; et Instit. eccles. 26, n. 6.

gendas, tum ex dispositione iuris, tum fortius attenta voluntate Fundatoris, quae adamussim servanda est. Nec obstare censuit, praedictum Legatum Missarum fuisse in Capellaniam choralem erectum auctoritate ordinaria, cum non esset in potestate Ordinarii commutare pii Testatoris voluntatem, et erectio facta fuerit relative ad testamentum Comitis Morroni. Verum Emus Archiepiscopus inclinabat pro validitate erectionis Capellaniae ecclesiasticae, ob facultates a Testatore tributas; et ex eiusdem efficacia ei videbatur habere locum censura Textus in Cap. *Significatum* de Praebendis, quod Capellanus durante infirmitate non teneretur celebrare per alium, attento praesertim, quod in ea Diaecesi, – quoties quis ordinatur ad titulum Capellaniae manualis seu laicalis, idonea exigitur fideiussio alicuius aptae personae, quae suppeditet Ordinario alimenta in casu infirmitatis, nulla autem exigitur fideiussio pro casu infirmitatis de quo supra, quoties quis ordinatur ad titulum Beneficii ecclesiastici, in qua quidem ordinatione hic non detrahuntur onera Missarum ex reditu Beneficii, et proinde annuus reditus scutorum octo supra quadraginta monetae Romanae sufficit pro titulo ordinandi, etiamsi adnexum habeat onus Missae quotidianae. Hinc ordinati ad titulum Beneficii ecclesiastici casu, quo infirmentur, ex inveterata consuetudine vigente apud quoscumque timoratae conscientiae supplere non faciunt Missas, quas infirmi omittunt –.

138. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Sacerdos, obligatus quotidie celebrare per se vel per alium, possit pro tempore infirmitatis ultra decem dies omittere celebrationem et nihilominus eleemosynam praetermissae celebrationis consequi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Mediolanen. seu Lauden. die 23 Augusti 1760.*

139. Cum autem dubium adhuc sit, num exemptio aliquibus diebus ab Missarum celebratione et applicatione a Fundatrice tributa fuerit, Sacra Congregatio, antequam dubium huiusmodi resolvat, mandat, ut fiant diligentiae iuxta instructionem *in Romana Missarum die 28 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.* – 140. Siquidem – Catharina de nobilibus Sfortia comitissa S. Florae de anno 1593 quosdam hortos Bellaianos nuncupatos tunc pridem emptos a Patribus Carthusianis pretio scutorum 10000 irrevocabili donatione inter vivos cessit Patribus Cisterciensibus S. Bernardi ad Thermas Urbis, iis tamen adiectis pactis et oneribus per haec verba expressis: « Hanc autem donationem fecit et facere declaravit dicta Illustrissima domina amore Dei, pro salute animae suae ac Cardinalis Francisci Sfortiae filii sui, suorum peccatorum remissione, et ad laudem et gloriam Dei, ac quia de rebus suis ad pias causas ita facere et disponere placuit cum dictis reservationibus ac cum infradicendis pactis oneribus et conditionibus; videlicet, quod dicti Patres donatarii teneantur ac debeant, prout promittunt, contemplatione huiusmodi donationis in eorum Ecclesia duas Missas singulis diebus, ut dicitur *basse,* exceptis diebus festivis, in quibus dictae Missae celebrari non poterunt, et duas Missas, ut dicitur *cantate,* cum eorum officiis pro defunctis singulis annis in perpetuum pro salute animae ipsius donatricis et dicti D. Cardinalis celebrare et celebrari facere ». Cum autem ab eodem tempore Patres antedicti consuevissent satisfacere tam oneri annuarum Missarum cantatarum cum earum officiis, quam duarum Missarum quotidianarum de requiem, iis tamen dumtaxat diebus, in quibus ex praescripto Rubricarum Missalis Missae de requiem celebrari licet, nuper factum est, ut Visitator deputatus a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicae dubitaverit, an per celebrationem eiusmodi satisfactum censeatur menti Donatricis; nimirum, an onus duarum Missarum singulis diebus intelligatur de Missis de requiem, seu potius de Missis currentibus, quae celebrari solent in festis duplicibus etiam cum applicatione Sacrificii pro defunctis ita tamen, ut excepti intelligantur a praescripta celebratione tantummodo dies festi de praecepto, iniunctum propterea fuit ab eadem Congregatione iisdem Patribus, ut recursum haberent ad hanc S. Congregationem Concilii pro declaratione, quemadmodum Patres ipsi humiliter exorarunt. Requisita desuper fuit relatio et votum Emi Protectoris, qui comprobando praemissa hunc sensum protulit: « Si Testator simpliciter disposuisset, quotidie celebrandas esse Missas de requiem, maximum oriretur dubium, an diebus festivis

heres ad applicationem saltem teneretur; sed Comitissa benefactrix cubitalibus verbis iniunxit dictis Religiosis oratoribus celebrandas esse duas Missas singulis diebus, ut dicitur *basse*, exceptis diebus festivis, in quibus dictae Missae celebrari non poterunt, et duas Missas, ut dicitur *cantate* cum earum officiis, ut ex conscripta copia dispositionis annexa apparet. Unde nulla videtur adesse dubietas; nam praevisa a Benefactrice prohibitione, excepit dies festivos ab onere illas celebrandi, et quod noluit Testatrix, nec nos velle debemus » –.

141. His interim perpensis, proposito dubio: – An et in quibus diebus Oratores exempti sint a celebratione et applicatione Missarum in casu, de quo agitur? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et fiant diligentiae iuxta instructionem – *in Romana Missarum die 28 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

142. Indubium tamen est, quod diebus, quibus licite Capellani vacare possunt a celebratione, non possunt Missam pro se ipsis vel aliis, accepto stipendio, praeterquam pro Fundatoribus applicare *in Collen. Celebrationis Missae die 18 Septembris 1633.*

Item *in Segusien. Reductionis Missarum die 26 Martii 1791* §. *De vacatione.*

143. At Capellani, qui non tenentur per se ipsos Missam quotidie celebrare, nunquam a celebratione vacare possunt; proposito enim dubio: – An Sacerdotes obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare? –, Sacra Congregatio respondit: - Negative – *in Collen. Celebrationis Missae die 18 Septembris 1633.*

144. Capellanus autem non tenetur celebrare Missas per se ipsum, si Fundatores ei simpliciter imposuerint onus celebrandi, quin obstet, quod Sacra Congregatio declaraverit, Capellaniam esse Sacerdotalem habitu quoad consanguineos et Sacerdotalem actu quoad extraneos; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Capellani tam consanguinei, quam extranei teneantur celebrare per se ipsos Missas a Testatoribus demandatas? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative – *in Senogallien. Mansionariae die 16 Maii 1733.*

145. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Senogallien. Mansionariae die 17 Aprilis 1734.*

146. Unde licet Fundator voluerit, ut Capellanus sit actu Sacerdos, non propterea iniunctum etiam censetur onus celebrandi per se ipsum; hoc enim grave onus celebrandi per se ipsum haud facile ex coniecturis est inducendum, si Fundator id expresse non dixerit, cum praesertim a Capellanis antecessoribus Missarum celebratio per alios adimpleri consueverit. Qua de re his in terminis proposito dubio: – II. An Capellanus teneatur Missas celebrare per se ipsum in casu etc. –, Sacra Congregatio, licet declaraverit, Capellaniam esse actu Sacerdotalem, respondit: – Ad secundum, Negative – *in Romana Capellaniae die 28 Aprilis 1736.*

147. Idcirco licet Sacra Congregatio declaraverit, Capellaniam fundatam a Margarita Cioffi esse Sacerdotalem, non propterea Capellanum per se ipsum celebrare debere resolvit, cum huiusmodi onus impositum expresse non fuerit *in Interamnen. Capellaniae die 3 Februarii 1685.*

148. Nam iuxta vulgatam regulam Capellanus Missas per se ipsum celebrare non adstringitur, nisi a Testatore expresse id cautum fuerit, ut late firmat Rota coram Merlino decis. 825 *in Ianuen. Capellaniae die 14 Aprilis 1736 et die 25 Aprilis 1761.*

149. Iamvero Archiepiscopus Ianuensis quoad Capellanos per Augustinum Cappelli institutos onus celebrandi per se ipsos ita ex coniecturis arguebat: – Certe videtur Testator prospexisse ad commodum inibi habitantium, praeter cultum divinum; etenim demandavit, unam ex dictis Missis quotidie celebrari ad auroram per girum in gratiam Pauperum et Rusticorum. Insuper quod Capellani eligendi essent de loco Vulturis, quod referunt dicti Patres ad obligationem celebrandi personalem atque etiam peroptando, ut iidem inserviant Officiis, quae celebrantur in Ecclesia Parochiali praememorati loci, nec non eorum quilibet etiam, qui esset ordinatus ad titulum Patrimonii, eleemosynam accipiat de manu PP. Provincialis et Prioris, prout geminatim in dicto Codicillo

praecipit dictus Testator. Haec omnia adstipulantur ad inducendam saltem verisimiliter obligationem personalem –. His tamen non obstantibus, proposito dubio : – I. An Aloisius Ferdinandus De Donghis ordinandus in titulum unius ex Capellaniis in loco Vulturis a Ioanne Augustino Capelli fundatis possit celebrare per alium a se ipso eligendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Ianuen. Capellaniarum die 4 Aprilis 1736.*

150. At inde Patres Carmelitae Conventus Vulturis, ad quos spectabat ius nominandi Capellanos et administratio dotium Capellaniarum, renuerunt admittere substitutum in Capellania Emanuelis Antonii de Donghis, illique solvere Capellaniae emolumenta praetendentes, huiusmodi Substituti electionem ab ipsis faciendam esse vigore iuris nominandi; quapropter eos coerceri flagitarunt fratres de Donghis, ut Rescripto Sacrae Congregationis parerent, quum praesertim nulla concurreret lex fundationis celebrandi per se ipsum, qua seposita, cuique Capellano licet alium pro celebratione Missarum substituere. Proposito itaque dubio: – III. An omnes Capellani Ioannis Augustini Cappelli in loco Vulturis possint celebrare per alios a se ipsis eligendis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative – *in Ianuen. Capellaniarum die 25 Aprilis 1761.*

151. Hinc si Testator Capellano imposuerit tantum onus celebrationis Missae quotidianae in Ecclesia sibi benevisa, is non tenetur Missam celebrare per se ipsum; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Capellanus dictae Capellaniae teneatur celebrare per se ipsum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative – *in Romana Capellaniae die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

152. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12 maii 1714 in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius – *in Romana Capellaniae die 12 Ianuarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

153. Nec itaque tenetur Capellanus celebrare per se ipsum, si Fundator Capellanum eligens imposuerit onus celebrandi Missam quotidianam post obitum suum certis horis ac in Ecclesia et Altari designatis, licet alii Capellani post eum eligendi ad celebrandum per se ipsos teneri videantur *in Gerunden. Celebrationis Missarum die 3 Aprilis 1734.*

154. Enimvero Petrus Fabrega donavit fundum anno 1710, ut a Dignitatibus Canonicis et Beneficiatis Collegiatae Ecclesiae S. Felicis quotidie Sacrum fieret certis horis ac in Ecclesia et Altari designatis, et in primum Capellanum ipse elegit Franciscum Fabrega nepotem suum eiusdemque Collegiatae Ecclesiae Canonicum,– ut, obitu meo secuto, celebret durante vita sua dictam Missam quotidianam –. Vita autem iam functo Fundatore, Capitulares contenderunt, praedictum Fabrega debere per se ipsum satisfacere iniunctae celebrationi quotidianae Missae. Quum enim fundatio celebrationis Missae quotidianae esset potissimum directa in Dignitates Canonicos aliosque Beneficiatos Ecclesiae Collegiatae, censebatur eis iniuncta celebratio per se ipsos, ac proinde sicuti post obitum Canonici Fabrega Capitulares huic oneri satisfacere per se ipsos debebant, ita etiam per similem modum intelligi debebat commissa Canonico Fabrega celebratio dictae Missae quotidianae. Canonicus Fabrega ex adverso sustinuit, non debere per se ipsum Missam celebrare, cum Fundator nec in actu fundationis, nec in actu electionis huiusmodi onus imposuerit. Quin imo idem Fundator praecepit, ut etiam a Canonico Fabrega celebraretur Missa in solemnitate SS. Petri et Pauli septemque consequentibus diebus post obitum Sebastiani Falgons, qui iam contigerat. Idcirco si Fundator eo animo fuisset, ut ex vi Capellaniae prius institutae Canonicus Fabrega per se ipsum satisfacere deberet oneri celebrationis Missae, non potuisset eidem homini committere celebrationem alterius Missae per octo illos dies ex vi secundae fundationis.

155. His mature perpensis, proposito dubio: – I. An Canonicus Fabrega teneatur per se ipsum celebrare Missam quotidianam, de qua agitur? –, Sacra Congregatio, licet simul decidisset, praefatum Canonicum debere celebrare certis horis et in Ecclesia et Altari designatis, responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Gerunden. Celebrationis Missarum die 3 Aprilis 1734.*

156. Hinc si Testator primo Capellano dumtaxat ab ipso nominato facultatem dederit celebrandi per alium cum aliquo detineretur impedimento, et post eius obitum concesserit Patrono potestatem nominandi Capellanos ipsius arbitrio amovibiles, huiusmodi Capellani non tenentur celebrare per se ipsos; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Capellanus teneatur celebrare per se ipsum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Romana Capellaniae die 29 Augusti 1722.*

157. Qua de re Capellanus non tenetur ad Presbiteratus ordinem ascendere, si Capellania eum non obligat ad celebrandum per se ipsum *in Nullius die 22 Augusti 1643 lib. 17 Decretorum pag. 219.*

158. Compertum autem est, satis esse ad inducendam personalem obligationem celebrandi clausulam per se ipsum *in Romana Capellaniarum die 26 Novembris 1796* §. *Ad haec.*

159. Quin imo si Fundator pluries atque conceptis verbis praeceperit, ut singuli Capellani per se rem divinam explerent, quin etiam addiderit clausulam et non per alios, huiusmodi Capellani per se ipsos Missas celebrare tenentur; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Capellani primae institutionis cl. me. Cardinalis Antonii Mariae Salviati teneantur celebrare Missas per se ipsos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Romana Capellaniarum die 26 Novembris 1796.*

160. Unde Capellanus tenetur celebrare Missam per se ipsum, cum Testatrix praeceperit, ut is habitare deberet domum ipsius ac facultatem dederit celebrandi per substitutum in casu infirmitatis, nec non heres et executor testamentarius declaraverit, quod Capellanus praedictus non valeret celebrare per substitutum, nisi in casu infirmitatis, ad formam testamenti, quin aliam dispensationem, postquam primam ad triennium obtinuerat, assequi valeat *in Casalen. Residentiae die 24 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

161. Siquidem – Paula Sturia de loco Conzani anno 1669 die 12 novembris, postremis exaratis tabulis, de omnibus suis bonis in praefato loco possessis ordinavit perpetuae Capellaniae erectionem sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Suffragio, reservato iurepatronatus activo favore Stephani Cevatarii, quem pariter instituit heredem fiduciarium et exequutorem testamentarium, eiusdemque descendentium et heredum, addita conditione hisce verbis expressa (1). Subinde insequenti die nempe 13 praeindicati mensis antedictus heres et executor testamentarius sub narrativa, quod nonnulla capita testamenti essent turbida, ac proinde indigerent declaratione, asserensque se informatum de mente Testatricis ac de asserto eiusdem mandato, nonnulla ex dictis capitibus declaravit, praecipue vero quod aliud quodcumque onus, quod haberet Capellanus tam intra, quam extra locum Conzani foret incompatibile cum dicta Capellania, nec non quod Capellanus praedictus non valeat celebrare per substitutum, nisi in casu infirmitatis ad formam testamenti. Exindeque sub die 5 martii 1670 auctorizante Episcopo Casalensi ad formam praefatae dispositionis testamentariae et declarationis desuper factae deventum fuit ad erectionem Capellaniae, quam primo loco obtinuit Christophorus Vidua, quo tandem proviso de Canonicatu in Cathedrali Casalensi, ratione incompatibilitatis, fuit ad eamdem praesentatus Ioseph Maria Cevatarius Sacerdos Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii cum assecutione possessionis: verum subinde praetendente eodem Iosepho Maria Capellano, ipsum non teneri ad celebrationem personalem Missarum Capellaniae iniunctarum, recurrit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, hinc die 18 septembris 1688 per Summarium fuit rescriptum: « modernumCapellanum teneri celebrari per se ipsum »; qua de re precibus renovatis pro

(1) Scilicet – che dal medesimo e suoi discendenti sia presentato a Monsignor Vescovo di Casale un Religioso di buona voce e condizione, quale sia usufruttuario di detta Masseria e debba abitare quivi nel luogo e nella casa della medesima Testatrice, con carico espresso, che debba celebrare una Messa quotidiana *de requiem* semplice in perpetuo, in suffragio dell'anima di detta Testatrice e suoi defonti –. Et infra: – comandando di più detta Signora, che in caso d' infermità o altro accidente di esso Cappellano, per quale fosse aggravato o impedito in lungo a non poter celebrare detta Messa, sia celebrata da altro Sacerdote in suo luogo, ed a spese del Cappellano –.

dispensatione celebrandi per substitutum, Sacra Congregatio die 22 decembris 1691 illam indulsit ad triennium tunc proximum tantum. Elapso dicto triennio nullaque alia prorogarione obtenta, continuavit Cevatarius per plures subsequentes annos Missas celebrare per substitutum, donec anno proxime praeterito 1706, excitata controversia inter ipsum et Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, decreta fuit ab Episcopo sequestratio fructuum dictae Capellaniae; unde reiterato recursu ad eamdem Sacram Congregationem fuerunt concordata infrascripta dubia, quae EE. VV. hodie decidenda proponuntur, ut ex hinc inde deducendis definiatur: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18 septembris 1688? *Et quatenus in decisis.* II. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Negative – *in Casalen. Residentiae die 24 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

162. Quin imo licet Testatrix nihil dixerit quoad celebrationem per se ipsum, sed amplissimam dederit heredi facultatem erigendi Capellaniam, et hic mandaverit, ut Capellanus ratione negotii ruralis vel causa infirmitatis sic vacare posset a celebratione Missarum, ut eas celebrare valeret, ubi moraretur, nullum sane dubium, quin huiusmodi Capellanus teneatur celebrare Missam per se ipsum *in Civitatis Plebis Celebrationis Missarum die 15 Decembris 1708 die 15 et die 29 Martii 1710 lib. 58 et 60 Decretorum.*

163. Iamvero – Cleopatra Thiani in ultimo, cum quo decessit testamento anno 1680, instituto herede Canonico Ludovico Desiderio, suam dispositionem prosequitur, ut infra (1). In executionem praefatae dispositionis praedictus Ludovicus heres in eius testamento devenit ad erectionem praefatae Capellaniae nominando in primum Capellanum Sacerdotem Pompilium Corsettum, et quoad onus Missarum ita disposuit (2). Dubitans autem praefatus Pompilius Capellanus nominatus, an vigore dictarum dispositionum teneatur nec ne per se ipsum celebrare, supplicat pro declaratione. Episcopus desuper auditus supradicta confirmans, censet, ex defectu clausulae per se ipsum sive alterius aequipollentis in dispositione, recte satisfieri Testatoris menti per celebrationem faciendam per alium; sed relata Causa per Summarium sub die 17 novembris prope transacti, iussum fuit, ut poneretur in folio, prout hodie parendo EE. VV. mandatis proponitur sub dubio ex deducendis ab Oratore resolvendo: – An Capellanus teneatur ad celebrandas Missas per se ipsum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Civitatis Plebis Celebrationis Missarum die 15 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

164. Adversus hanc resolutionem noviter audiri obtinuit praefatus Capellanus; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15 decembris 1708 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Civitatis Plebis Celebrationis Missarum die 15 Martii 1710 lib. 60 Decretorum.*

165. Cum exin Capellanus praefata die 15 Martii 1710, inopinato impedimento detentus, parata iam antea sua iura distribuere nequiverit, mox pro recessu a decisis iterum supplicavit. At reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15 decembris 1708 et 15 martii 1710 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in*

(1) Nempe: – E perchè detta Testatrice vuole, che li suddetti beni stabili dopo la morte d'esso signor Canonico Lodovico erede tendino onninamente alla disposizione fattane altre volte dal quondam Pier Gentile Thiani suo fratello carnale lasciata in suo testamento benchè imperfetto, quale si trova presso il suddetto suo erede, volendo per quanto ella puole darli effetto, avendoli così promesso mentre il suddetto Pier Gentile viveva; di qui è che detta Testatrice dà piena facoltà al detto Canonico Ludovico suo erede di poter disporre di detti beni stabili, che sopravanzeranno alli già stabiliti ne' suddetti legati ecc. prima in erezione d'una Officiatura o Cappellania col quotidiano sacrificio se sarà possibile d'appoggiarsi all'altare di S. Anna nella Chiesa di S. Maria de' servi di Perugia, e di dichiarare il Cappellano pro tempore –.

(2) Nimirum: – Item di più, che il Cappellano pro tempore per commodo delle raccolte e bonificazioni per mantenimento delli suddetti beni e case, o a causa di qualche particolare divozione abbia vacanza di due mesi l'anno e non più, e possa dire le suddette Messe in altri luoghi, dove si troverà a li giorni delli suddetti mesi, che potrà prendere o tutti o pochi giorni alla volta, e ciò etiam in caso di malattia possa farle dire –.

Civitatis Plebis Celebrationis Missarum die 29 Martii 1710 lib. 60 Decretorum.

166. Nam si ad certum tempus Capellano tributa sit facultas adimplendi onera per alium, huiusmodi facultas in aliis circumstantiis vetita censetur, ut ad rem Rota in Reatina Immissionis 25 iunii 1758 §. Dupliciter coram Emo Elephantutio *in Firmana Capellaniarum die 12 Martii 1774* §. *Addunt.*

167. Idcirco cum plures institutae fuerint Capellaniae et expressum deficiat mandatum celebrandi per se ipsum, sed pro aliqua illud satis luculentum arguitur, quoad hanc, non vero quoad illas Capellani tenentur Missas celebrare per se ipsos; his enim in terminis propositis dubiis: – II. An Capellani teneantur per se ipsos onera adimplere in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et quomodo in casu inadimplementi sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad Capellaniam sub invocatione Beatae Mariae Virginis, Affirmative; in reliquis, Negative. Ad tertium, servetur lex fundationis in capite sexto dispositionis Octaviae (1) – *in Firmana Capellaniarum die 17 Septembris 1774.*

168. Unde Capellani tenentur Missam per se ipsos celebrare, si Testator unicam tantum et non aliam designaverit Ecclesiam, legem residentiae ibidem indixerit, et in casu infirmitatis eisdem facultatem fecerit celebrandi per alios; in casu vero negligentiae vel culpae Rector Ecclesiae ad formam fundationis celebrari per alium facere potest et obulos viginti pro qualibet Missa retinere valet favore Ecclesiae, detracta alterius Sacerdotis celebrantis eleemosyna *in Romana Capellaniarum die 27 Iunii 1789.*

169. Iamvero supremis tabulis anni 1764 Cardinalis Cosmas Imperiali sex Capellanias pro Ianuensibus Sacerdotibus fundavit in Ecclesia S. Ioannis Baptistae Nationis Ianuensis; assignavitque singulis Capellanis menstrua scuta sex cum onere alternatim diebus festis explicandi Evangelium et docendi doctrinam Christianam. Mox in codicillis applicationem cuilibet demandavit Missarum viginti in singulos menses sub lege celebrandi quotidie in praefata Ecclesia et non alibi, nec non residendi in cubiculis ibidem ipsis adsignandis, poenamque pro qualibet vice imposuit iuliorum duo ei applicandam, qui aliorum munia suppleret, si in explenda catechesi vel exponendo Evangelio deficeret. Executores testamentarii amplissimis freti facultatibus addiderunt, quod Capellani si ex culpa vel negligentia, cognoscenda a Praelato praefatae Ecclesiae, Missas inadimplerent, Sodalitas supplere facere deberet, retenta sibi integra menstrua provisione; si vero causa legitimi impedimenti vel infirmitatis eas adimplere non possent, ipsi per alium Sacerdotem sibi benevisum supplere facere valerent praedictas menstruas viginti Missas. Onera initio adimpleverunt Capellani ad formam dispositionis et erectionis: paullatim deinde Missas viginti per alios applicare, reliqua pro praesentia omittere ceperunt. Saepe eos idcirco Ecclesiae Praesul castigavit; ac pro eis impetrarunt anno 1783 illius Rectores a Sacra Congregatione Visitationis absolutionem a Missis pro praesentia non celebratis, – dummodo in posterum (sunt verba Rescripti) etiam quoad Missas pro praesentia mens Testatoris exacte et omnino adimpleatur –. Perseverantibus Capellanis in celebratione per alios, decrevit secreta Ecclesiae et Societatis Congregatio die 6 martii 1788, ut Capellani per se ipsos Missas celebrarent, alias excepto casu infirmitatis ipsa Missas celebrari faceret cum retentione viginti obulorum ita tamen, ut, satisfactis oneribus Missarum cum eleemosyna obulorum duodecim cum dimidio pro qualibet, septem obuli cum dimidio loco depositi haberentur, donec Sacra Congregatio Concilii rem dirimere dignaretur. Capellani vero contenderunt, deesse legem celebrandi per se ipsos in instrumento fundationis; nec obstare, quod in Ecclesia S. Ioannis et non alibi celebrare deberent, cum id iniunctum fuerit ad augendum in eo Missarum numerum, non ad designandum personale Capellanorum ministerium: hoc itaque non induci arguerunt

(1) Quae postremo loco declaravit, ut si quis ex Capellanis in adimplemento onerum defecisset, tunc liberum esset Sodalitio Suffragii Capellaniae reditus sequestro subiiciendi, eosque erogandi in adimplementum onerum cum eleemosyna manuali, et quidquid superesset eidem Sodalitio applicandi *in premio della vigilanza sopra l' adempimento della pia volontà del Testatore.*

neque ab onere residendi, neque ex sola facultate celebrandi per alium in casu infirmitatis. Quo autem ad applicationem eius, quod in supplenda Missarum omissione ex eleemosyna supererat obulorum viginti, principaliter menstruum assignamentum scutorum sex tribuendum esse sustinuerunt oneri exponendi Evangelium et explendi catechesim; nec quidquam idcirco in casu omissae celebrationis Missarum detrahi ex illo debere. Eis tamen in omnibus adversabatur Emus Antonius ab Auria Ecclesiae protector, qui ex praecepto celebrandi in dicta Ecclesia et non alibi ac residentiae onere, concessaque in casu infirmitatis facultate celebrandi per alium, onus celebrandi per se ipsos arguit. Censuit etiam, obulos septem cum dimidio, qui in supplenda cuiuslibet Missae celebratione supererant, adiudicandos non esse Capellanis, ne indebitam a sua ipsi culpa vel negligentia perciperent utilitatem, sed Ecclesia, cui facultas erat ex fundatione supplere faciendi, retenta sibi integra menstrua provisione.

170. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellani Imperiali teneantur celebrare in Ecclesia S. Ioannis Nationis Ianuensis quotidianas Missas per se ipsos in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae rata menstrui eorum assignamenti sit statuenda in singulas Missas et cui in casu omissae per Capellanos celebrationis adiudicandum sit, quod superest, detracta eleemosyna alterius Sacerdotis celebrantis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative in obulis viginti pro qualibet Missa retinendis favore Ecclesiae, detracta alterius Sacerdotis celebrantis eleemosyna – *in Romana Capellaniarum die 27 Iunii 1789.*

171. Hinc si Fundator mandaverit Capellanis celebrationem Missarum per se ipsos, et in casu legitimi impedimenti exceperit personalem tantum celebrandi obligationem, non autem etiam onus celebrationis, ne dubium quidem, quod huiusmodi Capellani in casu infirmitatis teneantur celebrare per alios *in Civitatis Plebis Visitationis Sacrorum Liminum die 27 Augusti 1791.*

172. Enimvero binas anno 1673 ad nutum amovibiles instituit Capellanias Antonius Orca cum onere et obligatione Capellanis celebrandi per se ipsos, excepto casu legitimi impedimenti, tres Missas qualibet hebdomada ad Altare S. Pontiani martyris in Ecclesia Cathedralis Civitatis Plebis in refrigerium propriae animae suorumque; praecipiens, ut Capellani semper et in perpetuum fructibus gauderent, ne unquam cessaretur a celebratione qualibet hebdomada. Ea innixi exceptione, excepto casu legitimi impedimenti, Missas in casu infirmitatis pluribus ab annis praetermittere consueverunt Capellani per hebdomadam per mensem et ultra. Aegre igitur huiusmodi consuetudinem ferens, EE. PP. Civitatis Plebis. Antistes occasione Visitationis Sacrorum Liminum exquisivit iudicium. Dubium enim erat, num exceptio legitimi impedimenti personalem tantum appellaret celebrandi obligationem, vel onus etiam celebrationis. Ex iis autem verbis cum onere et obligatione Capellanis celebrandi per se ipsum, excepto casu legitimi impedimenti, restricta videbatur ad onus celebrandi per se ipsum. Idque confirmabatur ex sequenti declaratione, ne unquam cessaretur a celebratione qualibet hebdomada, quae respectu ad celebrationem in genere, excludere videbatur casum impedimenti. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Capellani Orca supplere teneantur Missas tempore infirmitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et teneri per alios Sacerdotes – *in Civitatis Plebis Visitationis Sacrorum Liminum die 27 Augusti 1791.*

173. Recepta hinc est distinctio inter onus celebrandi diebus certis et determinatis, aliudque indefinitum; qui designatos habet dies, supplere non tenetur ieiunium officium et similia, qui ea in tempore omisit, dummodo praeter cultum Sacrificii Ecclesiaeque servitium, volitum non sit suffragium, quo nunquam fraudari debet Fundator; qui indefinite vero certum in hebdomada celebrare debet Missarum numerum, non liberatur ab illarum supplemento, quum absolute volita censeatur celebratio, licet in partes divisa *in Civitatis Plebis Visitationis Sacrorum Liminum die 27 Augusti 1791* §. *Recepta.*

174. Rector autem Capellaniae, qui facultatem habet celebrandi per alium in casu legitimi impedimenti, dum per alium celebrat, non tenetur ei persolvere stipendium pro eo-

dem statutum, sed solam eleemosynam manualem *in Neapolitana Capellaniarum die 14 Aprilis 1725.*

175. Siquidem cum Domus Smae Annunciationis Civitatis Neapolitanae multis Missarum oneribus in praeteritum non celebratarum et in posterum celebrandarum esset summopere gravata, Clemens VIII concessit Officialibus praedictae Domus facultatem erigendi quatuor Capellanias pro satisfactione praedictorum onerum cum dote ducatorum sexaginta pro qualibet et cum onere celebrandi quotidie per se ipsos ita tamen, ut si aliqua die cuiusvis hebdomadae legitime impediti fuissent, facultatem haberent suum munus explendi per alios Sacerdotes. Orta hinc est quaestio, an Capellani, qui pro aliqua die cuiuslibet hebdomadae erant legitime impediti, quique ad tramites Brevis Clementini satisfacere poterant per alium Sacerdotem, deberent huic persolvere ratam stipendii unicuique Capellano assignati, vel potius eleemosynam manualem. Capellani enim contenderunt, se non teneri nisi ad eleemosynam manualem, cum ipsorum Capellaniae essent Bullatae, et Administratores, qui bene callebant dispositionem Decretorum generalium Urbani VIII, in quibus statutum fuit, – satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebrandi eleemosynam congruam secundum morem Civitatis vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit –, sustinuerunt, haec sibi debere vindicare locum in hypothesi, in qua legitimum concurreret impedimentum in hebdomada ad tramites Brevis Clementis VIII, secus autem quando Capellani extra dies et casus Brevis Clementini celebrare vellent per alios; in hac quippe facti specie dixerunt, non posse eosdem dare celebranti eleemosynam manualem, et reliquum pro se retinere, ne commodum videlicet perciperent ex actu illicito.

176. His mature perpensis, proposito dubio: – II. An Capellani pro aliqua die cuiuslibet hebdomadae legitime impediti, qui Missarum celebrationem per alium Sacerdotem satisfaciunt, debeant huic Sacerdoti persolvere stipendium pro Capellanis statutum, vel solam eleemosynam manualem? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Neapolitana Capellaniarum die 14 Aprilis 1725.*

177. Hinc si administratio Capellaniae non sit penes Capellanum; sed penes Patronos ex iure fundationis, Patroni tenentur solvere integram eleemosynam Substituto a praedicto Capellano pro Missis iam celebratis et celebrandis; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An a Patribus Carmelitis debeatur Capellano substituto a R. Emanuele Antonio de Donghis integra eleemosyna pro Missis usque nunc celebratis et in posterum celebrandis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative – *in Ianuen. Capellaniae die 25 Aprilis 1761.*

178. Qua de re Capellani, qui tempore infirmitatis possunt per alios oneri Missarum satisfacere, et a Summo Pontifice obtinuerunt absolutionem ab onere celebrationis per alios, tenentur adhuc per alios Missas celebrare, si res sit de longa infirmitate, non vero ad paucos dies restricta; et Capellani, qui postea instituti fuerunt, exhibere tenentur Breve Pontificis, quo eisdem pariter facultatem celebrandi per alios tempore infirmitatis indulgeri asserunt *in Neapolitana Capellaniarum die 13 Aprilis 1725.*

179. Siquidem Clemens VIII in favorem Domus Sanctissimae Annunciatae quatuor erigi mandavit Capellanias cum onere Capellanis celebrandi per se ipsos, in casu vero legitimi impedimenti eisdem facultatem dedit celebrandi per alios Sacerdotes. Dein Administratores praefatae Domus obtinuerunt a Clemente XI potestatem erigendi alias quatuor Capellanias cum iisdem conditionibus et proventibus, quibus erectae fuerant priores quatuor Capellaniae; sed Breve praefati Clementis XI Sacrae Congregationi exhibitum non fuit, cum exorta est controversia, an praedicti Capellani tempore infirmitatis tenerentur oneri Missarum satisfacere per substitutum. Nam praefati Capellani Paulo Papae V exposuerunt, quod unaquaeque Capellania non habebat in reditu nisi annuos ducatos sexaginta, et quod in casu infirmitatis non poterant Capellani expensas Medicorum et Pharmacopolarum persolvere et simul et semel Missas celebrari facere per alium. Praefatus Pontifex ex durante infirmitate ab-

solvit a dicto onere celebrationis per alium. Hinc decidendum erat, an Apostolicae Literae Pauli Papae V de infirmitate ad paucos dies restricta intelligendae essent, vel etiam de quacumque longa infirmitate, in qua fortior vigebat ratio expensarum pro medicinis parandis et solvendis Medico stipendiis.

180. His itaque perpensis, proposito dubio: – IV. An Capellani durante infirmitate teneantur oneri Missarum satisfacere per substitutum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative quoad Capellanos institutos a Clemente VIII, et quoad institutos a Clemente XI exhibeatur Breve; et amplius – *in Neapolitana Capellaniarum die 14 Aprilis 1725.*

181. Idcirco licet tabulae fundationis Beneficii seu Capellaniae deficiant, sed satis aliunde constet, quod Beneficio inhaereat onus celebrandi per se ipsum, eiusdem Rector nequit per alium huiusmodi onus implere, quin obsit observantia centenaria, cum praesertim legitima non videatur *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771.*

182. Iamvero nullum, vel de fundatione vel de Beneficii erecti in Ecclesia diruti Castri Plumbinariae dotatione, aut de Missarum numero aut de diebus, quibus ipsae celebrari debuissent, existebat documentum. Certum tamen erat, quod Innocentius X ad preces Principis Cammilli Pamphilii Patroni declaraverit: – omnes et singulas Missas, quarum celebratio in Ecclesia seu Capella praedicta ad illius pro tempore Rectorem seu illam obtinentem ex fundatione et alias quomodolibet incumbit, per se ipsum personaliter in eadem Ecclesia seu Capella celebrare et obligatus existat, alioquin obligationi celebrandi Missas huiusmodi satisfacere censeatur –. Huiusmodi Beneficium exin obtinuit Sacerdos Sebastianus Bertarelli, qui, posthac Archipresbiteratum Collegiatae Ecclesiae terrae Vallis Montanae assequutus, incertus erat de incompatibilitate Archipresbiteratus cum dicto Beneficio; idcirco postulavit, ut declararetur, an teneretur per se ipsum Missas celebrare, et in casu affirmativo dispensationem imploravit. Is enim censebat, posse Missas per alium celebrare; absque eo quod oppositum suaderent Apostolicae Literae Innocentii X et Alexandri VII; cum subsequuta observantia ad annos centum et ultra protracta quolibet onus sustulerit. Nam ea est vis centenariae, ut praesumptionem induceret novi Pontificis Rescripti praecedentis destructivi. Advertebatur vero, quod huiusmodi observantia nec pacifica nec rationabilis videretur, sed potius Capellanorum arbitrio et negligentia inducta, nec ideo praescriptionem inducere poterat; praeterea, quod in Literis Apostolicis collationis Beneficii anno 1661 expeditis expressum legebatur onus Capellano inhaerens celebrandi per se ipsum in haec verba: – Et quam pro tempore obtinenti nonnullas Missas per se ipsum in eadem Ecclesia seu Capella celebrandi onus incumbit –. Praesumptio demum urgebat, notam tum fuisse fundationem praedicti Beneficii Innocentio X, cum Capellano onus indixerit celebrandi per se ipsum. Patronus tamen consentiebat, ut per alium Orator Bertarelli, attenta morum probitate, qua is pollebat, Missas celebrare posset, – dummodo tamen pro futuris vacationibus non transeat in exemplum –.

183. His mature perpensis, propositis dubiis: – II. An celebratio Missarum fieri debeat a Rectore per se ipsum, seu potius expleri valeat per alium in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* III. An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, celebrationem expleri debere a Rectore per se ipsum. Ad tertium, Affirmative – *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771.*

184. Qua de re cum Capellanus in divinis Capellae inservire deberet et ibidem Missam et Officia nocturna et diurna continuo celebrare nec non residentiam continuam iuxta Ecclesiam S. Andreae serviendo dictae Capellae facere, proposito dubio: – An Rector Capellae residere et subire onera per se ipsum teneatur? –, Sacra Congregatio respondit: – Rectorem residere et munia huiusmodi per se ipsum explere teneri – *in Cenomanen. die 20 Iulii 1600.*

185. Cum itaque Capellania hac lege fuerit fundata, ut Capellanus instituendus et quilibet successor in perpetuum teneatur in Ecclesia Cathedrali quotidie, salvo iusto impedimento, celebrare Missam aliaque divina Officia in dicta Ecclesia pro remedio animae

Fundatorum facere, Sacra Congregatio declaravit, utrumque onus Capellanum huiusmodi in Ecclesia Cathedrali per se ipsum explere teneri *in Vintimilien. die 18 Aprilis 1654.*

186. Idcirco si Testator Capellaniam Sacerdotalem erigi iusserit cum onere residentiae et celebrandi ad designatum Altare et Ecclesiam, Capellanus sic tenetur Missas per se ipsum celebrare, ut, iusta tantum intercedente causa, indulgeatur ad biennium celebrandi per alium arbitrio Episcopi *in Bononien. Celebrationis Missarum die 1 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

187. Siquidem – in ultimo testamento iam olim condito de anno 1399 Ioannes de Captaneis loci de Monterono disposuit, ut propriis filiis masculis quandocumque decedentibus sine liberis fundaretur Capellania in Ecclesit Collegiata Castri S. Agathae, certa quaedam bona pro illius dote specifice assignando, cuius iuspatronatus adiudicavit Friderico suo fratri et illius filiis masculis, hisque deficientibus, ad Communitatem dicti Castri S. Agathae deferri voluit; atque eius Capellano id onus iniunxit, « quod ad ipsam Capellaniam semper eligatur Sacerdos idoneus et sufficiens, qui continuam faciat et facere debeat residentiam in castro S. Agatae praedictae, et ad ipsum Altare et in dicta Ecclesia celebrare divina officia et Missas debitis modis et temporibus ». Hinc facto casu obitus filiorum Testatoris sine liberis, deventum fuit de anno 1407 ad fundationem dictae Capellaniae, auctoritate ordinaria erectae in Beneficium ecclesiasticum Sacerdotale sub invocatione SS. Matthaei et Antonii, et onus Capellano iniunctum fuit per haec verba: « quod Capellanus praesentandus et instituendus ad dictum Altare sit Sacerdos iam ordinatus, qui in dicta Plebe S. Agathae residere teneatur et quod singulis diebus, iusto impedimento cessante, celebrare teneatur et debeat Missas et divina Officia in dicta Ecclesia S. Agathae ad Altare praedictum ». Obtinet modo id Beneficium Petrus Maria Sibiranus, qui, expertus aerem loci S. Agathae propriae saluti obnoxium, humillime supplicavit huic Sacrae Congregationi sibi indulgeri, ut saltem pro sex mensibus aestivis periculosioribus satisfacere possit per alium sibi iniuncto Missarum oneri. Emus Archiepiscopus desuper informare requisitus refert, quod Testator devinxerit Beneficiatum ad servitium chori, quo tempore dicta Ecclesia erat Collegiata, atqui cessata ab immemorabili tempore collegialitate, nulloque iamdiu servitio chori existente, hoc Beneficium evaserit simplex absque onere residentiae et celebrandi per se ipsum, quemadmodum simplicia evasere cetera Beneficia et Canonicatus in ea existentes: sed quatenus iudicetur, remansisse obligationem celebrandi per se ipsum, adhuc censet Emus Relator Oratoris precibus annuendum, ob illius loci aerem insalubrem, saluti ipsius Oratoris aestivo tempore infensum. Haec causa relata per Summarium in Congregatione diei 12 Ianuarii praeterlapsi, iussum fuit, ut poneretur in folio, quemadmodum hodie proponitur –.

188. Propositis itaque dubiis: – I. An Capellanus teneatur residere et per se ipsum Missas celebrare? *Et quatenus affirmative.* II. An sit indulgendum, ut celebret per alium saltem per sex menses anni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative pro quatuor mensibus aestivis ad biennium arbitrio Ordinarii – *in Bononien. Celebrationis Missarum die 1 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

189. Qua de re si certa sit fundatio et erectio Beneficii cum onere celebrandi per se ipsum, Capellanus nullatenus obstante centenaria observantia tenetur Missas celebrare per se ipsum, attentis tamen peculiaribus circumstantiis, Sacra Congregatio eidem indultum personale celebrandi per alium concedit *in Firmana Capellaniae die 12 Augusti 1843 die 6 Februarii 1847 et die 26 Augusti 1848.*

190. Iamvero ab anno 1683 in Ecclesia extra, sed prope moenia Oppidi Campi Pheudoni divo Patritio dicata, reperiebatur erecta Sacerdotalis Capellania sub titulo S. Antonii Patavini, cuius patronatum favore descentium quondam Gregorii Egidi de Monte Florum Fundator reservavit, onusque imposuit Capellano pro tempore litandi per se ipsum duas Missas qualibet hebdomada conditione apposita, quod si Capellanus per se ipsum non celebraret, excepta infirmitatis causa, dare teneretur alii Sacerdoti celebranti in

tegram portionem omnium Capellaniae fructuum, quae proportionabiliter corresponderet diei, qua Sacrum per se ipsum facere omisisset. Ast ab anno 1691 usque ad annum 1831 tum in literis institutionum per Firmanos Ordinarios datis favore descendentium Gregorii Egidi, tum in Bullis Apostolicis expeditis ad instantiam eorumdem descendentium, quoties devolutionis iure vel alio institutio Capellaniae spectasset ad Summum Pontificem, neque verbum, neque vola inveniebatur de enunciata conditione, sed tantum dictum fuit, Capellano onus inesse duarum Missarum in suffragium animarum Sacripantis Pancaldi et suorum antenatorum celebrandarum. Capellaniae possessionem iniit anno 1831 uti descendens a Gregorio Egidi Sacerdos Franciscus Bastoni Asculanae Ecclesiae Cathedralis Canonicus, qui, habita cognitione dispositionis testamentariae, Summum Pontificem rogavit veniam per alium Sacerdotem Capellaniae Missas celebrandi allegans, se esse legitime impeditum ob chorale quotidianum servitium, bis per triennium favit Oratori Apostolicum Rescriptum: sed anno 1839, quo tertium implorabat Apostolicum Beneplacitum, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, audito voto et informatione Emi Archiepiscopi Firmani, rescripsit, ut in futurum testamentaria dispositio fideliter observaretur. Rebus sic stantibus, Emus Archiepiscopus anno 1841 in actu Visitationis decrevit, ut Capellanus, nisi celebraret per se ipsum, solvere deberet integram portionem omnium Capellaniae fructuum, quae proportionabiliter corresponderet omissioni Sacrorum; Capellanus quotannis exhibere teneretur statum activum et passivum omnium Capellaniae fructuum, nec eidem liceret celebrare Missas ante vel post, sed eas celebrare deberet singulis hebdomadis ad formam testamenti. Decreto non acquievit Capellanus Bastoni, adeoque declarationem eiusdem nullitatis petiit, cum nemo Capellanus per lapsum centum quadraginta trium annorum circiter nunquam per se ipsos Missas celebravit, et Capellaniae reditus consistebant in annuis scutatis circiter 300 ab omni onere liberis; idcirco aequissimum erat, ut onerosae conditioni ab Testatore appositae Capellanus satisfaceret. Hinc praetensa observantia abusus praeseferebatur non tolerabilis in piam Testantis voluntatem. Certum tamen erat, ab anno 1691 usque ab annum 1841 nullum editum fuisse Decretum contra Capellanos propter inadimplementum testamentariae sanctionis, sed imo occasione sacrarum Visitationum collaudum in libro onerum Missarum Capellaniae Ordinarios apposuisse. Hinc huiusmodi observantia inducere videbatur plenam amplissimamque cuiuscumque melioris tituli ac proinde etiam Apostolici Beneplaciti praesumptionem.

191. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An infirmandum, vel confirmandum sit Sacrae Visitationis Decretum in casu? –, S. Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Firmana Capellaniae die 12 Augusti 1843.*

192. Huic resolutioni minime acquievit Bastonius, qui mox etiam indultum eius vita durante flagitavit, ut Missam per alium cum eleemosyna ordinaria Firmanae Diaecesis celebrare posset. Hinc rursus institit, se liberum esse ab onere celebrandi per se ipsum ex praefata centenaria observantia, ac plura simul protulit, ut saltem indultum celebrandi per alium cum ordinaria eleemosyna concederetur, ex praesumpta praesertim Fundatoris voluntate favore praedilectorum benigne interpretanda. Advertebatur vero, ex Concilio Tridentino in sess. 26 cap. 5 de reformatione – quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione certa illis onera sunt iniuncta –, non esse derogandum, et sancte custodiendam esse supremam Testatorum voluntatem ex Can. *Ultima voluntas* 13 quaest. 2; et dispensationem nonnisi iusta et rationabili de causa esse concedendam ex Textu in Cap. 1 de fil. Presbit., et Gloss. in Cap. *Ordinarii*. Propositis itaque dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis. Ad secundum, Negative – *in Firmana Capellaniae die 6 Februarii 1847.*

193. Post haec acquievit se Bastonius responsioni ad primum dubium datae, verumtamen non amisit animum quoad alterum dubium. Namque probavit, se pertinere ad antiquissimam et nobilissimam familiam, et si-

mul pauperem paupertate relativa, quippe qui pene omni re familiari laborabat, ac descendere a sanguine Fundatoris Capellaniae. His accedebat favor Patronorum, qui eidem suffragabantur. Reproposito hinc secundo dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, attentis peculiaribus circumstantiis, esse locum Indulto personali favore Oratoris celebrandi per alium Missas, taxata ab Emo Archiepiscopo eleemosyna – *in Firmana Capellaniae die 26 Augusti 1848.*

194. Iusta hinc concurrente causa, indulgetur dispensatio celebrandi per alium, donec perveniat ad legitimam aetatem *in Amerina Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Decembris 1803.*

195. Siquidem Sacra Congregatio iustis de causis die 26 martii 1803 permisit unionem trium Capellaniarum. Clericus Vincentius Petrassi, qui iam annum agebat decimum septimum a Dataria Apostolica Capellaniam hanc ex tribus praeexistentibus unitam obtinuit. Petiit itaque, ut per alium Missam celebrare posset; nam ex literis fundationis inerat onus celebrandi per se ipsum, excepto casu infirmitatis et legitimae absentiae extra Diaecesim. Unde ex praecepto celebrandi per se ipsum qualitas Sacerdotalis eruebatur,ut a Clerico retineri non posset praefata Capellania; nec hoc in casu dispensatio aetatis concedi solet, nisi infra annum Sacerdotium suscipere valeret, nec is Fundatori coniunctus existeret. Advertebatur tamen, quod Clericus Petrassi Capellaniam consequutus erat ex Literis Apostolicis, ita ut, cum nulli amplius praeiudicium inferretur, concedenda quidem esset Oratori dispensatio aetatis, unde posset per alios celebrare, donec ad legitimam aetatem suscipiendi Sacerdotii perveniret. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo sit concedenda dispensatio aetatis favore Clerici Petrassi in casu etc.–, S.Congregatio respondit: – Ad secundum, consulendum Sanctissimo pro dispensatione aetatis, donec ad legitimam aetatem perveniat per Bullas – *in Amerina Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Decembris 1803.*

196. Si vero Testator Capellano mandavit, ut onera impleret per se ipsum, sed causa studii vel infirmitatis posset per alium satisfacere, et Capellanus indultum petat illa implendi per alium ob infirmitatem, quae tamen denegatur, Sacra Congregatio Oratorem remittit ad Episcopum, qui procedat prout de iure ad formam testamenti *in Imolen. Capellaniae die 8 Augusti 1761.*

197. Enimvero testamento, quod condidit anno 1726, Archipresbiter Matthaeus de Mariscottis erigi iussit Capellaniam in rurali Oratorio sub invocatione S. Philippi Nerii, quod ipse construxerat in Agro Bagnariae Imolensis Diaecesis, relicto iurepatronatus activo et passivo descendentibus per lineam masculinam a Dominico et Ioanne Marescotti suis fratribus, et onus iniunxit Capellanis celebrandi in eodem Oratorio binas Missas qualibet hebdomada, illarumque alteram die Dominico et eodem die docendi fideles christianae doctrinae rudimenta aut in ipso Oratorio, aut in Ecclesia Archipresbiterali Bagnariae; praecepitque, ut Capellani tenerentur continuo residere et habitare in Oppido sive in territorio Bagnariae ac personaliter adimplere iuncta onera cum facultate substituendi solum in casu, quo causa studii vel infirmitatis impedirentur. Praefatam Capellaniam possidens Sacerdos Thomas Mariscotti ab ipso Testatore nominatus supplicavit Summo Pontifici, ut ratione provectae aetatis et adversae valetudinis dispensaretur a personali servitio, indulta facultate inserviendi per Substitutum. Nam in provecta quinquaginta quinque annorum aetate constitutus, nephriticis doloribus aliisque habitualibus affectionibus laborabat, ita ut sine periculo gravioris mali nequiret motu frequenti agitari praesertim eundo ad Oratorium ab Oppido dissitum mille quingentos passus et coeno obrutam viam, ut Physicorum et Testium depositionibus comprobabat. Verum Archipresbiter loci in transmissis epistolis etiam de auditu a Medico locali, iuncto duorum Presbiterorum testimonio, negavit Oratoris morbos; et iuxta eorumdem Testium depositionem, viam asseruit longiorem non esse spatio unius circiter milliarii et illius difficultatem nullimode verificari aestivo tempore, hyeme autem evitari posse incedendo per semitam angustiorem satis aptam, aut saltem utroque tempore, defendit, commodum patere accessum

ad Oratorium equitando, potiusque opinatus est, veram petendae dispensationis causam esse desidiam, ob quam Orator etiam iuvenis saepe neglexit onera Capellaniae, vel forsan incompatibilitatem servitii Capellaniae cum servitio Ecclesiae Consortialis, cui Orator adscriptus erat, et cui diligentius inserviebat, ut lucraretur emolumenta inter praesentes dividenda. Episcopus satis dubitans de allegatae infirmitatis praetextu, rem decidendam reliquit conscientiae Oratoris, insinuando concessionem Indulti cum onere personaliter inserviendi, dum pedester aut equitando posset ad Oratorium accedere, citra notabilem valetudinis perniciem, – sub poena non faciendi suos fructus dicti Beneficii, in casu contrario –.

198. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An Sacerdos Thomas de Mariscottis Rector simplicis Beneficii instituti a Matthaeo de Mariscottis teneatur adimplere per se ipsum onera a Fundatore imposita, seu potius id facere possit per alium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Recurrat ad Episcopum, qui procedat prout de iure ad formam testamenti – *in Imolen. Capellaniae die 8 Augusti 1761.*

199. Ad Capellanos autem pertinet substituere Sacerdotes Missam celebrare debentes in casu eorumdem impedimenti, non vero ad Gubernatores Loci pii, qui ante erectionem Capellaniarum Presbiteros ad celebrandam Missam deputabant, si Summus Pontifex ad ipsos huiusmodi facultatem concesserit *in Neapolitana Capellaniarum die 14 Aprilis 1725.*

200. Iamvero Clemens VIII concessit Administratoribus Domus Sanctissimae Annunciationis Civitatis Neapolitanae facultatem erigendi quatuor Capellanias pro satisfactione onerum Missarum cum onere Capellanis celebrandi per se ipsos; in casu vero, quo iidem impediti fuissent, potestatem eis fecit celebrandi per alios. Praefati Administratores contenderunt, substitutionem Sacerdotum ad se pertinere, cum erectio Capellaniarum facta fuerit pro celebrandis Missis in praeteritum non satisfactis et in posterum celebrandis; hinc arguerunt, quod sicuti, non erectis Capellaniis, electio Sacerdotum celebrare debentium ad se absque dubio pertinuisset, ita iuxta naturam subrogatorum ad se ipsos ius spectare deberet deputandi Sacerdotes celebrare debentes casu, quo Capellani essent impediti ad celebrandum per se ipsos. Id tamen absonum videbatur Capellanis, cum haec facultas in Brevi Clementino non daretur Administratoribus, sed simpliciter demandaretur Capellanis, ut celebrarent per se ipsos, et in casu impedimenti tenerentur celebrare per alios. Proposito hinc dubio: – III. An ad Capellanos uti supra impeditos, vel potius ad Officiales vel Gubernatores Domus pertineat substituere Sacerdotes Missam celebrare debentes? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Neapolitana Capellaniarum die 14 Aprilis 1725.*

§. IV.

CAPELLANUS QUOAD IURA ET POTESTATEM

1. Si Ecclesia seu Capella, in qua erectae fuerunt Capellaniae, non sit exempta ab iurisdictione Ordinarii, nequeunt Capellani eiusdem in ea omnes exercere functiones ecclesiasticas et Sacramenta admininistrare absque Episcopi et respective Parochi licentia *in Regien. Exemptionis die 21 iunii die 15 Novembris 1698 et die 15 iunii 1709 lib. 48 et 59 Decretorum* (1).

2. Cum enim Ecclesia subsit iurisdictioni Episcopi, nequit Capellanus ibi Sacramentales Confessiones audire absque approbatione eiusdem Episcopi, neque iura parochialia ibidem exercere, ex eo quod ad respectivum Parochum spectare debeant *in Ferrarien. Iurisdictionis die 12 Ianuarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

3. Siquidem – praeceperat per suum spe-

(1) Species et resolutio Causae huius prostat in Verb. *Capella*, n. 83 ad 87.

ciale Edictum novissime promulgatum Emus Ordinarius Ferrariensis, ut omnes Confessarii infra terminum unius mensis deberent sese novo examini subiicere novamque approbationem ad confessiones excipiendas ab ipsomet recipere, praevia revocatione omnium facultatum antea concessarum. Huiusmodi autem Edicto unice parere renuit Dominicus Ghirardinus Capellanus Arcis Ferrariensis sub fundamento omnimodae exemptionis ab Ordinaria iurisdictione ac subiectionis Emo Legato, continuando ulterius in Militum confessionibus audiendis, qui tempore Paschali ab eodem Capellano et in Ecclesia dictae Arcis Confessionis et Sanctissimae Eucharistiae Sacramenta susceperunt. Quapropter Parochus S. Blasii, intra cuius limites Ferrariensis Arx sita reperitur, praetendere cepit, Milites supradictos praecepto Paschali nequaquam satisfecisse, tum quia illud non expleverunt in Ecclesia Parochiali, tum etiam quia Sacramentorum administrationem habuerunt a Capellano praedicto ab Ordinario non approbato, habitoque recursu per dictos Milites ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, quod ipsi Paschale munus adimplevissent, requisita fuit consueta relatio ab Emo Ordinario, qui post facti seriem recensitam ait, Capellanum praefatum iuxta dispositionem S. Concilii Tridentini in Cap. 15 sess. 23 de reformatione suae Ordinariae iurisdictioni esse immediate subiectum, ac propterea ab eo dumtaxat facultatem Confessiones audiendi recipere posse, nisi doceat de speciali Sedis Apostolicae indulto; quod comprobat etiam ex Decreto de voto Sacrae Congregationis Episcoporum emanato a sa. me. Innocentio X 30 septembris 1650, quo prohibitum fuit Emo Legato Bononiensi, ne se ingereret quoad spiritualia a Sacro Concilio Tridentino Episcoporum curae demandata; quibus addit, Capellanos antecessores indistincte Poenitentiae Sacramentum administrasse praevia Ordinarii approbatione, et denique quoad Sacramentum Sanctissimae Eucharistiae pariter asserit, ius assistere praefato Parocho S. Blasii, et de facto in Paschate Resurrectionis proxime praeterito omnes fere Mulieres Puerosque in Arce commorantes in Parochiali Ecclesia praecepto Ecclesiastico satisfecisse, ubi ceteroquin omnia munia parochialia explentur, Matrimoniaque eorumdem Militum contrahuntur.

4. His omnibus per Summarium relatis die 9 septembris proxime elapsi, placuit EE. VV. audire Emum Legatum, qui refert, Capellanum Arcis praedictae firme asserere sibi subiectum esse et ab eo recipere literas patentes ad effectum administrandi Sacramenta omnibus in Arce existentibus, sicuti a pari practicari in Arce Urbana, non obstante, quod quandoque assumantur Capellani approbati ad Confessiones ab Emo Episcopo, quia hoc promanat ex accidenti, dum Legatus non retinet Examinatores. Quod autem Capellanus in dicta Arce tamquam loco exempto exerceat independenter a Parocho S. Blasii omnia munia parochialia, apparere inquit ab antiquissima consuetudine, dum ipse in festo Paschatis sicuti ceteri Parochi immediate recipit ab Ecclesia Cathedrali Oleum Sanctum, et requirit ab ibidem habitantibus schedulas communionis, assistendo per se ipsum ac necessaria Sacramenta Infirmis ministrando, ea praecipue ratione, quia nemini, ac praesertim nocturno tempore, permissum est Arcem ingredi; et casu, quo per Milites eligatur sepultura in Ecclesia Parochiali, tunc per Parochum eorum cadavera recipiuntur in foribus Arcis, nec ulterius progredi eidem licitum est. Ex quibus E. S. infert, non obstare, quod in provisione Parochiae asseratur, in eius ambitu comprehendi quoque Arcem, cum hoc evenerit Capellano inaudito, multoque minus, quod Milites eorumque Mulieres quandoque devotionis gratia tempore Paschali Sacramenta in ipsa Parochiali receperint, dum hoc processit de licentia Capellani; et quia raro in ipsa Arce contrahuntur Matrimonia, permittitur Parocho S. Blasii facultas publicandi denunciationes ex motivo affluentiae Populi; subditque, Capellanum promptum esse haec omnia per legitima documenta et immemorabilem probare. Quibus stantibus, sapientissimum EE. VV. responsum expectatur: – An Milites praefati eorumque mulieres et alii, qui Sacramenta susceperunt a dicto Capellano et in Ecclesia Arcis, satisfecerint praecepto ecclesiastico Paschali in casu etc. –.

5. At post descriptionem Causae huius in folio Congregationis diei 17 novembris 1703 exhibita fuerunt tria sequentia dubia inter Procuratores utriusque Emi Episcopi scilicet et Legati Ferrariensis concordata; nimirum:

– I. An Ecclesia Fortalitii seu Arcis Ferrariae subsit iurisdictioni et visitationi Emi Episcopi? II. An Capellanus dictae Arcis in eadem Ecclesia possit audire Confessiones Sacramentales absque approbatione Emi Episcopi et de licentia tantum Emi Legati, a quo deputatur? III. An Milites aliique degentes in dicta Arce teneantur explere praeceptum annuae communionis Paschalis in Ecclesia Parochiali S. Blasii et etiam ipsius Parocho subesse debeant circa curam animarum et administrationem Sacramentorum? –, Sacra Congregatio die 1 decembris 1703 responsum dedit: – Ad primam omnino, et interim Capellanus Arcis se abstineat ab exercitio confessionis –. Hinc mox repropositis eisdem dubiis, Sacra Congregatio die 15 novembris 1703 respondit: – Proponatur omnino in prima post Reges etiam unica, citato Capellano Fortalitii Ferrariae – Post haec repropositis praefatis dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative – *in Ferrarien. Iurisdictionis die 12 Ianuarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

6. Qua de re Capellanus Conservatorii Puellarum oblatarum sub titulo Sanctissimae Conceptionis, sola auctoritate Ordinaria et praevio consensu praestito per Rectorem Ecclesiae Parochialis sine tamen praeiudicio iurium Parochialium erecti, vix fuit institutus uti Parochus omnia iura Parochialia exercuit; hinc eiusque successor praetendere pariter cepit eadem iura Parochialia ibidem exercere, videlicet Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Oleumque Sanctum in Ecclesia retinere, illaque administrare nec non cineres et palmas benedicere ac dispensare Puellis oblatis in dicto Conservatorio dumtaxat existentibus ceterasque similes functiones explere et solutionem decimarum praefato Parocho denegare. Sacra Congregatio vero declaravit, non posse huiusmodi Capellanum praedicta iura et functiones parochiales exercere, excepta tamen benedictione Candelarum in die Purificationis Cinerum et Palmarum, quae tantum ad ipsum spectare potest *in Salernitana Iurium Parochialium die 19 Augusti 1702 lib. 52 Decretorum* (1).

7. Hinc Sacra Congregatio declaravit, neque Capellanos Ecclesiae ruralis S. Mariae *dell' Armi,* licet iis incumbebat onus curae animarum, posse funus ducere sine interventu et licentia Parochi Matricis Ecclesiae, nec Missas solemniter canere, inconsulto eodem, nec facere denunciationes proiectarum, quae ab ipsa rurali Ecclesia recipiebantur, illasque Matrimonio iungere *in Cassanen. Iurium parochialium die 9 Iulii 1672.*

8. Unde Capellanus Ecclesiae sitae intra limites Parochialis et a laicis Gubernatoribus deputatus nequit privative quoad Parochum canere Missas solemnes tam pro vivis, quam pro defunctis, sed potest arbitrio Ordinarii administrare Sacramentum Poenitentiae et exponere publice Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nec non absolute hoc Sacramentum administrare extra tamen octavam Paschatis et in satisfactionem praecepti, atque demum coniungere etiam Sponsos in Matrimonium de licentia Ordinarii, vel respective Parochorum *in Mediolanen. iurium Parochialium die 24 Augusti 1715 lib. 65 Decretorum.*

9. Iamvero – functiones parochiales et solemnes explicare contendente Ioanne Antonio Canobio Parocho S. Silvestri in Ecclesia sive loco pio S. Ioseph intra fines iam dictae Parochiae existenti, eiusdem Prior et Deputati supplicem habuerunt recursum ad Sacram Congregationem exponentes, insignem praedictam Ecclesiam sive locum pium munificis sumptibus iam olim erectum fuisse a Principalibus Civitatis nobilibus, qui deinde eius regimen assumpserunt, deputato Sacerdote sub Rectoris nomine ad Sacra peragenda. Nihil igitur attenta Parochi praetensione decerni enixe ab EE. PP. expetierunt, quod Rector ipse sive alius benevisus Sacerdos solemnes Missas ibi celebrare possit, tum quae offeruntur in solemnitate titulari S. Ioseph eiusque desponsationis ac pretiosi transitus, cum etiam aliae a piis fidelibus praeordinatae eo sub obtentu, quod Parochus in eius districtu functionum tantum parochialium exercitium sibi vindicare possit, quorum nomine Missarum solemnia nequaquam comprehendi autumant. Eadem attenta ratione contendunt, quod Rector ap-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Benedictiones* etc. §. III, n. 28 ad 32 tom. III.

probatus ab Ordinario fidelium confessiones excipere possit, atque Eucharistiam administrare in memorata Ecclesia, excepto tantum infirmitatis casu et Paschali solemnitate parochiali iuri praeservatis; ceteroquin vero aliis anni temporibus nullatenus se interponere posse Parochum inquiunt, licet in facultate audiendi confessiones ea sit solita apponi clausula « de venerabilis Parochi consensu » ex rationibus adductis. Praeterea iidem Deputati decernendum autumant, quod saepe dictus Rector possit Augustissimum Sacramentum exponere, benedictionemque Populo impertiri, de licentia tantummodo Ordinarii. Neque Parochus S. Silvestri prohibere aliis Parochis valeat, quin possint super cadaveribus eorum respective subditorum, qui sepulturam in saepe dicta Ecclesia sibi ipsis elegerunt, parentalia sacra peragere. Postremo declarandum esse ipsi contendunt, quod in Matrimonio coniungere possit Sponsos, eisque benedictionem nuptialem impertiri, accedente licentia sive facultate Parochorum, quibus ipsi Sponsi subsunt ad formam Sacri Concilii Tridentini Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii. Super multiplici hac controversia informare requisitus fuit Ordinarius Mediolanensis, qui laudibus primum extollit memoratum locum pium sive Ecclesiam, tum ab opulentia sacrorum, cum a maiestate fabricae et populi concursu, neque tamen superesse memoriam inquit, quonam tempore erecta fuit et quomodo Rector sive Capellanus deputari cepit; consuevisse tamen asserit solemnia sacra ibi peragere Fratres Minores Observantes, qui et hisce temporibus recensitas in Summario functiones exequuntur. Subinde idem Relator rationum momenta recenset, quibus iam dictus Parochus innititur ac praesertim super parochiali iurisdictione sibi, ut asserit, competenti in omnibus Ecclesiis sive Oratoriis eius districtus; eoque certius concurrente dispositione Synodi Diaecesanae 35 dec. 30, cuius documentum in Summario describitur.

10. Perspecta itaque tam particulari huiusce Ecclesiae, quam generali Civitatis observantia, super qua Patres non conveniunt, non dedignentur EE. VV. definire infrascripta dubia, quae, saepe monito Parochi defensore, sapientissimo eorum iudicio subiiciuntur: – I. An in venerabili Ecclesia sive Loco pio S. Ioseph existenti intra limites Parochialis S. Silvestri possit illius Capellanus Rector nuncupatus sive alius Sacerdos benevisus Priori celebrare per annum Missas solemnes tam pro vivis, quam pro defunctis, vel potius id spectet privative ad Parochum S. Silvestri in casu etc. II. An idem Capellanus licet approbatus ab Ordinario possit in eadem Ecclesia administrare Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae absque expressa licentia Parochi in casu etc. III. An dictus Capellanus possit in Novena ante festum S. Iosephi et die mercurii cuiuslibet hebdomadae exponere Sacramentum Eucharistiae Populoque adstanti benedictionem impertiri absque licentia dicti Parochi in casu etc. IV. An per Parochum S. Silvestri possint impediri alii Parochi celebrare funus suorum Parochianorum eligentium sepulturam in Ecclesia S. Iosephi in casu etc. V. An possit Capellanus praedictus cum licentia Ordinarii sive Parochorum, cui subsunt Sponsi, in Matrimonium illos coniungere, illisque benedictionem dare in casu etc. – Sacra Congregatio respondit. – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et servetur Constitutio Synodalis. Ad secundum, quoad Sacramentum Poenitentiae, arbitrio Ordinarii, et quoad Eucharistiam, Affirmative excepto tempore Pascali. Ad tertium, arbitrio Ordinarii. Ad quartum, dilata; et audiantur Parochi. Ad quintum, Affirmative. – *in Mediolanen. Iurium parochialium die 24 Augusti 1715 lib. 65 Decretorum.*

11. Cum itaque plures ortae fuerint controversiae inter Parochum Ecclesiae S. Iacobi, quae suberat Abbatiae S. Silvestri in Oppido Nonantulae, et Capellanum Oratorii a familia Bevilacqua in eius latifundio pro eiusdem usu extructi de consensu Abbatis salvis iuribus parochialibus, propositis dubiis: – IV. An Capellano et Rectori dicti Oratorii liceat conciones seu exhortationes habere ad Populum de licentia Emi Abbatis etiam invito Parocho? VI. An in dicto Oratorio liceat retinere sedes Confessionales pro Confessionibus audiendis? VII. An liceat Capellano praedicto Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum ministrare tam inter Missarum celebrationes, quam in intervallo Missarum? VIII. An retinere valeat Tabernaculum in

Altari pro asservando Sanctissimae Eucharistiae Sacramento dumtaxat de mane et post Missarum celebrationes Tabernaculum apertum et vacuum retinere? IX. An dicto Capellano seu Rectori liceat capsulas habere in parietibus Oratorii pro eleemosynis recipiendis vel quaestuas peragere per se ipsum et per alios? XI. An administratio earumdem spectet ad Capellanum dicti Oratorii, seu potius ad Parochum? XII. An de oblationibus praedictis sive per Capellanum sive per Parochum reddenda sit ratio Ordinario? XIII. An in dicto Oratorio retineri valeat campanile cum campanis eo modo, quo ad praesens reperitur? – S. Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative, et amplius. Ad sextum, Negative nisi de licentia Emi Abbatis. Ad septimum, Affirmative inter Missarum celebrationem, excepta die Paschatis et communione Paschali; et amplius. Ad octavum, Negative; et amplius. Ad nonum, Affirmative de licentia Ordinarii. Ad undecimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad decimum secundum, Affirmative; et amplius. Ad decimum tertium, Affirmative; et amplius – *in Nullius seu Nonantulana Iurium parochialium die 27 Iunii 1744.*

12. Unde Capellanus Ecclesiae ruralis S. Mariae *del forno* extra Oppidum Castellani sitae, si Ordinarius in eadem asservandum Sacramentum Eucharistiae censeret, nonnisi in casu necessitatis, quando nempe clausae erant Oppidi ianuae, Sacramenta dispensare poterat *in Caietana die 24 Maii 1659.*

13. At Capellanus Ecclesiae intra limites Parochialis existentis ius habet celebrandi Missam solemnem pro Defunctis cum Anniversario et assumendi in dicta Missa et Anniversario Presbiteros sibi benevisos nec non celebrandi Missam solemnem cum primis et secundis Vesperis in die festo Titularis independenter et sine licentia Parochi atque assumendi Presbiteros, quos voluerit, ex eo quod huiusmodi functiones non spectent ad ius parochiale, et Fundator eas Rectori Capellaniae libere commiserit *in Thelesina Anniversarii et Missae Solemnis die 9 Februarii 1732.*

14. Hinc licet Episcopus testaretur, quod – Parochi Ecclesiae S. Laurentii a tempore immemorabili tam occasione festivitatis, quam funerum in Oratorio sive Ecclesia Deiparae Annunciatae sacra in Villa Tini exercuerunt et exercent, omnes functiones ecclesiasticas –, propositis tamen dubiis: – II. An Rectori dicti Beneficii liceat celebrare festum Beatissimae Annunciatae, eademque die canere Missam solemnem, sedes confessionales erigere, nec non Sacramentum Poenitentiae administrare seu administrari facere, et indulgentias publicare absque licentia, interventu et consensu dicti Parochi? V. An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio doctrinam Christianam, vel possit hoc impedire?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative quoad celebrationem festi et Missam solemnem eadem die; in reliquis vero, Negative. Ad quintum, arbitrio Ordinarii – *in Asculana iurium et Functionum parochialium die 29 Augusti 1733.*

15. Idcirco multo magis ad Rectores et Capellanos privative spectat ius faciendi huiusmodi functiones, salvis tamen iuribus parochialibus, si nulla extet contraria consuetudo *in Ortonen. die 19 Ianuarii 1735.*

16. Enimvero antiquam Ecclesiam S. Margaritae sacram et appellatam de Suffragio, quae pleno iure regi consueverat ab Episcopis quinquaginta circiter ab annis, Episcopus Casanatte refecit amplificavit ornavitque. Cumque ingens esset copia legatorum piorum, quae ad suffragium animarum Purgatorio igni peccata expiantium relicta fuerant, idem Episcopus anno 1713 monitis prius per Edictum omnibus, qui sua interesse putarent, nec tamen ullo contradicente, instituit ex huiusmodi bonis et proventibus quinque perpetuas Capellanias in titulum conferendas. Capellanis vero certas imposuit leges circa servitium Ecclesiae praestandum et Missarum onera implenda. At Capitulum Cathedrale contendit, Ecclesiam illam sibi esse subiectam; adeoque non ad praedictos Capellanos, sed Canonicos spectare ius peragendi Officium funebre, quoties cadavera essent sepulturae mandanda in ea Ecclesia, itemque ibidem Missam solemniter celebrandi festo die S. Margaritae. Capellani tamen negarunt, Ecclesiam ullo iure subiectam esse Capitulo, itemque affirmarunt, nullas functiones peragi in ea Ecclesia consuevisse a Canonicis.

17. His utrinque perpensis, proposito du-

bio: – An constet de aliquo iure Capituli Cathedralis pro peragendis functionibus ecclesiasticis occasione tumulationis Cadaverum et die festo S. Margaritae in Ecclesia, de qua agitur, vel potius ius faciendi dictas functiones spectet privative ad Rectores et Capellanos eiusdem Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, salvis iuribus parochialibus – *in Ortonen. die 19 Ianuarii 1735.*

18. Nullum igitur dubium, quin Capellalanus, non vero Parochus seu Canonici, ius habeat canendi huiusmodi Missam solemnem, si nullo alio speciali titulo Ecclesia intra limites Paroeciae existens eisdem subiecta reperiatur *in Nullius seu Terrae Pontiani Missae solemnis die 9 Iulii 1735.*

19. Siquidem Rosa Moroni testamento anni 1654 iussit fundari in Ecclesia S. Michaelis Archangeli Terrae Pontiani Beneficium seu Capellaniam adiecto onere, quod Capellanus pro tempore et in futurum existens teneretur celebrare Missas duas quavis hebdomada, quodque in diebus festivis S. Michaelis Archangeli mense maii et aprilis annuis teneretur facere canere Missam. Archipresbiter et Canonici Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Nicolai in eadem Terra existentis ius illam solemniter celebrandi ad se spectare contenderunt. Nam Testatrix cum oneris implementum indixerit Capellano iis verbis: – teneatur facere canere Missam –, censenda videbatur, animum habuisse, ut ab ipso minime celebraretur. Insuper praefata Ecclesia nedum erat intra limites Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Nicolai, sed huic quoque uti patronae speciali titulo subiecta: ac demum pacificam possessionem celebrandi huiusmodi Missam sustinuerunt. At Antonius Sanctolini Capellanus impugnavit praetensum iuspatronatus, cum sumptibus Communitatis, non vero Capituli, Ecclesia illa erecta fuerit; asserensque praeterea tam longe abesse, ut Archipresbiter et Canonici essent in pacifica possessione canendi praefatam Missam, ut contrarium aperte desumeretur ex libris, in quibus praesertim ab anno 1688 ad illud usque tempus celebratio dictae Missae adnotata reperiebatur, contendit, in iure haudquaquam conijci posse ex allatis Testamenti verbis interdictum Capellano Missae celebrationem, minusque eam Canonicis vel Archipresbitero commissam; neque demum eisdem suffragari, quod Ecclesia S. Nicolai esset Parochialis, cum celebratio Missarum in cantu ad ius Parochiale non spectet, uti prae ceteris declaratum habetur in Decretis generalibus S. Rituum Congregationis relatis per Monacellium in form. for. Eccles. part. 2 tit. 13 form. 1.

20. His utrinque perpensis, proposito dubio; – An celebratio Missae solemnis in duobus festis S. Michaelis Archangeli in Ecclesia eidem Sancto dicata spectet ad Archipresbiterum et Canonicos Collegiatae et Parochos Ecclesiae S. Nicolai Terrae Pontiani, sive potius ad Capellanum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Nullius seu Terrae Pontiani Missae solemnis die 9 Iulii 1735.*

21. Quin imo, licet Capellania erecta sit in ipsa Ecclesia Parochiali, Capellanus iure pollet canendi Missas in respectiva Capella diebus statutis a Fundatore, nec non uti propriis utensilibus privative quoad ipsum Parochum, dummodo non impediat functiones parochiales; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An liceat Rectori Capellaniae S. Antonini et animarum purgantium erectae in Ecclesia Parochiali per se ipsum vel per alios Sacerdotes sibi benevisos canere Missas in diebus statutis a Fundatore et Ansuino Iustiniano et uti supellectilibus eiusdem Capellae ac propriis utensilibus, seu potius Missae privative canendae sint a Parocho? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, dummodo non impediat functiones parochiales, et celebret per se ipsum – *in Firmana Iurium parochialium die 2 Decembris 1747.*

22. Idcirco eo vel magis functiones non parochiales ac etiam celebrationem Missae in die festo ante Parochialem Capellani rurales explere possunt, si adsit consuetudo; his enim in terminis propositis dubiis: – III. An liceat eidem Capellano celebrare Missam in die festo ante Parochialem cum explicatione Evangelii in casu etc. IV. An liceat Capellano facere solemnem Officiaturam cum Missa et ritu solemni praesertim in die

S. Laurentii titularis Ecclesiae, Parocho inscio atque invito? – S. Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative; et quoad explicationem Evangelii, praevia licentia Episcopi. Ad quartum, Affirmative – *in Amerina Functionum die 3 Decembris 1757.*

23. Itaque ad celebrationem Missarum quod spectat cum fortasse non deesset coniectura de Testatoris mente, praeferendos in Missarum celebratione Ministros eiusdem Ecclesiae decisum fuit a Sacra Rota in decis. 294 et decis. 338 part. 9 Recent. et decis. 369 et decis. 405 coram Cavalerio, et a S. Congregatione in Bituntina Missarum die 19 novembris 1729, et speciatim agendo de legato Missarum celebrandarum in Ecclesia Patrum Reformatorum sic quoque respondit Sacra Congregatio in Romana Oneris Missarum 12 ianuarii et 22 martii 1732, in qua tamen Causa non solum addita Rescripto fuit clausula haec: – in casu, de quo legitur –, sed etiam in secunda propositione declaratum fuit, Religiosis praestare utensilia heredem non debuisse *in Papien. Oneris Missarum die 28 Novembris 1733* §. *Ex.*

24. Si vero in legato concipiendo non appareat, peculiarem fuisse habitam rationem Ministrorum illius Ecclesiae, in qua Missae sunt celebrandae, sed onus sit tantummodo iniunctum heredi, tunc in eius arbitrio censeri positum, ut quos maluerit Sacerdotes ad id deligat, utensilibus tamen, ut aiunt, solutis, probat Card. De Luc. de Legat. disc. 25, et rescriptum fuit a Sacra Congregatione in Romana 15 ianuarii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 138 et in Maceraten. 5 Martii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 158 et in Asculana 26 ianuarii 1732 inter Summaria precum *in Papien. Oneris Missarum die 28 Novembris 1733* §. *Porro.*

25. Qua de re si Testator eo non fuerit animo, ut fundus, quem ab herede assignari posse voluit, adiudicaretur Ecclesiae Ministris, eum onere Missae ab eis celebrandae, heres Capellanum nominare potest, et huiusmodi Capellanus ius habet celebrandi Missas, licet praefati Ecclesiae Ministri seu Regulares per centum et septuaginta annos eas continuo celebraverint *in Papien. Oneris Missarum die 12 Decembris 1733.*

26. Siquidem Balthassar de Magistris in codicillis, quos condidit anno 1559 ita cavit: – Gravavit et gravat eius heredes ad construi faciendam Capellam unam in Ecclesia S. Crucis Papiae sub vocabulo trium Magorum, cum eius ancona et cum sepultura marmorea habente insculpta insignia Familiae de Magistris, in qua eius heredes sepeliri possint, et ad construendam sepulturam ipsius D. Balthassaris in eadem Ecclesia etc., ac etiam gravavit et gravat heredes ad celebrari faciendum in dicta Ecclesia et in dicta Capella Missam unam singula die pro anima ipsius D. Testatoris et defunctorum suorum, a quo onere possint ipsi heredes se redimere designando reditus sufficientes ad eleemosynam pro celebratione dictarum Missarum, videlicet implicando tot pecunias, ex quibus reditus sufficiens percipi possit pro celebratione dictarum Missarum –. In hac Ecclesia, quae erat PP. Reformatorum Franciscanae Familiae, ut optaverat, sepulturae datus fuit Testator, iamque per centum et septuaginta annos soluta ab heredibus fuit eleemosyna, ut unus ex Religiosis in Coenobio commorantibus Missae Sacrificium faceret singulis diebus, iuxta memorati Testatoris votum. At exin Carolus de Magistris volebat quotidianae illius Missae celebrationem committere, donec vixisset, Clerico Antonio Zucchi, ut ad hunc titulum posset sacris Ordinibus initiari. Verum obstiterunt Religiosi contendentes, rem tamdiu aliter servatam mutari non debere, nec seculares Presbiteros admitti consuevisse ad Capellanias obtinendas in eorum Ecclesiis. Heres tamen putavit, sibi plurimum suffragari argumentum deductum ex facultate a Testatore tributa assignandi fundum idoneum oneri quotidianae Missae. Cum enim PP. Reformati possidere nequirent annuos reditus nec annua percipere legata, quibus etiam annexa sint onera Missarum, iuxta Decreta ab Urbano VIII approbata, quae habentur apud Fagnanum *in Cap. Nimis prava* de excess. Praelatorum, inde arguit, Testatorem non potuisse eo animo esse, ut fundus, quem ab herede assignari posse voluit, adiudicaretur ipsis Religiosis cum onere quotidianae Missae ab eis celebrandae.

27. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An Missa quotidiana fundata a Balthassare de Magistris in Altari SS. trium Regum erecto in Ecclesia S. Crucis PP. Re-

formatorum S. Francisci privative celebranda sit a dictis Patribus, sive potius celebrari possit a Capellano ab heredibus deputando? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Papien. Oneris Missarum die 12 Decembris 1733.*

28. Idcirco nisi aliter dispositum fuerit a Fundatore, Capellanus, qui Capellaniae nactus est possessionem cum omnibus iuribus ac pertinentiis, iure pollet ac fruitur administrationem gerendi ac onera implendi *in Tiburtina die 27 Maii 1826* §. *Quaedam.* (1)

29. Hinc administratio bonorum, quae ad Ecclesiam et Capellam pervenerunt, spectat ad respectivum Capellanum, non vero ad Parochum, intra cuius limites illa erecta est: ac multo minus iis, qui cessionem iurium ab eodem habuerunt; his enim in terminis proposito dubio: - III. An et ad quem pertineant bona iura credita sacra supellectilia et alia quaecumque data concessa et perventa ad dictam Ecclesiam et Capellam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, quoad proprietatem spectare ad Ecclesiam, administrationem vero ad Capellanum – *in Verulana Iurispatronatus die 16 Ianuarii 1779.*

30. Iusta vero concurrente causa, Sacra Congregatio declarat, locum esse commutationi voluntatis Testatoris ad effectum concedendi Episcopo facultatem eligendi Administratorem ipsi benevisum cum annuo emolumento, qui eidem reddat rationem suae administrationis et doceat de onerum adimplemento *in Tiburtina die 18 Decembris 1824 et die 27 Maii 1826* (2).

31. Unde quando Fundator dederit Patronis facultatem nominare passive vocatos in minori aetate constitutos ante institutionem Capellanorum proprietariorum, ius nominandi Capellanum interinos, qui interim onera adimpleant, spectat ad Patronos, at post institutionem pertinet ad ipsos institutos, non vero ad Ordinarium; his enim in terminis propositis dubiis: – IV. An nominatio Capellanorum Interinorum spectet ad Patronos, vel potius ad Ordinarium ex vi assertae consuetudinis Diaecesis? VI. An post obtentam institutionem pertineat ad ipsos Institutos deputare Capellanos Interinos, qui adimpleant onera Missarum earumdem Capellaniarum, quas ob defectum aetatis, ad Ordinem Sacerdotalem requisitae, nequeant ipsi Instituti celebrare per se ipsos, seu potius hoc spectet ad Ordinarium? – Sacra Congregatio respondit; – Ad quartum et sextum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Angelopolitana Capellaniarum die 5 Aprilis 1732.*

32. Cum itaque Capellani ius praecedentiae haberent in processionibus, alias eisdem interesse non tenerentur, sed inde ad illas accedere cogerentur absque praedicto iure praecedentiae, Sacra Congregatio mandavit, ut servaretur solitum *in Giennen. 24 Augusti 1754.*

33. Enimvero postquam Franciscus de los Cobos in Parochiali Ecclesia S. Thomae Oppidi exin Civitatis Ubedae Capellam extruxerat et dotaverat et a sa. me. Clemente VIII impetraverat unionem eidem Capellae plurium Beneficiorum, quae sibi iuris erant, ut fructus erogarentur pro stipendio Capellani, qui maior diceretur, et aliorum sex Capellanorum, qui minores nuncuparentur, obtinuit a sa. me. Paulo III translationem earumdem Capellaniarum in Ecclesiam S. Salvatoris, quam extruere meditabatur, auctis duabus aliis Capellaniis. Pietatem defuncti Viri aemulata coniux Maria Mendoxa et communis filius Didacus de los Cobos, Ecclesiam S. Salvatoris post Francisci obitum perfici, erogatis de propria pecunia quadraginta millibus ducatorum auri, studiorum Academiam et Monasterium extrui curarunt, Puellas nuptui tradiderunt, dotem Hospitali constituerunt, alio etiam aedificato Monasterio Hospitali in Oppido exin Episcopali Civitate Vallisoleti, erogatis etiam aliis bis mille ducatis auri in fundationem alterius Monasterii Regularium in eodem Oppido Vallisoleti. His igitur aliisque pietatis operibus absolutis, constitutoque in Ecclesia S. Salvatoris Ubedae duodeno Capellanorum numero, Sacristis, Magistro Capellae, Cantoribus, Ministris, Magistris denique Gramma-

(1) Postius de manutent. observ. 71, n. 118; Rot. in decis. 30, n. 5 coram Olivatio.
(2) Species et resolutio Causae huius prostat in Verb. *Capellanus*, §. I, n. 24 ad 28, tom. V.

ticae et Rethoricae, Gregorius XIII statuit, – quod de cetero Capellanus maior, qui pro tempore foret, praecedentiam super omnes alios dicti Oppidi de Ubeda Beneficiatos haberet in processionibus taliter, quod incederet immediate post ultimam Dignitatem Secularis et Collegiatae Ecclesiae dicti Oppidi; alias non teneretur nec compelleretur incedere in processionibus etiam generalibus, nec aliquibus censuris super hoc innodari posset, nec non quod Beneficiati eiusdem Ecclesiae S. Salvatoris in processionibus incedere deberent post dilectos filios Beneficiatos dicti Oppidi –. Exequutionem suae Constitutionis mandavit Pontifex Episcopo Guadicensi, qui in iudicio contradictorio rem adamussim explevit. At renuit Capitulum Collegiatae Ecclesiae Ubedae Constitutioni Pontificiae et sententiae Episcopi exequutoris obtemperare; ideoque neque Capellanus maior neque minores processionibus unquam accesserunt. Cum anno vero 1751 Provisor generalis Giennensis Edictum proposuisset, quo praecipiebat, ut Ecclesiastici omnes processioni Sanctissimi Corporis Christi accederent, lis inter utramque Ecclesiam coram eodem Provisore contestata fuit, qui, comperta Constitutione Gregoriana, curavit, ut a Capitulo Collegiatae Ecclesiae Ubedae adiretur Sacra Congregatio, quae compelleret maiorem minoresque Capellanos ad incedendum in processionibus eo loco iis debito iuxta tempus eorum fundationis, sicuti decretum fuerat a sa me. Paulo V Brevi ab eodem dato. Hinc Patrona Eleonora Gomer de los Cobos et Capellani urserunt Constitutionem Gregorianam munitam Clausula – sublata –, et Decreto – irritanti –. Contenderunt, Breve Paulinum manifesta obreptione et subreptione infectum esse, cum reticuerit Capitulum Gregorianam Constitutionem et sententiam Episcopi exequutoris latam, contradicente eodem Capitulo, quae si scivisset Summus Pontifex, Breve illud non dedisset.

34. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellanus maior et minores Capellani Ecclesiae S. Salvatoris Civitatis de Ubeda in generalibus et quibusvis particularibus processionibus habeant locum inter Canonicos et Beneficiatos Collegiatae Ecclesiae dictae Civitatis, videlicet Capellanus maior immediate post ultimam Dignitatem, ceteri vero Capellani minores immediate post Beneficiatos? *Et quatenus Negative.* II. An iidem maior et minores Capellani compelli possint ad interveniendum in dictis processionibus? *Et quatenus affirmative.* III. An et quem locum obtinere debeant in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Servetur solitum, et amplius – *in Giennen. die 24 Augusti 1754.*

§. V.

CAPELLANUS QUOAD REMOTIONEM PRIVATIONEM ET CADUCITATEM.

1. Si Capellanus non sit simpliciter amovibilis, sed amovibilis ad nutum, secundum plures Doctores removeri potest absque causa *in Nullius Farfen. Capellaniae die 16 Iulii 1791* §. *Removeri.*

Item *in Romana Suspensionis onerum die 28 Martii 1801* §. *Quatenus* (1).

2. At pacifica non est inter Doctores traditio illa, quod si nullam allegat causam is, qui dato sibi arbitrio ad nutum removendi Capellanum utitur, hoc ipso ex malitia et odio agere videatur *in Firmana Capellaniae die 3 Februarii 1787* §. *Quid.*

3. Alii enim tenent, revocari non posse Capellanum absque causa rationabili etiam ad nutum amovibilem, quia etsi beneplacitum et voluntas omnem libertatem contineant, haec tamen honestati publicae et decentiae non debet opponi et regulanda est cum aequitate naturali, quae non patitur, officium sine causa auferri, cum ab hac privatione dedecus et ignominia quaedam seiungi non

(1) Piton. de controv. patron. allegat. 88, n. 1; Ferrar. in Biblioth. Can. verb. *Capellania* in addit. n. 1; Card. De Luc. de Benef. disc. 80, n. 5.

soleat *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab officio die 24 Iulii 1858* §. *Atqui* (1).

4. Perversum hinc et iniquum a sacris Canonibus reputatur, quempiam officiis privari sine propria culpa atque facinore ex nuda agentis voluntate, iuxta Textum in Canone *Satis perversum* dist. 4; et contra omnem aequitatem esse aliquem sine iusta causa ab officio removere ob maximum dedecus, quo amotus afficitur *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab officio die 24 Iulii 1858* §. *Perversum.*

5. Quapropter licet res sit de Capellania mere laicali et ad nutum amovibili, nequit iam semel nominatus, nisi aliqua iusta causa aderit, ab illa expelli *in Firmana Capellaniae die 23 Aprilis 1735* §. *Et tertio.*

Item *in Firmana Commutationis Voluntatis die 29 Aprilis 1837* §. *Silet.*

6. Cum enim nulla existat causa legitima, idcirco sequi necessario ex sola malitia seu malo animo revocantis decretam fuisse remotionem arguit Lotterius in quaest. 33 de re Benef. lib. 1 n. 31 *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab officio die 24 Iulii 1858* §. *Cum.*

7. Pitonius contra in allegat. 100 de controv. patron. n. 41 inquit: – Circa vero odium vel malitiam, ex qua procederet remotio, cavendum est ab auctoritate Lotterii de re Benef. dicentis, quod ubi remotio fiat sine ratione et causa, adesse dicitur malitia ex parte removentis. Etenim in amovibilibus ad nutum hodie certissimi iuris est, nullam requiri rationem aut causam, quia stat pro ratione voluntas in dependentibus ab arbitrii nostri libertate, et stat simul remotionem fieri sine ratione aut causa, et tamen non procedere ex malitia, quia scilicet removens vult uti iure suo, ubi nemini iniuriam facit – *in Firmana Capellaniae die 3 Februarii 1787* §. *Quid.*

8. Unde Capellanus amovibilis ad nutum petere nequit reintegrationem, si fuerit amotus sine causa *in Romana Reintegrationis die 21 Novembris 1761* §. *Patronus* (2).

9. Idcirco ne dubium quidem, quin pro amovendo Capellano ad nutum amovibili causae etiam leves vel levissimae sufficiant *in Hortana Capellaniarum die 8 Aprilis 1843* §. *Quod* (3).

10. Nam quando res est de Capellaniis, quae ex Fundatorum voluntate ad Patronorum nutum amovibiles declaratae sunt, satis exploratum est, Capellani remotionem ab Patronorum voluntate dumtaxat pendere, nec ullam amotionis causam requiri, dummodo ea non fiat in odium vel malitiam, cum id importet verbum illud – ad nutum – *in Hortana Capellaniarum die 8 Aprilis 1843* §. *Quod.*

11. Compertum siquidem est, nullam oriri dubitationem, quod si malitia et odium aliunde emergat, et probetur absurdus hic concessi arbitrii abusus ferendus atque in iudicio laudandus non sit *in Firmana Capellaniae die 3 Februarii 1787* §. *Sed.*

12. Nam licet Capellania seu officium sit ad nutum revocabile, revocatio tamen haud sustinetur, si ex malitia odio calumnia aut indignatione processerit *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab officio die 24 Iulii 1858* §. *Cum* (4).

13. Qua de re quantumvis latissimum nonnulli Doctores ponant hoc ius ad nutum amovendi Patronis impertitum, tamen – citra odium et malitiam et extra notabile praeiudicium alterius – omnes cohibuerunt *in Sutrina Iurispatronatus seu Capellaniae die 4 Aprilis 1840* §. *Urget* (5).

14. Siquidem Rota coram Cavalerio decis. 72 n. 5 inquit: – Et licet alias Rota secuta fuerit eam opinionem, ut in manualibus amotio fieri possit etiam sine causa, id tamen intellexit, si non subsit causa malitiae aut

(1) Oter. de official. Cap. 13, n. 31; Pignatell. consult. can. 143, n. 4, tom. 9.

(2) Rot. coram Falconerio tit. de Iurepatronat. decis. 56, n. 10; et in Mantiss. ad Card. De Luc. decis. 11, n. 1 et 2 de Beneficiis.

(3) Pignatell. consult. 143, tom. 9; Rot. in Salisburgen. Capellaniae apud Piton. de controv. patron. alleg. 88, n. 11.

(4) Lara de Capell. lib. 2, Cap. 6, n. 22; Ceccoper. tom. 2, lib. 3, tit. 3 in animadvers. n. 11, et tom. 3 in addit. 19, n. 11; Pignatell. consult. 143, n. 9, tom. 9: Corrad. in Prax. Benef. lib. 1, Cap. 6, n. 176; Card. De Luc. de Benef. disc. 97, n. 11 et 12.

(5) Ita Corrad. in Prax. Benef. cap. 6, n. 274; Garz. de Benef. part. 1, cap. 2, n. 88; Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 5, n. 4; Rot. in decis. 2, n. 8, part. 13 Recent.; et in Aquilana Prioratus, quae est in decis. 778 divers. n. 2 et 3.

praesumptio odii – *in Firmana Capellaniae die 3 Februarii 1787* §. *Sed* (1).

15. Idcirco ex quibus etiam eruere est, vel ipsam praesumptionem odii et malitiae sufficere ad remotionem excludendam *in Sutrina Iurispatronatus seu Capellaniae die 4 Aprilis 1840* §. *Urget.*

16. Censeri namque revocationem factam ex malitia, si subsit praesumptio alicuius odii, tradit Fagnanus in Cap. *Monasterium* de statu Monachorum *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab officio die 24 Iulii 1858* §. *Eamdemque.*

17. Unde non usque adeo ampliandum esse videtur removendi arbitrium, ut illud etiam observari debeat, quando non desit in utente suspicio odii aut malitiae *in Firmana Capellaniae die 3 Februarii 1787* §. *Ait* (2).

18. Praesumi autem remotionem factam ex odio et malo animo, si facta fuerit lite pendente, tradunt Gonzalez Navarrus et Sanchez apud Pitonium de allegat. patron. alleg. 88 *in Fulginaten. Remotionis et Depositionis ab officio die 24 Iulii 1858* §. *Eamdemque.*

19. Sane nullam in amoventibus maiorem adesse praesumptionem, quam quae ex lite derivatur, eoque magis si inter ipsum iudicium remotio fiat, tradit post Rebuffum de pacif. possess. n. 337 Gratianus discept. forens. Cap. 167, n. 22 *in Signina Iurispatronatus die 4 Aprilis 1840* §. *Odii.*

20. Odium tamen non facile praesumitur uti redolens delictum, ceu monet Rota in decis. 15 n. 41 coram Peutinger *in Romana Reintegrationis die 21 Novembris 1761* §. *Addit.*

21. Licet itaque versemur in Capellaniis manualibus, quarum natura est, ut Beneficiatus et Capellanus possit sine causa et ad nutum amoveri, cum tamen vehemens subesse potest irae odiique aut vindictae praesumptio, necesse est, causam proponi et propositam probari, ut remotioni locus esse possit, ita defendentibus Franch. in Cap. *Cum Singula* n. 5 de Praebendis in 6, Lotter. de Re Benef. lib. 1 quaest. 33 n. 2, Corrad. in Prax. Benef. lib. 1 Cap. 6 n. 276 *in Spoletana Capellaniarum die 14 Martii 1744* §. *Quod si.*

22. Cum autem exulet quaevis irae odiique aut vindictae praesumptio, Sacra Congregatio declaravit, Capellanum deputatum ad nutum amovibilem posse amoveri etiam non probata causa coram Episcopo *in Panormitana mense Octobris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 34.*

23. Quin imo si Fundator Patrono amplissimam dederit facultatem removendi Capellanum absque ulla causa, quin etiam alicui praeter Deum et conscientiam propriam rationem reddere teneretur, nullum adest dubium, quod Patronus removere valeat Capellanum, licet huiusmodi concurrant circumstantiae, ut Antistes remotionem ex odio et infenso animo Patroni derivare contendat *in Firmana Capellaniae die 3 Martii et die 19 Maii 1787.*

24. Siquidem laicalem Capellaniam in Oppido Montis Sancti fundavit anno 1679 Sacerdos Spiritus Spiriti, quam actu Sacerdoti deferri voluit, praestituto eidem certo Sacrificiorum onere et data nominandi potestate Plebano Parochialis Ecclesiae S. Michaelis Montis Sancti, sin autem quandocumque ea Plebania in Collegiatam erigeretur, nominari Capellanum voluit a Sacerdote Seniore Montis Sancti, oriundo dictae Terrae in eaque habitante. Voluit insuper Fundator, ut praefati Plebanus et Sacerdos senior respective possent libere et absque causa aliqua ipsorum arbitrio removere Capellanum, quin ullatenus alicui praeter Deum et propriam conscientiam rationem reddere tenerentur. Ea usus facultate Canonicus Pierandrei Oppidanus et incola Montis Sancti seniorque Sacerdos (iam enim a longo tempore Plebaniam in Collegiatam erecta fuerat) actualem Capellaniae a duodecim annis possessorem Canonicum Canepini removit; qui proinde interposito recursu ad Sacram Congregationem contendit, non usque adeo ampliandum esse removendi arbitrium, ut illud etiam observari debeat, quando non desit in utente suspicio odii aut malitiae, multoque magis quando Fundator ad con-

(1) Corrad. in Prax. Benef. lib. 1, cap. 6, n. 276; Rot. coram Cavalerio decis. 72, n. 3; coram Peutinger decis. 15, n. 39; decis. 63, n. 107; et part. 1 divers. decis. 578, n. 2 et 3.

(2) Id pariter eadem Rota statuit in Hispalen. Iuris amovendi Curatos 20 aprilis 1640, n. 39 et 40; et in confirmatoria 28 iunii 1642, n. 18 et seqq. coram Peutinger.

scientiam utentis appellavit. Archiepiscopus autem censuit: – Non equidem remotio, de qua agitur, habuit initium ex adductis causis, quae modo ad opportunitatem fuerunt excogitatae, sed ex odio et infenso animo Sacerdotis senioris derivavit. Sciant enim EE. VV., quod eo tempore, quo fuit Orator nominatus, Capellaniam obtinere petiit idem Sacerdos senior. Sed cum voti compos tunc non evaserit, id aegre animo tulit, ut Oratorem ipsum removere fuerit meditatus, ubi sibi qua Seniori ius devolveretur, prout egisse revera constat –. Quin imo et illud accedebat, quod omnes illius antecessores Capellaniam ad obitum usque retinuerant, quod Canepinius extemplo et nullo praemisso urbanitatis officio post duodecim annos reiectus fuit, licet – optimis praeclarisque moribus imbutus, et de fundis ad Capellaniam spectantibus ob expleta quamplurium melioramenta est optime meritus –. Denique Canonico Pierandrei requisito, ut causas aperiret, Archiepiscopus retulit: – Sed ni fallor, res esse expiscatae videntur et eius equidem naturae, ut pro pallianda iniuria opportune fuerint adinventae –. In his porro circumstantiis non de aeque retinendoque arbitrio agi videbatur, sed de manifesto semperque improbato arbitrii abusu. Canonicus Pierandrei nihil ad haec respondere curavit: sed ex officio advertebatur, non deesse Doctores, qui tenent, fieri posse remotionem in huiusmodi Capellaniis sine ratione aut causa, quin tamen procedat ex odio vel malitia. Perpendendum hinc erat, num Canonicus Pierandrei, qui causas iudicio Ordinarii ineptissimas allegavit, statim ex malitia aut odio procedere censendus esset.

25. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit servanda remotio Canonici Iosephi Canepini a Capellania sub invocatione Spiritus Sancti, seu potius idem Canonicus Canepini sit redintegrandus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Firmana Capellaniae die 3 Martii 1787.*

26. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis et amplius – *in Firmana Capellaniae die 19 Maii 1787.*

27. Idcirco multo minus ulla fit iniuria Capellanis ad nutum praesertim amovibilibus, si removeantur ex iusta causa *in Romana Suspensionis onerum die 28 Martii 1801* §. *Deputato.*

28. Hinc Sacra Congregatio permisit merito remotionem plurium Capellanorum ad nutum amovibilium, ut, interim suspensis Capellaniarum oneribus, aliquod non leve afferretur subsidium inopiae Archihospitalis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum Urbis; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo sit locus suspensioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta vota Eminentissimorum Cardinalis Urbis Vicarii et Cardinalis Visitatoris, demptis duabus Capellaniis Berguma et Sanctissimi Sacramenti in Oppido Fabricae ad triennium – *in Romana Suspensionis onerum die 28 Martii 1801.*

29. Qua de re cum ex instrumentis fundationum Capellaniarum removeri valeat Capellanus cum causa et absque causa, si Patronus huiusmodi Capellanum removit, non est locus reintegrationi, licet eas acceptaverit sub fide; quod non removeretur absque legitima causa *in Romana Reintegrationis die 21 Novembris 1761.*

30. Quum enim Patronus Capellanum nominaverit ad Capellanias ad nutum amovibiles, is conqueri non potest contra legem fundationis et contra literam suae deputationis de sua amotione sequuta sine causa; adeoque nulla illi debita esse videtur reintegratio *in Romana Reintegrationis die 21 Novembris 1761* §. *Patronus* (1).

31. Enimvero Elisabeth Erasmi binas fundavit Capellanias mere laicales unius Missae qualibet hebdomada celebrandae ad Altare Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia Sanctorum Sebastiani et Valentini Urbis, unam anno 1707 et alteram 1710, assignata cuilibet dote trium Locorum Montium cum dimidio alterius loci, et in utriusque fundationis instrumento sibi ac Iosepho Laezza eiusque successoribus reservavit ius nominandi Capellanum ad nutum

(1) Piton. controv. Patron. allegat. 100 in supplem. n. 54; Rot. coram Falconerio tit. de iurepatronat. decis. 56, n. 10; Mantiss. ad Card. De Luc. dec. 11, n. 1 et 2 de Benef. lib. 12.

amovibilem cum causa et absque causa. Utramque Capellaniam obtinuit, donec vixit, Canonicus Bartholomaeus Laezza nominatus ab ipsa Fundatrice; et post illius obitum Bernardinus Laezza modernus Patronus die 13 Augusti 1755 nominavit Sacerdotem Thomam Bartolani. Mense tamen nondum elapso, die 11 septembris eiusdem anni Patronus aliam explevit nominationem, eligendo in Capellanum earumdem Capellaniarum ad nutum amovibilium Sacerdotem Nicolaum Roscioli, qui illas possedit ad totum mensem octobris 1760. Sed cum inde Patronus nominaverit alium Capellanum, Nicolaus Roscioli recursum habuit ad Sacram Congregationem postulans, ut reintegraretur ad possessionem Capellaniarum, a quibus amotus fuerat sine causa. Rosciolius enim contendit, verba – cum causa et sine causa – apposita in instrumento fundationis primae Capellaniae nequaquam repetita fuisse in instrumento fundationis secundae Capellaniae, in quo immo legebatur limitata facultas amovendi ad nutum cum causa, iuxta informes particulas eorumdem instrumentorum per ipsum exhibitas, sed huiusmodi particulae minime concordabant cum originalibus instrumentis in officio Notarii recognitis, in quibus praefata verba – cum causa et sine causa – aeque legebantur in utroque instrumento fundationis primae et secundae Capellaniae. Sustinuit etiam, ipsum nominatum fuisse eodem modo et forma, qua Canonicus Laezza iis gavisus fuerat, donec vixit; nec non dictas Capellanias acceptasse a Patrono sub fide, quod ille remotionem non indixisset absque legitima causa. Idcirco vigore huius promissionis, quam per extraiudicialem duorum Testium probabat, non poterat a Patrono contra datam fidem amoveri sine causa, postquam correspectivas subiverat expensas pro obtinenda sui favore reservatione fructuum Locorum Montium. Patronus vero ex instrumentis fundationum ostendit liberam remotionis potestatem in casu praesertim, ubi de Capellania mere laicali agebatur, in quibus licita est amotio pro libitu voluntatis, dummodo non fiat in odium, vel cum dedecore Capellani, ut tradunt Card. De Luca de Benef. disc. 80 n. 17 et disc. 97 n. 6, et Pitonius de controv. patron. allegat. 88 n. 1 et seqq. At non constabat de aliquo Roscioli dedecore exinde resultante, neque de dolo Patroni, qui uti redolens delictum non praesumebatur, ut dixit Rota coram Peutinger decis. 15 n. 41.

32. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit danda reintegratio Sacerdoti Nicolao Roscioli ad Capellanias, de quibus agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Romana Reintegrationis die 21 Novembris 1761.*

33. Idcirco cum Testator in codicillis voluerit Capellanum ad nutum amovibilem, nequit Episcopus cohibere ius hoc amovendi cum clausula ex rationabili causa; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Episcopus ius amovendi Capellanum cum clausula « ex rationabili causa » restringere potuerit? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Pennen. Capellae die 26 Novembris 1672.*

34. Unde si ex lege fundationis Capellanus sit ad nutum amovibilis Patronorum, ipse Tutor filiorum suorum, qui proprio iure in potestatem nominandi succedunt, removere potest Capellanum, licet hunc nominaverint eorumdem mater et uxor Fundatoris cum lege nominationem habendi ratam validam atque firmam contraque non faciendi dicendi apponendi vel veniendi sub quovis praetextu, se ipsas eorumque heredes in ampliori R.C.A. forma obligantes; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Sacerdos deputandus pro celebratione Missarum, de quibus agitur, sit amovibilis ad nutum Patronorum? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus remotioni Alberti de Marcantoniis Capellani deputati a Barbara et Magdalena de Marcantoniis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad utrumque, Affirmative – *in Firmana Capellaniae die 18 Iunii 1735.*

35. Si vero Capellani legitime obtinuerint a Sede Apostolica gratiam retinendi Capellanias seu simplex legatum Missarum donec viverent, amoveri non possunt, licet Patroni ex lege fundationis eos amovere possent cum causa et sine causa; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An sustineantur Rescripta obtenta a Canonico Lucio Recchi nec non a Sacerdotibus Venantio Telli et Elpidio Biccolini in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An iidem Canonicus Recchi et

Sacerdotes Telli et Biccolini sint a Capellania removendi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Asculana die 15 Maii 1779.*

36. Hinc si Patroni in actu cessionis iurispatronatus conditionem apposuerint, quod novi Patroni cessionarii non possent removere Capellanum ab iisdem iam nominatum donec viveret, praedicti cessionarii nequeunt removere praefatum Capellanum tamquam indignum, ex eo quod is iuspatronatus et validitatem memoratae cessionis in dubium ac in suspicionem simoniae revocaverit, salva tamen Episcopi auctoritate, etiamsi ex lege fundationis Capellania sit ad nutum Patronorum amovibilem; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit locus remotioni Ioannis de Felici Capellani deputati ab Innocentio et Ioanne Cherubini? –, S. Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative salva auctoritate Episcopi; et amplius – *in Reatina Capellaniae die 10 Maii 1755.*

37. Cum autem Capellanus ad nutum amovibilis ad vitandam iram Patronae ac odium petierit perpetuationem Capellaniarum manualium, quas possidebat, vel saltem ne liceret praedictae Patronae eiusque Successoribus ipsum removere inconsulta Sacra Congregatione, donec viveret, assumpto onere recuperandi propriis sumptibus bona perperam distracta, nec non Altaria restaurandi et sacram supellectilem tradendi, Sacra Congregatio, circumscripta nominatione novi Capellani, iussit scribi Episcopo pro nova informatione et voto iuxta instructionem, ut scilicet in re, de qua agebatur, plene et ex integro instructam redderet Sacram Congregationem, ac de hinc inde expositorum veritate certioraret, nec non animi sui sensum aperiret *in Spoletana Capellaniarum die 28 Martii 1744.*

38. At removeri nequit sine iusta et rationabili causa Capellanus simpliciter amovibilis *in Nullius Farfen. Capellaniae die 16 Iulii 1791* §. *Removeri.*

Item *in Nullius S. Salvatoris maioris Capellaniae die 18 Augusti 1792* §. *Quaerendum* (1).

39. Unde qui ius habent nominandi Capellanos pro celebratione Missarum perpetuarum, eosdem removere non possunt, nisi iusta adsit causa *in Romana Declarationis voluntatis die 23 Aprilis 1735.*

40. Nam Capellanus semel institutus nequit a Patronis absque legitima causa removeri *in Ianuen. Capellaniarum die 30 Ianuarii 1762* §. *Contendit.*

Item *in Firmana Capellaniae die 23 Aprilis 1733* §. *Albertus.*

41. Siquidem Matthaeus Maria Ghirlandari heredem universalem, adiecto pluriorum Legatorum piorum onere, instituit Archiconfraternitatem Confalonis de Urbe; hereditatis vero suae administrationem spectare voluit ad Emum Cardinalem dictae Societatis pro tempore protectorem eiusque tres Deputatos quolibet anno, servata inter ipsos eiusdem antiquitatis praerogativa, renovandos. Cum inter plura a Testatore disposita quaedam non recte explanata viderentur, proposito dubio: – I. An Capellani nominati vel nominandi pro celebratione quinque Missarum perpetuarum removeri possint tantum cum causa, sive potius in quocumque casu renovationis illorum, ad quos pertinet nominatio, etiam absque causa in casu etc. –, S. Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Romana Declarationis voluntatis die 23 Aprilis 1735.*

42. Idcirco si Capellanus iniuste remotus fuerit, locus est redintegrationi ad Capellaniam, licet ex fundatione ea esse videatur ad nutum amovibilis, sed ad eumdem trahi simul potest declaratio quoad primum Capellanum adiecta, quod scilicet removeri non valeat absque legitima causa *in Nullius seu Farfen. Capellaniae die 6 Augusti 1791.*

43. Enimvero Officiales Societatis S. Sisinnii martyris Thophiae ex tot censibus annui tunc reditus scutorum 14. 08 instituerunt anno 1765 cum auctoritate Ordinarii Capellaniam ad eorum nutum amovibilem pro celebratione Missarum 156, ad quas ex variis dispositionibus acceptisque fundis tenebatur Societas. In primum Capellanum nomina-

(1) Piton. de controv. patron. allegat. 100 in supplement. n. 42; Amostaz. de Caus. piis lib. 8, cap. 1, n. 28 et seqq.

runt Sacerdotem Laurentium Palma cum declaratione, quod is removeri non posset absque legitima causa, ceteros vero – salva praedicta prima nominatione, quae pro hac vice censeatur et sit facta iuxta resolutionem supradictae Congregationis, voluerunt esse amovibiles ad nutum tam ipsorum, quam suorum in dicta venerabili Societate successorum pro tempore in perpetuum –. Capellaniam hanc ab anno 1759 obtinuit Canonicus Antonius de Sanctis, cum simplex erat Clericus, sed eum elapso anno dimiserunt Officiales, ob iteratam praesertim a R. Fabrica impetratam compositionem et ab Sacra Congregatione reductionem novumque confectum quorumdam censuum investimentum absque ipsorum scientia et consensu. Abbas Farfensis iustas non censuit remotionis causas iteratam cum R. Fabrica compositionem reductionemque Missarum. Nam compositio ad Capellani seu Sacerdotis non celebrantis conscientiam in tuto ponendam directa unice habetur, nec pro ipsa obtinenda Patroni consensus requiritur: reductio autem certe, auditis Confratribus, obtenta fuit; idcirco nefas erat, suspicari R. P. D. Administratorem ante gratiae executionem anno 1776 Confratres non audivisse. Hinc advertebatur, removeri non posse sine iusta et rationabili causa Capellanum simpliciter amovibilem, non item amovibilem ad nutum, qualis erat Orator, secundum plures Doctores. Nisi vero acciperetur pro discretiva ad Oratorem trahi non poterat declaratio quoad primum dumtaxat Capellanum adiecta, nempe quod removeri non posset absque legitima causa; et sic quaerendum erat, iuste ne, an iniuste remotus fuerit.

44. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus reintegrationi Oratoris ad Capellaniam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Nullius seu Farfen. Capellaniae die 6 Augusti 1791.*

45. Qua de re compertissimi iuris est, neminem inauditum Beneficii possessione esse privandum, sed ad id praemittendam necessario esse iudicialem formam, quam ideo constituit Alexander III in Cap. *Conquerente* de restitutione spoliatorum *in Parmen. Beneficii die 24 Augusti 1850* §. *Sane.*

46. Necessaria hinc est citatio, ut quis in mora constituatur, quam in Summario etiam iudicio praemittendam de iure, tum divino, tum naturali, tum ecclesiastico, tum civili patet ex Cap. *Quoniam* de probationibus, et Cap. *Inter quatuor* de maioritate et obedientia *in Parmen. Beneficii die 24 Augusti 1850* §. *Sane.*

47. Nam ut quis privari valeat perpetua Capellania, requiruntur monitiones et sententia declaratoria *in Senogallien. Taxae Seminarii die 6 Decembris 1794* §. *Communiter.*

48. Quin imo id servandum est etiam in casu, quo aperte caducitatis poena comminata fuerit ipso iure, ipso facto, nimirum citra ministerium vel declarationem hominis, uti communiter tenent Doctores (1) *in Parmen. Beneficii die 24 Augusti 1850* §. *Sane.*

49. Quaelibet enim ratio, minus etiam vera, a poena excusat caducitatis *in Senogallien. Capellaniae die 20 Aprilis 1793* §. *Hac* (2).

50. Quapropter nullam ac irritam esse declaravit Sacra Congregatio Capellaniae privationem ob non servatum iuris ordinem, nec praemissis debitis citationibus, ut cogeretur Capellanus ad onus Capellaniae adnexum adimplendum, etiamsi propter non adimpletam a Capellano Testatoris mentem valida extitisset *in Imolen. Residentiae die 17 Novembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

51. Quin imo licet in eodem fundationis actu indicta sit poena privationis Capellaniae ipso iure et ipso facto et absque declaratione Iudicis atque in eam ex culpa sua Capellanus inciderit, ac ea propter Patroni eumdem removere et alium nominare possent, locus tamen caducitati minime est, sed praefigendus est terminus unius anni ad suscipiendos sacros Ordines *in Perusina Capellaniae die 14 Decembris 1805.*

52. Enimvero perpetuam Capellaniam ad Altare S. Ioannis Baptistae Oppidi Marsciani fundavit Thomas del Cerro, atque in instrumento anni 1749, quo dotem in fundis assi-

(1) Quos inter Fagnanus in Cap. *Cum in cunctis* de elect. §. Inferiora, n. 39; et in Cap. *Conquerente* de restit. Spoliator. n. 1; Van Espen. part. 2, tit. 19 de act. et qualit. cap. 3, n. 16; Girardi de poenis eccles. part. 1, cap. 5.

(2) Card. De Luc. de fideicom. disc. 154, n. 5; Valent. de ult. volunt. part. 2, vot. 7, n. 58.

gnavit, has praecipue leges edixit, ut scilicet ius nominandi, ipso defuncto, pertineret ad Sodalitium Mortis Marsciani, ut Capellani eligendi essent Presbiteri, sin minus proxime accingendi ad Sacerdotium, qui essent bonae conditionis et famae, quique per se celebrarent Missam singulis diebus festis, et unam praeterea infra hebdomadam, ut casu, quo Capellanus intra tempus debitum ac legitimam aetatem ex propria culpa ad Sacerdotium non ascenderet, ipso iure et ipso facto Capellania privatus existeret, et Sodalitium Mortis propria auctoritate et absque declaratione Iudicis valide ac legitime devenire posset ad nominationem et praesentationem alterius Capellani. Quibus facultatibus uti volens Sodalitium Mortis postulavit ab Sacra Congregatione declarari, quod sibi liceret a Capellania Clericum Ioannem Baptistam Mariotti removere, qui, dum Reipublicae viguerunt, ad saecularia se convertit nec adhuc sacros Ordines suscepit, neque se dignum fecit, ut sacris Ordinibus institueretur. Aperta enim erat lex fundationis et poena caducitatis, ubi Capellanus ad legitimam aetatem perventus Ordines non susciperet. Addidit praeterea Sodalitium, quod Mariottus culpa sua Ordinibus carebat. Nam octo Testes, quorum tamen sex Sodalitio erant adscripti, deponebant, Clericum Mariotti oneri Missarum non satisfecisse nec officium divinum recitasse, ludis et blasphemiis et cantibus nocturnis atque obscoenis scandala praebuisse, gaudere velle Capellaniae reditibus, quin onera impleret, cum inde sanationem obtineret. Clericus vero Mariotti idcirco se Ordines non suscepisse dixit, quod curis inopis suae familiae distentus animum ad studia non applicuit. Ceterum ex Testibus probare studuit, quod sacris functionibus interfuisset, divinum Officium recitasset, et fundis Capellaniae nequaquam deteriorationem intulisset. Fassus est autem, aliquando non praestitisse Missarum celebrationem et compositionem a R. Fabrica retulisse, sed id coactus paucitate Sacerdotum fecisse. Nam ipse pro translatione Missarum supplicavit, quo facilius celebrarentur, sed repugnante Sodalitio hanc instantiam fuisse reiectam. Postulavit itaque terminum unius anni ad merendos Ordines. Advertebatur enim, quod licet poena privationis ipso facto ex actu fundationis interminaretur, nunquam tamen fuerat in mora constitutus.

53. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus caducitati, ita ut Sodalitium Mortis nominare possit novum Capellanum, seu potius Clerico Mariotti praefigendus sit terminus ad suscipiendos sacros Ordines in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praefigendum esse Clerico Mariotti terminum unius anni ad suscipiendos sacros Ordines, et Episcopus incumbat implemento onerum – *in Perusina Caducitatis die 14 Decembris 1805.*

54. Unde si quis promotus fuerit ad Ordines Sacros titulo Capellaniae laicalis, eamque Compatronis renuntians expresse sibi ius reservavit cum clausula nunc pro tunc retinendi Capellaniae possessionem in eventu dimissionis curati Beneficii, quod inde obtinuit, dimisso huiusmodi Beneficio, reintegrandus est ad possessionem bonorum Capellaniae, quae interim alter ex Compatronis vendiderat, ab ipsa die dimissae Paraeciae cum respectivis fructibus, quin ad evictionem praestandam teneatur, licet praesens contractui venditionis consensum praestitisse videatur *in Asculana Capellaniae die 2 Decembris 1786.*

55. Siquidem Carolus Peretti postremis tabulis de domuncula ac terrulis nonnullis disposuit favore laicalis Capellaniae, quam sibi heredem nuncupavit. Capellaniam hanc obtinuit Carolus Peretti sub reversionis conditione, si nominatus per Patrueles congruo ecclesiastico Beneficio provideretur. Cum hinc Carolus Sacerdos factus fuisset, Ecclesiam Parochialem Petrealtae assecutus inde est, quam decennio retinuit, posteaque dimisit anno 1779, maluitque inter Sacerdotes Oratorii in Oppido Montis Floris cooptari. Interea Marcus Aurelius ex compatronis alter sub annum 1773 novem Capellaniae praediola favore Seraphini Tocchi scutis 137 alienaverat, domumque pariter vendidisse narrabatur. Cum propterea Sacerdos Carolus, Paraecia dimissa, noverit, iis attentis alienationibus, sine Patrimonio Sacro se esse, Sacrae Congregationi supplex adfuit, ut ad nulliter distracta Capellaniae bona redintegraretur. Is enim in quadam conventione inita cum Marco Aurelio et Francisco Peretti compatronis expresse sibi ius reserva-

verit retinendi Capellaniae possessionem in eventu dimissionis curati Beneficii. Idcirco putavit, simplicem cessam fuisse bonorum detentionem precariamque fructuum perceptionem, quae impropria, non vera possessio erat: et compertum erat, Clericum non spoliari propter emissam retrocessionem, cum Episcopi auctoritas deficeret; temporaneas esse retrocessiones huiusmodi absque Episcopi auctoritate factas, nec sacri Patrimonii titulum extingui, sed ad tempus fructuum perceptionem suspendi, ita ut, amisso Beneficio, pristina fructuum perceptio statim revivisceret. Qua de re nullam esse arguit bonorum alienationem, quam fratres sui patrueles peregerunt; locum esse restitutioni fructuum a die dimissionis Paraeciae, quin emptor quoad fructus consumptos bonam fidem implorare posset, cum sciverit, defuisse in venditore alienandi facultatem et apocham retrocessionis pactionatae. Demum sustinuit, se nullatenus evictionem praestare debere favore Seraphini Tocchi; quin obesset Episcopum in informatione sua dixisse: – Quamvis et ipse sciens, imo praesens contractui venditionis consensum inconsulto praestiterit, ut ex iurato Teste compertum habui –. Nam actiones non probantur per unicum Testem, maxime ubi de evictione praestanda res est adversus eum, qui nec vendidit, nec de evictione promisit.

56. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Sacerdos Peretti sit manutenendus, seu potius redintegrandus ad possessionem Beneficii seu Capellaniae, de qua agitur, et super quibus? II. An constet de nullitate alienationum, de quibus agitur? III. An a quo tempore a quibus et in qua summa sint restituendi fructus? *Et quatenus affirmative ad omnia.* IV. An cuius favore et contra quos sit locus evictioni et relevationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Sacerdotem Peretti esse redintegrandum ad bona Capellaniae descripta in instrumento 9 decembris 1757; et amplius. Ad secundum, Affirmative, et amplius. Ad tertium, fructus esse restituendos a possessoribus bonorum a die dimissae Paraeciae in summa liquidanda coram Episcopo. Ad quartum, Affirmative contra Marcum; et amplius – *in Asculana Capellaniae die 2 Decembris 1786.*

57. Qui enim titulo simplicis Capellaniae seu Legati pii Missarum ad Sacros Ordines ascenderit, nec sponte eam dimittere ac reprobare potest, nisi de licentia Episcopi, subrogatisque antea stabilibus, qui congruos eidem annuos fructus praebeant *in Fanen. Capellaniae die 7 Maii 1791.*

58. Hinc multo minus in caducitatem incidit Capellanus, si ad Sacerdotium non ascenderit, cum ex contextu fundationis et nominatione ab ipsis Fundatoribus favore eiusdem facta satis constet, quod iidem eum ab lege assumendi Sacerdotium exemptum ob peculiarem benevolentiam voluerint *in Viterbien. Capellaniae die 2 Augusti 1823.*

59. Enimvero reciprocam omnium suorum bonorum donationem inter vivos, servata vigesima ad testandum ac necessariis intercedentibus solemnitatibus, anno 1763 obsignarunt Olimpia Tenerini Petri Flavii Sclavi de Sanctis vidua eiusque filius Sacerdos Ioannes Franciscus lege adiecta, ut superstes sive in vita sive in morte erigere deberet Capellaniam mere laicalem ad nutum amovibilem conferendam Sacerdoti Oppidi *Orioli* cum onere celebrandi Missam quotidianam per se ipsum. Primi Capellani nominationem sibi expresse reservatam voluerunt Fundatores; ac deinde statuerunt, ut nominarentur proximiores ipsorum. Sexennio elapso, nempe anno 1769 iidem Fundatores Capellanum nominarunt Clericum tonsura insignitum Georgeum Fortini nepotem et consanguineum, quem perpetuum et inamovibilem voluerunt addita declaratione, quod dictus Capellanus ab ipsis nominatus assequi posset Capellaniam, licet actu non esset Sacerdos, et cum facultate celebrari faciendi per alium Sacerdotem annuas dumtaxat Missas quinquaginta, unam scilicet in singulas hebdomadas. Casu vero, quo idem Georgeus praemoreretur vel statum Regularem aut incompatibilem cum Sacerdotio assumeret, Hyacinthum Fortini Georgei fratrem ad Capellaniam vocarunt cum iisdem privilegiis conditionibus et legibus, quibus praefatum Georgeum iam nominaverant. Fundatoribus defunctis, Capellaniam obtinuit anno 1780 Georgeus Fortini, quam adhuc retinebat, etsi ad Sacerdotium nunquam promoveri curaverit, imo Centumcellis civili munere fungeretur, quod nuncupabant *Can-*

celliere del Censo. Qua de re Gregorius aliique fratres Menghini Oriolenses, qui se a Theresia Sacerdotis Ioannis Francisci Capellaniae Fundatoris sorore descendere asserebant, ab Emo Episcopo Viterbiensi sacram peragente Visitationem petierunt, ut, Georgeo a Capellania remoto, quia sacrum Presbiteratus ordinem nunquam fuerat adeptus ac nonnulla Capellaniae bona alienaverat, Capellaniam ad eorum familiam Menghini spectare declararet. Cum autem repulsam passi fuissent, ad Sacram Congregationem confugerunt. Nam sustinuerunt, verba Fundatorum, quibus privilegium Georgeo ab ipsis nominato tribuerunt, ad obtinendam Capellaniam, non vero ad illam retinendam pertinere: quae sane cum tempus praesens obtinendae Capellaniae respicerent, non excludere imo supponere videbantur, Capellanum quamprimum ad Sacerdotium esse promovendum, potissime iuxta principium iuris, quod exceptio contrariam regulam firmat. Contra vero animadvertebatur, Fundatores expressis verbis Georgeum ab omnibus legibus fundationis exemptum voluisse, quia ipsum peculiari benevolentia prosequebantur. Hinc nec obstare videbatur civile et laicale officium Cancellarii *del censo,* cum verba quoad statum incompatibilem cum Sacerdotio intelligenda essent non de civili ac precario officio, sed de statu stabili ac perpetuo, eodem ferme modo ac religiosa professio, cuius paullo ante mentionem habuerant Fundatores, nempe de statu Matrimoniali, vel de militiae cingulo cum clericatu prorsus incompatibili. Nam Fundatores eo usque peculiari benevolentia prosequuti fuerunt Georgeum, ut ad maiorem cautelam, et ne molestias litiumque dispendium pateretur, eidem facultatem tribuerunt implorandi a Summo Pontifice quamlibet opportuniorem dispensationem, ad quam obtinendam etiam ipsi preces obtulerunt. Relatio autem Emi Episcopi Viterbiensis cuiusvis culpae expertem Georgeum quoad praetensam bonorum alienationem ostendit.

60. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de caducitate Georgei Fortini a Capellania in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et cui competat ius ad dictam Capellaniam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Viterbien. Capellaniae die 2 Augusti 1823.*

61. Cum itaque Patroni errore ducti nominaverint Clericum ad Beneficium, quod a die praesentationis et institutionis infra annum Sacerdotium requirebat, ac inde post plures annos, detecto errore, alium Capellanum Sacerdotem, illo prorsus inaudito nec monito praesentaverint, nulla et irrita praesentatio haec declaratur, ex eo quod praefatus Clericus non incidit in poenam caducitatis nec omnino inauditus Beneficio privari poterat, quin imo Sacra Congregatio temporis prorogationem ad annum indulsit *in Parmen. Beneficii die 23 Novembris 1850.*

62. Siquidem anno 1561 die 15 Decembris Facius de Zambernardinis supremis tabulis simplex Beneficium ecclesiasticum instituit sub titulo S. Petri ad Altare S. Bartholomaei in Basilica Cathedrali Civitatis Parmae; ac sibi et designatis personis ius nominandi reservavit. Facta Beneficii vacatione, Patroni nominarunt Clericum Bertolotti, et Archipresbiter Cathedralis ad formam fundationis die 11 Aprilis 1838 eidem institutionem dedit. Volvente vero anno 1844 sub mense Decembris cognovere Patroni, Beneficium antedictum esse sacerdotale, quia a Fundatore volitum, ut – electus et confirmatus infra annum a die praesentationis et confirmationis ipsius se faciat ordinatum temporibus ad Sacerdotium promoveri –; ac per consequens praefatum Clericum Bertolottium haud posse illud amplius legitime possidere autumantes, nulla praemissa monitione, sub die 19 mensis Decembris eiusdem anni coram Archipresbitero instituendum praesentarunt in novum Beneficii rectorem Ramirum Casapinium Sacerdotem. Solemnem hinc protestationem emisit Bertolottius: nam ipse omnino inauditus Beneficio spoliari non poterat, ex eo etiam quod Fundator nullam in socordes comminatus fuerat caducitatis poenam. Contendit etiam, ex diutina Beneficii possessione et bona fide oriri titulum coloratum, ac eapropter se tueri posse regula notissima 36 Cancellariae Apostolicae, quae, seclusis tantum casibus intrusionis et simoniae, securos a quibusvis molestiis triennales pacificos Beneficiorum possessores reddit omnino. Petiit itaque Bertolottius temporis prorogationem ad suscipien-

dum sacerdotalem Ordinem cum facultate retinendi adhuc Beneficium. Contra Casapinius nullitatem nominationis ac praesentationis Clerici Bertolotti demonstrare adnisus est, cum is ad formam fundationis infra annum ad Sacerdotium promotus non fuisset. Idcirco in poenam caducitatis ipso facto incidisse sustinuit.

63. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An sustineatur nominatio Sacerdotis Ramiri Casapini in casu etc., seu potius II. An et quomodo sit annuendum precibus Clerici Ioannis Bertolotti in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, ad annum facto verbo cum Sanctissimo - *in Parmen. Beneficii die 23 Novembris 1850.*

64. Res enim est de odiosa caducitate Capellaniae, quae ex denegata prorogatione sequeretur; ideoque favore Capellani pronunciandum esse videtur, nisi eius dolus et malitia in non suscipiendis Ordinibus probetur *in Sutrina Capellaniae die 15 Iulii 1797* §. *Ex hoc* (1).

65. Qua de re, iusta concurrente causa, prorogatur terminus ad suscipiendos sacros Ordines arbitrio Episcopi, non vero locus est caducitati Capellaniae *in Sutrina Capellaniae die 15 Iulii 1797.*

66. Iamvero Clericus Bondi Capellaniam Ziani obtinuit: sed cum ex lege fundationis esse debuisset Sacerdos et approbatus ad Sacramentales excipiendas confessiones, Apostolicam propterea in id assequutus est dispensationem sub conditione, - dummodo (a Mutina eius patria) Trebonianum se conferat, ibique resideat, statim ac ad legitimam pervenerit aetatem ad Sacerdotium ascendat, et facultatem excipiendi sacramentales confessiones obtineat -. Ad aetatem inde perventus annorum viginti trium supplicavit pro prorogatione termini ad sacros Ordines suscipiendos, donec opportuna expleret studia, quibus ob adversam valetudinem incumbere non potuerat. At Carolus Silvestri alter ex Patronis totus huic prorogationi repugnavit. Ceterum et ipse Silvestri convenit tandem in prorogationem, dummodo - Paulo Bondi adversario unicus ac brevis terminus praefigatur ad se promovendum ad sacros Ordines aliaque adimplenda, quae a Testatore et a Summo Pontifice praescribuntur, eoque elapso contra eumdem per sententiam procedat (Episcopus) ad privationem Capellaniae -. At de bonis honestis moribus praefati Clerici satis superque constabat: et Episcopus retulit: - Mihi certe, si Orator a me erit promovendus, tempus aliquod opus est, ut interim in illo vocationis beneficium pericliter -. Idcirco per Clericum non stabat, quominus statim ad Sacerdotium ascenderet.

67. His mature perpensis, proposito dubio: - An sit prorogandus terminus ad suscipiendos sacros Ordines, seu potius sit locus caducitati in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem arbitrio Episcopi, Negative ad secundam; et amplius - *in Sutrina Capellaniae die 15 Iulii 1797.*

68. Quin imo licet Testatrix poenam caducitatis imposuerit, nisi Clericus infra annum a die nominationis Sacerdotium assumeret, et Pontifex dispensationem aetatis indulgens vacationem eo ipso indixerit, nisi ad legitimam aetatem perventus sacros Ordines susciperet, non propterea locus est caducitati, sed imo prorogatio conceditur, quin obstet, quod alter Patronus adiudicationem Capellaniae postulet ac urgeat *in Firmana Capellaniae die 17 Iunii 1797.*

69. Enimvero postremis tabulis anni 1752 erigi iussit pia mulier Catharina Fontana binas Capellanias laicales in Ecclesia parochiali SS. Iacobi et Quirici Lapidonae, imposito cuique Capellano onere celebrandi per se ipsum hebdomadales Missas tres ad Altare Beatae Virginis Succursus, atque utrique onere conferendi annuum subsidium dotale scutorum decem Puellae descendenti ex sua domo Fontana cum praelatione proximioris et pauperioris. Cavit etiam Testatrix, ut in concursu Sacerdotum, qui in pari essent consanguinitatis gradu, praeferri deberet pauperior, utque, cum concurreret simplex Clericus in defectu actualis Sacerdotis carens Patrimonio sacro, ei conferri deberet Capellania ea tamen expressa conditione, ut infra annum a die nominationis ad Sacerdotium ascen-

(1) Rot. coram Amadeo decis. 271, n. 24; et coram Olivatio decis. 603, n. 2.

dere deberet, alias sive ex negligentia sive ex alia quacumque causa Sacerdotium non assumeret, Patroni devenire deberent ad electionem alterius Capellani. Cum dein una vacaverit Capellania, unus tunc de domo erat Fontana ad eam obtinendam idoneus, Clericus nempe Ioseph; sed annum agebat undecimum. Apostolicam idcirco impetravit aetatis dispensationem sub lege, - quod dictus Orator cum primum ad aetatem legitimam ad quemcumque ex sacris Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus ordinibus suscipiendis pervenerit, proximis inde futuris temporibus Ordinem ipsum postulabit, videlicet Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus sacros ordines praefatos suscipere teneatur, alioquin eo deficiente in aliquo ex temporibus praemissis, Capellania praefata vacet eo ipso -. Quum instaret vero annus vigesimus primus neque idoneus adhuc esset ad Subdiaconatum, postulavit idcirco anno 1792 triennem prorogationem a Summo Pontifice, precibusque ad Sacram Congregationem remissis, favit ei in prima sua informatione Firmanus Archiepiscopus, contulitque sequenti anno Subdiaconatum. Quasi autem praefatus Fontana iamdiu possessa Capellania ob non susceptum Sacerdotium cecidisset, se cognatus Sacerdos Cyriacus Brandimarte ab altero nominari fecit Capellano, rogavitque Sacram Congregationem pro adiudicatione Capellaniae. Ne igitur petita concederetur prorogatio, observavit Sacerdos Brandimarte, iam ante susceptum per Clericum Fontana Subdiaconatum lapsum fuisse annum vigesimum primum, quo eum ad formam praesertim Apostolicae dispensationis aetatis suscipere tenebatur. Natus enim die 18 iunii 1771 ad sacrum promotus fuit Subdiaconatus ordinem mense maio 1793. Prorogari hinc non poterat iam expiratus terminus, cum ob non susceptum in tempore Subdiaconatum vacasse videretur ad formam Bullae dispensationis aetatis eo ipso, in casu praesertim, ubi non agebatur de poenali caducitate Capellaniae, sed de non adimpleta conditione aetatis, et de accepta per ipsum Fontana resolutiva illa, - alioquin eo deficiente in aliquo ex temporibus praemissis Capellania praefata vacet eo ipso -, quibus in terminis indicta non censebatur vacatio pomine poenae, neque conditione semel non adimpleta, locus amplius erat adimplemento per Textum in lege 2 ff. de his, quae poen. caus., et Rot. decis. 275 Recent. part. 14 n. 5.

70. Altera ex parte ponderandum rogavit Fontana, primum se prorogationem petiisse, cum annum agebat vigesimum, priusquam scilicet veniret tempus accipiendi Subdiaconatum. Quum autem pendente recursu tempus et tempora non currerent, adimpleta idcirco videbatur Literarum Apostolicarum conditio per ascensum ad Subdiaconatum eadem pendente prorogationis instantia, ita ut factus non esset locus vacationi Capellaniae eo ipso. Haec insuper Archiepiscopus in secunda notavit informatione: - Mihi has rationes (Partium) examinanti illud primo occurrit, quod idem Fontana non ex omni parte legem sibi iniunctam ita neglexerit, ut gravissima sit ei privationis poena infligenda. Constat enim, unum ex sacris Ordinibus, nempe Subdiaconatum, qui initium est ceterorum, stato tempore suscepisse. Deinde si ad ceteros se promoveri minime curavit, per eum plane non stetit, quominus id ageret. Ex causis enim, quae animum meum prudenter moverunt, censui, per aliquod temporis ei ordinationem prorogandam. Nunc autem idem Fontana ita se disponit ad reliquos sacros Ordines suscipiendos, ut brevi ad Diaconatum non dubitem admissurum. Praeterea est animadvertendum, eumdem Fontana unicum esse, qui Testatrici agnatione coniungitur, et praeter eum neminem extare alium utcumque agnatum. Mitius ergo agendum videtur cum eo, quem ipsa Testatrix praedilexit. Accedit, quod Testatrix voluit, ut si inter vocatos ad has Capellanias forent plures, qui aequali gradu concurrerent, praeferendus esset pauperior. Atqui si Capellania, de qua agitur, eidem Fontana dematur, in summam aegestatem prolaberetur, quum nihil praeter ipsam Capellaniam omnino possideat. Demum indulsit ipsa Testatrix, ut si item esset ex vocatis, qui praeter paupertatem e suo sibi Patrimonium Sacrum adsignare non posset, unam ex Capellaniis ipsis loco eiusdem Patrimonii sibi fas esset constituere. Reipsa idem Fontana hoc iure usus fuit, et in eiusdem Capellaniae titulum se ad Subdiaconatum promovit. Quomodo ergo ei, si ceteros Ordines intra praefinitum tempus non assumat, demi possit Capellania, quin in sus-

pensionem incidat? Obstare quidem videtur Testatricis mens propter conditionem hac in re palam adiectam; sed conditio haec quantum admitti potest quoad simplicem Clericum, qui sacros Ordines suscipere negligat, tantumdem retineri non potest, ubi de Subdiacono agatur, qui ad titulum eiusdem Capellaniae sit promotus –.

71. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus prorogationi in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et cui sit danda institutio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative arbitrio Archiepiscopi; et amplius. Ad secundum, provisum in primo – *in Firmana Capellaniae die 17 Iunii 1797.*

72. Unde ius quidem habet Patronus amovendi Capellanum, qui per Episcopum urgente necessitate adhiberi velit in oeconomum curatum, cum ex lege fundationis ita titulo Capellaniae residentialis ad sacros Ordines promotus fuerit, ut aliunde provisus ipso facto Capellania iterum fieret ad nutum amovibilis, iure tamen non pollet Patronus amovendi alterum Capellanum nulla residentiae lege obstrictum ac pariter titulo Capellaniae ad sacros Ordines promotus *in Amerina Capellaniarum die 3 Augusti 1833.*

73. Siquidem in Ecclesia parochiali Oppidi Iovis nedum Capellania Farnesiana, cuius fundatio ignorabatur, sed et Capellania Sanctis Laurentio et Carolo nuncupata aderat, quam anno 1776 Maria Catharina Alteria Iosephi Matthaeii Ducis coniux instituit, ut Capellanus Ecclesiam illam custodiret ac pluribus designatis functionibus interesset cum onere habendi Clericum ad servitia minora explenda. Ius nominandi sibi ac primogenito familiae Matthaeii reservavit cum facultate libere eum amovendi ad nutum, quin Patronus rationem de causis remotionis reddere alicui teneretur. Dedit insuper Fundatrix Patrono potestatem nominandi Clericum, qui titulo huiusce Capellaniae mere laicalis ad sacros Ordines ascendere posset hac tamen adiecta lege, ut Capellanus huiusmodi vix aliunde provideretur illico et ipso facto Capellania fieret rursus amovibilis ad nutum. Cum anno 1826 utraque Capellania vacaverit, Patronus Farnesianam Clerico Vincentio Florentinio, Laurentianam Francisco Santinio Ioviensi attribuit ea emissa declaratione, ut eorum quisque adscendere posset ad sacros Ordines, qui de facto titulo respectivae Capellaniae sacros Ordines acceperunt. Postea Sacerdotio auctum Florentinium Amerinus Episcopus Lunianum misit, ut ibi vacantis Parochialis Ecclesiae oeconomum ageret. In idem munus in Curionali Macchiensi Ecclesia obeundum destinavit Santinium, ubi primum ad Presbiteratum evectus esset. At obstitit Patronus Emus Cardinalis Matthaeius: nam Santinius lege residentiae tenebatur, cum plura in praefata Ecclesia Parochiali Oppidi Iovis peragere deberet, quae personae operam assiduitatemque efflagitabant. Capellanus autem Farnesianus nulla residentiae lege detineri videbatur. Episcopus, ope etiam Promotoris Fiscalis, pro viribus ostendere adnisus est necessitatem adhibendi praefatos Capellanos in respectiva cura animarum. Sacra Congregatio vero cum resolverit, quod Capellania Laurentiana, non autem Farnesiana imponeret onus residentiae, proposito dubio: – III. An Patrono ius sit amovendi Capellanos, qui alio vocentur ab Episcopo, licet titulo earumdem ipsi ad sacros Ordines sint promoti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative quoad Capellanum Farnesianum, Affirmative quoad Capellanum SS. Laurentii et Caroli, dato termino sex mensium ad deliberandum, nisi prius legitimo titulo aliter provideatur – *in Amerina Capellaniarum die 3 Augusti 1833.*

74. Qua de re si quis Capellaniam obtinuerit cum lege, ut eam dimittere deberet, statim ac provideretur de Beneficio, hoc inde obtento, locus est dimissioni Capellaniae, licet Beneficiatus in poenam caducitatis incideret, quoties per quatuor menses sive continuate sive interpolate celebrationem Missarum in uno anno omitteret *in Caesenaten. Capellaniae die 13 Ianuarii 1753.*

75. Nam huiusmodi pactum licitum esse ac servandum uno consensu tradunt Doctores (1) *in Caesenaten. Capellaniae die 13 Ianuarii 1753* §. *Auditus.*

(1) Quos inter Garz. de Benef. part. 2, cap. 5, n. 169; Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 2, allegat. 19, n. 53; et allegat. 20, n. 31; Nicol. Lucubrat. Can. lib. 1, tit. 11, n. 23; Monacell. in form. legal. form. 18, tit. 8, n. 1 in adnot. tom. 1; et alii frequenter.

76. Siquidem Sodalitium S. Mariae Suffragii Capellaniam detulit Clerico Simoni Gualaguini pauperi et annum aetatis agenti trigesimum secundum, ut eius titulo ad sacros Ordines promoveretur adiecta simul conditione, quod eam dimittere deberet, cum aliud Beneficium obtineret. Cum itaque is exin Beneficium obtinuerit sub titulo S. Iosephi in Ecclesia Cathedrali Caesenae, rati Sodales venisse casum, quo idem deberet Capellaniam dimittere, eum hac de re rogarunt. At ille renuit; et Episcopus censuit: - In circumstantiis praesentis casus mihi videtur, non esse locum pacto reversivo eiusdem Capellaniae per dictam Confraternitatem assignatae Gualaguini ad effectum ad sacros Ordines ascendendi, nec in eius locum subrogari posse dictum Beneficium, utpote ex aliquo casu vel accidentali vel defectuoso amovibili –. Sodales contra probarunt, congruum esse praedictum Beneficium pro Patrimonio, et non esse amovibile: nam Iustina Fornasotti poenam quidem caducitatis indixit - ipso iure absque ulla declaratione et sine ulla citatione aut alia solemnitate –, si Missas non celebraret sive continuate sive interpolate per quatuor menses in uno anno; sed hanc indictae caducitatis legem non facere contenderunt Beneficium amovibile, tum quia haec poena a iure inflicta est etiam in Beneficio perpetuo, tum quia haec amotio et caducitas non pendebat a nutu et arbitrio Patroni, sed veniebat ex voluntaria culpa ac dolo Beneficiati, qui Sacra facere omitteret, quique utilitatem referre non poterat ex propria culpa in detrimentum Sodalium, quibus ius ex pacto quaesitum fuerat, statim ac Gualaguinius provisus fuit de Beneficio.

77. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dimissioni Capellaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius – *in Caesenaten. Capellaniae die 13 Ianuarii 1753.*

78. Idcirco cum ex lege fundationis Capellanus, superventa canonica aetate, teneatur assumere Subdiaconatus ordinem, Ordinarius post praefixionem termini semestralis merito sententiam privationis Capellaniae profert *in Nullius S. Pauli seu Lepriniani Praefixionis termini die 26 Ianuarii et die 20 Aprilis 1850.*

79. Quamquam enim laicalium Capellaniarum Rectoribus onus immineat sacros suscipiendi Ordines, attamen nullam ipsi caducitatis Capellaniae aut privationis fructuum contrahunt poenam, nisi illam praevia monitione Episcopus irrogaverit, quemadmodum vel in ecclesiasticis Beneficiis haud ipso iure inducitur vacatio, si provisus negligat ad sacrum Ordinem Praebendae annexum adscendere, sed opus est, ut adhibeantur monitiones *in Firmana Fructuum et Distributionum die 24 Novembris 1827* §. *Ex sanctione.*

Item *in Montis Alti Capellaniae die 9 Maii 1829* §. *Iure.*

80. Siquidem Andreas Silvestri supremo elogio anni 1827 ac eius Uxor postremis tabulis diei 25 ianuarii 1830 mandarunt, ut respectiva bona venderentur, et pretium in celebrationem Missarum erogaretur. Moderatores Lepriniani die 25 maii 1830 obtinuerunt a Summo Pontifice Pio VIII, ut defunctorum Coniugum substantia in dotem unius Capellaniae perpetuae ad Aram maiorem Ecclesiae Parochialis Lepriniani erigendae converteretur, cum onere Capellano pro tempore ab Ordinario eligendo Sacrum diebus festis litandi in suffragium Testatorum, hora tamen Populo commodiori. Hinc Ordinarius ad solemnem Capellaniae erectionem devenit, et inter cetera cautum voluit, – ut Capellanus, si adhuc non sit in maioribus Ordinibus constitutus, quum ad vigesimum primum aetatis annum pervenerit, ad Subdiaconatus ordinem suscipiendum infra sex menses idoneum sese praebeat atque illum reapse suscipiat; quod si facere omiserit aut aliquo canonico impedimento irretitus suscipere non valuerit, iubemus a quovis iure retinendae Capellaniae penitus decedat, atque illam omnino dimittat et pro dimissa nunc pro tunc haberi mandamus, legali solummodo interpellatione praemissa –. Sibi demum Ordinarius suisque successoribus expresse reservavit ius – non solum debitae institutionis, sed etiam nominationis et electionis Rectoris –. Primus sic erectae Capellaniae Rector ab eodemmet Ordinario nominatus ac institutus fuit Clericus Augustinus Barbetti, qui tamen, exacta canonica aetate ad Subdiaconatus ordinem suscipiendum, studiis sacris valedicens, clericales vestes abiecit, et secularibus ac forensibus negotiis se totum

mancipavit, licet interim reditus omnes Capellaniae impune deglutiret, Fundatorum animas debitis suffragiis ita fraudando. Qua de re anno 1846 per Promotorem fiscalem raptus in ius ille fuit coram Vicario Generali ad hoc, ut terminus reo praefigeretur ad effectum sacros Ordines suscipiendi, eoque inutiliter elapso, caducitas Capellaniae possessione declararetur. Instantiae consonam protulit sententiam Iudex ille die 23 aprilis eiusdem anni, semestrales inducias reo convento praestituens ad effectum suscipiendi sacros Ordines. Namque Barbettius trigesimum etiam aetatis annum excesserat, quin legi fundationis faceret satis. Nec obstabat praetensum Decretum suppressionis Capellaniae cum reservatione iurispatronatus, creditumve scutorum 262. 60 contra eamdem Capellaniam. Nam id Barbettius non probabat; adeoque standum erat pro firmitate ac perpetuitate actus erectionis.

81. Proposito itaque dubio: – An sententia Curiae Abbatialis diei 23 aprilis 1846 sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Nullius S. Pauli seu Lepriniani Praefixionis termini die 26 Ianuarii 1850.*

82. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nullius S. Pauli seu Lepriniani Praefixionis termini die 20 Aprilis 1850.*

83. Hinc cum Collatores laicali Capellania donaverint Sacerdotem ea adiecta lege, ut intra mensem a die electionis Confessarii pagellam obtineret ac huiusmodi munus exercere inciperet, alias deveniri posset ad electionem alterius Capellani, locus non est privationi Capellaniae, si praefatam pagellam intra mensem non obtinuerit, ex eo quod praefati Collatores non decreverunt caducitatem ipso facto, statim nempe elapso mense absque impetrata Confessarii pagella, sed resolutivam in hoc casu addiderunt, quod posset deveniri ad electionem alterius Capellani, et ex eo etiam quod maior Collatorum pars ei faveat, ac ipse neglexerit fieri Confessarius ex opinione, quod Testator onus excipiendi confessiones simpliciter consuluisset, adeoque locus esse videbatur purgationi morae. His quippe in terminis proposito dubio: – II. An sit locus privationi Capellaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit? – Negative, et praefigendum esse terminum arbitrio Emi Episcopi ad excipiendas confessiones – *in Senogallien. Capellaniae die 20 Aprilis 1793.*

84. Qua de re Capellania a pio Testatore relicta pro Sacerdote Confessore, vel qui intra mensem a die electionis sub poena caducitatis facultatem obtineret confessiones suscipiendi cum praelatione sibi sanguine coniunctorum, debetur sacerdoti Confessario, non vero ei, qui propter defectum aetatis et inhabilitatem approbationem ad audiendas confessiones reportare non potuerit, licet sit Testatoris consanguineus; his enim in terminis proposito dubio: – An Capellania relicta per quondam Nicolaum Lappam debeatur Sacerdoti Valerio de Valeriis, seu potius alteri Sacerdoti Confessario Terrae Montis Sancti Martini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Firmana Capellaniae die 22 Iunii 1720.*

85. Hinc multo magis Capellanus ipso iure ipsoque facto in caducitatem incidit per contractum Matrimonium *in Civitatis Castelli Capellaniae die 22 Novembris 1794* §. *Sustinet* (1).

86. Beneficiatus enim contrahens Matrimonium, tacite renunciare censetur Beneficio, ut ad rem Sanchez de matrim. impedim. lib. 1 disp. 13 n. 14 *in Civitatis plebis Capellaniae die 22 Novembris 1794* §. *Sustinet.*

Item *in Mantuana Capellaniae die 23 Novembris 1816* §. *Quapropter.*

87. Amplia, id locum obtinet nedum dum res sit de Capellania ecclesiastica, sed et quando constet de voluntate vel expressa vel etiam tacita Fundatoris, quod a Clericis tantum possideatur Capellania laicalis; hoc enim etiam in casu Capellania vacat per subsequens Matrimonium *in Fabrianen. Capellanie die 18 Septembris 1841* §. *Idipsum.*

88. Iamvero cum non repugnet, quominus eadem Capellania sit de sui natura laicalis nec subiaceat reservationibus Apostolicis et

(1) Lotter. de Re Benef. lib. 3, quaest. 26, n. 61; Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. de mens. et altern. gloss. 15, n. 43.

collationi Episcopi, et tamen conferenda sit ecclesiasticis, profecto sequitur, quod si mens Fundatoris sive expressa sive tacita ea sit, ut Capellania aut Legatum pium a Clericis tantummodo possideatur, hoc casu Legatum pium seu Capellania laicalis per contractum Matrimonium vacat eo prorsus modo, quo Beneficia Ecclesiastica, uti eisdem verbis docet Rigantius ad Reg. 58 Cancell. n. 55 *in Mantuana Capellaniae die 23 Novembris 1816* §. *Quapropter*.

89. Hinc et Clericus, qui militiam armatam assumit, ecclesiasticis omnibus Beneficiis cadit, quum per electionem status incompatibilis cum Clericatu ea dimisisse censeatur *in Firmana Capellaniae die 7 Iunii 1788* §. *Clericus* (1).

90. Quin imo nec ad illa amplius per abdicationem militiae restituitur *in Firmana Capellaniae die 7 Iunii 1788* §. *Clericus* (2).

91. Id tamen in simplici non procedit Capellania nec de Clerico, qui, militari abiecto cingulo, ad Sacerdotium ascendere potest *in Firmana Capellaniae die 7 Iunii 1788* §. *Clericus*.

92. Hoc enim in casu locus est praefixioni termini, cum Capellania licet laicalis imponat necessitatem assumendi Sacerdotium *in Firmana Capellaniae die 7 Iunii 1788* §. *Hac*.

93. Unde locus non est caducitati, sed praefixioni termini unius anni, licet Clericus Capellaniam laicalem quidem, sed sacerdotalem habitu possidens militiam armatam assumpserit, et ab ea adversae valetudinis causa dimissus vitam agat ab Ecclesiastico statu alienissimam *in Firmana Capellaniae die 21 Iunii 1788*.

94. Siquidem legavit anno 1717 Franciscus Liberati Rectori pro tempore Parochialis Ecclesiae S. Nicolai Montis Georgei annuum fructum scutorum bis centum cum onere celebrandi qualibet feria sexta Sacrum ad Altare S. Fransci de Paula. Heredibus deficientibus, integram eidem Altari reliquit hereditatem binis aliis Parocho imperatis hebdomadalibus Sacris; praetulitque ad Capellaniam descendentes Francisci Pucci, dum aliquis ex iis esset Sacerdos, alterumque in eorum defectum ex descendentibus Belardini Morganti in casu, quo Sacerdos fieri vellet. Defectis heredibus lineaque Francisci Pucci extincta, delata fuit hereditas Capellae; Sacrorumque celebrationem, ob defectum Clerici in familia Morganti, assumpsit Parochus Ioseph Rastrelli. Cum primum vero initiatus fuit tonsura Aloisius Morganti, ultro eius favore Capellaniam dimisit. Diu non permansit Aloisius in vocatione, nomenque dedit militiae in praesidio Anconae. Ab ea deinde adversae valetudinis causa dimissus, in Patriam rediit vitamque agebat ab ecclesiastico statu alienissimam. Reintegrationem idcirco ab Sacra Congregatione postulavit Parochus ad Capellaniam. Episcopus retulit: – Capellaniam laicalem voluit Testator, sed non aliter ad eam vocavit unum ex familia Morganti, quam in casu, quo fieri vellet Sacerdos, et cum onere, ut bis per hebdomadam vel per se ipsum, vel per alios celebraret. Hinc hisce omnibus, quae statui clericali dumtaxat conveniunt, renunciasse videtur idem Clericus, ac propterea etiam Capellaniam resignasse semel ac statum militarem fuerit amplexus. Auditus porro Clericus ipse, cui et Parocho terminum adsignavi unius mensis, ut iura propria respective coram EE.VV. deducant, nil curat, sive retinere, sive dimittere Capellaniam cogatur, sed eius Pater iura filii tueri viriliter intendit –. Parochus itaque contendit, Clericum Morganti in caducitatam Capellaniae incidisse, quin ad illam restitui posset, vel saltem locum esse praefixioni termini, cum is iam vigesimum quartum expleverit annum.

95. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus caducitati Capellaniae institutae a Francisco Liberati in casu etc. *Et quatenus negative*. II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit – Ad primum, Negative. Ad secundum, praefigatur ab Archiepiscopo terminus unius anni Clerico Aloisio ad assumendum Sacerdotium, quo termino elapso, fiat locus caducitati – *in Firmana Capellaniae die 21 Iunii 1788*.

96. Qua de re Capellanus in caducitatem non incidit, sed praefigendus est terminus,

(1) Gloss. in Cap. fin. verb. *redierit* de cleric. non residen.; Clar. lib. 5 sentent. §. fin. quaest. 73, n. 6, vers. Item Clericus; Tondut de Pension. Cap. 77, n. 1.

(2) Fargn. de Iurepatronat. part. 2, can. 6, cas. 2 de cleric. coniugat., et de iur. eccles. lib. 1, cap. 39, §. 2, n. 79.

etiamsi per longissimum temporis spatium clericales vestes dimiserit et secularia prorsus munia, quae toto coelo distant ab ecclesiasticae vitae ratione susceperit; attenta tamen egestate gravissima, Sacra Congregatio indulget suspensionem Capellaniae, donec Clericus contradictor ad legitimam aetatem pro Subdiaconatu perveniat, ut interim, impletis oneribus, superextantes reditus inter utrumque dividantur *in Senogallien. Capellaniae die 21 Novembris 1840.*

97. Iamvero ultimo elogio Iacobus Servadei domo Corinaldi die 27 februarii 1773 Capellaniam laicalem instituit propriisque bonis ditavit: ac in primum Capellanum nominavit Canonicum Antonium Gioacchini, post eius obitum Paulinum filium Hieronymi Paris et Annae Pieri, si statum ecclesiasticum sequi vellet, alias ipsius fratrem, si ordine Presbiterali insignitus existeret; et quoties nemo ex iis ecclesiasticae militiae vacaret, substituit alium ex familia Gioacchini, qui in statu ecclesiastico reperiretur. Anno 1802, cum nemo esset de familia Paris ecclesiasticae militiae addictus, eam adeptus est Bernardinus Gioacchini ex familia posterius vocata, minoribus iam ordinibus insignitus. Ast brevi Clericalem habitum dimisit; etenim anno 1806 sub Italico primum regimine munus obivit *di aggregato allo stato civile e di Segretario della Congregazione di carità.* Pontificio exin regimine restituto, primum renunciatus est *Comandante la guardia nazionale;* eaque mox abolita, publici Apparitoris officium suscepit, quod exercebat adhuc in oppido Corinaldi, quin tamen Capellaniam unquam reliquerit, qua fruebatur ad miseram sui suaeque familiae tuitionem. Anno vero 1837 quidam Paulinus, extra legitimum connubium undecim annos natus, extemplo proclamatus est coram Senogalliensi Curia per subsequens Matrimonium legitimum a Nicolao Paris homine ad contemplatam secunda sede a Testatore familiam pertinente: is mox tonsura auctus contendit, Capellania Bernardinum cecidisse ob relictas clericales vestes, seseque ad eam esse unice vocatum. Licet enim de Capellania ageretur laicali, in facto tamen erat, quod a Fundatore incessus in habitu et tonsura, sicut in Beneficiis ecclesiasticis, iuberetur. Allatis insuper testimoniis demonstravit, divenditam fuisse domunculam ad Capellaniam spectantem; autumavit idcirco Parius, Bernardinum in eam Beneficii privationem incidisse, quam minatur post Extravagantem *Ambitiosae* Tridentina Synodus in sess. 22 cap. 11 de reformatione in eos omnes, qui Ecclesiae aut piorum locorum bona quomodocumque usurpare ac pessumdare praesumpserit. Cuius conatus, ut averteret Bernardinus, veniam retinendi Capellaniam adprecatus est, cum esset in aetate quinquaginta octo annorum, ac inopia gravissima pressus vix necessaria victui miserae octuagenariae Matris et Sororum, quarum altera amens, altera mutila, valeret comparare.

98. Clericales itaque vestes dimisit, nec resumpsit, ut egestate gravissima pressus muneribus etiam vilioribus miserae familiae quolibet alio destitutae subsidio succurreret, quae nobilitate conspicua in infimam tunc conditionem coniecta erat. Negavit, Paulinum legitimum contradictorem esse posse: natus hic enim erat quatuor annis ante contractum a Nicolao Paris cum Ursula Bencivenni Matrimonium, eum Nicolaus filium suum non esse obtestatus erat coram Senogalliensi Curia, quum ad iudicium ab Ursula vocatus statim post pueri illius nativitatem sese cum eadem femina rem nunquam habuisse firmiter contendit, ac nonnisi cum undecimum ageret aetatis annum, captandae forsan Capellaniae gratia, filium suum proclamavit. Ergo illum uti vulgo quaesitum habendum esse pugnavit, qui legitimari per subsequens Matrimonium non poterat, quin ei prodesset serotina assertio Patris, ut ad rem Mantica de coniectur. ultim. volunt. lib. 11 tit. 12 n. 10, et Rota in decis. 32 n. 13 post Mich. de fratribus. Emus Episcopus censuit, Bernardinum in poenam privationis incidisse, et Paulinum frustra postulare Capellaniam sibi conferre, cum vix per tonsuram militiae clericali nomen dederit et in aetate annorum tredecim constitutus, proindeque a Sacerdotio distans. Ita tamen conclusit: – Hoc unum militat pro utriusque Compatronis, scilicet qua urgentur, rei familiaris angustia. Quam ob rem, nisi EE. VV. aliter decernendum putarent, essem in voto reditus utriusque ipsius Capellaniae solutis cunctis oneribus per Administratorem deputandum dividi pro aequali inter contendentes usque dum Clericus Paris

aetatem attigerit pro sacris Ordinibus suscipiendis, quos si vere suscipiat, Beneficium consequi valeat, sin minus conferri debeat ad tramites testamenti –.

99. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de caducitate Bernardini Gioacchini a Capellania in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit annuendum eiusdem precibus pro retentione Capellaniae in laicali statu in casu etc. *Quatenus vero affirmative.* III. An et quomodo sit locus immissioni favore Paulini Paris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, curet Emus Episcopus praefigi terminum iuxta Constitutionem sa. me. Benedicti XIII incipien. *Apostolicae Ecclesiae,* Bernardino Gioacchini ad parendum menti pii Fundatoris, quo elapso declaret, eum Capellania amplius non posse gaudere, et ad mentem; mens est pro suspensione nominationis novi Capellani, donec Clericus Paulinus Paris ad legitimam aetatem pro Subdiaconatu pervenerit, ut interim, iuxta votum Emi Episcopi, adimpletis per ecclesiasticum Administratorem deputandum oneribus, superextantes reditus dividantur inter Bernardinum et Paulinum, docto, facto verbo cum Sanctissimo – *in Senogallien. Capellaniae die 21 Novembris 1840.*

100. Etenim licet Sixtus V in sua Constitutione, quae incipit: *Cum sacrosanctam*, huiusmodi Clericos sine ulla alia monitione citatione iudicis ministerio ipso facto de Beneficiis privatos aperte declaraverit, compertum tamen est, Constitutionis huius rigorem facile fuisse temperatum ab dicta Constitutione Benedicti XIII, cuius initium: *Apostolicae Ecclesiae,* ubi Pontifex Clericos proprii Ordinis vestem abiicientes Beneficiis privari praecipiens addit: – Et in hunc finem non modo possint, sed etiam debeant (Episcopi) contra ipsos procedere per citationes iurisque ordine servato sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum in ipsos ferre et pronunciare – *in Senogallien. Capellaniae die 21 Novembris 1840* §. *Pacificum et* §. *Primo.*

101. Unde si Clericus legitime monitus non incedat in habitu et tonsura ecclesiastica, Episcopus eum merito privat Capellania et alteri ex familia vocata idoneo etiam ope dispensationis Apostolicae confert, simulque remotioni Administratoris pendente lite deputati locus est, constito tamen coram Ordinario de adimplemento onerum *in Signina Capellaniae die 30 Iunii et die 15 Septembris 1804.*

102. Iamvero Paschalis Attiani postremis tabulis mandavit, ut in Oppido Vallismontanae Ordinarius extrueret sumptibus hereditariis Ecclesiam, in qua erigeretur Capellania cum onere Missae quotidianae et praelatione familiae Attiani, et omnibus praedictae familiae deficientibus, voluit, ut ea conferretur ab Episcopis Signinis adolescenti pauperi dicti Oppidi. Anno 1788 huiusmodi Capellaniam obtinuit Clericus Paschalis iunior: hinc anno 1794, instante Promotore Fiscali, is monitus fuit, ut incederet – in habitu et tonsura –, aliter – declarari ipsum non gaudere privilegiis clericalibus –. Haec monitio repetita fuit anno 1800 et 1801, in quo Clericus Paschalis Attiani per subscriptam declarationem promisit, se obsecuturum praeceptis Episcopi, et vestem clericalem suscepturum. Sed cum revera nec monitionibus audiens fuisset nec clericalem habitum suscepisset, die 10 septembris 1801, iterum instante Promotore Fiscali et citato Clerico Paschale, Episcopus sententiam dixit, in qua eumdem Capellania privavit. Interea dum haec agebantur Paschalis supplicavit Summo Pontifici pro resignanda Capellania favore Aloisii Attiani fratris sui, nondum adhuc clericali tonsura initiati, licet aetatem ageret annorum viginti. Nihil a Dataria Apostolica impetravit; et Episcopus omnino negavit, se tonsuram Aloisio collaturum. Unde reclamavit ad Sacram Congregationem super denegata tonsura. At Episcopus retulit, quod – hic aetate annorum viginti et altero oculo et quidem sinistro orbato, vix legendi scribendique scientia ne expedite quidem, quin imo nec sensu pollet, cum scholam nunquam vel raro adiverit, vitam semper agrestem duxerit, et equas custodiendi artem exercuerit ac exerceat adhuc, pro quibus ex damnis studiose illatis inquisitus et processatus in Curia laicali remansit. Ad Ecclesiam insuper pro addiscenda doctrina christiana se nunquam contulit, tandemque pro adimplemento praecepti Paschalis tantummodo Sacramenta suscepit: quae omnia ad denegatae

tonsurae promotionem me impulerunt. Reticet praeterea Orator alteram familiam de domo Attiani a Testatore pariter vocatam eiusdem generis et iuris ad Capellaniam assequendam ac in antecessum possessam et iamdudum de vacatione a me certioratam, cui ut ab EE. VV. in mandatis habui, tamquam unice interesse habenti ad deducendum iura sua coram Sacra Congregatione mensis spatium indixi –.

103. Aloisius interim Romam petiit et Basilicae Vaticanae inserviens ab eius Archipresbitero die 24 aprilis 1802 primam tonsuram suscepit: ac denuo a Dataria Apostolica collationem Capellaniae postulavit. Episcopus vero ad eam nominavit septennem puerum Michaelem ex altera familia Attiani, qui Breve dispensationis ab aetate a Summo Pontifice exoravit, et die 20 iunii 1802 institutionem in Curia Signina obtinuit et sequenti die 22 Capellaniae possessionem nactus est, ab eoque tempore celebrationem Missarum curavit. Bona Capellaniae in Urbe sita erant, eorumque fructus Aloisius percipiebat: hinc eorumdem Administrator deputatus fuit. Defensor Michaelis validam esse sustinuit Capellaniae privationem. Defensor Paschalis et Aloisii non repugnabat, quin sententia illa servaretur, sed tamen eam intimatam non fuisse dixit Clerico Paschali, idcirco postulavit, ut adiiceretur modus, quo observanda esset, scilicet a die intimationis. Hinc et validam esse contendit Defensor Michaelis collationem eidem factam, quin obesset praetensa obreptio et subreptio nec non pendentia litis et asserta devolutio, cum is esset de familia Attiani nec exceptiones haberet, quibus Aloisius laborabat. Ne dubium autem, quod esset locus remotioni Administratoris, postquam statutum fuisset, cui concedi deberet Capellania.

104. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An sententia lata per Episcopum Signinum sit servanda in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An sustineatur collatio Beneficii per eumdem Episcopum facta favore Clerici Michaelis Attiani in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An et cui sit conferendum Beneficium in casu etc. IV. An et quomodo sit locus remotioni Administratoris in casu et. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium provisum in secundo. Ad quartum, Affirmative constito coram Ordinario de adimplemento onerum – *in Signina Capellaniae die 30 Iunii 1804.*

105. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Signina Capellaniae die 15 Septembris 1804.*

106. Cum itaque Beneficiatus seu Capellanus dispensationem super defectu aetatis et clericatus nec non inde Breve Apostolicum obtinuerit, quo ei licebat retinere Beneficium, etiamsi vestes clericales et tonsuram non deferret, quin tamen Archiepiscopo illud pro exequutione exhibuisset ac exequutionem intra terminum praefixum peragere voluisset, adeoque Curia Archiepiscopalis ob dimissas vestes clericales post trinam monitionem Beneficio privaverit, Sacra Congregatio attentis peculiaribus circumstantiis censuit, consulendum esse Sanctissimo pro sanatione Indultorum; nihil enim obstitit praetensio illa, quod Beneficium esset laicale ac etiam legitime extinctum *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 13 Februarii die 28 Augusti 1841, die 3 Decembris 1842 et die 12 Augusti 1843.*

107. Siquidem intra Comaclensis Diaecesis limites a vetustissima aetate prostabat insignis Abbatia. Nullius seu Praepositura a S. Maria Vulgo *in Pomposa* nuncupata. Huic subiiciebatur Paroecialis Ecclesia divae Agneti sacra Ferrariae sita, in qua iam a decimo quarto seculo sub eiusdem Virginis ac Martyris invocatione simplex Beneficium Prioratus titulo decoratum erectum extitisse constabat, quin tamen eius originem ac primaevas institutionis leges ob monumentorum defectum plene noscere datum esset. Gallis Italam regionem occupantibus, bona ingenti vi argenteorum 56000 civis Ferrariensis Thomas Zagatti sibi comparavit. Quum itaque anno 1802 Prioratus S. Agnetis vacaverit, Thomas Zagatti autumavit una cum bonis Pomposianae Praepositurae ius quoque ad illud nominandi sibi fuisse quaesitum. Et reapse Praefectus Ferrariae die 15 novembris eiusdem anni 1802 Gallici Gubernii nomine declaravit, ad Zagattium spectare ius nominandi ad Beneficium S. Agnetis. Quamobrem coram Pro – Vicario

Generali Ferrariensi die 17 ianuarii sequentis anni adstitit idem Zagattius; praesentavitque filium suum Antonium tres vel quatuor annos natum, qui die 2 aprilis per interpositam personam canonicam institutionem adeptus fuit, facta prius a sa. me. Pii VII venia super aetatis et clericatus defectu ex literis in forma Brevis expeditis sub datum diei 25 februarii eiusdem anni. In praedicto autem Brevi iubebat Pontifex, ut clericalem habitum ac tonsuram susciperet Antonius, ubi canonicam attigisset aetatem. Praecepto paruit ipse, perque multos annos Ecclesiasticae militiae insignibus ornatus incessit, quibus tum valedixit cum forensibus disciplinis operam dedit; sub anno vero 1830 supplicem libellum sa. me. Pio VIII porrexit, quo asserens, se alias facultatem impetrasse Beneficium retinendi in habitu laicali, cuius amiserat authographum, eamdem iterum flagitabat. Quumque Oratoris precibus propitiam reddidisset sententiam suam Vicarius Capitularis Ferrariensis, in audientia diei 18 augusti 1831 Summus Pontifex annuit – pro facultate retinendi Beneficium, etiamsi clericales vestes et coronam non deferat ac Causas in Tribunalibus pertractet, arbitrio et conscientiae Archiepiscopi per Breve –.

108. Expeditae revera fuerunt literae in forma Brevis sub die 26 dicti mensis, ac Archiepiscopo Ferrariensi directae, quae ita se habebant: – Audita relatione dilecti filii S. Congregationis Concilii Secretarii ac Vicarii Capitularis istius Ecclesiae, qui tunc temporis suo carebat Pastore, tibi venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut pro tuo arbitrio tuaque conscientia monito Oratori auctoritate nostra Apostolica facultatem facias, qua, licet in veste, quam secularem vocant, incedat et Causas in Tribunali pertractet, Beneficii, de quo agitur, administrationem gerat, et administrationis nomine illius fructus proventus reditus libere liciteque percipiat, docto –. Attamen constabat, nunquam Archiepiscopo pro exequutione illas exhibitas fuisse, etiamsi incesserit perpetuo incederetque adhuc Zagattius vestibus secularibus. Rebus sic stantibus, die 5 novembris anni 1838 Curiae Ferrariensis Promotor Fiscalis coram Pro – Vicario comparuit instans, ut omni clericali privilegio nec non Beneficio S. Agnetis Antonius Zagatti privatus sententia declararetur, si ad trinam monitionem ecclesiastica insignia iterum induere detrectasset. Post tertiam monitionem iudicio sistit Zagattius, exemplar memorati Brevis proferens, quod cum mutilum Vicarius fuerit suspicatus, ut authographum produceret, decrevit; quo sane exhibito, quindecim dierum spatium eidem indulsit, ut ab Archiepiscopo illius exequutionem postularet. Praestare hoc renuit Zagattius; Decretumque ut infirmaretur petiit contendens, se nulla obligatione vinci clericales vestes gestandi: siquidem Beneficii a se possessi natura vel ante gallicam occupationem fuerat laicalis. Huiusmodi vel magis effecta, postquam illius bona a Patre suo contractu emptionis venditionis fuerunt acquisita. Hisce vero reiectis, die 28 novembris 1839 Vicarius Generalis Zagattium a Beneficio iure cecidisse definitiva sententia declaravit; praecepitque, ut omnium fundorum, praesertim praedii nomine *la gradella,* reditus sequestro ponerentur, et assignavit peremptorium terminum triginta dierum, ut Beneficii inventarium statumque activum et passivum in acta ecclesiastica ille referret. At Zagattius die 6 decembris appellationem interposuit, ut sententia Ferrariensis Vicarii rescinderetur. Quum autem Archiepiscopalis Curia sententiam exequutioni mandaverit, iterum adfuit Zagattius coram Sacra Congregatione, postulans attentatorum purgationem, sequestraque super beneficialibus bonis posita nullius roboris declarari.

109. Zagattius enim contendit, Beneficium vel ante gallicam occupationem laicale fuisse. Iamvero deficiebant quidem tabulae fundationis, sed aderant exempla anni 1750 et 1768, in quibus nulla exprimebatur nota, quae possessores ecclesiastico coetui adscriptos indigitaret. Sustinuit insuper, ab anno 1797 etiam bona praedicti Beneficii in privatum familiae Zagatti patrimonium transiisse vi contractus emptionis venditionis, quem validum edixit conventio inter Apostolicam Sedem et gallicum Gubernium Parisiis obsignata sub die 16 septembris 1803, art. 16, quo Ecclesiae bonorum et iurium alienationes sub Gallica invasione peractae ratae habitae fuerunt. Nec obstare dixit praesentationem a Thoma Zagatti anno 1803 factam favore filii sui ac subsequutam canonicam institutionem, impetrata etiam ad

id Apostolica venia super aetatis et clericatus defectu. Haec enim vel ex errore, vel ad maiorem conscientiae suae tranquillitatem egisse tenendum erat: sed et accedebat alterum Decretum die 23 aprilis 1810 latum, quo bona iuripatronatus subiecta declarabantur libera favore eius, qui activo patronatu potiebatur. Tandem licet Beneficium ecclesiasticum esset, privationis poenam ipsi infligi non potuisse autumavit. Etenim in promptu erat Breve Apostolicum, quo ei licebat secularibus institutis addicto retinere Beneficium illiusque fructus percipere. Nec Apostolica gratia irrita facta erat, ex eo quod nunquam illud Emo Archiepiscopo, cui directum erat pro exequutione, exhibuerit; nam Rescriptis gratiae non est certum tempus a iure praefinitum, quo praesentari debeant.

110. Contra Promotor Fiscalis sustinuit, Beneficium praedictum fuisse ecclesiasticum nedum ante, sed etiam post expletam venditionem Abbatiae Pomposianae favore Zagatti. Nam anno 1795 collatum fuerat ab Apostolica Sede ad nominationem Abbatis Carpensi Episcopo Belloni cum solemni institutione Curiae Ferrariensis. Institutio vero et reservatio Apostolica Beneficia ecclesiastica tantum non mere laicales Capellanias afficiunt. Deficientibus hinc tabulis fundationis et statibus anterioribus, ultimus status etiam unius collationis tamquam de Beneficio perpetuo ecclesiasttco faciebat illud praesumere esse tale; nec desunt Doctores, qui in dubio pro qualitate ecclesiastica pronunciandum esse monent, ut prae aliis Pitonius de controv. patron. allegat. 49 n. 44. Id autem luculentius conficiebat, ex eo quod in instrumento venditionis bonorum Abbatiae nullatenus mentio erat bonorum Beneficii; cumque Zagattius dubitaret, declarationem ursit ab Italicae Reipublicae Praefecto, qui huiusmodi dedit responsum, ut ex illo luculenter scateret, Beneficium in sua adhuc natura perstitisse, ac nonnisi iuspatronatus delatum fuisse in emptorem. Ergo Prioratus bona nondum alicui vendita fuerant, sed adhuc ecclesiastica manebant; quodque Zagattius facto suo confirmavit, dum filium suum Antonium ad Beneficium nominavit instituendum praesentavit dispensationem super defectu aetatis et clericatus obtinuit. Decretum autem diei 23 aprilis 1810 Sancta Sedes nunquam habuit ratum, uti ad rem in Forolivien. Iurispatronatus 28 iulii 1838. Demum Apostolicum Breve suo eousque caruit effectu, cum inesset clausula: – Arbitrio tuo –, quae aequipollebat alteri: – Si tibi videbitur –, quin in praesens dignus haberi posset, ex eo quod illius exemplar in actis deposuerit vitiatum, nec obtemperaverit conditioni in Brevi appositae, ut quotannis in Archiepiscopali Curia de onerum implemento doceret.

111. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sententia Curiae Archiepiscopalis super caducitate sit confirmanda, vel infirmanda in casu? *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An et cui spectet provisio Beneficii in casu? III. An locus sit purgationi attentatorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, ad mentem; attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum Sanctissimo pro sanatione praecedentium Indultorum favore Antonii Zagatti ac pro continuatione, et quatenus opus sit, concessione Iurispatronatus laicalis activi et passivi favore eiusdem familiae Zagatti super Prioratu, firmis oneribus hucusque supportatis – *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentis die 13 Februarii 1841.*

112. Praefata resolutio cum non arrisisset Zagattio, rursus institit, ut recederetur a decisis, ac declararetur extinctio Beneficii seu Prioratus. Nam Zagattius documentum in medium protulit, quo ostendebat, Peritum etiam bona ad praedictum Beneficium pertinentia aestimasse, et reapse de iis mentionem factam fuisse in tabulis emptionis venditionis Abbatiae Pomposianae sub anno 1797 die 15 novembris obsignatis. Repropositis interim dubiis sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo secundo et tertio dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes, ac iterum adiatur Emus Archiepiscopus super deductis a Zagattio – *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 28 Augusti 1841.*

113. Emus Archiepiscopus autem probavit, documentum per Zagattium exhibitum ita mutilatum et involutum esse, ut nonnihil de illius genuitate dubitandum relinqueret. Cuncta

enim urgebant, ut bona Beneficii seu Prioratus comprehensa non fuissent in praefato contractu emptionis et venditionis anni 1797. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis sub die 13 februarii 1841 – *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 3 Decembris 1842.*

114. Zagattius itaque rursus institit ad effectum recedendi a decisis; sed repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 12 Augusti 1843* (1).

115. Quod si Capellanus seu Beneficiatus in caducitatem seu privationem incidit, ex eo quod vestes clericales dimiserit, Sixtus V in Constitutione *Cum sacrosanctam,* postquam Clericos huiusmodi ecclesiastica insignia non deferentes Beneficiis privatos declaraverit, sic statuit: – Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, nec non Canonicatus, Praebendas et Beneficia sic pro tempore vacantia collationi provisioni dispositioni nostrae et Romani Pontificis pro tempore existentis perpetuo reservamus –. Quod et Benedictus XIII sua Constitutione *Apostolicae Ecclesiae* anni 1725 confirmavit *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 22 Augusti 1840* §. *Quod.*

116. Hinc nedum Beneficia seu Capellaniae, quas Capellani amiserint ob dimissionem vestium Clericalium, reservatae prostant Apostolicae Sedi, sed et appellationes ab huiusmodi iudiciis nonnisi in devolutivo admitti debent *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 22 Augusti 1840* §. *Quoad.*

117. Siquidem Benedictus XIV, postquam in Constitutione *Ad militantis Ecclesiae* sub §. 26 casum inter alios contemplaverit privationis Beneficii ex non incessu in habitu et tonsura, inferius §. 38 ita disposuit: – Decernentes, quod adversus decreta mandata provisiones huiusmodi, quas vel quae ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis fieri vel capi contigerit, in causis et negotiis praedictis vel simplex dumtaxat et extraiudicialis recursus per viam supplicis libelli ad nos et successores nostros Romanos Pontifices, vel respective vel iuxta causarum naturam et qualitatem, appellatio ad quos de iure in solo devolutivo et sine tardatione vel praeiudicio legitimae exequutionis recipi et admitti possit – *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 22 Augusti 1840* §. *Quoad.*

118. Post haec perimitur quidem annua subministratio pro retentione Capellani, si eveniat casus, quem Fundator indixit; sed Sacra Congregatio, quoties iusta adsit causa ac nemini inferatur praeiudicium, commutationem voluntatis indulget, licet ob heredum recursum novam interim differat resolutionem *in Perusina seu Nucerina die 20 Februarii 1723.*

119. Siquidem Laurentius de Laurentiis per contractum inter vivos anno 1664 se obligavit ad solvenda annua scuta quadraginta Monialibus S. Luciae Casae Castaldae Comitatus Perusini, onere imposito, quod Capellanum retinerent, qui earum confessiones exciperet, Missam celebraret in ipsarum Ecclesia, et centum quinquaginta Missas applicaret quolibet anno iuxta suam intentionem; et in hypothesi, in qua Moniales ad aliud Monasterium tractu temporis transferri contigisset, aut ipsarum Monasterium destructum remansisset, memoratus Laurentius annullatam et revocatam haberi voluit promissionem scutorum quadraginta. Post lapsum nonnullorum annorum facta fuit translatio Monialium auctoritate Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium ad Monasterium S. Mariae Magdalenae Terrae Gualdi. Hinc Sacra Congregatio, cum supplicatum fuerit pro commutatione voluntatis, die 8 martii 1721 omnia commisit arbitrio et conscientiae Ordinarii, qui die 28 martii declaravit, Capellaniam cum annua praestatione scutorum quadraginta pertinere ad Monasterium S. Mariae Magdalenae, ad quod translatae fuerant Moniales S. Luciae cum onere tamen, ut ab uno Presbitero Missae a Laurentio relictae celebrarentur in veteri Ecclesia Monasterii *a quo,* earumque celebratio ita distribueretur, ut diebus Dominicis et festis Missa pro Populi commoditate non deesset. Habita horum factorum notitia

(1) Reliqua vide in verb. *Alienatio,* §. III, n. 16 ad 27, Tom. I.

ab heredibus Laurentii, iidem audiri petierunt, cum praefata commutatio contra literalem dispositionem Testatoris esset, quin obesset, quod omnes reditus hereditarios erogare deberent in Missarum celebrationem, cum Missae celebrandae essent in Civitate Perusina et sic satisfactum non esset per celebrationem Missarum partim adimplendam in Ecclesia Monasterii *a quo,* et partim in Ecclesia Monasterii *ad quod,* utpote sitis in Diaecesi Nucerina. Reproposito interim dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad D. Secretarium iuxta mentem – *in Perusina seu Nucerina die 20 Februarii 1723.*

120. Non censetur autem legitima Capellaniae dimissio per Parochum facta et a Vicario Generali adprobata, si deficientibus fundationis tabulis, in pluribus Visitationibus de ipsa mentio habeatur tamquam adnexa Ecclesiae Parochiali, licet erecta existat in alia Ecclesia *in Cingulana Capellaniae die 17 Septembris 1738.*

121. Siquidem in Ecclesia Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii erecta existebat Capellania nuncupata *della Brunetta,* de cuius origine et tempore fundationis non constabat, in Visitationibus tamen per plures Auximanos Episcopos factis iam inde ab anno 1573 semper erat mentio de praedicta Capellania tamquam annexa Ecclesiae Parochiali et Plebaniae S. Helenae Villae Avenalis in territorio Cingulano. Anno autem 1720 Franciscus Mattarellus Parochus praefatae Ecclesiae Parochialis institit coram Antistite Auximano, ut admitteretur dimissio dictae Capellaniae, quam facere ipse constituerat, propterea quod, ut ipse aiebat, fructus fundi impares essent oneri trium Missarum in singulas hebdomadas. At obstitit Promotor Fiscalis, impugnans dimissionem, tum quia non licebat infringere unionem ab immemorabili tempore observatam, tum etiam quia non satis constabat de originario fundo dictae Capellaniae, proinde non poterat asseverari, fructus esse insufficientes oneri Missarum, tum demum quia propter unionem distingui et secerni non poterant primitivi reditus dictae Capellaniae a reditibus dictae Ecclesiae Parochialis et Plebaniae, qui excedebant annua scuta quadraginta. Parochus tandem Decretum anno 1725 a Vicario Generali obtinuit, quo dimissio Capellaniae tamquam licita adprobata fuit. Modernus tamen Archiepiscopus valde dubitavit de iustitia et validitate huiusmodi dimissionis. Parochus vero eam sustinuit, ex eo quod non constabat de Capellaniae unione; et enunciativae in Visitationibus sub annos 1573 et 1612 peractis repertae satis non probabant, quia nimium generales atque ambiguae, et quia commode referri poterant ad eam unionis speciem, per quam Plebanus pro tempore deberet esse eiusdem Capellaniae Rector, nec non quia erecta non reperiebatur in Plebanali Ecclesia, sed in Ecclesia Congregationis Oratorii Civitatis Cingulanae, ibique onus Missarum adimplebatur; adeoque inverisimile erat, Capellaniam, quae adhuc in pristina Ecclesia Congregationis Oratorii perseverabat, unitam et incorporatam fuisse Plebanali Ecclesiae longe dissitae, cum ea sit unionis indoles, ut Beneficium seu Capellania efficiatur membrum Ecclesiae, cui eius unionem contingat fieri.

122. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de legitima dimissione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Cingulana Capellaniae die 17 Septembris 1738.*

§. VI.

CAPELLANUS QUOAD RESIDENTIAM

1. Communiter distinguunt Doctores inter residentiam *praecisam,* sub poena nempe caducitatis tituli, si Beneficiatus seu Capellanus non resideat, et alteram *causativam,* sub poena nempe privationis fructuum *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *Duo.*

2. Utraque, uti perpendunt Lotterius de Re Benef. lib. 3 quaest. 27 n. 30, Leurenius in foro Benef. part. 1 sect. 3 cap. 1 quaest. 394, Garcias de Benef. part. 2 cap. 5 n. 90, esse potest *continua,* quae continuo nempe ac singulis momentis obliget ad residendum,

vel *discontinua*, quae Beneficiatum seu Capellanum obliget ad residendum certis diebus et horis *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *Duo*.

3. Receptum hinc est, etiam Capellanias aliaque Beneficia simplicia de iure communi residentiam requirere, uti communi calculo edocent Garcias de Benef. part. 3 cap. 2 n. 1, Lotterius de Re Benef. lib. 3 quaest. 27 n. 8, et Pitonius de controv. patron. allegat. 27 n. 2, ubi adnotat, solum ex consuetudine universali hanc residentiam in Capellanis minime desiderari; unde arguit, quod ubi ex fundationis lege colligi possit, residentiam fuisse volitam expresse vel tacite, hoc in casu, etsi de simplici Beneficio agatur, illud efficitur residentiale, tamquam conforme dispositioni iuris, imo ibidem n. 13 subdit, in dubio etiam iudicandum esse pro qualitate residentiali, ob eamdem rationem, quod communi iuri consentanea sit, cum quo potius, quam cum consuetudine universali exclusiva residentiae Testator se se conformasse censetur *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Praeterea*.

4. De iure autem, exceptis Canonicatibus et Beneficiis curatis, de omnibus aliis, quodcumque servitium requirant, nonnisi causativam residentiam intelligi *in Lucen. die 1 Februarii 1766* §. *Secundum* (1).

5. Unde cum Testator nullam non residentibus imposuerit poenam privationis Capellaniae, residentia non intelligitur praecisa, sed dumtaxat causativa, ex firmatis per Rotam in Recent. decis. 182 n. 7 part. 8, decis. 551 coram Cavallerio n. 6, et in terminis ipsorum onerum Capellanis indictorum tradit eadem Rota coram Remboldo decis. 239 n. 7 *in Hortana die 2 Decembris 1775* §. *Et*.

6. At residentia causativa nedum incompatibilitatem excludit, sed etiam non impedit, quominus Capellanus per alium impleat onera Capellaniae, ut ad rem Rota in Recent. part. 4 decis. 155 n. 2 *in Hortana die 2 Decembris 1775* §. *Et*.

7. Compertum hinc est, nullam de iure requiri personalem residentiam et nullum onerum implementum per se ipsum, quoties res est de Capellania pure et simpliciter laicali et prorsus exempta a quavis Ordinarii iurisdictione *in Hortana die 2 Decembris 1775* §. *Ad* (2).

8. Qua de re Capellaniae mere laicales àb Ordinarii iurisdictione exemptae non exposcunt personalem residentiam, nisi id clare aperteque ex Fundatoris voluntate pateat *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *E contra*.

9. Quin imo nec simplicia Beneficia ecclesiastica, iuxta hodiernam praxim et invectam generalem consuetudinem, oneri residentiae subiiciuntur, ceu monet Fagnanus in Cap. *Ut Abbates* de aetat. et qualit. praef. n. 74 *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Sed*.

10. Idcirco praecipuum monumentum in observantia et consuetudine positum videtur, dum pro lege habendam hac in re docet Pitonius de controv. patron. allegat. 28 n. 11, praesertim si desunt fundationis tabulae *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Sed*.

11. Tanta enim est immemorabilis potissimum observantiae vis et efficacia, ut excusare a residentia queat etiam in Collegiatis, quae insignes non sunt, uti ex sententia Sacrae Congregationis testatur Fagnanus in Cap. *Cum omnis* de constitut. n. 31 *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Sed*.

12. Eoque magis servanda est consuetudo non residendi, si Capellanus tenues in praesens percipiat reditus; generalis enim consuetudo non residendi in Beneficiis simplicibus in redituum tenuitate adamussim fundata est, ceu monet Pitonius de controv. patron. allegat. 28 n. 11 *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Sed*.

13. Unde in simplicibus Capellaniis nunquam censetur inesse onus residentiae, nisi Fundator eam perspicue imperaverit *in Perusina Capellaniae choralis die 20 Ianuarii 1770* §. *Duo* (3).

14. Idcirco potest eorum oneribus satisfieri

(1) Rot. coram Bichio decis. 12, n. 8; coram Molin. decis. 516, n. 16; coram Herreros decis. 46, n. 11; in Fanen. Beneficii 29 aprilis 1735, §. 9 coram Peralta; in Vicen. Beneficii 5 iulii 1751 §. 3 coram Cortada.

(2) Abb. in Cap. *Extirpandae* §. Qui vero, n. 8 de Praebendis; Card. De Luc. de Benef. disc. 58 n. 2; Rot. coram Priolo decis. 84, n. 6.

(3) Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 5, n. 74; Garz. part. 7, cap. 1, n. 58; Card. De Luc. de Benef. disc. 6, n. 2; et disc. 58.

per alium, nisi Fundator expressis verbis postulet, ut Beneficiatus per se ipsum praescriptas functiones peragat *in Montis Alti Dispensationis die 3 Augusti 1782 §. Iuxta.*

Item *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857 §. Sed* (1).

15. Nec itaque residentia erui potest ex iniuncta celebratione Missarum, cum nullibi implementum earumdem per se ipsum fuerit praescriptum, ut adeo per alium implere vetitum sit *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855 §. E contra* (2).

16. Ceterum ex lege fundationis in Beneficiis et Capellaniis etiam laicalibus inhaerere potest praecisa residendi necessitas *in Hortana die 2 Decembris 1775 §. Et* (3).

17. Animadvertendum hinc est, exploratam manifestamque agnoscendam esse Testantium voluntatem, ut residentiae lex iniecta fuisse edicatur *in Perusina die 20 Iunii 1770 §. Duo.*

Item in *Amerina Capellaniarum die 22 Iunii 1833 §. De Farnesiana.*

18. Qua de re id praesertim ex fundationis tabulis aut ex publicis aliis monumentis probandum est *in Anconitana die 12 Maii 1770 §. Hinc.*

Item *in Civitatis Plebis die 11 Maii 1793 §. Ut onera; in Amerina Capellaniarum die 22 Iunii 1833 §. De Farnesina.*

19. Patet enim, ex simplici litandi praecepto residentiae onus necessario neutiquam deduci *in Amerina Capellaniarum die 22 Iunii 1833 §. De Farnesiana* (4).

20. Idcirco Capellanus non gravatur onere residentiae, si Capellaniam possidet, de qua nullum adest ex hominum memoria documentum, atque ex maiorum dicto dumtaxat conditio sustinetur bini in hebdomada Sacri faciendi; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Farnesiana Capellania Sanctissimi Sacramenti onus residentiae imponat Capellano in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Amerina Capellaniarum die 3 Augusti 1833.*

21. Unde licet verba fundationis innuere videantur legem residentiae, si tamen ea ab observantia excluditur, Capellanus nequaquam onere residentiae gravatur *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857.*

22. Iamvero in Ecclesiae Terrae de Cecina Messaga ab anno 1300 Beneficium extabat erectum, cuius Fundator praeceperat, – quod Ecclesia S. Nicolai ditaretur de bonis suis, ita quod unus Presbiter et unus Clericus ibi commode stare possent et facere divinum officium –. Hinc onus praecisae et personalis residentiae inferri videbatur ab ipsa fundationis litera; praefata enim verba in prima parte residentiam in loco Beneficii, in altera vero celebrationem per se ipsum divinorum officiorum secumferre videbantur. Accedebant Decreta Episcoporum, quibus imponebatur Capellano onus assistendi sacris functionibus, Missas statis diebus in determinata Ecclesia celebrandi, supplicationibus interessendi, divina peragendi officia, quae cum Capellani absentia conciliari non poterant. Advertebatur tamen, personalem residentiam haud necessario secumferre videbantur verba illa quod unus Presbiter et unus Clericus ibi commode stare possent –, cum commoratio diserte ac verbis praeceptivis demandata non fuerit; nihilque prohibebat, quominus Capellanus per alium resideret ac divina officia celebraret, eo vel magis quod iniuncta onera per se ipsum explenda esse a Capellano praescriptum non fuerit, nec per alios illa peragi vetitum. Accedebat, residentiae legem prorsus excludi ex actu collationis Beneficii anni 1602, ceu patebat ex relatione Episcopi. Unde ex observantia constabat, Capellanos ab onere residentiae exemptos extitisse.

23. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An Capellanus teneatur ad residentiam in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857.*

24. Neminem vero latet, ex onere Capellano iniuncto celebrandi per se ipsum praecisam erui residentiam *in Camerinen. die 21 Iunii 1766 §. Ex adverso.*

Item *in Comaclen. die 18 Septembris 1773 §. Inquit; in Caesenaten. Capellaniae die*

(1) Zalinger. lib. 3, tit. 4 Decret. §. 33; Gonzalez in Cap. 6 de Cler. non residentibus.
(2) Rota coram Merlino decis. 825, n. 8; coram Priolo decis. 84, n. 8.
(3) Abb. in Cap. uit. de Cleric. non resident.; Lotter. de Re Benef. lib. 3, quaest. 26, n. 12.
(4) Lotter. de Re Benef. lib. 3, quaest. 27, n. 18; Fagnan. in Cap. *Ut Abbates* de aetat. et qualit. n. 80.

27 Iulii 1839 §. *Perpendant; in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *Duo.*

25. Id eo vel magis arguendum est, si privationis poena in casu omissae per se ipsum celebrationis adiecta fuerit *in Lucen. die 1 Februarii 1766* §. *Vel.*

Item *in Caesenaten. Capellaniae die 27 Iulii 1839* §. *Perpendant; in Baren. Indulti die 9 Iulii 1855* §. *Duo* (1).

26. Si enim onera per se ipsum implenda mandentur, requiritur praecisa residentia, etiamsi poena privationis iniuncta non fuerit *in Lucen. die 1 Februarii 1766* §. *Aut* (2).

27. Nullum hinc dubium, quin praecisa requiratur residentia, si onera per se ipsum Capellanus implere teneatur *in Lucen. die 1 Februarii 1766* §. *Aut* (3).

28. Nec aliter statuendum, si facultas concessa sit in certis casibus implendi per alium; tunc enim in aliis circumstantiis vetita merito censetur *in Firmana Capellaniarum die 12 Martii 1774* §. *Addunt.*

Item *in Caesenaten. Capellaniae die 27 Iulii 1839* §. *Perpendant* (4).

29. Qua de re cum Testator imposuerit Capellano onus celebrandi per se ipsum sub poena caducitatis ipso facto, si trina vice in mense id non adimpleret, excepto casu infirmitatis vel alio accidentali defectu per Episcopum adprobando, instituendus quidem est passive vocatus ac legitime a Patronis nominatus, sed non indulgetur dispensatio a residentia ad effectum retinendi huiusmodi Capellaniam residentialem cum Canonicatu, licet sit familiaris et cubicularius Summi Pontificis *in Caesenaten. Capellaniae die 27 Iulii 1839.*

30. Nam dicuntur esse in servitio Papae ad effectum lucrandi fructus Beneficii, ac Praebendae Capellani Papae et similes, quique in Curia morantur de illius praecepto, licet scriptores sint; secus vero si voluntate propria, quia tunc propriam potius, quam Reipublicae vel universalis Ecclesiae utilitatem prosequuntur *in Caesenaten. Capellaniae die 27 Iulii 1839* §. *Videant* (5).

31. Enimvero postremis tabulis anni 1634 Laurentius Maraldi Caesenatensis Capellaniam instituit ad Aram S. Andreae Apostoli erectam in Ecclesia S. Dominici, et Capellano in prima tabularum instrumenti cera onus imposuit celebrandi per se vel per alium, sed addidit immediate adverbium – respective –, quod ad ea, quae sequuntur, referri videbatur. Mox enim onus per se ipsum celebrandi luculenter declaravit, excepto tantum casu infirmitatis alteriusve eventus aut necessitatis; poenamque sancivit caducitatis ipso iure et ipso facto in eum, qui trina vice in mense obligationi celebrandi per se ipsum satis non faceret. Voluit etiam, ut Episcopus adprobare deberet huiusmodi iustam celebrandi per alium causam. Ius nominandi Capellanum dedit Municipii Caesenatensis Decurionibus ita tamen, ut praeferre deberent Sacerdotes descendentes Simonis Petri Maraldi licet non essent Sacerdotes; sed inde ad Sacerdotium assumpti et ipsi per se ipsos celebrare tenerentur sub eadem poena caducitatis. Quum anno 1837 Capellania haec vacaverit, Decuriones maiorem suffragiorum numerum in Hieronymum Fantaguzzi in Vaticana Basilica Canonicum contulerunt. Qua de re Fantagutius dispensationem celebrandi per alium postulavit: sed obstitit Caesar Massini alter ex canditatis, qui post Fantagutium dimidio maiorem suffragiorum numerum retulerat. At Fantagutius probavit, se ex praedilecta a Testatore linea Maraldi descendere, ac nominationem a Municipio retulisse; adeoque nil aliud quam institutio desiderabatur. Neminem porro prohiberi ursit etiam post Tridentinam Synodum alterum Beneficium incompatibile

(1) Rot. in Recent. decis. 140, n. 5, part. 4; coram Falconerio de Benef. decis. 1 et 2; in Monasterien. Parochialis 16 februarii 1748 §. 3 coram Migazzi; Leuren. in for. Benef. part. 1, sect. 3, cap. 1, quaest. 364; Garz. de Benef. part. 11, cap. 1, n. 90; Lotter. de Re Benef. lib. 3, cap. 27, n. 3.

(2) Piton. de controv. patron. allegat. 27, n. 14; et discept. 142, n. 3; Rot. in decis. 140, n. 4, part. 4 Recent. decis. 446, n. 18 coram Lancetta.

(3) Piton. discept. 142; Panimoll. decis. 130, n. 12; Rot. coram Emerix decis. 1240, n. 4; in Recent. decis. 140; part. 4, tom. 1.

(4) Rot. in Reatina Immissionis 25 iunii §. Dupliciter coram Emo Elephantutio.

(5) Moneta de distrib. quotidian. part. 2, quaest. 9, n. 12; Abbas in Cap. *Cum dilectus*, n. 3; Leurenius for. Benef. sect. 3, cap. 1, de onerib. Beneficiat. quaest. 4 et 5, n. 8; Bonaccina decis. quae ad divinum officium in choro psallen. disp. 2, quaest. 5, punct. 111 §. 1, n. 2.

adipisci, sed tantum retinere et quidem ultra duos menses. Respuit Massinium uti legitimum contradictorem, cum nec a Simone Petro Maraldi descenderet nec a Municipio esset nominatus. Nil itaque impediebat, quominus ei dispensatio indulgeretur, cum residentia praecisa non requireretur ex lege fundationis. Quin imo sustinuit, nec dispensatione indigere, nam in Constitutionibus Capitularibus Cap. 1 §. 7 statuebatur: – in Papae et Sedis Apostolicae Notarios ac etiam Capellanos et familiares et continuo commensales recipiuntur –; ac praeterea inter Summi Pontificis Cubicularios recensebatur. Advertebatur tamen, in casu rem esse de residentia praecisa; et ambigi, num venia percipiendi fructus facta familiaribus Papae aliam quoque contineret retinendi duo Beneficia residentialia, siquidem privilegia maxime iuri communi derogatoria strictae sint interpretationis. Fantagutius autem, ut obtineret saltem dispensationem, protulit passivam vocationem, graves expensas ad vitam Romae decenter agendam, nec non exemplum decessoris sui Francisci Lancetti, qui Capellaniam obtinuerat minoribus tantum ordinibus auctus celebrans per alium, donec ad Sacerdotium pervenerit. Episcopus retulit, reditus Capellaniae, subductis oneribus, vix annua scuta triginta pertingere; censuitque non habere facultatem dispensandi ad formam fundationis, cum non ageretur de temporario et accidentali defectu, sed de perpetua ab Urbe absentia.

32. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit danda institutio favore Hieronymi Fantaguzzi in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An sit consulendum Sanctissimo super dispensatione a residentia in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Caesenaten. Capellaniae die 27 Iulii 1839.*

33. Quum itaque Testator imposuerit Capellanis obligationem celebrationis Missae ac alia onera cum facultate illa adimplendi per alios in casu legitimi impedimenti absentiae et infirmitatis, Capellani sic tenentur per se ipsos eadem in loco residentiae adimplere, ut Sacra Congregatio neque ex gratia, iusta exulante causa, indultum abessendi et adimplendi per alios praedicta onera concedat *in Hortana die 20 Ianuarii 1776.*

34. Iamvero Aurelius Celestini Terrae Bassanelli Hortanae Diaecesis testamento diei 29 maii 1760 sex erigi iussit Capellanias annui reditus scutorum quadraginta octo in Ecclesia Sanctae Mariae Virginis *della Stella* nuncupata, quae parum distabat a dicta terra Bassanelli. Unicuique Capellano onus imposuit tria celebrandi Sacra certis diebus ab ipso Testatore praescriptis, praeter annua tria anniversaria cum aliorum Capellanorum interessentia, nec non onus recitandi litanias cum cotta singulis diebus sabbati in praefata Ecclesia, interessendi diebus festis Missae cantatae et vesperis in Ecclesia Parochiali S. Mariae, et comitandi Sanctissimum Sacramentum, cum ad Infirmos deferretur. In casu vero impedimenti absentiae vel infirmitatis voluit, ut praefati Capellani huiusmodi onera per alios implere possent. Ad unam ex dictis Capellaniis nominatus fuit Sacerdos Petrus Coluzzi Romae degens, honestoque addictus servitio: hic preces obtulit summo Pontifici pro exemptione a residentia cum facultate implendi per alium onera Capellaniae; sustinuit enim, nullam de iure requiri personalem residentiam et nullum onerum implementum per se ipsum, cum res esset de Capellania mere laicali, et ipse Testator concesserit facultatem celebrandi et implendi onera per alium, in casu impedimenti absentiae et infirmitatis. Patroni votis Petri adhaerebant, quia per absentiam nullum inferebatur detrimentum cultui divino vel expiationi animae Fundatoris, quoties per alium Sacerdotem adimplerentur onera Capellaniae. At vero ceteri Capellani absentiae gratiam a Petro postulatam impugnabant. Proposito hinc dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Hortana die 20 Ianuarii 1776.*

35. Idcirco si Testator Capellanias instituerit com onere celebrandi in designata Capella et in casu impedimenti facultatem dederit celebrandi per alios, Capellaniae huiusmodi sunt quidem residentiales et Capellani, si alibi commorentur, tenentur accedere ad locum residentiae, durante vero infirmitate permanere possunt, ubi actu degunt *in Romana Capellaniarum die 16 Martii 1709 et die 8 Februarii 1710 lib. 59 et 60 Decretorum.*

36. Hinc multo magis Capellanus residere tenetur, si etiam aliae concurrant urgentiores circumstantiae *in Urbanien. et S. Angeli in vado Capellaniae die 19 Novembris 1825.*

37. Iamvero Sacerdos Franciscus Battelli testamento, quod scripsit anno 1746, imposuit Capellano praeter alia onus celebrandi Missas diebus festis de praecepto in Ecclesia Calavannae. Capellaniam hanc obtinuit Ioannes Antonius Sacchi, quin tamen ibidem Sacra ageret ac resideret. Patroni autem enixe efflagitarunt, ut Sacrorum praesertim celebratio Calavannae instauraretur. Unde Emus Relator haec perpendit: – Et certe etiamsi dicatur, optasse quidem Testatorem, non autem stricte praecepisse, ut ibidem Capellanus perpetuo commoraretur, propterea quod nec vetuit Sacra per alium celebrari, et prospexit casui absentiae nominati, propter quam non posset « da se adempire l'obligo », plane evidentissimum est, hoc omnino voluisse, imo hanc fuisse finalem ac unicam suae liberalitatis causam, ut in Ecclesia Calavannae Sacra fierent, Populoque praesidia aeternae salutis praeberentur. Ipse nimirum a fundamentis Ecclesiam extruxit. Ipse eidem Ecclesiae bona sua donavit. Ipse Capellano, ut facilius voluntatem suam impleret, suas ibidem aedes et domesticam supellectilem legavit. Ipse, absente nominato, voluit, ut per alterum ministerium consuleretur « che la mia volontà non venga defraudata »; imo deside Capellano iussit, « che sarà cura del Signor Arciprete pro tempore subentrare al possesso di tutto con fare adempire la mia volontà ». In tanta effusione voluntatis non equidem tolerandum censerem, ut Ecclesia a Testatore fundata, ut Populus ab ipso praedilectus spiritualibus hisce praesidiis diutius fraudaretur, reclamantibus praesertim tum Episcopo, tum Archipresbitero, tum Patronis –.

38. Propositis itaque dubiis: – IV. An Capellanus residere teneatur in aedibus a Testatore designatis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* V. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione favore Capellani Sacchi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative ad formam fundationis. Ad quintum, dilata; et Capellanus Sacchi supplicet separatim, expositis, si quas habet, causis dispensationis – *in Urbanien. et S. Angeli in vado Capellaniae die 19 Novembris 1825.*

39. Quando enim plura Capellano peragenda praefiniuntur, quae personae operam assiduitatemque efflagitant, indicta censetur lex residentiae *in Amerina Capellaniae die 22 Iunii 1833* §. *De.*

40. Nullum hinc dubium, quin Capellanus residere debeat in loco, ubi erecta est Capellania, si Testatrix ob id eam praesertim instituerit, ut alius ibi adesset Sacerdos, ac domum supellectilibus instructam pro Capellani habitatione reliquerit, nec non facultatem nominandi Clericum Patronis dederit, ut eiusdem titulo ad sacros Ordines adscendere posset cum conditione supplendi interim per alium, qui ibidem residere ac immorari deberet. Qua de re cum Sacra Congregatio iustis de causis permiserit huiusmodi Capellaniae unionem alteri Capellaniae alia in Ecclesia et loco ab eadem Testatrice institutae, frustra quidem praetensus Patronus unionem hanc perfringere contendit, ut filius institueretur, ex eo etiam quod a decem et octo annis legitime institutus existeret Capellanus, sed insimul praescriptum merito fuit, ut Capellano imponeretur onus residentiae.

41. His enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Iosephi Maciocchi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et ad mentem; mens est, ut iniungatur omnino Quadrario onus immorandi in Oppido Filacciano, firma exequutione Resolutionis Sacrae Congregationis editae die 27 martii 1819 (1) – *in Nepesina Capellaniae die 1 Martii 1834.*

42. Idcirco cum Maria Catharina Alteria Capellaniam seu Sacristanatum mere laicalem instituerit, imposito Capellano onere custodiendi Ecclesiam, Altaria, sacra utensilia ac cetera huiusmodi, quae ad Sacristanatus officium spectant, ac interessendi sacris functionibus in paraeciali Ecclesia Oppidi Iovis explendis, nec non celebrandi per se ipsum quatuor Missas qualibet hebdomada, proposito dubio: – II. An Capellania seu Sacrista-

(1) Quam Resolutionem habes in Verb. *Capellania*, §. VIII, n. 68 ad 71, Tom. V.

natus officium titulo SS. Laurentii et Caroli onus residentiae imponat in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Amerina Capellaniarum die 3 Augusti 1833.*

43. Qua de re si Fundatores imposuerint onus interessendi functionibus, quae in Ecclesia Parochiali celebrarentur, ac celebrandi Missam diebus festis pro Populi commoditate, simulque tribuerint facultatem nominandi etiam Clericum, dummodo intra biennium Sacerdotium assumeret ac interim Missas per alium celebraret, nullum omnino dubium, quod huiusmodi Capellania sit residentialis, quin Capellanus a se onus residentiae depellere valeat *in Tusculana Capellaniae die 14 Decembris 1816.*

44. Enimvero coniuges Blasius Testa et Caecilia Ambrogini instituerunt perpetuam Capellaniam sive Beneficium ecclesiasticum ad Altare S. Caroli Borromaei in Ecclesia Parochiali Arcis Papae, imposito Capellano onere celebrandi quolibet mense Missam in Capella S. Caroli et post obitum Fundatorum omnibus diebus festis pro Populi commoditate, nec non interessendi functionibus parochialibus, ac etiam horis canonicis, si in praefata Ecclesia erigerentur Canonicatus vel Capellaniae perpetuae, quibus huiusmodi onus inhaereret. Ad hanc autem Capellaniam Clericum etiam nominari posse voluerunt, dummodo intra biennium Sacerdotium assumeret, ac interim per alium oneri Missarum cum eleemosyna unius iulii pro qualibet Missa satisfaceret. Hanc Capellaniam primus ex Fundatorum nominatione anno 1756 obtinuit Sacerdos Marcus Gabrieli, qui semper in Oppido Arcis Papae commoratus est, ibique post diuturnum morbum defunctus est anno 1814. Eius soror a Summo Pontifice impetravit, ut ipsa impletis oneribus fructus perciperet, et in litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis die 5 iulii 1814 haec legebantur: – Cum itaque sicut nuper nobis exponi fecisti, ut asseris, perpetua sine cura, et personalem residentiam non requirens etc. vacaverit –. Inde Capellaniam possidebat Dominicus Testa, qui postulavit, ut declararetur, non esse residentiam. Emus Episcopus vero censuit, Capellaniam huiusmodi esse residentialem, tum quia Fundatores voluerunt, ut Capellani per se onera implerent, tum quia onus residentiae imposuerunt. Etenim praeceperunt, ut ad hanc Capellaniam Clericus nominari posset, dummodo intra duos annos ad Sacerdotium ascenderet, et evolventibus praefatis duobus annis Missas per alium implere posset. Ex quibus arguit, voluisse Fundatores, ut hoc casu excepto per se celebrarent. Residentiam iniunxisse sibi videbatur, ex onere Capellano imposito interessendi functionibus, quae in praefata Ecclesia celebrarentur. Nec obstare subdidit enunciativam Brevis Pontificii, in quo asserebatur, Capellaniam personalem residentiam non requiri. Cum enim ex instrumento fundationis constaret, Capellaniae annexum fuisse residentiae onus, Brevis enunciativa a falsa postulantis narratione elicita minime obesse Fundatoris voluntati. Attamen Sacerdos Testa, ut a se onus residentiae depelleret, totus in eo fuit, ut ostenderet Capellaniam residentialem futuram tantum in casu, quo in Oppido Arcis Papae erigerentur Canonicatus, et Capellanus inter novos Canonicos, iuxta Fundatorum voluntates, recenseretur.

45. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Capellania, de qua agitur, sit residentialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Tusculana Capellaniae die 14 Decembris 1816.*

46. Quin imo praecisa requiritur residentia, si Capellania annexum onus habeat assistendi divinis officiis in Ecclesia parochiali et Parochum coadiuvandi *in Aquilana Capellaniae die 2 Maii 1733* §. *Quantum.*

Item *in Lucen. die 1 Februarii 1766* §. *Communis; in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855* §. *Duo; in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Denique* (1).

47. In functionibus enim peragendis electa censetur industria et qualitas persona, ut observat Rota in Gerunden. Beneficii die 25 iunii 1695 §. Et huiusmodi coram Caprara *in Brixien. Onerum die 2 Maii 1857* §. *Denique.*

48. Idcirco si Capellania instituta fuerit

(1) Piton. Allegat. 28 de controv. patron. per totum; Fagnan. in Cap. *Ut Abbates*, n. 89 de aetat. et qualit.; Amostaz de Causis Piis lib. 8, Cap. 11, n. 41: Rot. decis. 399 n. 4 coram Merlino.

cum onere residendi, coadiuvandi Parochum in cura animarum, et celebrandi Missam diebus festis ac etiam infra hebdomadam, Capellanus tenetur ad residentiam continuam prout de iure *in Fanen. Residentiae die 24 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

49. Enimvero – vigore notissimae Constitutionis, quae incipit: *Instauranda,* promulgatae a sa. me. Innocentio X de anno 1652, suppressus fuit parvus Conventus S. Blasii de Brettino PP. Eremitarum S. Augustini existens intra fines Parochiae Villae Ronchi Sambacci, cuius reditus a tunc temporis Episcopo cum consilio Capituli, mediante approbatione Sacrae Congregationis super statu Regularium, fuerunt conversi in erectionem Capellaniae (1). Fuit exinde primo provisus de dicta Capellania Franciscus Santolinus cum honoribus et oneribus ac obligationibus residendi in dicta Ecclesia in auxilium animarum Parochiae, ibique celebrandi singulis diebus festivis vel de devotione, et quando in hebdomada non occurret aliquis dies festus, celebrandi etiam feria quinta et sabbato, quemadmodum legitur in Decreto dictae provisionis. Ac pari modo, cum obligatione personalis residentiae, eam assecuti fuerunt alii Capellani successores. Possidet modo dictam Capellaniam Ioseph Ferrinus, qui eam sibi impetravit ab Apostolica Sede, ob non residentiam sui Antecessoris ab anno 1691, qui quidem de anno 1698 recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem pro exemptione ab obligatione residendi sub praetextu, quod eius praedecessores idem onus non adimpleverint. Verum reiectae fuerunt eius preces; quemadmodum etiam evenit in Sacra Congregatione Episcoporum, ad quam Ferrinus similem recursum habuerat: atqui de anno sequenti 1699 conquerente etiam Parocho Villae Ronchi Sambacci destituto auxilio Ferrini, institit in hac Sacra Congregatione Promotor Fiscalis illius Curiae Episcopalis ad effectum cogendi Ferrinum ad residentiam, et eadem Sacra Congregatio stetit in decisis, et huiusmodi causam non amplius proponi mandavit. Nuper vero de mense ianuarii anni praeterlapsi 1710 novus advenit recursus nomine Populi dictae Villae Ronchi adversus Ferrinum non residentem et Decreta Sacrae Congregationis eludentem. Unde haec eadem Sacra Congregatio iniunxit Episcopo Fanensi, quatenus iuxta enunciata Sacrae Congregationis Decreta procedere non omitteret. In vim cuius mandati idem Antistes praeceptum tulit adversus Ferrinum, ut statim se recipere deberet ad residentiam sui Beneficii, ab eaque non deberet ullo sub praetextu vel quaesito colore unquam discedere, neque de die neque de nocte, sine eiusdem Antistitis vel eius Vicarii Generalis in scriptis licentia, sub poenis formalis carcerationis, amissionis Beneficii, aliarumque poenarum etiam eius arbitrio inflingendarum, iuxta dispositionem Concilii Tridentini sacrorum Canonum et Apostolicarum ac Synodalium Constitutionum. At vero postmodum Episcopus, firmo in reliquis relicto dicto praecepto, illud moderatus fuit, licentiam scilicet impertiendo Ferrino bis tantum in hebdomada dumtaxat de die se se transferendi ad Civitatem Fani, relicta tamen idonea persona pro coadiuvando Parocho in exercitio curae et adimplendo Missarum onere, sed de nocte se reciperet ad residentiam.

50. Ab huiusmodi praecepto gravatus Ferrinus recurrit ad hanc Sacram Congregationem praetendens, ad residentiam teneri nonnisi iis hebdomadae diebus, quibus est affixum Sacrificium Missae. Quamobrem informare iussus idem Episcopus Fanensis latius praemissa comprobavit, et in folio separato in Summario dando iura quaedam transmisit, quibus convincere adnititur Oratoris continuam residentiam –. Proposito itaque dubio: – An et quomodo Orator teneatur ad residentiam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Teneri ad residentiam continuam, prout de iure – *in Fanen. Residentiae die 24 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

51. Quapropter Capellani, qui habent onus coadiuvandi Parochum in cura animarum et Sacramentorum administratione, nedum te-

(1) Sub hac tamen lege: – Il Convento di S. Biagio di Brettino de' PP. Agostiniani fuori della Città tre miglia, d'entrata di scudi cento in circa, si può applicare per un Cappellano perpetuo, che risiedi, aiuti il Parroco nella cura delle anime, celebri le feste di precetto e di divozione, ed anco fra settimana, secondo che li sarà prescritto dall'Ordinario, e con tal celebrazione soddisfacci gli obblighi, che vi saranno –.

nentur ad residentiam, sed et possunt ab Episcopo compelli ad residentiam, quin valeant ab eodem Episcopo super hoc dispensari, nisi possent per substitutum oneri sibi incumbenti satisfacere *in Brixien. anno 1573 lib. 1 Decretorum pag. 71.*

52. Cum itaque Fundatores imposuerint Capellano onus celebrandi Missas per se ipsum et assistendi divinis officiis, licet Patronus consensum praestaret ac tenues essent reditus, Sacra Congregatio ad annum dumtaxat concessit indultum absentiae ad effectum deliberandi, quin interim Missae in alia Ecclesia celebrari possent *in Romana Residentiae die 11 Iulii 1818.*

53. Siquidem die 27 septembris 1647 erecta fuit in Ecclesia Collegiata S. Mariae in via lata Capellania ad nutum amovibilis Auditoris Rotae Regni Aragoniae cum onere Capellano celebrandi per se ipsum in praefata Ecclesia Missas diebus festis de praecepto ac interessendi divinis Officiis. Sacerdos Ioannes Sanchez Valverde hanc possidens Capellaniam veniam abessendi postulavit, ut Panormi apud Emum Archiepiscopum, cuius famulatui erat addictus, suis necessitatibus providere posset. Emus Diaconus, attenta redituum tenuitate in scutis circiter quindecim annuis et in obsequium laudati Emi Archiepiscopi, putavit, Oratoris precibus ad aliquod tempus indulgeri posse. Auditor Sacrae Rotae pro Regno Aragoniae assensum pariter praestitit. Nulla tamen infirmitas suberat nec urgens corporalis necessitas nec Ecclesiae utilitas, quae pro legitima absentia probatae fuerunt a Bonifacio VIII. Tenuitas vero redituum non liberabat ab onere residentiae et servitii, sed tantum viam sternebat ad postulandam servitii reductionem. Durum tamen videbatur, ut residentiae onere gravaretur Beneficiatus, qui ex suo Beneficio victum consequi nequibat. Hoc enim in casu Capellanum ad residentiam non teneri docuit Card. Petra ad Constit. Innocentii XII. Missae tamen celebrandae videbantur in eadem Ecclesia Collegiata, cum voluntas Fundatorum quoad fieri posset servanda erat, nec nisi ex iusta et necessaria causa erat commutanda.

54. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et pro quo tempore sit concedendum indultum absentiae in casu etc. II. An concedenda sit Oratori facultas durante absentia satisfaciendi Missas a Fundatoribus praescriptas in quacumque Ecclesia, seu potius Missae per alium celebrandae sint in Ecclesia designata ad formam fundationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad annum ad effectum deliberandi. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Romana Residentiae die 11 Iulii 1818.*

55. Quum autem res sit de residentia causativa et de Patrono a Fundatore descendente cum iure activo et passivo, licet non indulgeatur reductio Missarum ob praetensam redituum imminutionem, conceditur tamen dispensatio ab onere residendi et onera per se ipsum implendi *in Taurinen. die 29 Aprilis 1780.*

56. Siquidem Comes Chiabertus de Plossasco ex Dominis loci Scalengiarum Taurinensis Diaecesis, post a fundamentis extructam in eo loco Capellam in honorem Dei et Sebastiani martyris, eam anno 1451 dotavit tam pro eius, quam pro nominandi ac instituendi Capellani manutentione. Prohibuit, ad eam Capellaniam nominari non posse, nisi fuerit in Sacerdotio constitutus: ac voluit, quod Capellanus quotidie et perpetuo teneretur per se ipsum in dicta Capella celebrare Sacrum in aurora pro anima ipsius Fundatoris eiusque praedecessorum, nec non in loco Scalengiarum residere; subdiditque, quod – si forte infirmitate seu alio legitimo impedimento sit detentus, eo casu per alium in eadem Capella omni die teneatur facere celebrare –. Si Capellanus per octo dies defecisset in celebratione quotidianae Missae vel per se, vel per alium facienda, tunc esset ille mulctandus poena – trium grossorum ipso iure applicandorum fabricae Capellae –; nec non quatuor grossorum, quatenus per quindecim dies celebrationem Missae neglexisset, ac demum si per triginta dies infra annum celebrationem omisisset, – eo casu et esse debeat dicta Capella ipso iure privatus –. Successivis inde temporibus quatuor fuerunt de familia Plossasco, qui auxerunt Capellae et Capellaniae bona et aliarum Missarum onus Capellano. Anno 1767 Patronus ad eam nominavit praesentavitque comitem Lucium Antonium eius filium Canonicum Coadiutorem in Cathedrali Ecclesia Vercellensi, ubi conti-

nuo moratus est et adhuc morabatur. Canonicus itaque ad instantiam Communitatis loci Scalengiarum vocatus fuit, ut residentiae eo in loco et celebrationi Missae quotidianae in aurora per se ipsum incumberet; qua pendente lite, anno 1768 recursum habuit ad Sacram Congregationem pro gratia dispensationis a residentia. Episcopus, licet interim sententiam tulisset contra Canonicum, in voto tamen fuit postulatam nedum concedendi dispensationem a residentia, sed et esse Missarum onus reducendum, cum Canonicus mox et Missarum reductionem petierit. Res non esse videbatur de residentia praecisa et incompatibili cum alio Beneficio residentiali, ac indubie agebatur de Patrono a Fundatore descendente et activum et passivum Capellaniae ius habente.

57. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. II. An sit locus dispensationi ab onere residentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Affirmative in casu, de quo agitur, facto verbo cum Sanctissimo – *in Taurinen. die 29 Aprilis 1780.*

58. Hinc nec Clerico Antonio Mariae Bollati Capellano, qui ex lege fundationis ad residentiam et celebrationem Missarum tenebatur, indulgere censuit Sacra Congregatio Missarum reductionem, licet ei pariter favebat coniunctio cum Fundatore, ac praesertim paupertas; proposito enim dubio: –. I. An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Segusien. Reductionis Missarum die 16 Aprilis 1791.*

59. Unde cum Testator pium et laicale Missarum legatum in Ecclesia instituerit, ut Collegium Capellanorum ibi statis diebus Missas Anniversaria aliasque huiusmodi functiones una cum Praeposito celebraret, omnes quidem residentiae onere gravantur, sed peculiaribus circumstantiis concurrentibus conceditur etiam Praeposito indultum abessendi ea tamen lege, ut interesse teneatur singulis actis collegialibus solemnioribus *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855.*

60. Enimvero testamentariis tabulis die 31 decembris 1851 exaratis Sacerdos Primicerius Ignatius Mininni ex universa hereditaria substantia pium Missarum Legatum instituit in Ecclesia Oppidi *Palo,* administrandum, independenter ab ecclesiastica Auctoritate, ab Collegio octo Sacerdotum, quorum primum Praepositum, reliquos Capellanos nuncupavit. Ius nominandi Praepositum descendentibus familiae suae, Capellanos Collegio ipsi attribuit. Inter cetera huiusmodi Collegio imposuit onus celebrandi sex centum Missas lectas quolibet anno in praefata Ecclesia, celebrandi diebus festis Missam cantatam, nec non annuum Anniversarium adiecta lege, ut in casu omissionis alicuius functionis, excepto legitimo impedimento, solvere quisque deberet grana quindecim. Prima vice ipse Fundator, singulis designatis Capellanis, in Praepositum elegit Petrum Chieco Sacerdotem Congregationis Missionis Provinciae Neapolitanae. Vita functo pio Institutore, Sacerdos Chieco exposuit, se in ea conditione versari, ut Praepositi nominationem accepto habere deberet, quo nimirum Parentibus suis paupertate laborantibus ac numerosa prole gravatis opitularetur; aliunde vero grave nimis sibi fore, si quidem Congregationem Missionis, cui undecim ab illinc annis nomen dederat, deserere cogeretur: quamobrem postulavit dispensari, quatenus opus esset, ab residentia, ac facultatem sibi fieri adimplendi Missarum onera in domo eiusdem Congregationis, qua degebat. Namque contendit, rem esse de Capellaniis mere laicalibus ab Ordinarii iurisdictione exemptis; adeoque non exposcere personalem residentiam nec ab institutione iniunctam, cum non imposuerit onus celebrandi per se ipsos, et ex praescripto onere Anniversariorum et Missarum cum cantu ad summum residentia impropria et causativa, inducens solum amissionem emolumentorum et distributionum, non vero propria et praecisa sub poena privationis, argui posset. Nec maiorem quoad Praepositum urgere residentiae rationem subdidit; nam in Regio Beneplacito demandatum fuit, ut auctoritas ecclesiastica super omnes indistincte invigilaret; et ipse Institutor edixerat, ut in absentia Praepositi Senior Capellanus eius vices ageret. Insuper Testator, cum Sacerdotem Chieco elegerit, iam noscebat, eum Congregationi Missionis iamdiu fuisse adscriptum, ac proinde in Oppido *Palo*

commorari non posse. Nihilominus quod ex iure sibi competere existimabat, ex gratia postulavit, cum eius petitio pietate religione et praesumpta Testatoris voluntate inniteretur. Pietate, ut ex Beneficii proventibus auxilio esse posset parentibus suis rei familiaris angustia laborantibus, ac numerosae prolis cura gravatis; religione, ne perfectioris vitae studium, cui apprime favendum erat, deserere cogeretur.

61. Procurator Generalis Congregationis Missionis monuit, Missionarii qualitatem haud Oratori obstare, quominus Capellaniam retineret, quia Missionarii sunt de corpore cleri secularis, ceu eos appellant Bullae Urbani VIII *Salvatoris nostri,* et Alexandri VII *Ex commissâ nobis,* quibus Congregationis institutum approbatum fuit, ut adeo ex eiusdem regulis Legata pia ac Beneficia possidere Missionariis vetitum non esset. Contra Capellani petitionem Sacerdotis Chieco uti legi institutionis repugnantem reiiciendam existimarunt. Nam si Fundator residentiae onus disertis non imposuerit verbis, implicite saltem mentem suam declaraverat, cum ea praescripserit onera a Capellanis et a Praeposito potissimum implenda, quae praecisam residentiam exigere omnino videbantur. Id imprimis suadebant impositum onus anniversariorum ac Missarum statis diebus cum cantu celebrandarum inflictaque transgressoribus pecuniaria poena, ut adeo non unam Capellanorum privatam utilitatem, sed divini cultus splendorem Populique aedificationem eum praecipue animo spectasse praesumendum esset. Adde expressam exscardinationis legem iis, qui ad Collegium cooptati alterius Ecclesiae servitio mancipati essent, ut exclusive Collegii obligationibus dedicati existerent. Praeterea Praeposito onus inerat Collegium vacationibus contingentibus pro nova Capellanorum electione et quolibet anno pro deputatione Officialium convocandi: accedebat concreditum ipsi interioris regiminis et disciplinae Collegii nec non administrationis bonorum munus. Nec obstabat, quod Testator in nominatione Sacerdotis Chieco Missionarii titulo eum indigitaverit: id quidem demonstrationis tantum causa factum fuerat, haud vero arguere exinde licebat, quod a residentiae lege eumdem exemptum voluerit. Collegii ipsius natura ac ratio, nisi vacuum esset nomen, continuam capitis praesentiam exigebat, ut eius membra in officio, uti par erat, continerentur, rerumque ordo servaretur. Demum urserunt, nullam concedendi absentiae indultum subesse causam; quae namque ab Oratore afferebantur, haud tanti faciendae erant, ut Testatoris voluntati derogari et divino cultui iactura inferri deberet.

62. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus annuendum sit in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In casu de quo agitur, pro gratia; iniuncto tamen onere interessendi singulis actis collegialibus solemnioribus, facto verbo cum Sanctissimo – *in Baren. Indulti die 9 Iunii 1855.*

63. Qua de re cum Testatrix mandaverit, ut ope sortis inter plures concurrentes Sacerdos loci, ubi Capellania erecta est, eligeretur, qui tamen curam animarum eiusdem loci non haberet, vel alius Sacerdos simplex non Beneficiatus, nedum actu Parochus, sed et simplex Sacerdos respectivi ruris praefati loci excluditur ab assequutione Capellaniae, ex eo quod illa danda est Presbitero originario, dimisso vero Beneficio residentiali, si hoc possideat extra dictum locum, quin etiam domicilium ibi habentes, non autem originarii in concursu originariorum sorti committi valeant; necessarius tamen non est novus concursus, sed sufficit nova sortitio, si inter concurrentes admissi fuerint inhabiles *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841 die 6 Maii et die 12 Augusti 1843.*

64. Enimvero circa annum 1674 excitata est Coriani Ariminensis Diaecesis sub invocatione Sanctissimi Crucifixi Capellania a fundatrice sua Pasotti nuncupata cum reditu scutatorum fere sexaginta, cuius patronatus ius ipsius loci Municipio assignatum extitit in tabulis fundationis, exercendum tamen sub eo, quod sequitur, moderamine, quod scilicet Priores eligere deberent per viam sortis inter plures concurrentes, si adesset, Sacerdotem, qui non haberet curam animarum Coriani, aut alium Sacerdotem simplicem non Beneficiatum, ut supra, cum onere manutenendi Altare et celebrandi duas Missas qualibet hebdomada; ac praeterea

quando dictus Capellanus electus provisus esset Beneficio Curato, amittere deberet Capellaniam, et praefati Priores alium Sacerdotem Coriani in quolibet vacationis casu eodem modo, ut supra, eligere tenerentur. Cum inde vacasset Capellania, uno reiecto Machinio, qui originem extra Diaecesim duxerat, tres stato tempore sorti commissi fuerunt, nempe Aloisius Favini Corianensis in Diaecesi Lauretana Canonicus, Franciscus Gualandi de Paraecia rurali vulgo *di Passano* de Communitate tamen Coriani, et Paulus Righetti de Municipio pariter Corianensi, Parochus Sanctissimi Salvatoris in Ariminensi Diaecesi, qui tamen adpromiserat, sese Paraeciam dimissurus, ubi Capellaniam adipisceretur, eique resignationi Antistitem suum non adversari docuerat. Atque huic postremo revera sorte obtigit Capellania ac a Municipio instituendus Episcopo praesentatus est. Lis tunc efferbuit inter candidatos; etenim alter alteri sese praeferendum esse clamabat: et quamvis Episcopus animi sui sententiam protulisset, qua, reiecto Righettio, quia Parochus de tempore electionis, nec non Gualandio, quia extra Terram Coriani progenitus, Favinium instituendum esse firmavit; noluit tamen Communitas, cuius factum suum substinere intererat magnopere, Antistitis sententiae acquiescere. Municipes enim contenderunt, modum non conditionem apposuisse Testatricem, dum praecepit, ut eligerent et sorti committerent inter plures concurrentes, si adesset, Sacerdos, qui non habeat curam animarum, atque adeo sat esse, ut qualitas ab eo volita post Capellaniae assecutionem impleretur; idque argui ex mente et fine Testatricis, qui sane alius esse non potuit, nisi vel consulendi Presbiteris ecclesiastica substantia destitutis, seu potius Capellanum constituendi, qui ab alio quovis gravi onere exemptus praedictae Capellaniae totus incumberet. Ubi vero apposita conditio seu praescripta qualitas diceretur, propugnarunt tamen denuo Municipes, sat esse, ut illa ante institutionem extiterit, quin necesse fuerit, prostitisse ante actum electionis. Quin imo etiamsi qualitas electionem praecedere debuisset ex Fundatricis iussu, defenderunt postremo Municipes, id in facto verificatum substineri posse, quando Parochus Righetti solemniter adpromisit, sese Paraeciae nuncium fore daturum, ubi Capellania augeri contingerit, cui renunciationi addidit ipsum annuere Antistitem. Favinius vero sustinuit, Righetti electionem nullam esse, quia Parochus; ac sibi uni ius esse ad Capellaniam. Quum enim Testatrix ita enixe voluerit, cura animarum provisum excludi, ut Capellanum vix Parochum effectum Capellania privaverit; imo cum ea constituens, quod Capellanus non habeat curam animarum, ad tempus electionis seu potius concursus respexerit, qualitatem illam exegisse in Capellano dicenda erat, antequam concursui admitteretur. Subinde contendit, Gualandium non de Coriano originem ducere, sed de vicino rure Passani; sed verba a Testatrice adhibita cohibenda esse ad natos in ipso Oppido Coriani, tum ex praesumpta Testatricis mente, tum ex iure, cum indoles dictionis *di* vel *della* adiectae loco seu civitati importaret immediatam naturalitatis et originis causam ab eodem loco vel civitate. Gualandius contra disputavit, Righettium eliminandum esse, quia Parochum; Favinium, quia Canonicatu donatus in Lauretana Diaecesi. Nam mens Testatricis ea fuit, ut per Capellaniam a se institutam providere voluerit Presbiterum quovis alio ecclesiastico proventu carentem, ac nonnisi demonstrative indigitaverit Sacerdotem cum animarum cura, quia haec fere Beneficia haberi queant exiguis in Oppidis. Nec obesse censuit, quod natus ipse esset in rure Passani: nam Paraecia Passani sub eodem Municipio seu Communitate Coriani existebat. Natos vero in territorio et villis pro natis in Oppido spectandos esse ostendit.

65. Quod si nemini ex contendentibus ius adsisteret, non novo concursui, sed novae dumtaxat electioni per sortem aditum patere videbatur. Nam concursus non redditur nullus ex inclusione inhabilis vel etiam indigni. Pro futurarum autem vacationum norma videbatur, sorti non posse committi Presbiteros Corianos, qui Beneficia residentialia citra curam animarum in loco Coriani possiderent. Nam Testatrix nonnisi per demonstrationem attigit casum de proviso cum cura animarum; revera autem in animo illi fuerat, quemlibet aliunde satis provisum et aliis residentialibus obligationibus detentum eliminare. Sed

obstabat interim regula iuris firmans, quod Testator voluit, expressit, quod non expressit, noluisse censendus est. Quum inde ageretur de admissione vel non ad Capellaniam illius, qui beneficium residentiale citra curam animarum retinebat extra Oppidum Coriani, totus controversiae cardo erat in explicando scopo, utrum videlicet in mente habuerit, Presbiteris egenis providendi, vel procurationi perenni Capellaniae. In primo namque casu videbatur, frui posse Capellania Presbiter, etsi alibi residens: in altero residentiae onus Capellania ipsa secumferre videbatur, atque adeo eadem lege alioquin adstrictus eamdem retinere non valebat. Utrum vero nomine Sacerdotum Coriani vulgo *di Coriano* venirent tantum Sacerdotes Oppidi, an etiam Villarum, videbatur de iure particula *di* seu *della* naturalitatis et originis locum indigitare. At disquirebatur etiam, an natus et de origine Oppidi dici posset, qui in eius suburbiis et territorio natus erat. Ex generali tamen iuris sanctione natum haberi in oppido, qui natus est in territorio Oppidi eiusque Pagis, tradunt plures Doctores. Unde Villae tunc veniunt appellatione Castri, quando Castrum habet in Villa iurisdictionem. Num denique etiam Sacerdotes Coriani domicilium habentes ad Capellaniam vocati fuerint, Testatrix non expressit apertis verbis, an cives nativos seu originarios diligere tantum maluerit, an etiam domiciliatos. Ipsa enim dixit: Sacerdotem Coriani, vulgo *un Sacerdote di Coriano*. Ceterum ordinario iure in favorabilibus civium nomine comprehendi nedum in Civitate natos, sed eamdem Civitatem incolentes, adeo ut ad lucra et Beneficia pro Civibus relicta, et isti admittantur, plures tradunt Doctores. Ast in testamentis singula pendent praesertim ex voluntate disponentis, idcirco ea serio investiganda erat ex universis rerum adiunctis.

66. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et cui danda sit Capellania in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit locus novo concursui, seu potius novae sortitioni in casu? III. An Presbiteri Corianenses de Beneficiis residentialibus citra animarum curam in loco Coriani provisi sorti committi possint in casu? IV. An eidem committi possint Presbiteri Coriani, qui Beneficium residentiale citra curam animarum retinent extra Castrum Coriani in casu? V. An committi possint Presbiteri suburbiorum et de Communitate, quae dicitur externa in casu? VI. An committi possint Presbiteri Coriani domicilium habentes, sed de extranea origine in casu? –, S. Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, esse locum novae sortitioni inter Favinium et Gualandium. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Affirmative ex hactenus deductis. Ad quintum, Affirmative quatenus unicam cum Coriano Communitatem efformet. Ad sextum, Negative – *in Ariminen. Capellaniae die 28 Augusti 1841.*

67. At Favinius rursus contendit probavitque, voluntatem Testatricis nonnisi ex Oppido Coriani progenitos respexisse, eamque omnino esse attendendam prae subtilitate Iurisconsultorum, cum praesertim ageretur de femina prorsus ignara de iis, quae Iurisconsulti tradiderunt. Idcirco Gualandium a sortitione repellendum esse, utpote natum in rure Passani sustinuit. Contra Gualandius Favinium repellendum esse contendit, ex eo quod in Castro Fidardo extra Corianum et Diaecesim Canonicatu potiretur. Nam expressa et tacita Testatricis voluntas ea fuit, ut Capellanus aliis Beneficiis et maxime residentialibus non esset auctus. Siquidem nisi odium in Parochos ponas, quod in pientissima femina nefas erat suspicari, ea ratione, qua exclusit animarum cura detentos, eadem alios iisdem et fortasse gravioribus licet diversi generis curis distentos. Probavit insuper Gualandius, ab anno 1817 Passanum unum esse Oppidum cum Coriano, non aliter ac unam Urbis Paraeciam eamdem Urbem conficere. Quin obesset, si forte anno 1817, cum ex hac vita migrabat Testatrix, disiunctam Passanum conficeret Communitatem a Coriano. Sufficere enim dixit, ut quoties eligendus erat Capellanus, eligeretur Sacerdos natus e Municipio Coriani vulgo *di Coriano*, quin necesse esset inspicere ad quod quisque Municipium pertinuerit. Nam si tempus et actus assecutionis Capellaniae Testatrix ob oculos habuit, ac si ad tempus conditi testamenti respiciendum foret, iam dicendum esset, nonnisi descendentes ex iis civibus, qui tunc temporis vitae usura Coriani fruebantur, posse Capellaniam consequi,

quod sane absurdum erat, docente Brunemanno ad Legem 7 Cod. de incolis. Demum Testatrix iuspatronatus non quidem unius Oppidi Coriani Prioribus, sed Prioribus Communitatis Coriani reliquit: ridiculum hinc erat, ulla absque gravi ratione asserere in activo quidem patronatu Communitatem conficientes comprehendisse, in passivo autem nonnisi Oppidum Coriani stricte sumptum, cum potius regula sit, passivi iurispatronatus leges, nisi aliud obstet, ex activi legibus metiri.

68. His tamen non obstantibus, repropositis dubiis sub formula: – I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis super primo dubio in casu? II. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? III. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu? IV. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu? V. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu? VI. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in sexto dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, recedendum a decisis; et Capellaniam esse dandam Aloisio Favini, iuxta modum in quarto. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, in decisis. Ad quartum, in decisis dimisso tamen Beneficio residentiali, quatenus sors super ipsos ceciderit. Ad quintum, recedendum a decisis. Ad sextum, in decisis in concursu Corianensium – *in Ariminen. Capellaniae die 6 Maii 1843.*

69. Obtenta per Gualandium novae audientiae venia, ac repropositis dubiis sub formula: – I. An et quomodo sit standum primo, vel secundo loco decisis in primo dubio in casu? II. An et quomodo sit standum primo, vel secundo loco decisis in secundo dubio in casu? III. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu? IV. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu? V. An et quomodo sit standum primo, vel secundo loco decisis in quinto dubio in casu? VI. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in sexto dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum tertium quartum quintum et sextum, in decisis favore Favinii; et amplius – *in Ariminen. Capellaniae die 12 Augusti 1843.*

CAPELLANUS CHORALIS.

1. Inter ecclesiastica Beneficia Doctores eas quoque Capellanias enumerant, quae ad divini cultus augmentum sacrorumque officiorum psalmodiam in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis institutae sunt: hinc varias tradunt Beneficii ecclesiastici notiones in id collimantes *in Firmana Erectionis Mansionariae die 10 Februarii 1770* §. *Canonicam* (1).

2. Unde compertum quidem est, quod in Beneficiis simplicibus consuetudo liberat ab obligatione residentiae, nisi aliud constet ex mente Fundatoris; debet tamen id Fundator disertis verbis exprimere, alias censebitur, se conformasse dispositioni iuris communis *in Mutinen. Residentiae die 23 Novembris 1833* §. *Haec.*

3. Non minus propterea compertum habetur, censeri residentialem Capellaniam, quae adnexum habet servitium chori in Cathedrali vel Collegiata *in Mutinen. Residentiae die 23 Novembris 1833* §. *Haec* (2).

4. Qua de re Capellaniae et Beneficia erecta in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia cum onere interessendi choro et divinis officiis secumferunt residentiam ac pondus per se ipsum et non per substitutum horis canonicis interessendi, veluti fuse evincit atque ita ab Sacra Congregatione definitum refert Fagnanus in Cap. *Ut Abbates* n. 78 et seqq. de aetat. et qualit. *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827* §. *Verum.*

5. Siquidem Tridentina Synodus in sess. 24 cap. 12 de reformatione decrevit, ut

(1) Reliqua Vid. in Verb. *Beneficiati*, §. I, Tom. III.

(2) Rigant. ad Regul. Cancell. §. 8, n. 25; Fagnan. in Cap. *Ut Abbates* de aetat. et qualit.; Rot. in Valentina 17 Februarii 1696 §. Nec obstat coram Ulmo.

omnes divina per se et non per substitutum compellantur obire officia, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter distincte dovoteque laudare – *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827* §. *Verum*.

6. Idcirco Capellanus, qui tenetur interesse horis matutinis in Collegiata Ecclesia, nequit inservire per Substitutum, quin etiam indultum abessendi a choro durante asserta infirmitate assequi valeat *in Aquilana die 20 Martii et die 29 Maii 1756*.

7. Enimvero Capellaniam Iurispatronatus familiae Antonelli, cui adnexum erat chori servitium horis matutinis, fundatam in Collegiata et Parochiali Ecclesia SS. Quintini et Petri de saxa Civitatis Aquilae, obtinuit Gregorius Antonellus, qui, cum cardialgiae morbo laboraret et consilio Medicorum nequiret choro iis horis interesse, postulavit, ut alium posset substituere, cum vetus esset in eadem Ecclesia consuetudo, qua poterant Capellani servitium per Substitutos praestare. Is enim sustinuit, omnia Beneficia non curata praesumi simplicia et praecisam residentiam non requirere, nisi contrarium constet ex fundatione; idque etiamsi in Ecclesia Collegiata fundata sint cum onere servitii chori, cum eadem praesumptio habeat locum in quacumque Ecclesia etiam Cathedrali, quando a Fundatore non sit expressa poena privationis Beneficii casu, quo Beneficiarius non resideat. Idcirco eo amplius id custodiendum esse in themate censuit, quod ita consuetum fuerat; et, deficiente fundatione, consuetudo pro lege haberi debebat. Hinc denegari saltem non poterat indultum vacandi a choro ex causa morbi, quo laborabat, ut testificationem faciebat Medicus. Capitulares contra contenderunt, Capellaniam esse residentialem, et denegandum Antonellio, quod postulabat; neque in pretio habendum exemplum Dominici Antonelli, qui, dum hanc ipsam tenuit Capellaniam, choro servivit per Substitutum, cum id tribui posset Indulto, quod obtinuisset. Episcopus tamen censuit – posse Oratori licentiam concedi ab eo petitam inserviendi Capellaniae per Substitutum –.

8. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An liceat Gregorio Antonelli Capellano S. Mariae Lauretanae erecta in Collegiata Ecclesia SS. Quintini et Petri de Saxa Civitatis Aquilae choro deservire per Substitutum? *Et quatenus negative*. II. An stante morbo, quo laborat, sit eidem indulgenda facultas abessendi a choro horis matutinis, durante infirmitate? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque; et ad D. Secretarium iuxta mentem, et moneatur Procurator – *in Aquilana die 20 Martii 1756*.

9. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: In decisis, et amplius: – *in Aquilana die 29 Maii 1756*.

10. Quin imo Capellanus, qui fruitur Capellania mere laicali cum onere interessendi choro, non tenetur quidem ad personalem residentiam, sed per se ipsum choro interesse debet, indultum tamen implendi per alium huiusmodi onus iusta de causa indulgetur, quin in poenas privationis fructuum incidat, nisi ab Episcopo praevia monitione seu citatione irrogentur *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827*.

11. Enimvero Sacerdos Dominicus Bonici Civitatis Victoriosae anno 1708 postremis tabulis mandavit, ut omnia et singula bona sive eorum fructus et proventus applicari deberent pro Patrimonio sive Patrimoniis Sacerdotum secularium nasciturorum ex legitimo matrimonio fratrum Dominici Stephani et sororis Margaritae hac tamen conditione, quod si in Ecclesia Parochiali Victoriosae fundaretur aliqua Collegiata, tunc Presbiteri, qui fuerint promoti ad sacros Ordines cum Patrimonio praedicto, intervenire deberent choro cum dictis Canonicis et officiare. Dudum Patrimonii possessionem nactus est Sacerdos Ioseph Camilleri ex familia a Testatore invitata descendens, qui Naxarii lares habebat, ibique longaevorum Parentum nubiliumque Sororum curam gerebat. Verum cum Ecclesia praedicta anno 1821 fuerit erecta in Collegiatam, huius Canonici statim postularunt ab Episcopo, ut Sacerdos Camilleri ad residentiam et ad divinas laudes in Collegiata persolvendas secundum fundationis tabulas compelleretur. Id autem gravate ferens memoratus Sacerdos, ad Sacram Congregationem confugit, indultum abessendi efflagitans. Episcopus censuit: – Arbitror ego, memorati Sa-

cerdotis Camilleri instantiam aequam et rationabilem esse, quoties ipse, perdurante causa, onus a Testatore illi iniunctum per alium impleverit Sacerdotem –. Is enim ad personalem residentiam non tenebatur quidem, sed per se choro interesse tenebatur, quin obesset, quod ageretur de Capellania laicali seu pio Legato, tum quia ea fuisse videbatur Testatoris voluntas, ut Capellani ad chori servitium explendum per se ipsum tenerentur, tum quia ad Canonum censuram se accommodasse praesumebatur, eo quod, cum potuerit, contrarium non expresserit. Quin imo Canonici contenderunt, Camillerium ad residentiam adigi oportere, imo mulctari poenis a sacris Canonibus contra non residentes statutis. Advertebatur vero, poenam privationis emolumenti non induci ipso iure, sed ab Episcopo praevia monitione esse irrogandam: sed in casu desiderabatur huiusmodi monitio. Sustinuerunt etiam Canonici, non esse Camillerio concedendum indultum abessendi; quae enim ab ipso afferebantur causae pro obtinenda gratia, haud tanti faciendae erant, ut Testatoris voluntati derogari et divino cultui iactura inferri deberet. Postulabat namque Orator Indultum abessendi a residentia, quod difficillime ac tantummodo ad breve tempus arctissimisque cohibitis clausulis concedi solet. Petitio tamen Camilleri pietate aequitate et praesumpta Testatoris voluntate innitebatur: pietate, quia erat unicus filius, et nedum Sororum curam habere poterat, sed et opitulari Patri, qui octogesimum aetatis expleverat annum: aequitate; nam pagus Naxarii, ubi degebat, a Civitate Victoriosae quinto circiter lapide distabat, quocirca vix aut ne vix quidem choro interesse poterat: tandem praesumpta Testatoris voluntate; si enim Testator praevidisset circumstantias, in quibus Camillerius versabatur, istum Patrimonio frui statuisset, quin servitio Chori obstringeretur.

12. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Sacerdos Camilleri teneatur residere in Civitate Victoriosae, et per se choro interesse cum Canonicis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo concedendum sit Indultum abessendi in casu etc. III. An et a quo tempore Sacerdos Camilleri inciderit in poenam privationis fructuum Capellaniae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad tertium, Negative in omnibus quoad praeteritum, quo vero ad futurum prout de iure; et Episcopus praefiniat ratam solvendam pro fallentiis favore Sacrarii proportionabiliter ad reditus. Ad quartum, provisum in praecedenti – *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827.*

13. Unde si necessitas urgeat adhibendi Capellanum in cura animarum, conceditur indultum ad tempus abessendi et satisfaciendi per alium aliqua onera, cum praesertim tenues sint reditus Capellaniae et Paraeciae, quin obstet quod ex absentia Capellani servitium chorale aliquid detrimenti passurum sit *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824.*

14. Siquidem Ioannes Dominicus de Rogantibus ex Oppido Hortinovi anno 1756 perpetuum Collegium duodecim Capellanorum in Parochiali eiusdem Oppidi Ecclesia fundavit, – ut divinas laudes divinumque officium nec non Missarum solemnia ceterasque Ecclesiasticas functiones diu noctuque decenti clericali habitu induti recitare canere celebrare et peragere religiossime teneatur, prout in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis fieri solet –. Alter erat e Capellanis Sacerdos Pius Franciscus Corsi, qui anno 1794 Capellaniam obtinuit, quam sibi in partem praecipuam Patrimonii Sacri constituit. Cum autem Paraecia *di Migliarina,* quae subsidiaria erat Paraeciae Insulae, suo careret Pastore, Sacerdos Corsi, volente Episcopo, munus Parochi in eadem obeundum suscepit: ob tenuitatem vero redituum tam Capellaniae, quam Paraeciae petiit dispensationem ab onere residendi in Oppido Hortinovi et solvendi punctaturas. Episcopus retulit, reditum Capellaniae vix ascendere ad libellas 200 monetae Ianuensis, nec eas sufficere ad onera implenda, sed requiri libellas quadrigentas; chori servitium ex absentia Oratoris aliquid detrimenti passurum esse, cum quatuor provisi deessent, duo ob senectam aetatem exempti, et duo alii Legato potius, quam inservire valedicturi, ob redituum tenuitatem. Idcirco

omnes interesse habentes Oratori adversabantur, attento etiam ipsius Fundatoris mandato,- dicto Collegio inserviendi per se ipsum, et non aliter -. Eorum tamen sententiam attendendam non esse censuit Episcopus: - Certum enim est, me ob Sacerdotum ad curam animarum regendam idoneorum inopiam, ob aeris insalubritatem loci supradicti *Migliarina* ac stipendii perexiguitatem ad libellas Ianuenses 250 tantum ascendentis, quodque augere non valet Parochus Insulae, eo quod ipsi reditus libellarum 400 vix remaneat, modum ac rationem nescire alium idoneum Presbiterum hisce temporibus inveniendi, quum insudandum mihi maxime sit, Paraecias huiusce Diaecesis, quum vacant, de idoneo Rectore providere; ac proinde spero, EE. VV., prout enixe easdem rogo, Oratori concessuras esse, ut ad decennium saltem abesse possit a personali residentia ac chori interventu, nec non ut per alium oneribus Missae cum cantu Missae lectae Rosarii recitationi et Viae Crucis satisfacere valeat, ipso super ceteris omnino dispensato -.

15. His itaque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo concedendum sit indultum abessendi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative attenta necessitate, iuxta votum Episcopi ad triennium, facto verbo cum Sanctissimo - *in Lunen. Sarzanen. Indulti die 14 Augusti 1824.*

16. Multo magis indulgetur Capellano venia abessendi ad annum, cum ob infirmitatem nequeat remeare ad locum residentiae, impletis tamen oneribus, et onerata si tamdiu *in Romana die 14 Decembris 1805.*

17. Iamvero Sacerdos Ioseph Schizzi a die 27 Augusti anni 1765 nactus est possessionem unius ex Capellaniis, quarum a Fundatore erat nomen Bonanni in Basilica Liberiana erectis, quibus onus inerat quindecim Missarum in menses singulos nec non interessendi choro solemnioribus anni diebus. Cum Sacerdos Schizzi tempore tumultus, quo exteri ab Urbe pellebantur, patriam suam Massam Carrariae petere coactus fuerit, ibi deinceps mansit, licet post restitutam veterem disciplinam ab anno 1800 Romam potuisset remeare. Abfuit itaque a servitio Ecclesiae per quinquennium, quin veniam postulaverit. Exin cum ad complendum quadragenarium servitium tres deficerent menses, postulavit veniam abessendi, attenta infirmitate; nam ex testimonio iurato Medici constabat, ipsum in aetate septuaginta annorum adeo infirmitate laborare, ut frustra tentaverit reditum, et ab incepto desistere coactus fuerit. Hinc attenta infirmitate et paupertate, censuit Emus Archipresbiter, quod indultum absentiae concedi posset. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad annum arbitrio Emi Archipresbiteri, impletis oneribus onerata si tamdiu; et quoad praeteritum, constito de adimplemento, pro sanatione - *in Romana die 14 Decembris 1805.*

18. Quin imo, attenta infirmitate, indulgetur Beneficiato exemptio a chori servitio ad biennium, impletis tamen per alium Praebendae oneribus, et onerata eiusdem conscientia super veritate impedimenti et impotentiae *in Lauretana Servitii Chori die 10 Septembris 1836.*

19. Enimvero Ioseph Maria Cinerarius anno 1834, qui variis gravissimisque detentus incommodis emophtisis praecipue morbo laborabat, per Apostolicas Literas inter Lauretanae Basilicae Beneficiatos fuit cooptatus. Ut primum choro vacare incepit, adeo excreverunt incommoda, ut sanguinis fluxum e pectore expertus Cinerarius impar renunciatus est de Medicorum consilio ad chori onera sustinenda. Idcirco postulavit pro valetudine tuenda exemptionem a chori servitio absque distributionum quotidianarum amissione et absque ullo fructuum detrimento. Episcopus retulit, Cinerarium aliquod choro servitium praestare posse, cum - iisdem horis eodemque tempore, quo chorus psallit atque divina inibi peraguntur officia, ipse Ecclesiam Cathedralem adit, Missam celebrat, templum perlustrat, exit deambulatum; ceteraque peragit, quae facile cum materiali saltem eius adsistentia choralibus officiis sociari possunt -. Censuit itaque Episcopus, ut, onerata ipsius conscientia super veritate impedimenti et impotentiae, praesentiam suam choro accommodaret, quando per morbum domo prodire non vetaretur; munia vero Praebendae infixa, quae per se ipsum explere nequibat, per alium suppleret. Id enim ap-

prime congruebat cum Synodalibus legibus. Nec nimis grave erat emolumentum scutatorum duodecim in singulos annos alteri Beneficiato erogandum, qui pro eo sustineret onus; nam Praebendae reditus una cum quotidianis distributionibus annuam et puram scutorum viginti summam exaequabant, praeter domum ad inhabitandum, pharmaca gratuita praestita, et salis libras septuaginta duo, quin alio gravaretur onere, nisi modica pensione scutorum duodecim et celebratione Missarum centum sexaginta octo, pro quibus quotidiana panis et vini statuta portio loco eleemosynae ab alma Domo suppeditabatur. Reliquus Missarum numerus in anni circulo celebrandarum certa pecuniae eleemosynae praestatione non destituebatur. Medicus autem testabatur, quod Cinerarius choro inservire nequaquam posset.

20. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: –Affirmative, et praevia sanatione quoad praeteritum, esse concedendum Indultum ad biennium, impletis per alium Praebendae oneribus, iuxta votum Episcopi, onerata – *in Lauretana servitii Chori die 10 Septembris 1836.*

21. Cum autem Michael Angelus Luciani Proto - Basilicae Lateranensis Beneficiarius absens ab Urbe alterum subrogare consueverit, qui hebdomadale servitium eius loco persolveret, eidem restituendum sequioribus mensibus, propositis dubiis: - I. An et quomodo Beneficiarius Luciani non residens possit alios substituere in servitio chori in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo ex gratia sit eidem concedendum substitutionis beneficium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Dilata ad primam post proximam – *in Romana Servitii Chori die 23 Iunii 1838.*

22. Itaque Capellanus, noviter institutus a Fundatore ad instar aliorum et cum iisdem oneribus, tenetur facere omnia, quae alii Capellani in eadem Ecclesia explere debent *in Lauretana Indulti die 10 Iunii 1741.*

23. Iamvero anno 1720 Canonicus Ioseph Antolini Capellaniam fundari iussit in Ecclesia S. Mariae Montis Cassiani, in qua iam octo Capellaniae erectae existebant, quarum possessores divina Officia persolvebant eodem plane modo, quo solent Canonici et Beneficiati choro interesse Ecclesiisque Collegiatis inservire. Unde Capellano imposuit onus inserviendi praefatae Ecclesiae eadem forma, qua alii octo illi Capellani ibidem divina officia diebus festis de praecepto et quibusdam aliis in Tabella designatis agebant: et in casu, quo ibi praescripta officiatura tolleretur, voluit, ut Capellanus alias quinquaginta Missas praeter iam statutas celebraret. In primum Capellanum nominavit ipse Fundator Sacerdotem Iosephum Capponi, qui dein petiit Indultum Iubilationis contenditque, se et futuros Possessores Capellaniae non teneri onus Hebdomadarii subire, Missas canere et alia, quae a Capellanis Hebdomadariis peragebantur, explere. Nam ipse autumabat, se satis implere voluntatem Fundatoris, si prae Officiatura alias quinquaginta Missas celebraret, cum ingravesceret aetate annorum septuaginta circiter, ac hebes sibi reddita esset oculorum acies. Perspicua tamen erant verba Fundatoris, quibus ei onus servitii imposuerat. Hinc Sacra Congregatio, denegato merito iubilationis indulto, proposito dubio: - II. An Possessores Capellaniae institutae a Canonico Iosepho Antolini teneantur subire onera Hebdomadariorum canere Missas ceteraque alia facere ad instar aliorum Capellanorum Hebdomadariorum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Lauretana Indulti die 10 Iunii 1741.*

24. Idcirco Capellanus tenetur quotidie chori servitio interesse in Ecclesia Cathedrali, cum Testator mandaverit ibi erigi Capellaniam choralem ad instar aliarum similium, quin reductionem ob praetensam redituum tenuitatem assequi valeat *in Perusina Capellaniae Choralis die 10 Februarii 1770.*

25. Siquidem Sacerdos Marcus Antonius Cervellieri supremis tabulis anni 1719 mandavit erigi Capellaniam choralem ad instar aliarum similium existentium in Ecclesia Cathedrali Perusina. Capitulum ad actum fundationis perpetuae Capellaniae Choralis devenit favore Henrici Viti, qui solemni ritu iuratus promisit Capellaniae onera adimplere et Constitutiones Cathedralis Ecclesiae observare. At cum grave nimis ei visum fuerit

onus quotidiani servitii, cui ferendo impares existimavit Capellaniae reditus, ante captam idcirco possessionem petiit reductionem servitii ad dies tantum festos, quomodo alii nonnulli Capellani eidem Cathedrali inservire asseruit. Nam sustinuit, Capellaniae fructus non excedere annua scuta 29. 50, a quibus detracta eleemosyna pro duabus Missis qualibet hebdomada detractisque aliis oneribus cameralibus et communitativis, vix superesse annua scuta novem. Nec obesse contendit, imperatam a Testatore fuisse Capellaniae erectionem ad instar aliarum Capellaniarum, quae in Cathedrali erectae iam fuerant, quia praeter celebrationem expresse iniunctam duarum Missarum singulis hebdomadis, Testator nihil statuit de servitio chori, et relatio habita ad ceteras Capellanias, intelligi poterat etiam de iis, quae nonnisi in certis functionibus vel festis diebus onus servitii adnexum habebant prout erant Capellaniae, quae dicebantur de Orandinis. Capitulum contra dixit, claram esse voluntatem Testatoris quoad erectionem Capellaniae Choralis eo modo, quo aliae Capellaniae in Cathedrali erant institutae; et Capellanum electum cum Capitulo iureiurando convenisse, – onera Capellaniae adimplere et Constitutiones Ecclesiae Cathedralis observare –. Ostendit autem, Capellaniae reditus ascendere ad scuta 39.80; ac nedum in Cathedrali adesse Capellanos, qui Capellanias inferioris reditus possidebant, sed promptos esse Clericos, qui eamdem Capellaniam cum singulis oneribus adnexis absque ulla prorsus reductione acceptarent.

26. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Perusina Capellaniae Choralis die 10 Februarii 1770.*

27. Unde cum onus inserviendi Ecclesiae et assistendi choro descenderet ex clara fundationis litera, et Capellanus ipse admitteret, se teneri ad servitium et assistentiam chori in divinis, proposito dubio: – III. An Capellanus pro tempore dictae Capellaniae teneatur ad servitium et assistentiam chori in divinis officiis in casu etc.–, S. Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative; et amplius – *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

28. Quin imo Capellanus tenetur inservire Ecclesiae Cathedrali singulis diebus et horis canonicis ad instar aliorum Beneficiatorum, si adsit nunquam interrupta centum annorum consuetudo, licet huiusmodi servitium non deberi ex lege fundationis contendat *in Caesenaten. Servitii die 22 Ianuarii 1752.*

29. Enimvero Antonius Pasini Beneficium S. Hieronymi obtinuit in Ecclesia Cathedrali Caesenatensi; sed recusavit subire onus servitii chori, ex eo quod non teneretur ex lege fundationis. Capitulum contra disputavit, servitium chori non ex sola tantum lege fundationum debitum esse, si vel statuto vel consuetudine indictum atque introductum fuerit; utrumque autem haberi ostendit in casu, in quo aderant Constitutiones Capitulares Edicta Episcoporum Decreta Synodorum Diaecesis, atque aderat nunquam interrupta centum annorum consuetudo et observatio legum et edictorum ab anno 1555 ad annum 1656. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Capellanus seu Rector Beneficii nuncupati S. Hieronymi Primi teneatur in divinis inservire Ecclesiae Cathedrali singulis diebus et horis canonicis ad instar aliorum Beneficiatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius – *in Caesenaten. Servitii die 22 Ianuarii 1752.*

30. Quum autem Fundatrix Capellano imposuerit onus quotidiani servitii chori, prout faciebant alii Capellani eiusdem Ecclesiae, et Canonici exin indultum servitii alternativi obtinuerint, eoque reliqui Capellani fruerentur, Sacra Congregatio declaravit, quod etiam praefatus Capellanus tenue praesertim habens emolumentum esset admittendus ad alternativum chori servitium, licet ipsius antecessor post impetratum indultum servitium quotidianum praestare perrexisset *in Fabrianen. Servitii Chori die 19 Decembris 1807.*

31. Siquidem piam Theresiae Ferrata voluntatem exequutioni committens Prior Nicolaus Vallemani Capellaniam sub invocatione S. Apolloniae in Collegiata Ecclesia S. Nicolai Civitatis Fabriani erexit anno 1710 ex bonis hereditariis dictae Theresiae, atque in postremis suis testamentariis tabulis dotem eiusdem Capellaniae de proprio auxit oneraque declaravit, quemadmodum sibi in fundatione praeservaverat, quibus Capellanus sub-

iiceretur. Praecepit itaque, ut Capellanus tot Missas celebraret, quot reditus ad rationem obulorum viginti pro qualibet Missa, nec non quotidie choro, prout alii Capellani eiusdem Ecclesiae, interessent. Anno 1773 Prior et Canonici impetrarunt per Breve a Clemente XIV, ut toto anni tempore per mediariam servitium praestarent, exceptis diebus Dominicis et festis de praecepto et SS. Patroni et Titularis et Adventus Quadragesimae atque Octavae Sanctissimi Corporis Christi, quibus diebus omnes inservire tenerentur. Quamquam in hoc Brevi expositum fuerit, praeter Priorem et undecim Canonicos - totidem etiam Capellanos - haberi, attamen nulla mentio facta erat de Capellano ex fundatione Ferrata, qui servitium quotidianum praestare perrexit. Inde vero Presbiter Antonius Barone huius Capellaniae possessor, cum a Capitulo punctaturis subiiceretur, dum indulto alternativae frui contendebat, postulavit ut a Sacra Congregatione declararetur, num ipsi una cum reliquis indulto alternativae frui liceret. Capitulum enim negabat Capellano Ferrata, ut servitium chori per alternas hebdomadas praestaret, quia in fundatione cogebatur ad quotidianum chori servitium, quia indultum alternativae a solis Canonicis impetratum fuit, et quia ex observantia Capellanus antecessor nunquam consequutus est indultum, ut per alternativam servitium obiret. Contra Capellano Ferrata in fundatione imponebatur quidem onus servitii chori, sed insimul addebatur, prout faciunt alii Capellani eiusdem Ecclesiae. At ceteri Capellani post impetratum Breve Clementinum a servitio quotidiano cessarunt et alternativum praestiterunt, licet Canonici tantum illud implorarunt. Nam in precibus mentio facta fuit de undecim Capellanis, inter quos tum Capellanus Ferrata comprehendebatur. Quemadmodum igitur ex observantia patebat, quod ceteri Capellani alternativa fruerentur, ita et Capellanus Ferrata eadem frui deberet, quin obstaret, Antecessorem quotidie choro interfuisse, cum ipse ius successoris perimere non posset. Id eo vel magis vim obtinere debebat, ex eo quod Capellanus Ferrata non haberet, nisi annua scuta 31. 28, quae in celebrationem Missarum ad eleemosynam obulorum viginti erogare tenebatur. Quare pro servitio aliud non habebat stipendium, quam maiorem eleemosynam Missarum, cum anno 1710 eleemosyna manualis in obulis decem ad summam vigebat, sed in praesens iam aucta perhibebatur ad obulos quindecim; unde nimis tenue emolumentum ei supererat in obulis quinque ad onus chorale subeundum.

32. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Capellanus Ferrata sit admittendus ad alternativum chori servitium in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative – *in Fabrianen. Servitii Chori die 19 Decembris 1807.*

33. Quod si non eaedem concurrant causae et rationes in Capellanis, denegatur iisdem indultum concessum Capitulo et Canonicis eiusdem Ecclesiae vacandi duobus mensibus quolibet anno a servitio chori cum iure percipiendi fructus suorum Canonicatuum, amissis tamen distributionibus *in Mediolanen. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 41.*

34. Cum autem Fundator in actu fundationis legitime adprobatae et a Notario nomine Capellanorum acceptatae generaliter imposuerit onus assistendi choro sacrisque functionibus, sed inde declaravit, quod inservire tenerentur dumtaxat solis diebus festivis in Capella, ubi erectae iam erant Capellaniae, celebrari consuetis, non vero celebrandis in Ecclesia, Sacra Congregatio edixit, ut Capellani tenerentur interesse omnibus diebus festivis celebrandis in Ecclesia, quin simul eisdem reductionem Missarum indulserit, nisi prius status redituum firmaretur, citatis interesse habentibus *in Senogallien. Capellaniarum die 9 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

35. Siquidem – percupiens Franciscus Phisicus quinque Capellanias erigere in Sacello divo Blasio dicato in Ecclesia S. Crucis Oppidi Montis Badii, inde ab anno 1680 supplex adiit cl. me. Cardinalem Carolum Barberinum iam dictae Ecclesiae Abbatem pro Beneplacito super expositis his conditionibus (1). Expetito Beneplacito iam impetrato, pius ipse

(1) Nimirum, – quali più amplamente si esprimeranno, bisognando, nell' istrumento della fondazione. E primieramente l' Oratore intende assegnare alli Cappellani, che eleggerà e nominerà nell' istromento della fondazione o vero nel suo testamento, per loro mercede i frutti annui di cinque possessioni arative etc., la quale assegnazione

disponens publicas tabulas desuper exarari curavit, in eisque insertae ac firmatae fuerunt praememoratae conditiones, aliaeque iam dicto Cardinali Abbati expressae, praevia assignatione quinque praediorum, quorum quatuor annuatim reddere asseruit proventum scutorum quinquaginta, alterius vero fructus pertingere summam scutorum quadraginta quinque: « Notario tamquam publica et authentica persona praesente et acceptante pro dictis Capellanis sive Capellaniis et suis Successoribus, modis et formis per dictum Franciscum exprimendis in dicta nominatione, ut supra ab ipso facienda ». Conditis vero supremis tabulis, ab humanis decessit saepe dictus Franciscus de anno 1707, in quibus recensita praelibata dispositione, quod Capellani tenerentur quibuscumque diebus festis choro interesse, subtexuit, eius mentem esse, ut semper fuit, id onus eis addere in omnibus festivitatibus, quae tamen recoli annuatim contingit in praememorato Sacello S. Blasii, atque ita servari iussit, ut latius ex particula codicilli in Summario danda. Quoniam vero Vicarius Curatus Ecclesiae S. Crucis contendere cepit, quod saepe dicti Capellani chori servitio incumbere debeant omnibus prorsus festivis diebus iuxta indefinitam legem in instrumento insertam, a qua divertere haud potuisse disponentem, autumat. Hinc moderni Capellaniarum possessores in hodierno conventu decerni humiliter exposcunt, quod iniunctum chori servitium metiri tantum debeat, iuxta declarationem emissam in ultimo voluntatis elogio, quemadmodum annuunt Patroni earumdem Capellaniarum. Huiusmodi opportunitate sumpta, supplices quoque preces ipsi adiiciunt pro reductione onerum Missarum, perspecta tenuitate redituum, ut satis erui posse asserunt ex eorum calculo exhibito.

36. Reportato itaque Episcopi iampridem defuncti relatione ac voto Oratoribus propitio diuque expectato Vicario praememorato Ecclesiae, propositis dubiis: – I. An Capellani teneantur choro ceterisque sacris functionibus assistere et inservire solis diebus festivis in Capella S. Blasii celebrari consuetis, vel potius omnibus diebus festivis celebrandis in Ecclesia S. Crucis, ubi sita est Capella, in casu etc. II. An et ad quam quantitatem sit reducendus numerus Missarum a dictis Capellanis celebrandarum iuxta legem fundationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, firmetur status redituum Capellaniarum per Vicarium Apostolicum, citatis Parocho et Patronis – *in Senogallien. Capellaniarum die 9 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

37. Unde cum Beneficiati ex Bulla erectionis et observantia ministerium in sacris functionibus praestare debeant parati, nempe sacris vestibus induti, nequeunt huiusmodi onus reiicere, ex eo quod Canonico celebranti non alii adesse debeant, quam Canonici; id enim obtinet in Cathedralibus, in quibus divisae sunt Praebendae in Presbiterales Diaconales et Subdiaconales, secus vero ubi omnes sunt Presbiteri, quo casu etiam Beneficiati ministrare possunt. Idcirco his in terminis proposito dubio: – V. An Beneficiati teneantur ad paraturas chorales in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, servetur solitum – *in Urbinaten. die 22 Iunii 1805.*

38. Nam Capellani hebdomadarii tenentur etiam servire cum pluvialibus in Vesperis solemnitatibus et processionibus, excepta illa Corporis Christi, non autem Canonici *in Baren. Functionum die 5 Decembris 1682 lib. 32 Decretorum pag. 500.*

39. Hinc postquam Priores et Confratres Ecclesiae S. Mariae de Vineis planis Oppidi Arpini iam exposuerant preces Sacrae Congregationi pro erectione binarum Capellaniarum cum onere choro Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Archangeli, Episcopo commiserunt, ut pro suo arbitrio et conscientia dictas Capellanias, iniuncto Capellanis onere interessendi in dicta Collegiata diebus festis,

dichiara voler, che siegua dopo la di lui morte, che detti Cappellani siano obbligati celebrare quattro Messe la settimana per ciascheduno perpetuamente, che li medesimi Cappellani siano tenuti intervenire ed assistere al Coro e cantare le Messe e Vespri in tutti li giorni delle feste dell'anno col Vicario Curato suo Cappellano ed altri Preti di S. Croce. Finalmente quando mai occorresse, che nella medesima Chiesa si costituisse ed erigesse una Collegiata, l' Oratore supplica V. E. a volersi degnare, che detti Cappellani siano aggregati per Canonici di detta Collegiata –.

erigeret: quum autem Episcopus nedum tres erigendas decreverit Capellanias, sed et mandaverit, ut Capellani quotidie divinis officiis interessent in praefata Ecclesia S. Michaelis, Diaconi et Subdiaconi munus in Missis solemnibus explerent, propositis dubiis: – II. An onus interessendi quotidie per dictos Capellanos divinis Officiis in Ecclesia S. Michaelis Archangeli substineatur, vel potius debeat tantum adimpleri servitium diebus festivis in casu etc. III. An onus inserviendi per dictos Capellanos diebus festivis et in omnibus Missis paratis pro Diacono et Subdiacono sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative in diebus festivis ac toto Adventu et Quadragesima. Ad tertium, Negative; et servetur Decretum Sacrae Congregationis Rituum – *in Sorana Capellaniarum die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

40. Itaque Capellani a Testatore instituti cum onere celebrandi Missas in designato Altari et inserviendi choro, si Capitulum ad aliam Ecclesiam ob iniquas rerum vicissitudines translatum fuerit, donec illud redintegretur, tenentur defungi munere Diaconi et Subdiaconi in Missis solemnibus et celebrare Missas horis et diebus ab Episcopo praefiniendis ad Populi commodum *in Adiacen. die 27 Martii 1819.*

41. Siquidem Sacerdos Ioseph Luciana postremis tabulis anni 1724 erigi mandavit duas Capellanias in Ecclesia Cathedrali Bastiae cum onere celebrandi binas Missas qualibet hebdomada ad Altare privilegiatum Sanctissimi Crucifixi et interessendi choro diebus festis et fungendi munere Diaconi et Subdiaconi. Cum autem ob iniquas Ecclesiae et Imperii vicissitudines sic immutata fuerit Ecclesiae Bastiae conditio, ut non amplius esset Cathedralis, in eaque Capitulum desideraretur, quod Adiacium fuerat translatum, Episcopus censuit, – non esse abs re immo et aequum, si dictis Capellanis praescribatur aliquod servitium praestandum in dicta Ecclesia olim Cathedralis Bastiae veluti quod, quoties in ea peragenda sit saltem diebus festis Missa solemnis, ipsi fungantur officio Diaconi et Subdiaconi, seu celebrent in ea cum opus fuerit mane diluculo Missam vel circa meridiem pro opportunitate Populi vel quod simile, quod tamen altiori iudicio eiusdem Sacrae Congregationis relinquimus –. His itaque perpensis, proposito dubio: – III. An et quae onera imponenda sint Capellanis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad formam fundationis, sed donec redintegretur Capitulum, Capellani inserviant in munere Diaconi et Subdiaconi in Missis solemnibus; quo vero ad Missas lectas, celebrent horis et diebus ab Episcopo praefiniendis in Populi commodum – *in Adiacen. die 27 Martii 1819.*

42. Cum autem Capellani Collegiatae Ecclesiae immediate subiectae S. Sedi ad nutum Capituli eligerentur ac removerentur, sed postquam ea vi sublata fuisset, eamdem supremus Pontifex restituens, Capellanis assignaverit propria bona ac tertiam eorum partem pro distributionibus separandam esse mandaverit, non amplius censendi sunt amovibiles, dum perpetui ac vere Beneficiati renuntiantur, quorum nominatio ad Capitulum et institutio Decano spectat *in Lucana Capellaniarum die 3 Septembris 1825.*

43. Siquidem Apostolicae Sedi immediate subest Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli in foro Lucensis Civitatis: praeest Decanus Capitulo, a quo stipendium ex Massa Capitulari olim solvebatur Capellanis, qui chorale servitium praestabant, et amovibiles erant ad eiusdem Capituli nutum. Gallico invecto regimine, anno 1808 sublata fuit Collegiata: verum anno 1818 Apostolicis Literis diei 8 aprilis in pristinum fuit restituta a sa. me. Pio VII, qui omnia iura et privilegia, quibus antea pollebat, amplissime confirmavit. Cum autem in Collegiatae reintegratione singulis Capellanis aeque ac singulis Canonicis proprii reditus fuerint assignati, se non amplius amovibiles esse contenderunt Capellani; idque ab Sacra Congregatione declarari postularunt, ut canonicam institutionem tamquam veri Beneficiati consequerentur. Archiepiscopus retulit: – Per ipsum Apostolicum Breve Capellani propria dotatione et bonorum suorum administratione, adiecta lege tertiam reddituum assignatorum partem ad formam Concilii separandi, et in distributiones quotidianas convertendi, donati sunt: sed canonica institutione, quae ad vere Beneficiatos designandos necessaria vi-

detur, omnimode carent; ideoque nil ipsis, nisi tantum numerum seu Collegium ecclesiasticorum chori servitio legitime addictum propriis bonis et privilegiis gaudens, recognoscere coactus fuit. Nec me latebat, quod Decanus in suis literis habet de utilitate bonoque, quod, si in executione Brevis praedictas Capellanias vera Beneficia ecclesiastica declarassem, huic Lucanae Ecclesiae obvenisset, praesertim cum, ut bene Decanus notat, ferme nulla simplicia Beneficia ex tot, quot prius habebantur, remanserint, atque ex familiarum depauperatione aegre vix pauci filios suos in sortem Domini vocatos ecclesiasticis patrimoniis iuxta Canones providere valeant –. Archiepiscopus Capellanorum et Decani votis favit ac censuit, nominationem tribuendam esse Capitulo et institutionem eidem Decano tamquam Ordinario, qui etiam Canonicis Bullas institutionis dabat.

44. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellaniae in Ecclesia Collegiata S. Michaelis sint Beneficia ecclesiastica, ita ut Capellanis canonica institutio danda sit in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An ius ad Capellanias nominandi spectet ad Capitulum in casu etc. III. An et ad quem spectet ius dandi Capellanis Bullas institutionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus, facta per Archiepiscopum canonica erectione. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative ad Decanum Capituli – *in Lucana Capellaniarum die 3 Septembris 1825.*

45. Quod si ex lege fundationis ac praesertim ex observantia interpretativa proxima fundationi Officia et Capellaniae chorales non sint Beneficia Ecclesiastica, sed amovibiles, Officiales et Capellani huiusmodi ex iustis causis removeri possunt a Capitulo cum Episcopi consensu absque strepitu iudicii, salvis tamen Canonum sanctionibus, si agatur de ordinatis ad earum titulum; quin imo Capitulum variare corrigere ac nova etiam onera eisdem imponere potest, cum facultatem hanc habeat ex propriis Statutis *in Quayaquilen. Officiorum et Capellaniarum choralium die 23 Maii 1857.*

46. Siquidem in recenti Capituli Cathedralis Quayaquilensis erectione, quae vix septemdecim adhuc annorum spatium attingebat, plura per Subdelegatum Apostolicum ad Chori et Altaris servitium fuerunt Officia instituta, nominibus etiam distinctis ea gerentibus assignatis, vel nempe Magistri Caeremoniarum, vel Subcantoris, vel tandem Capellanorum chori, qui officiis nocturnis et diurnis ac Missae Conventuali inservire nec non officio Diaconi et Subdiaconi per turnum fungi deberent, quosque interim Episcopus provideret, sed vix Capitulum constitutum fuerit, Episcopus in futuris vacationibus eosdem provideret ad Capituli propositionem seu nominationem. Amplissimas dein Capitulo et Episcopo in capite 43 Statutorum dedit facultates immutandi corrigendi ac variandi ea, quae in divini cultus augmentum cederent. Itaque Quayaquilense Capitulum, cui ad ea Officia et Capellanias, quoties vacare contingerent, ius nominandi erat, semper ab ipsa erectione censuit, nullam in iure iisdem perpetuitatis praerogativam inesse; ac propterea sibi, iusta aliqua interveniente causa et Episcopi consensu accedente, ius esse Officiales seu Capellanos e possessione removendi, quin ad iudiciales actus unquam deveniendum esset. Ast inde contra praeconceptum ius istud Capituli aliud in facto accidit. Alter enim e Capellanis, officio suo destitutus, ius suum in iudicio voluit experiri, et cum primo ibi Causa cecidisset, ad Metropolitae Vicarium Generalem inde appellavit, qui vero ex allegatis et probatis iudicavit, depositionem Capellani esse revocandam, ex eo etiam quod is ad titulum praefatae Capellaniae fuerat ordinatus. Quod quidem cum aegre ferret Capitulum e re sua duxit Sacram Congregationem adire, ut plures etiam controversias dirimeret. Capitulum enim sustinuit, omnia Officia et Capellanias esse ad nutum eiusdem amovibiles, ac posse augere vel imminuere numerum Capellanorum et Officialium eisque imponere nova onera, quando pro meliori divini cultus servitio id expedire iudicaverit. Nam ad constituendam ecclesiastici Beneficii naturam requiruntur, 1°. ut persona providentis sit ecclesiastica; 2°. ut persona, cui providetur, sit Clericus; 3°. ut officium habere debeat aliquod spiritualitatis annexum et in perpetuum detur; 4°. et modus provisionis sit purus et sine pacto modo vel conditione, cum huiusmodi qualitates ita censeantur substantiales, ut insimul concur-

rere debeant. At in themate desiderari videbantur canonica institutio, certae constitutio dotis, collatio in titulum, ac perpetuitas, cum Episcopi confirmatio ad Capituli nominationem vices institutionis canonicae habere non posset, licet Capellani non omnino dote carerent, quae nimirum percipiebatur a communi massa redituum Capituli. Testimonium accedebat Notarii maioris Quayaquilensis Episcopatus, qui firmavit, nec officia nec Capellanias esse collativas. Ceterum in fundatione nihil diserte de amovibilitate edicebatur: observantia tamen interpretativa proxima fundationi amovibilitatem innuebat. Idcirco Officiales et Capellani absque strepitu iudicii removeri poterant, nisi ageretur de ordinatis titulo huiusmodi Capellaniae vel Officii; hoc enim in casu procedi debebat ad formam sacrorum Canonum. Nec dubium, quod Capitulum corrigere variare et nova etiam imponere onera posset ad formam capitis 43 statutorum.

47. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellaniae chorales et Officia, de quibus agitur, censenda sint Beneficia ecclesiastica in casu? II. An Capitulo cum Episcopi consensu liceat ex iustis causis absque tamen strepitu iudicii removere Officiales et Capellanos in casu? III. An eidem liceat augere vel imminuere numerum eorumdem Capellanorum et Officialium eisque nova imponere onera quando pro meliori divini cultus servitio id expedire iudicaverit in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative salvis Canonum sanctionibus, quando agatur de ordinatis titulo Capellaniae vel Officii eiusmodi. Ad tertium, Affirmative ad formam capitis 43 Statutorum – *in Quayaquilen. Officiorum et Capellaniarum Choralium die 23 Maii 1857.*

48. Alias vero non potest Capitulum maiora imponere onera Beneficiatis choralibus praeter illa, quae a Fundatore imposita fuerunt *in Fanen. Servitii choralis die 12 Martii 1853.*

49. Siquidem iam ab anno 1836 sex in maiori Fanensi templo extabant Beneficia choralia, quae a Fundatoris nomine Uffreducci nuncupabantur: sed dein, imminutis valde reditibus, Beneficiati chorale pensum a Fundatore praescriptum deseruerunt. Anno autem 1843 Gregorius XVI, assentiente Capitulo, univit eisdem bona Paraeciae S. Ioannis: interim et binas hereditates habuerunt Beneficiati, alteram nimirum Ceccotti, per quam nil novi imponebatur, sed tantum servitium quotidianum chori alternatim duo per hebdomadam iuxta originariam eorum institutionem, scilicet ad tertiam, sextam, nonam, Vesperas et Completam; alteram Monaldi, cuius reditus in tot Missas ad rationem obulorum viginti erant erogandi. Capitulum institit, ut nova choralia servitia imponenda approbarentur, cum ob id bona praefatae Paraeciae ipsis Summus Pontifex univerit, et necessarius esset maior choralium numerus. At acriter obstiterunt Capellani, cum in Literis Apostolicis unionis ne verbum quidem de servitio chorali fecerit Summus Pontifex, nec ulla inesset necessitas augendi numerum choralium; et si adesset necessitas, Canonici, qui diviti censu potiebantur, nova Beneficia choralia instituere poterant. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Statutum a Capitulo propositum pro Beneficiatis Uffreducci sit approbandum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, servata lege fundationis – *in Fanen. Servitii choralis die 12 Martii 1853.*

50. Hinc Sacra Congregatio censuit, permittendam non esse erectionem duarum Capellaniarum ad nutum amovibilium cum onere celebrandi et applicandi alternatim per hebdomadam Missas Conventuales diebus feriatis, ad effectum eximendi Canonicos ab huiusmodi onere, licet Episcopus dotem illarum subministrare vellet, ob Praebendarum canonicalium tenuitatem *in Callien. Missae Conventualis die 19 Iunii 1706 lib. 56 Decretorum.*

51. Iamvero – ex praetensa consuetudine immemorabili Canonici Ecclesiae Cathedralis sese non teneri iactabant canere Missam Conventualem in diebus feriatis, eo quod huiusmodi onus expleretur per Capellanos habentes Capellanias a diversis Fundatoribus erectas cum applicatione Sacrificii in satisfactionem onerum sibi per eosdem iniunctorum. Nihilominus Sacra Congregatio sub die 3 Septembris 1703 resolvit, Capitulum et Canonicos teneri ad quotidianam celebrationem et applicationem dictae Missae pro choro; unde Episcopus, attenta Praebendarum tenuitate,

consulere volens tam servitio Ecclesiae, quam Canonicorum utilitati, erigere intendit unam Capellaniam, cui deserviatur per duos Capellanos, qui dicantur chorales, cum dote scutorum 600 monetae Romanae in capitali per ipsum in praesenti solvenda quoad ratam scutorum 500, et quoad reliqua scuta 100 hypothecae supponendo animalia existentia in praediis Mensae Episcopalis, et interim solvere scuta quatuor quolibet anno, prout investiri deberent alia scuta 500, quorum fructus simul dividerentur inter Capellanos cum onere celebrandi et applicandi pro choro Missas Conventuales alternis hebdomadis, omnibus diebus anni, exceptis Dominicis et festivis de praecepto nec non diebus Cinerum Iovis et Sabbati maioris hebdomadae, in quibus solent huiusmodi onus explere Canonici hebdomadarii, insuper adiecto onere eisdem Capellanis eligendis alternatim in qualibet hebdomada quotidie Missae Conventuali pro cantu Gregoriano choro interessendi et quibuscumque aliis functionibus expleri solitis per Choristas, et gratis docendi cantum Alumnos Seminarii et Clericos eiusdem Ecclesiae, reservato iurepatronatus Episcopo fundatori, et post eius obitum praefato Capitulo ita tamen, ut amovibiles sint ad nutum tam Episcopi, quam Capituli respective nominantium cum approbatione Ordinarii, confirmatione requisita quolibet anno in electione aliorum Officialium Capituli.

52. His legibus stipulari posse erectionem supplicavit idem Capitulum, per Sacram Congregationem rursus declarari petens, ut stante onere infixo dictis Capellanis, quos unicum corpus cum illo conflaturos asserit, celebrandi Missas Conventuales in diebus feriatis, eximatur Capitulum ab huiusmodi onere. Ordinarius omnia confirmat, supplicesque suas preces adiungit pro tali erectione et declaratione –. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit locus erectioni Capellaniae pro duobus Capellanis cum oneribus ab Episcopo iniunctis in fundatione, ita ut eximantur Capitulum et Canonici a celebratione Missae Conventualis in diebus feriatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et ad mentem – *in Callien. Missae Conventualis die 19 Iunii 1706 lib. 56 Decretorum.*

53. At Capellani Collegiatae obligati ex lege fundationis canere Missam Conventualem diebus ferialibus, tenentur etiam applicare Sacrificium pro Benefactoribus, non autem pro Populo *in Camerinen. Applicationis Missae Conventualis die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

54. Iamvero – anno 1601 cl. me. Card. Marianus Per–Benedictus nuncupatus de Camerino Capellae Maiori sumptu suo honorifice constructae in insigni Collegiata Ecclesia S. Venantii donavit Loca 13 Montium Cameralium non vacabilium, quorum fructus semper investirentur, donec annuus reditus ascenderet ad scuta 150. Tunc vero praecepit, quod ex eodem annuo reditu traderentur unicuique ex duobus Capellanis amovibilibus deputandis scuta quadraginta, et isti alternatim una hebdomada pro quolibet in singulos menses canere continuo tenerentur Missam Conventualem Canonicis eiusdem Ecclesiae ita tamen, ut illa eadem hebdomada, qua alter caneret praedictam Missam, deberet alter duas alias Missas parvas celebrare certis statutis diebus, atque in Missis praedictis preces ad Deum pro ipso donatore funderentur. Deinde anno 1611 idem pius donator alia bona et Loca Montium praefatae Capellae largius assignavit, mandans quod ex eorum fructibus scuta quadraginta similiter annua constituerentur quatuor Capellanis, inter quos duo suprascripti comprehensi intelligerentur, quodque a quolibet ipsorum alternis mensibus Missa Conventualis ut supra Canonicis caneretur, eodemque mense, quo alter eorum caneret, ceteri gradatim praescriptis pariter diebus in aliis dictae Ecclesiae Altaribus duas pro unoquoque Missas parvas celebrare tenerentur. Ceperunt, ipso donatore adhuc vivente, Capellani deputati cantare Missas Conventuales Canonicis et respective celebrare Missas parvas iuxta modum atque ordinem in praefatis donationum instrumentis praescriptum, applicando semper Sacrificium pro ipso ac sub eadem quoque illius applicatione usque ad hodierna tempora continuarunt, imo et continuant. Capitulum tamen praedictae Collegiatae S. Venantii, cui animarum cura habitualis inhaeret, contendens eamdem Conventualem Missam, quae per supradictos Capellanos diebus tantum ferialibus cantatur, esse applicandam pro Populo,

sicuti a Canonicis applicatur ea Missa Conventualis, quae ab ipsis per turnum festivis tantum diebus canitur, usque sub die 26 iulii superioris anni apud Sacram Congregationem instetit pro declaratione –.

55. Citatis igitur et informantibus Capellanis, proposito dubio: – An Capellani celebrantes Missam Conventualem teneantur illam applicare pro Populo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, sed teneri pro omnibus Benefactoribus – *in Camerinen. Applicationis Missae Conventualis die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

56. Quod si in Ecclesia Cathedrali Ministrorum numerus valde deficiat, Sacra Congregatio permittit, ut Capellania reditus scutorum septuaginta erogandi in tot Missas ad formam fundationis in duas dividatur ea insimul adiecta lege, ut Capellani plura quidem ferre munia ac onera debeant, sed firmo praesertim remanente apud Canonicos onere applicationis Missae Conventualis; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo Capituli oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, S. Congregatio die 2 decembris 1780 respondit: – Negative –. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis iuxta modum, nempe ex Capellania Lotti duas esse constituendas Capellanias, reservato iurepatronatus favore Capituli iuxta legem fundationis cum assignatione scutorum triginta pro unoquoque Capellano, praevio examine ab Episcopo approbando, iisdemque Capellanis iniungendum esse, ut Canonicum Parochum coadiuvarent in omnibus spectantibus ad curam animarum; ac praeterea cum onere celebrandi per turnum Missam in aurora et in meridie iuxta solitum, et pariter cum obligatione applicandi centum Missas singulis annis ab unoquoque pariter Capellano ad formam testamenti, firmis remanentibus aliis oneribus apud Canonicos et praesertim Missae Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus ad formam iuris et Constitutionis sa. me. Benedicti XIV *Cum semper* facto verbo cum Sanctissimo, et ad mentem – *in Massanen. die 15 Septembris 1781.*

57. Qua de re S. Congregatio, auctis Capellaniae reditibus, permittit quidem, ut novo Capellano eligendo imponatur onus servitii chori in diebus festis cum menti Fundatoris cohaereat, sed merito reductionem Missarum concedere renuit, ut Missam Conventualem celebraret diebus feriatis, cum voluntati eiusdem Fundatoris repugnare videatur *in Fabrianen. Capellaniae die 17 Decembris 1803.*

58. Enimvero quamquam anno 1684 Hippolytus Santachiara in Collegiata S. Nicolai Fabriani Beneficium fundasset, cui assignavit fundum, unde quotannis scuta viginti quinque percipiebantur, et onus imposuisset Beneficiatis celebrandi centum annuas Missas nec non interessendi diebus festis choro; attamen recusante Episcopo conditiones huiusmodi acceptare, incongrua quoniam esset dos impositis oneribus subeundis, ipse Fundator mutata voluntate Beneficium denuo anno 1686 erexit probante Episcopo cum onere dumtaxat celebrandi Missas diebus festis, deleto chori servitio. At exin fundus Beneficii ferebant annua scuta quadraginta: hinc facta vacatione duo concurrebant Presbiteri, qui paratos se Capitulo exhibebant ad onus chori alternativum praestandum ad instar Canonicorum. Qua ex re Capitulum, cui ex fundatione iuspatronatus competebat, postulavit, ut novo eligendo Capellano onus imponeretur alternativi chori servitii et Missam Conventualem canendi diebus ferialibus, dummodo tamen Missae, quae ex fundatione singulis diebus festis celebrandae erant, ad triginta annuas reducerentur. Episcopus instantiae favit, inquiens: – Agitur de onere, quod chori servitium iuxta primaevam Fundatoris mentem aliquo modo repristinando potius, quam innovando, ad quod substinendum Beneficii reditus nuper aucti satis esse videntur. Attenta evidenti Ecclesiae utilitate et necessitate augendi individuorum numerum pro chorali servitio, quam maxime expedit Missarum celebrationem minuere –. Reductio vero Missarum voluntati Fundatoris repugnabat; nam ipse Missas ita prae servitio chori habuit, ut hoc potius, quam illas deleverit.

59. Proposito hinc dubio: – An et quomodo imponendum sit onus servitii chori in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in diebus festis etiam reductis, firma remanente celebratione Missarum ad

formam fundationis – *in Fabrianen. Capellaniae die 17 Decembris 1803.*

60. Cum itaque ex duobus simplicibus Beneficiis erectae fuerint binae Capellaniae chorales per Literas Apostolicas, et ante earumdem exequutionem Capitulum plura emendanda quoad iura fructus et onera censuerit, Sacra Congregatio iussu Summi Pontificis cuncta distincte declaravit ac adamussim firmavit *in Parmen. Beneficiorum die 24 Novembris 1832.*

61. Siquidem in Oppido Colurni Parmensis Diaecesis aderat Ecclesia Parochialis Deo in honorem S. Margaritae dicata, ubi iam ab anno 1664 Sodalitas Sanctissimi Sacramenti, quae antea ibidem coaluerat, Collegium constituit sex Sacerdotum, qui Canonicorum titulo honestati Parocho ad Praepositurae honorem evecto subiicerentur. Succrevit deinceps Canonicorum numerus, iamque tredecim in eo Collegio cum Praeposito recensebantur, quibus ut quotidiano chori servitio aptius feliciusque consuleretur, accessere extranei Sacerdotes ad nutum amovibiles. Cum autem Pius VII anno 1822 praefatam Ecclesiam insignis Collegiatae dignitate exornaverit, eadem Sodalitas Sanctissimi Sacramenti ad Sacrorum procurationem splendidius habendam anno 1829 per Secretariam Brevium obtinuit a Summo Pontifice, ut binae chorales Praebendae ex duobus Beneficiis simplicibus ibidem ab Andrea Azzi institutis conficerentur. Antequam literae Apostolicae exequutioni mandarentur, Capitulum et Sodalitas per eamdem Secretariam Brevium supplicarunt Summo Pontifici Gregorio XVI, ut plura in Brevi seu Literis Apostolicis diei 30 Martii 1830 emendarentur. Unde totum negotium ad Sacram Congregationem iussu ipsius Pontificis demandatum fuit. Propositis hinc dubiis: – I. An alternativum per hebdomadas servitium chori sit augendum ad quotidianum cum onere residentiae in casu etc. II. An tempore choralis vacationis cogendi sint Beneficiarii Azzi ad chori servitium diebus festis et solemnioribus nec non in peculiaribus Ecclesiae functionibus in casu etc. III. An dimidia tantum pars quotidianarum distributionum canonicalium assignanda sit Beneficiariis Azzi praeter reditus Beneficii ab iis percipiendos, an potius binae ex tribus earumdem partibus in casu etc. IV. An in distributionum parte Beneficiariis Azzi addicenda comprehendi debeant omnia et singula emolumenta ex peculiari Testatorum voluntate iisdem Beneficiariis quomodolibet relicta in casu etc. V. An et quomodo Beneficiarii Azzi gaudere debeant parochialibus emolumentis in casu etc. VI. An et qua punctatura mulctandi sint Beneficiarii Azzi, si choro aut aliis sibi delatis muneribus desint in casu etc. VII. An punctatura plectendi, qui ob infirmitatem, vel ob aliam legitimam causam absint a choro in casu etc. VIII. An et quae onerum imminutio, quibus in praesens Capellani Azzi obstringuntur, sit tribuenda in casu etc. IX. An Beneficiarii Azzi per alium Missarum onera possint adimplere in casu etc. X. An teneantur chori Praefecto subesse et Diaconi ac Subdiaconi ministerium praestare ad Altare in casu etc. XI. An diebus ritus semiduplicis in vigiliis et feriis Quadragesimae teneantur canere Missas Conventuales, accepta maiori eleemosyna arbitrio Episcopi statuenda in casu etc. XII. An et sub qua poena teneantur deferre almutiam in choro aliisque Ecclesiae functionibus in casu etc. XIII. An callere debeant cantum Gregorianum et singula Choristarum officia persolvere in casu etc. XIV. An et quibus Canonicorum privilegiis frui debeant Beneficiarii Azzi in casu etc. XV. An in Capitularibus comitiis tam passiva, quam activa voce carere debeant Beneficiarii in casu etc. XVI. An consulendum sit Sanctissimo ad derogandum voluntati Praepositi Dordoni quoad eorumdem accessum in Capitularia comitia, quando agitur de illius hereditatis negotiis in casu etc. XVII. An et quomodo sit supremae Testatoris Azzi voluntati derogandum super iurepatronatus passivo favore indigenorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et serventur Literae Apostolicae s. m. Pii VIII. Ad secundum, Affirmative pro diebus solemnioribus et tempore Adventus et Quadragesimae. Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quartum, Affirmative pro Legatis hactenus relictis, exceptis fructibus Legati Dordoni in alios choro inservientes, iuxta ipsius mentem, distribuendis. Ad quintum, Affirmative ad formam Brevis s. m. Pii VIII. Ad sextum,

Affirmative pro tertia parte distributionum, iuxta Tabellam ab Episcopo conficiendam. Ad septimum et octavum, Negative. Ad nonum, Affirmative. Ad decimum, Affirmative ad formam Brevis. Ad undecimum, Affirmative ad formam Brevis. Ad decimum secundum, Affirmative sub eadem poena, qua Canonici. Ad decimum tertium, Affirmative in omnibus. Ad decimum quartum, Negative ad formam Brevis. Ad decimum quintum, Affirmative ad formam Brevis. Ad decimum sextum, Negative; et provisum in quarto. Ad decimum septimum, provisum in Literis Apostolicis – *in Parmen. Beneficiorum die 24 Novembris 1832.*

62. Cum hinc ex observantia Capitulum iure cesso ab Archiepiscopis eligeret duos Clericos pro servitio Ecclesiae, Beneficiati nequeunt praetendere eorum electionem, ex eo quod iidem ipsis stipendium solvant; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An electio duorum Clericorum pro servitio Ecclesiae spectet ad Canonicos, seu Beneficiatos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative ad primam partem durante consensu Archiepiscopi, Negative ad secundam – *in Urbinaten. die 22 Iunii 1805.*

63. Unde commutatur voluntas Testatoris ad effectum erigendi quatuor Mansionarias chorales ex duabus Capellaniis alia in Ecclesia instituendis, cum extet in Collegiata Ecclesia defectus Capitularium ac id sit magis conforme menti ipsius Testatoris *in Ariminen. seu Feretrana die 24 Aprilis 1784.*

64. Enimvero Sacerdos Iacobus Mazii Canonicus Collegiatae Ecclesiae Oppidi S. Agathae Diaecesis Feretranae Capitulum eiusdem Ecclesiae heredem in asse instituit, ac mandavit ibidem erigi Capellaniam, ad cuius possessionem eligi deberent bini Presbiteri dicti Oppidi cum onere interessendi choro alternis vicibus diebus feriatis, uterque tamen diebus festis interesse tenerentur. Mandavit praeterea, ut de aliis bonis, quae possidebat in Oppido Montis Florum Diaecesis Ariminensis, aliae duae instituerentur laicales Capellaniae ad nutum Capituli amovibiles in rurali Ecclesia construenda cum expensa scutorum centum in praedio nuncupato *la Balza* seu *Croce del Gaggio* sito in territorio Montis Florum. Curam et administrationem bonorum istarum Capellaniarum commisit eidem Capitulo dictae Collegiatae S. Agathae, et Capellanos gravavit onere celebrandi Missam quotidianam in dicta Ecclesia rurali construenda in praefato praedio *la Balza* cum eleemosyna obulorum quindecim. Omnibus Capellanis residentiam praecepit in locis, ubi Capellaniae erigendae erant, et pro eiusmodi effectu Capellanis Montis Florum habitationis usum in eadem Terra reliquit. Anno 1778 Parochus Ecclesiae S. Felicis sitae in pertinentiis Montis Florum postulavit, ut scuta centum a Canonico Mazii destinata pro constructione ruralis Ecclesiae erogarentur in restaurationem eius Parochialis Ecclesiae, ad quam etiam transferri supplicavit Missas in eadem Ecclesia celebrandas; idque similiter petiit Capitulum: sed Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1779 negativum in omnibus dedit responsum, et hanc resolutionem approbavit Summus Pontifex in audientia diei 19 augusti 1781 in ea tantum parte, qua praescripta extitit erogatio scutorum centum favore fabricae Ecclesiae S. Felicis, quo vero ad reliqua, Causam denuo proponi iussit. Post haec Capitulum exposuit, negligi Ecclesiae servitium propter exiguum Canonicorum numerum, nec raro evenire, ut exteri Sacerdotes vocarentur ad divinas laudes canendas; quare postulavit, ut binae Capellaniae institutae a Canonico Mazii in Terra Montis Florum converterentur in quatuor Mansionarias, iniuncto Mansionariis onere Missarum celebrationis iuxta dispositionem Testatoris et interessendi choro ad instar aliorum Capitularium. Id si assequeretur, promisit Parocho S. Felicis scuta bis centum de proprio persolvere in restaurationem suae Parochialis Ecclesiae eroganda. Quum enim Missarum onera a Canonico Mazii relicta in designata ab ipso Ecclesia adimpleri amplius non possent, in statuenda voluntatis commutatione ea methodus eligenda erat, quae magis conformis videbatur Testatoris voluntati, qui Capitulum heredem scripserat, eidem administrationem bonorum commiserat, et patronatum activum reliquerat. Addidit Capitulum, Collegiatam S. Agathae ex decem tantum Capitularibus constitutum esse, ex quibus si quatuor demerentur, qui ex fundationis lege, vel ad curam animarum, vel ad sa-

cramentales confessiones audiendas, vel ad alia obeunda officia erant addicti, sex tantum supererant Canonici, qui choro inservirent; atque ex tam parvo Canonicorum numero Ecclesiasticas functiones ut plurimum negligi.

65. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta preces, facto verbo cum Sanctissimo – *in Ariminen. seu Feretrana die 24 Aprilis 1784.*

66. Licet vero impleri non posse videatur voluntas Testatoris instituendi plures Capellanos cum onere psallendi in choro, non propterea in hoc merito commutatur, cum praesertim is Summos Pontifices exoraverit, ne eam ulla ex parte mutarent *in Romana Commutationis Voluntatis die 27 Februarii 1734.*

67. Enimvero Hippolytus Collot Burgundus heredem scripsit Congregationem Urbanam Aulicorum institutam in Ecclesia SS. Laurentii et Hipolyti in Fonte. Hereditatem autem suam iussit augeri, donec annui reditus attingerent summam scutorum 706, 50. Id ubi evenisset, voluit fundari in eadem Ecclesia sex Capellanias conferendas amovibiliter Sacerdotibus, qui certis conditionibus praediti essent, ab eisque canonicas horas cum Missa Conventuali decantari, et alternatim tres Missas quotidie celebrari, adeo ut singuli Missas 244 quotannis celebrare deberent. Eisdem sex Capellanis assignavit annua scuta sex centum ita tamen, ut summa scutorum 396 inter eos distribueretur (accipientibus scilicet singulis annua scuta sex et sexaginta), alia vero scuta centum octoginta tribui deberent Congregationi, subiturae tamen onus parandi instruendique aedes, quas Capellani inhabitare possent, ac demum reliqua scuta 24 erogari deberent in stipendium Clericorum aliosque sumptus Sacrarii. Praeterea cum ex summa annuorum scutorum 706. 50, detractis praedictis scutis 600, superessent scuta 106. 50, mandavit ex iis confici multiplicum cum aliorum bonorum emptione, donec novi reditus ad annuam summam scutorum centum pervenirent, adiecta lege instituendi tunc aliam Capellaniam; idemque deinceps servari praecepit, quousque novem fundarentur Capellaniae. Postea itidem voluit multiplicum longius produci, eiusque ope construi in eadem Ecclesia novum Sacellum, impensis in id scutis mille. Ac denique per multiplici prosecutionem non solum fundari sex alias Capellanias, sed etiam deinde vel Seminarium erigi, vel fundum constitui ad tradenda pauperibus Puellis dotalia subsidia, vel aliud quodpiam pium opus institui arbitrio ipsius Congregationis Urbanae. Suam hanc voluntatem adeo optavit diligenter servari et custodiri, ut enixas adiecerit preces, ne Summi Pontifices eam ulla ex parte mutarent. Adita iam sub annum 1671 fuit hereditas: cumque exin annui proventus attingerent summam scutorum 713, factus esset locus fundationi sex Capellaniarum iuxta votum Testatoris, verum Congregationis Administratores plura censebant obstare, ne Testatoris voluntas ea ipsa ratione, quam ille praescripsit, perduci ad effectum posset. Sex quippe Capellani non satis esse videbantur ad divina Officia in choro decenter persolvenda et Missas solemni ritu celebrandas. Quamquam vero Testator id animo secum reputans iusserit alias deinceps novem addi Capellanias, necesse tamen erat, antequam id fieri posset, per tria vel quatuor saecula confici multiplicum ex ea fructuum quantitate, quam eidem multiplico assignavit Testator. Ad haec accedebat, tum Ecclesiam ipsius Congregationis adeo angustam esse, ut capax non esset chori ad canonicas horas decantandas necessarii, tum etiam deesse aedes, quae Capellanorum domicilio destinari possent, quaeque si extruerentur, insumenda in hoc erat summa scutorum circiter sex millium. Quamobrem preces porrexit Summo Pontifici, ut dignaretur voluntatem memorati Testatoris commutare eum in modum, qui congruentior esset, exitumque habere commodius posset. Emus Caraffa protector censuit, erigendas interim octo Capellanias, quarum Rectores essent amovibiles, et immunitatem haberent ab onere psallendi sacra in choro, sed singuli annuas Missas 244 celebrare tenerentur, ipsamque etiam Missam canere singulis diebus festis per vices, et duo ex eisdem Capellanis confessiones exciperent in Ecclesia Congregationis.

68. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Hippolyti Collot et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio

respondit: – Affirmative in hoc tantum, ut singulis Capellanis tribuantur annua scuta 96 atque habitatione aliisque commodis in testamento expressis, et amplius – *in Romana Commutationis voluntatis die 27 Februarii 1734.*

69. Quod si onus Missarum non appareat in authenticis tabulis testamenti, ac Testator principaliter respexerit chori servitium, Capellania absque Missarum onere est erigenda *in Senen. Oneris Missarum die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

70. Enimvero – postremis exaratis tabulis anno 1701 Ioannes Cosmas Colombinus Praepositus Ecclesiae Collegiatae Beatissimae Virginis de Provenzano nuncupatae huius Civitatis, suis heredibus demandavit erectionem unius Canonicatus in eadem Collegiata, constituta dote scutorum 3000 in censibus consistentibus, eiusque Canonicatus iuspatronatus activum cum qualitate gentilitia iisdem heredibus reliquit, atque Canonicum pro tempore devinxit residere et cuncta munia obire ad instar aliorum Canonicorum, cum onere adiecto celebrandi Missas quindecim quolibet mense. Subinde Testator ipse iisdemmet heredibus iniunxit aliam erectionem unius Officiaturae ad nutum amovibilis, eiusque Capellani electionem pertinere voluit ad supradictum Canonicum pro tempore, assignavitque pro ea scuta 1000 librarum septem pro quolibet scuto, tum illico ad honestum lucrum investienda, quorum fructus addici voluit Capellano, in quo certas qualitates requisivit, cuique onus imposuit assistendi choro processionibus et reliquis functionibus, quemadmodum primodictae Collegiatae ceteri Capellani peragunt. Onus insuper Capellano adiecit celebrandi seu celebrari faciendi in eadem Ecclesia cunctis festivis diebus nec non in quacumque commemoratione Beatissimae Virginis atque omnibus festis SS. Apostolorum cum applicatione Sacrificii. Declaravit ulterius Testator, se devenisse ad erectionem dictae Officiaturae nonnisi in augmentum numeri Choristarum, qui tunc erant in praedicta Collegiata, ita ut ex adiectione huius novi Capellani seu Choristae diminui non posset consuetus Choristarum numerus, quin et in casu eius diminutionis ita cavit: « In tal caso possa il Canonico, che sarà pro tempore liberare il detto Cappellano dal coro e fargli celebrare o celebrare da per se quella quantità di Messe, che comporta l'onorario, che si paga agli altri Coristi, oltre le due Messe per settimana sopraddette ». Post haec Testator praescripsit dictis suis heredibus terminum unius mensis ad erigendam dictam Officiaturam, iisque negligentibus, iussit eam erigi in Oratorio Confratrum Societatis SS. Clavorum, quo casu Capellani onera ita declaravit: « Che il Cappellano pro tempore sia obbligato celebrare le Messe ordinate come sopra cinque giorni della settimana, che saranno più commode alli Confratelli per le loro tornate della mattina, e che di più sia obbligato invece di assistere al coro in detta Collegiata, di celebrare o far celebrare altre due Messe per ciascheduna settimana in quei giorni ed in quell'ore, che saranno più commode a detti Confratelli ».

71. Iam defuncto Testatore, volentes Heredes devenire ad erectionem dictae Officiaturae, institerunt desuper in Curia Archiepiscopali Senarum, cuius Vicarius Generalis difficultatem fecit, an ea sit erigenda cum solo onere Missarum celebrandarum in festis et commemorationibus B. Virginis atque festivitatibus SS. Apostolorum, vel etiam cum aliis duabus Missis in hebdomada, ubi Testator dixit: « oltre le due Messe per settimana sopraddette ». Propterea iidem Heredes recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, exorantes ulterius, quod quatenus videatur esse adiiciendas dictas duas alias Missas hebdomadales, de quibus ceteroquin Testator mentionem non fecerat, tunc attenta insufficientia redituum capitalis scutorum mille, pariter declarari, esse locum reductioni onerum. Requisitus in praemissis informare Archiepiscopus refert, perlustrata matrice originali testamenti, nullibi apparere onus dictarum Missarum hebdomadalium, nec non mentem Testatoris sibi cognitam principaliter respexisse chori servitium, cuius annuum stipendium quemadmodum attribuitur reliquis Choristis esse scutorum 20 et obulorum 20, eleemosynam praeterea constituendam pro acceptatione oneris perpetui esse duplicatam, quam quae praestatur pro manuali, quae Senis exhibetur diebus festis iulii unius cum dimidio, profestis vero

unius iulii pro qualibet Missa; reditusque denique a Testatore assignatos non suppetere, inquit, pro cunctis oneribus supportandis, ut ex calculo, quem transmisit in Summario dando. Hinc censet Relator, fieri locum reductioni in casu impositionis duarum Missarum hebdomadalium, quae alias cessabit –.

72. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellania, de qua agitur, sit erigenda etiam cum onere duarum Missarum in qualibet hebdomada? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus reductioni dictarum Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Senen. Oneris Missarum die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

73. Antequam vero fiat erectio Capellaniarum choralium vel Canonicatuum, firmandus est status hereditarius et redituum Canonicatuum, qui iam sunt erecti quique erunt erigendi; propositis enim dubiis: – I. An procedi possit et debeat ad erectionem duorum Canonicatuum, non obstante dissensu Capituli, vel Capellaniarum? II. An Capellaniae, de quibus agitur, erigendae, debeant erigi instar aliarum Capellaniarum existentium in dicta Ecclesia Cathedrali cum onere servitii chori? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, firmandum esse statum hereditarium et redituum Canonicatuum erigendorum et Canonicatuum erectorum – *in Amerina Erectionis Canonicatuum die 25 Iunii 1695 lib. 45 Decretorum.*

74. Cum autem Coniuges unico testamento, relicto sibi invicem usufructu, mandaverint erigi Capellanias chorales in Ecclesia, in qua servitium chorale non expletur; sed alter superstes, licet per annos viginti septem usufructum bonorum alterius Coniugis percepisset, e pristina dispositione resilierit, ex bonis defuncti Coniugis permittitur, ut illae erigantur in Ecclesia Cathedrali, concessa interim dispensatione ac suspensione duobus passive vocatis, non vero alteri pariter passive vocato, sed Canonicatum in eadem Ecclesia obtinenti *in Tolentinaten. Capellaniarum die 23 Augusti 1834 die 18 Septembris 1841 et die 2 Decembris 1843.*

75. Iamvero Carolus Benaduccius et Francisca Sparaciaria Coniuges ex patriciorum ordine unicum et utrique commune anno 1806 condiderunt testamentum, quo, Legatis nonnullis praescriptis, sese invicem heredes usufructuarios dixerunt, relicta bonorum proprietate tribus Capellaniis ecclesiasticis, quas post sui obitum in Ecclesia S. Mariae constitui iusserunt. Earum Rectoribus praeter Anniversaria pro se suisque peragenda legem indixerant singulis Capellanis celebrandi per se ipsos Missas diebus festis mercurii sabbati et Dominicae qualibet hebdomada, itemque officiandi collegialiter dictam Ecclesiam S. Mariae, prout faciebant Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi, videlicet canendi in choro cum Capellanis Marini et aliis Capellanis. Activo dein patronatus iure tributo Communitati ac Praefecto ecclesiastico per Episcopum eligendo, adscisci Capellanos mandarunt ex consanguineis suis, ita ut alter ex Capellanis deligendus esset ex filiis Nicolai Isopi, alter ex descendentibus Iosephi et Aloisii Benaducci, tertius demum ex prognatis Ioannis Philippi Filori; quod si nemo adesset in aliqua ex designatis familiis, descendentes ex reliquis aliis suffecti censerentur. Ut vero ipsi consanguinei passivae vocationis iure potirentur, debebant esse in statu ecclesiastico ac ea praediti aetate, ut proxime ad Sacerdotium ascendere possent. Carolus iam inde ab anno 1806 ex hac vita migravit, ac superstes Francisca per annos viginti septem usufructu bonorum Viri sui ex praescripto memorati testamenti potita est. At extrema utens senectute e pristina dispositione resiliit, atque universam suam substantiam in germanum fratrem Carolum Sparaciarium testamento transmisit, quin eadem seu eius heredes de iure cogi possent ad restituendos fructus ex Viri hereditate ab ipsa ad extremam usque senectutem perceptos. Hinc factum est, ut, quae bona tribus Capellaniis addicta fuerant, ingentem passa fuerint imminutionem, tum propter restitutionem dotis in scutatis nongentis uno cum lucro dotali ex Municipali Tolentinatum statuto tertiam dotis partem superstiti Uxori deferente, tum propter nonnullas alias controversias heredem inter Franciscae Sparaciariae et Curatores testamenti Caroli Benaducci excitatas. Hinc ex statu activo hereditatis Caroli Benaducci in scutis 4217, dempta summa passivitatis scutorum 2370. 75, supererant scuta

1846, 25. Dubitatum idcirco est de Capellaniarum erigendarum numero: interim Agnes vidua defuncti Aloisii Benaducci petiit, ut binae tantummodo Capellaniae erigerentur, quibus duo ipsius inopes filii Pius et Zenobius, quamvis pueritiam nondum praetergressi, donarentur; postea vero preces ingeminavit, ut unius tantum Capellaniae constitutio decerneretur. Ioseph Filoni Canonicus Cathedralis cum proventibus annuis in scutis plus minus triginta alteram ex Capellaniis praedictis petiit. Episcopus censuit, duas esse Capellanias erigendas, cum per voluntatem unius ex Testatoribus tertia pars e substantiis operae piae assignatis decerpta fere fuisset; ac retulit, Capitulum Ecclesiae Cathedralis et Municipium peroptare, ut Capellaniae in Cathedrali erigerentur, eorumque votis ac precibus ipse adhaesit, cum praefata Ecclesia Cathedralis Ministris indigeret et Ecclesia S. Mariae apta non esset ad habendum Corpus seu Universitas nec etiam chorum haberet. Fratres Filoni sustinuerunt, tres vel saltem duas Capellanias esse erigendas, cum reditus ad id satis esse ostendere studuerint.

76. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quae summae sint delendae ex tabulis expensi hereditatis Caroli Benaducci in casu etc. II. An et quot Capellaniae ecclesiasticae sint erigendae in casu etc. III. An et in qua summa et quomodo sint erigendae in casu etc. IV. An et quomodo sit annuendum precibus Pii et Zenobii Benaducci in casu etc. V. An et quomodo sit annuendum precibus Iosephi Filoni in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Deletis pro nunc summis scutorum 320 pro anno viduitatis ac scutorum 380 pro asserto legato Missarum, in reliquis dilata; et Episcopus, deputato ecclesiastico Administratore, qui curet transcriptionem bonorum favore Capellaniarum et investimentum tum pecuniae retrahendae ex venditione mobilium, tum exactione nominum debitorum, referat de praeciso capitali et annuo reditu et super singulis expensis hereditatis Caroli Benaducci, transmissis particulis tum statuti super lucro dotali, tum instrumenti dotalis – *in Tolentinaten. Capellaniarum die 23 Augusti 1834.*

77. Ioseph Filoni alter ex passive vocatis rursus petiit tres praedictas Capellanias, cum is in misera versaretur fortuna; Pio vero et Zenobio fausta omnia contingerent, ex eo quod Zenobius heres universalis Caroli Sparacciari et Pius legatarius cum victu et habitatione iam evaserant. Episcopus haec confirmavit; ac retulit, dotem Franciscae constitutam fuisse in scutis nongentis, simulque particulam Statuti localis transmisit. Statum activum hereditatis Benaducci constituit in scutis 5654. 68. 5, et passivum in scutis 1732. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et ultra summas expunctas resolutione Sacrae Congregationis die 23 Augusti 1834, esse delendam summam scutorum 170 pro legatis signatam in statu anni 1834, ita ut integra passivitas debeat esse tantum in scutis 1732 iuxta novum statum exhibitum. Ad secundum, Affirmative; et esse erigendas tres Capellanias ad formam voluntatis Caroli Benaducci. Ad tertium, dilata; et Episcopus magis praecise referat de qualitate servitii choralis, quod expletur in Ecclesia S. Iacobi, nec non auditis Capellanis Marini in scriptis, referat, utrum et quale servitium praestent in Ecclesia S. Mariae. Ad quartum et quintum, dilata; et erectis rite Capellaniis, et cognitis oneribus ipsis imponendis, Episcopus referat de qualitatibus in fratribus Benaducci concurrentibus, firmo interim remanente Administratore deputato – *in Tolentinaten. Capellaniarum die 18 Septembris 1841.*

78. Episcopus retulit, in Ecclesia S. Mariae nullatenus expleri chorale servitium, et Capellanos Marini nullatenus ad illud teneri; Zenobium Benaducci vestes clericales dimisisse, sed Pium probe in statu ecclesiastico permanere, sed utrumque fortunae bonis carere ac miseratione dignum. Nam Zenobius, licet esset heres Caroli Sparaciari, fructus tamen hereditatis interim percipere non poterat, cum vidua praefati Caroli usufructuaria adhuc viveret. His mature perpensis, repropositis dubiis: – I. An in qua Ecclesia et quomodo sint erigendae Capellaniae in casu etc. II. An et quomodo sit annuendum precibus Pii et Zenobii Benaducci in casu etc. III. An et quomodo sit annuendum precibus Canonici Iosephi Filoni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissi-

mo. Ad secundum, Affirmative favore Pii Benaducci cum obligatione suscipiendi intra quinquennium sacrum Subdiaconatus ordinem, et quoad Zenobium, Affirmative pro suspensione nominationis alterius Capellaniae ad quinquennium, deputato ecclesiastico Administratore, qui, impletis Missarum oneribus, residuales reditus eidem tradat in sui substentationem, docto, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, Negative in omnibus – *in Tolentinaten. Capellaniarum die 2 Decembris 1843.*

79. Hinc cum Confratres plurium Sodalitatum cessionem seu renunciationem fecerint pro erectione octo Capellaniarum choralium et Episcopus eas valide non erexerit, Sacra Congregatio sanationem, attento consensu omnium interesse habentium, indulsit *in Terracinen. Capellaniarum die 26 Septembris 1699 die 20 Augusti 1701 et die 27 Maii 1702 lib. 49, 51 et 52 Decretorum.*

80. Siquidem – cum in Civitate Terracinae, ob erectionem de recenti sequutam duarum Congregationum laicalium, alterius nempe pro Nobilibus sub titulo S. Mariae Gratiarum et alterius pro Civibus in Ecclesia Sanctissimae Annunciationis, numerus Confratrum in quatuor antiquis Confraternitatibus S. Ioannis, S. Luciae, S. Leonardi et Sanctissimi Rosarii adeo imminutus fuisset, ut vix reperirentur personae aptae pro administrandis illarum reditibus, Sodales dictarum Confraternitatum dubitantes, quod reditus et bona praefata in dies possent magis deteriorari, praevia reservatione Beneplaciti Apostolici, devenerunt ad assignationem omnium dictorum redituum et bonorum pro erigenda Collegiata octo Canonicorum sub obligatione inserviendi choro et satisfaciendi Missas ceteraque onera praedictis Confraternitatibus incumbentia, precibusque Sanctissimo porrectis et deinde ad hanc Sacram Congregationem remissis, auditus fuit Episcopus, eoque affirmante cessionem et assignationem huiusmodi tendere in augmentum divini cultus et dictorum Sodalium beneficium, Sacra Congregatio die 26 aprilis 1698 rescripsit: « Pro gratia per Literas Apostolicas ».

81. At quia pro expediendis Literis Apostolicis super erectione Collegiatae, licet non insignis, notabilis requirebatur impensa, cui Confraternitates praefatae impares erant; ideo novis precibus supplicarunt pro facultate erigendi loco Collegiatae octo Capellanias seu Beneficia residentialia cum eisdem oneribus Missarum et servitii chori, auditaque iterum favorabili Episcopi relatione, petitam facultatem obtinuerunt in forma Commissoria ac cum clausula « vocatis vocandis » eidem Episcopo directam, qui postea in illius executionem ad actualem erectionem Capellaniarum processit « salvis tamen iuribus et honoribus Archipresbitero et Canonicis Ecclesiae Cathedralis debitis et competentibus », ac successive particulares Constitutiones edidit pro bono regimine et pace dictorum Capellanorum, quas tamen praetendunt Canonici fuisse ab Episcopo ultimo loco renovatas et notabiliter in eorum praeiudicium immutatas. Adversus huiusmodi erectionem iam executioni mandatam, insurrexerunt nuper nonnulli ex Confratribus dictarum Sodalitatum una cum Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis praetendentes nullitatem omnium gestorum ex multiplici capite. Proposita fuit Causa die 26 septembris anni 1699 et placuit EE. PP. eam remittere ad Emum Praefectum pro Concordia. Cum vero ob varias praetensiones Partium hinc inde promotas dictae Concordiae tractatus saepius tam coram Emo Sacripante tunc Praefecto, quam coram Emo Imperiali intentatus, nunquam concludi potuerit, Capellani supradicti supplicarunt s. m. Innocentii XII, ut ad tollendas omnes controversias et litium expensas dignaretur per suum Breve sanare omnem praetensam nullitatem, si quae adesset circa supradicta, nec non approbare etiam Constitutiones ultimo loco ab Episcopo factas, quas preces ad hanc Sacram Congregationem remisit –.

82. Iamvero propositis dubiis: – I. An cessio seu renunciatio bonorum facta a Confraternitatibus substineatur? II. An itidem substineatur erectio Capellaniarum facta ab Episcopo? *Et quatenus affirmative.* III. An et quae Constitutiones factae ab Episcopo sint servandae? *Quatenus vero negative ad eadem duo prima dubia.* V. An intret arbitrium pro sanatione in casu etc. –, S. Congregatio die 26 septembris 1699 respondit: –Ad Emum Praefectum pro concordia –. Cum vero ob dictas varias praetensiones Partium hinc inde promotas dictae concordiae tractatus nunquam concludi

potuerit, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad quintum, pro sanatione docto de legitimo consensu – *in Terracinen. Capellaniarum die 20 Augusti 1701 lib. 51 Decretorum.*

83. In executionem huiusmodi Rescripti, requisito de ordine Episcopi omnium Confratrum dictarum Sodalitatum consensu eoque in publica forma ac nemine dissentiente reportato, deventum fuit inter Canonicos dictae Ecclesiae Cathedralis et praefatos Capellanos ad transactionem, approbata in omnibus et per omnia erectione supradicta, cum nonnullis tamen pactis et conditionibus servandis circa praecedentiam modum officiandi aliaque huiusmodi, ut ex instrumento transactionis originaliter exhibito et per manus EE. VV. circumferendo.

84. Proposito itaque dubio: – An sit locus petitae sanationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Terracinen. Capellaniarum die 27 Maii 1702 lib. 52 Decretorum.*

85. Quum itaque Priores et Confratres Ecclesiae S. Mariae de Vineis planis oppidi Arpini exposuerint erigere duas Capellanias chorales in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli cum annua praestatione scutorum triginta quinque, et mox Episcopo commiserint, ut pro suo arbitrio et conscientia ad earum erectionem procederet, sed Episcopus tres erigendas decreverit Capellanias cum annuo salario ducatorum triginta pro qualibet, proposito dubio: – V. An provisio dictorum Capellanorum debeat esse ducatorum 30, vel potius 35 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, praevia in omnibus sanatione erectionis, iuxta formam praedictam – *in Sorana Capellaniarum die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

86. Hinc circa sex Beneficiatos servitio Ecclesiae Cathedralis addictos, quorum singuli Ecclesias obtinebant, et segregatum sibi Populum in Pagis Civitati finitimis habebant, Sacra Congregatio censuit, Decretum alias ab eadem editum cum charitate et dexteritate exequutioni esse demandandum *in Bellunen. die 27 Aprilis 1630.*

87. Quamvis autem Capellanus ex lege fundationis teneatur ad chori servitium, cum tamen non sit de gremio Capituli nec unum idemque corpus constituat, ius non habet interessendi associationi Cadaverum et respectivis emolumentis participandi, quin propterea reintegrationem praetendere valeat *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

88. Siquidem Sernutius Ciccolini Capellaniam instituit in Collegiata Ecclesia SS. Faustini et Iovitae die 22 ianuarii 1426. Orta inde controversia, Capellanus disputavit, Beneficiatos onus residentiae habentes unum idemque corpus cum Canonicis constituere, in processionibus sub eadem Cruce incedere ac eorumdem emolumentorum esse participes; ita servari in aliis Ecclesiis Collegiatis eiusdem Civitatis, ita quoque suos Antecessores emolumentorum associationis Cadaverum semper participes fuisse, iniuste proinde eadem sibi denegari, hinc restituenda sibi esse emolumenta associationum eousque iniuste denegata. Ultro admisit, se teneri ad chori servitium ex lege fundationis. Canonici contra probarunt, Capellanum Sernutium mere mercenarium esse, non vero de gremio Capituli, nec unum idemque corpus cum Capitulo constituere; invitato proinde tantum Capitulo ad Cadaverum associationem, accedere non posse dictum Capellanum, qui nec membrum nec de corpore Capituli erat, ita amplius servatum semper fuisse, adeoque eum iniuste petere reintegrationem emolumentorum, quae iuste denegata fuerunt. His itaque perpensis, propositis dubiis: – VII. An eidem Capellano, quamvis non invitato, competat ius interessendi una cum Capitulo dictae Ecclesiae Collegiatae associationi Cadaverum et funeribus et respective participandi de eorum emolumentis et quomodo et in qua parte? *Et quatenus affirmative.* VIII. An Capitulum teneatur reintegrare hodiernum Capellanum de praeteritis emolumentis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Negative in omnibus; et amplius. Ad octavum, Negative; et amplius – *in Viterbien. Capellaniae die 30 Maii 1767.*

89. Unde cum ex tabulis fundationis et translationibus Capellani, dempta fructuum parte, reliquos in massam communem distributionum Capituli conferre teneantur, nequeunt hos percipere, nisi choro intersint,

adeoque iidem tempore vacationum Capellaniarum spectant ad eos, qui divinis officiis intersunt, non vero ad novos Capellanos vel Patronos *in Mediolanen. Capellaniarum choralium die 26 Septembris 1857 die 28 Augusti 1858 et die 30 Iulii 1859.*

90. Siquidem Ioannes Andreas Praesul Vicomercati, Canonicus Ordinarius mediolanensis Ecclesiae studio ampliandi Collegium Beneficiatorum ac Officialium Metropolitanae eiusdem, anno 1528 consensu et auctoritate Ordinarii publico instrumento accedente erexit in Altari Beatae Virginis Mariae Praesentationis sito in praefata Ecclesia ac sub titulo S. Mariae et SS. Martini et Catharinae duas Capellanias chorales, onere iniuncto Capellanis celebrandi Missam quotidianam tali hora et tempore, quod altera esset finita quando incipiebant divina, altera inciperet post finitam Missam magnam Ordinariorum, – ad hoc ut ipsi Capellani pro tempore possint et valeant et debeant ac teneantur interesse divinis, ut supra, in chŏro praefatae Sanctae Ecclesiae a latere dominorum Mazaconicorum et Notariorum (quibus nominibus veniebant Beneficiati et Officiales) et Capellanorum dictae Sanctae Ecclesiae, quando divina celebrantur per RR. DD. Ordinarios, ut supra –. Ius autem patronatus reservavit favore Nepotis ex praedefuncto fratre et aliorum consanguineorum de gente Vicomercati eorumque descendentium in infinitum; casu tandem, quo dicti descendentes defuissent, voluit transferri in Fabricerios Mediolanensis Ecclesiae. Quod attinebat ad dotationem, oneravit propriam domum sitam sub Paraecia S. Nazarii in Brolio Mediolani eiusque futuros possessores pro praestatione librarum nonaginta imperialium bonae monetae Mediolanensis, quas voluit pro virili Capellanis exolvi quovis anno. Obtinuit praeterea, ut diversa Beneficia simplicia et Officia, quae ipse possidebat, aggregarentur ipsis Capellanis in augmentum dotationis pacto exonerandi domum a conventa praestatione librarum nonaginta pro summis, quibus auxissent reditus uniendorum Beneficiorum. In ipso demum instrumento erectionis cum sibi reservasset facultatem cedendi partem fructuum dictorum Beneficiorum massae Officialium residentium, modo tamen Capellani admitterentur ad perceptionem distributionum in communi massa, hinc alio instrumento anni 1543 renunciavit eidem massae fructus Beneficii Ecclesiae S. Ioannis Baptistae ad Cugilorum et invicem Beneficiati rite convocati Capellanos admiserunt in proprium Collegium eosque declaraverunt participes ad communes distributiones tamquam forent – Notarii et Mazaconici cum omnibus honoribus et oneribus ac emolumentis solitis et consuetis –.

91. At Collegium Beneficiatorum fuit ad instar Capituli, ex quo dictum *Capitolo minore*, erectum Decreto S. Caroli Borromaei, quod anno 1586 Archiepiscopus Vicecomes ei suffectus Apostolica auctus Auctoritate executioni commisit, eiusque Capituli mensam valde tunc auxerunt peculiares massae distributionum in unam massam communem conversae nec non bona adiuncta derivata ex suppressione Collegii Decumanorum, ex segregatione cuiusdam magnae possessionis *Besate* aliisque ex bonis a Collegio Borromaeo avulsis. Inter cetera decretum, quod – huius massae sic constitutae omnes huius Capituli viri aequaliter participes sint, ac proinde aequaliter omnibus distribuatur pro ratione dierum et officiorum, quibus singuli interfuerint –; relate ad duos Capellanos Vicomercati, quos idem Decretum iam prius declaraverat unum cum ceteris Capitulum efformare cautum, ut – istius massae participes sint, si Capellaniae eorum fructus, demptis ducentum libris pro Missa quotidiana, ad quam ex fundatione tenentur, in distributiones, quas suas fecerint, computentur, alioquin tantum massae veteris participes erunt –. Transactione legitime inita anno 1597, Capellani acceptarunt singula novae erectionis capitula, praesertim Decretum, quo impositum computandi fructus Capellaniarum in distributiones, demptis ducentum libris. Exortis novis controversiis super quantitate Capellanis debita titulo residentiae, rem sedavit anno 1659 secunda transactio, qua obtinuerunt a Capitulo annuas libras tercentum imperiales ex massa communi pro distributionibus quotidianis – interveniendo divinis Officiis et functionibus, iuxta punctaturam et regulas praescriptas a Statuto venerabilis Capituli –. Extremo seculi bona totius massae occupavit Gallica potestas, inde distraxit cum ceteris Ecclesiae bonis. Capellani Vicomercati ser-

vaveruut cuncta bona, eo quod Fiscus exceperat bona affecta iurepatronatus laicale. Decretum imperiale proditum anno 1805 super restauratione Capituli Metropolitani iura Capellanorum servavit: sed commissio liquidationis haud omisit comprehendere eosdem Capellanos inter Capitulares, quibus assignata fuit loco indemnitatis annua pensio iuscripta super aerario, subrogata bonis olim constituentibus massam distributionum. Discrimen fuit in eo, quod mensura pensionum communis pervenit ad annuas libras mille, dum Capellani obtinuerunt libras octingentum, quae pensio subiit postea decrementum, donec anno 1830 fuit definitive ad eam mensuram restituta.

92. Verum videbatur, quod Capituli discrimina, Decretum restaurationis, illud tractu temporis attulissent, ut Capellani Vicomercati se existimantes emancipatos segregatosque a regimine disciplinari et administratione Capituli, ac exemptos ab onere residentiae et servitii choralis, recusaverint in massam contribuere pensionem ipsis datam titulo residentiae, eamque subiicere noluerint decremento vel augmento iuxta vices hebdomadalis punctaturae, quemadmodum fieri solebat a ceteris ex Capitulo. Quod cum aegre ferret praesertim Eminentissimus Archiepiscopus Gaiscruk, vacantibus ab annis 1833 Capellaniis, Decretum in forma literarum ad Praefectum Capituli Minoris commissarum dedit sub die 11 aprilis 1836 (1). Usque ad annum 1843 efferbuit lis penes tribunalia Caesarea super iure praesentandi novos Capellanos: at res iudicata definivit, iuspatronatus pertinuisse ad sororem Iosepham et Mariam Cermenati. Hinc novi Capellani ac simul Patrona institerunt, ut Capellaniae declararentur sub omni respectu distinctae ac independentes a Capitulo Minori, ut diiudicaretur nullius momenti Decretum Emi Archiepiscopi diei 11 aprilis 1836, ut tamquam illegitima et inefficax definieretur submissio Capellanorum eidem Decreto, ut demum Capitulum adigeretur ad exhibitionem rationum de fructibus perceptis tempore vacationis. Orator Capituli advertit, nec in discrimen adduci posse, quod Capellani Vicomercati constituerent partem Capituli Minoris aeque principalem et integrantem, inspecta Fundatoris intentione in primo et alio praesertim instrumento anni 1543 satis clare expressa; idque luculentius apparere ex transactione anni 1595 et transactione anni 1659. Idcirco demptis tercentum libris imperialibus, Capellani tenebantur conferre reliquos fructus in communem massam distributionum non solvendam Capellanis, nisi – pro residentia interveniendo divinis Officiis, iuxta punctaturas et regulas praescripta a statuto Capituli –. Nec obstabat Decretum imperiale anni 1805, quia dictum Decretum non poterat derogare fundationi, et quia eo illud spectavit, ut Capellani servarent incolume patrimonium, non ut eos segregavisset a Capitulo quoad regimen disciplinam chori et interventum ac assistentiam divinis, adeo verum quod obtinuerint pensionem annuam titulo residentiae non secus ac ceteri Capitulares. Unde Caput universum pensionum non aliud repraesentabat, quam pretium et fructus bonorum constituentium olim locupletem massam communem. Quin imo Capellani praeservarunt intactum ab evocatione fiscali patrimonium non exceptis Beneficiis unitis Capellaniis, quorum reditus cessi fuerant massae Capitulari: ipsi propterea extranei ire debebant a liquidatione pensionum, numerum tamen et partem in ea fecerunt perinde ac Capitulares, qui cuncta bona amiserant; et hac de causa iidem ex Capitulo residentiae titulo minus habuerunt. Idcirco aequissimum etiam erat, ut Capellani saltem libras mille in massam communem conferrent; quae cum autem spectarent ad Massam titulo residentiae, planum erat, eodem titulo accrevisse quovis anno vacationis favore residentium pro ratione interessentiae divinis, sive ex iure communi, iuxta quod quota re-

(1) Quo sane Decreto declaravit – che le due vacanti Cappellanie devono d'ora innanzi far parte integrale di cotesto Capitolo minore con tutte le attribuzioni e gli obblighi degli altri Cappellani corali in modo, che la parte residenziale del loro Beneficio portata anche per essi alla somma di lire mille milanesi, venga amministrata colla Massa Beneficiaria del Sindaco Capitolare e si ritengano i due Beneficiati corali dipendenti come gli altri da V. S. M. R. e dai Puntatori Capitolari minori, e vengano ammessi agli stessi diritti di voce attiva e passiva di cariche Capitolari e di tutto pei doveri corali coi Mazaconici e cogli altri tutti –.

sidentialis non residentium accrescit residentibus, sive ex Decreto erectionis Capituli expresse constituente, ut portio residentiae debita vacanti Beneficio, si totam residentiam fecisset,– in massam communem cedat –. Multo minus quidquam debebatur Patronis Cermenatis, quia sive residentiales sive liberi dicerentur fructus, nihil occurrebat in patrimonio Capellaniarum, quod pertineret ad dotationem Vicomercati, cum in facto esset eiusdem deperitio. Qua de re Capellani nullo iure accrescendi quoad distributionem fructuum Canonicatuum vacantium pollebant, nisi in massam communem contribuerent propriam residentiae portionem, quippe ius comparticipandi et accrescendi est prorsus reciprocum, denegandum omnino ei, qui sua parte nihil immittat.

93. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo et ad quos effectus Capellaniae SS. Martini et Catharinae sint declarandae adiunctae Capitulo Minori in casu. II. An et quomodo constet de superexistentia Iurispatronatus quoad dictas Capellanias SS. Martini et S. Catharinae in casu? III. An et quomodo Decretum Emi Archiepiscopi diei 11 aprilis 1836 sit servandum et exequendum in casu? IV. An et quomodo et quorum favore fiat locus distributioni fructuum Capellaniarum SS. Martini et Catharinae perceptorum a diebus singularum vacationum ad diem novarum institutionum in casu? V. An et quomodo Capellani SS. Martini et Catharinae polleant iure accrescendi quoad distributionem fructuum Canonicatuum vacantium in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in tertio. Ad secundum, ex hactenus deductis, Affirmative ad formam fundationis. Ad tertium, Affirmative in omnibus. Ad quartum et quintum, dilata; et coadiuventur probationes – *in Mediolanen. Capellaniarum choralium die 26 Septembris 1857.*

94. Datis resolutionibus Partes acquieverunt, ac Patroni concordiam cum Capitulo inierunt; idcirco ne dubium quidem, quod fructus tempore vacationis cedere deberent favore residentium. Nam Capellani suos quidem facere poterant fructus praebendales, non vero residentiales, quos tantummodo choro interessentes de iure communi et Capituli constitutione percipiebant. Repropositis hinc dubiis: – I. An et quomodo et quorum favore fiat locus distributioni fructuum Capellaniarum SS. Martini et Catharinae perceptorum a diebus singularum vacationum ad diem novarum institutionum in casu? II. An et quomodo Capellani SS. Martini et Catharinae polleant iure accrescendi quoad distributionem fructuum Canonicatuum vacantium in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus favore residentium. Ad secundum, Affirmative a die praestitutae residentiae – *in Mediolanen. Capellaniarum choralium die 28 Augusti 1858.*

95. Hisce tamen definitionibus non modo non acquieverit unus ex Capellanis, sed statim in Causam reversi Patroni conquesti de memorata transactione, quam descripserunt uti nullam et inefficacem plurimisque vitiis refertam. Idcirco fructus per Capitulum perceptos diebus praesertim singularum vacationum ad diem novarum institutionum, quos fructus appellabant *intercalares*, petierunt. Repropositis vero dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, S.Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Mediolanen. Capellaniarum choralium die 30 Iulii 1859.*

96. Qua de re Capellani Ecclesiae Metropolitanae novi nuncupati non debent admitti ad participationem Congregationis Operis charitatis in eadem Metropolitana eiusdemque Operis emolumentum absque constitutione fundi, iuxta Statutum praedictae Congregationis *in Florentina Consortii die 18 Novembris 1690 lib. 40 Decretorum.*

Item *die 22 Septembris et die 22 Decembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

97. Licet vero erectio Capellaniarum per Episcopum facta contra mentem Testatoris sit nulla, non propterea Capellani tenentur restituere fructus interim percepti *in Savonen. die 23 Maii 1722.*

98. Iamvero Archipresbiter Ioannes Franciscus Chiaborellus postremis tabulis Altare et Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Parochiali S. Ambrosii erectam heredem instituit. At Executores testamentarii et Officiales Confraternitatis ex praefata he-

reditate nonnulla Beneficia cum obligatione assistendi choro erigi curarunt. Sacra Congregatio autem, nulla declarata Capellaniarum erectione, propositis dubiis: – II. An dicti Capellani Canonici nuncupati teneantur restituere fructus perceptos? *Et quatenus negative.* III. An et a quo tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative. Ad tertium, satis provisum in secundo – *in Savonen. die 23 Maii 1723* (1).

99. Unde cum privilegium Capellanis choralibus ratione divini cultus concessum percipiendi scuta centum ex eleemosynis Missarum manualium pro unica tantum Missa in die celebranda derogatum non fuerit ex Constitutione *Nuper* Innocentii XII, Sacra Congregatio, attento pariter divino cultu, indulsit praefatis Capellanis, ut, dempta eleemosyna manuali Missarum, tertiam partem residui pro distributionibus quotidianis applicarent *in Ianuen. Celebrationis Missarum die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

100. Iamvero – exposuerunt Capellani de Massa nuncupati Ecclesiae Collegiatae S. Maria de Vineis usque de anno 1631 huic Sacrae Congregationi, sese in numero viginti, comprehensis Mansionariis, quotidie choro in persolvendis officiis divinis et nocturnis, ut mos est in Collegiatis, inservire nec non in quibusdam aliis functionibus in dicta Ecclesia fieri solitis, consistentibus videlicet in anniversariis litaniis funeribus ceterisque precibus cum exiguo stipendio librarum 350 constituentium summam scutorum quinquaginta octo et bononenorum triginta trium monetae Romanae, computatis eleemosyna Missae quotidianae et distributionibus procedentibus ex quodam legato quondam Augustini Verme, ex quibus singulis Presbiteris in portionem obveniunt dumtaxat bononeni duo pro quolibet; et insimul supplicarunt, ut ex reditibus Capellaniarum et eleemosynis Missarum votivarum seu manualium, pro quibus plures Missae celebrari debebant, iuxta Decreta super celebratione Missarum edita de anno 1625 auctoritate s. m. Urbani VIII, ut ex illius Constitutione 45 Bull. nov. tom. 4, quisque eorum ex privilegio et gratia percipere posset summam librarum sexcentum, quae sunt scuta centum monetae Romanae pro unica tantum Missa in die celebranda, ne alias ex tenui stipendio ad eorum congruam insufficienti divinus cultus in dicta ecclesia minueretur. Unde Sacra haec Congregatio die 10 maii dicti anni 1631 benigne annuendo rescripsit per haec verba: « Auctoritate sibi tributa remisit petitionem hanc ad Archiepiscopum Ianuensem, qui, si pro suo arbitrio et conscientia ita expedire iudicaverit, concedat Capellanis Oratoribus, ut computatis Missis votivis fructibus Capellaniarum si quas habent in totum percipere possint quantum reddere solent loca centum et decem Montis S. Georgii Civitatis Ianuae, ut in lib. 14 fol. 427 ». Quam facultatem dictus Archiepiscopus, negocio mature ac pro rei qualitate examinato, concessit dictis Capellanis, superaddito onere celebrandi quotidie in eadem Ecclesia Collegiata. Verum quia promulgata de anno 1698 Constitutione sa. me. Innocentii XII incipien. *Nuper* innovatoria et confirmatoria dictae Bullae sa. me. Urbani VIII, praefati Capellani novas preces porrexerunt huic Sacrae Congregationi, ut declarare dignaretur, an per hanc Constitutionem Innocentianam eorum gratia seu privilegium, quo hucusque usi fuere, sit revocatum nec ne, demandatum fuit Archiepiscopo, ut, auditis Canonicis, informaret ac suum sensum aperiret, eiusque relatione iam perventa, ex ea habetur primo, quod si cessaret Capellanis iam impertitum privilegium onus inserviendi supradictae Ecclesiae evaderet pro eis intolerabile, dum percipere tantum possent quantum capit eleemosyna Missae manualis, idest unius iulii pro qualibet Missa, et sic non haberent congruam sufficientem pro se sustendandis, essetque modus vel dissolvendi massas vel negligendi servitium tam dictae Ecclesiae ex principalioribus Civitatis, cum in ipsa veneretur imago Beatae Mariae Virginis insignis devotionis cum assiduo et magno Populi concursu, quam Ecclesiae Metropolitanae S. Laurentii, cuius Capellani de Massa nuncupati aliud simile et pinguius privilegium habent, percipiendi videlicet ex eleemosynis Missarum et Capellaniarum quantum reddere solent Loca centum viginti pro quolibet Presbitero. Et secundo

(1) Reliqua habes in Verb. *Capellania*, §. I, n. 195 ad 199, Tom. V.

quod si privilegia remanebunt in suo robore valde, conveniens esset servitio Ecclesiae ut quarta pars vel alia quota benevisa ex ipsomet privilegio resultans in distributiones quotidianas convertatur, prout exoptant Canonici –.

101. Quibus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An privilegium ut supra concessum Capellanis de massa nuncupatis S. Mariae de Vineis sit sublatum per Constitutionem sa. me. Innocentii XII super celebratione Missarum? *Et quatenus negative.* II. An et quae portio extrahenda sit ex reditibus, quos ut supra dicti Capellani percipere possunt, ad effectum illam erogandi in distributiones quotidianas? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et apponatur Tabella in loco conspicuo Ecclesiae cum expressione privilegii. Ad secundum, dempta eleemosyna manuali Missarum, tertiam partem residui applicandam pro distributionibus – *in Ianuen. Celebrationis Missarum die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

102. Nam iusta cum subsit causa, Sacra Congregatio aliquod quidem distributionis augmentum Capellanis indulget, sed non id totum, quod iidem assequi contendunt *in Bononien. die 13 Iulii 1765 et die 10 Maii 1766.*

103. Siquidem Ludovicus Ludovisius Cardinalis Archiepiscopus Bononiensis anno 1629 legavit Capitulo Metropolitanae scuta sex millia ad erigendas sex Capellanias, data lege Capellanis quotidie celebrandi et canendi in choro. Anno 1635 vigore Brevis sa. me. Urbani VIII diei 28 iulii 1634 ob tenuem redituum quantitatem a Hieronymo Columna Cardinali Archiepiscopo onera Capellanis imminuta fuerunt, ut quindecim nempe tantum inde Sacra celebrarentur quolibet mense per unumquemque Capellanum, relicta tantummodo sexaginta quinque dierum vacatione a choro quolibet anno, si tot haberentur dies, in quibus Officium non esset de ritu duplici ac semiduplici ita tamen, ut si fructus Capellaniae augerentur vel imminuerentur etiam distributio proportionabiliter maior vel minor esse deberet. Anno 1728 Cardinalis Archiepiscopus Iacobus Boncompagnus, ob necessitatem praediorum, ex facultate Sacrae Congregationis Sacra celebranda ad centum octoginta quotannis per quinquennium reduxit, aucta eleemosyna manuali ad obulos duodecim pro quolibet Sacro, firma manente obligatione eorumdem Capellanorum quotidie choro inserviendi – ita tamen, ut de cetero si quando augeantur reditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse Missarum –. Inde Capellani conquesti, dies vacationis valde imminutos ob novos festos dies Sanctorum cum ritu duplici ac semiduplici, supplicarunt, ut distributiones, quae in septem obulis erant pro quolibet, ad decem obulos augerentur, et quidem ob auctos propria industria et labore reditus bonorum, cum defecisset impensa pro Oeconomo pro Ratiocinatore et pro Villico. Unde non obesse censuerunt conditionem adiectam anno 1728 – ita tamen, ut de cetero si quando augeantur reditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse Missarum –; nam augmentum non evenerat ex ipsa natura bonorum, sed ex ipsorum labore, quia iidem sine ullo stipendio munia, quae ab aliis gerenda fuissent pro Capellaniarum bonis, agebant.

104. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus augmento distributionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et firmetur status iuxta instructionem – *in Bononien. die 13 Iulii 1765.*

105. Datae propterea ad Emum Archiepiscopum literae fuerunt, ut referret – de praeciso reditu Capellaniarum in moneta Romana, de adimplemento Sacrorum mensualium, eorum numero, qui in praesens celebratur a quolibet ex Capellanis, de reditu aucto ex industria Capellanorum, et quae summa supersit ultra distributiones consuetas et eleemosynas quindecim Missarum, quae ab unoquoque ex Capellanis celebrari debent iuxta reductionem ab initio factam; ac super praemissis Sacram Congregationem instructam redderet et animi sui sensum aperiret –. Emus Archiepiscopus negocium dedit Ratiocinatori Ecclesiae Metropolitanae Bononiensis, qui dixit, Capellaniarum reditum esse scutorum 168. 61. 6, ex quibus subducta quotidiana distributione chorali in obulis septem pro quolibet Capellano, ascendebant ad scuta 153. 30, tantum superesse pro celebratione Missarum annua scuta 15. 31. 6, et nonnisi pro hac residua summa, aliquando etiam maiori, Sacra celebrata fuisse: itidem augmentum veniens ex industria

Capellanorum in agendis muneribus Ratiocinatoris Oeconomi et Villici esse ad annua scuta 28. Hinc censuit Emus Archiepiscopus, – Oratores videri dignos, ut ipsis indulgeatur, quod expostulant in precibus –.

106. Reproposito itaque dubio sub formula: – An et in qua quantitate sit locus augmento distributionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Adimpletis oneribus Missarum, et supportatis oneribus administrationis, pro gratia augmenti scutorum viginti octo annuorum tantum – *in Bononien. die 10 Maii 1766.*

107. Itaque cum Archiepiscopus Coloniensis, pro bono et suarum Ecclesiarum regimine Canonicis assumptis, a Summo Pontifice obtinuisset in eorum favorem Indultum a residentia, Sacra Congregatio declaravit, quod nedum ex generalitate et amplitudine verborum Indulti venirent omnes distributiones quotidianae sive annexae sive separatae a corpore Praebendae, sive in anniversariis seu aliis piorum memoriis et fundationibus consisterent, quando aliter non fuisset a Testatoribus dispositum, sed et quod Capellani dicto Archiepiscopo inservientes deberent illis gaudere vigore dicti Indulti *in Colonien. Distributionum die 9 Maii 1671.*

108. Hinc cum Beneficiati Ecclesiae Metropolitanae Urbinatensis petierint, ut Capitulum assignaret conclave idoneum, ut ipsi commode congregari possent et in usum Archivii; sed lateret omnino, unde haec obligatio Canonicis imposita esset, ex eo quod nihil de his praescriptum legeretur in Bulla erectionis, nihilque in iure cautum, immo certum esset, quod Capitulum ubique haberi valeat ad Textum in Cap. *Quod sicut* de electione, proposito dubio: – III. An Capitulum teneatur assignare Beneficiatis mansionem, in qua commode congregari possint, et locum idoneum ad usum Archivii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, ad mentem; mens est, quod deficiente alia meliori mansione Archiepiscopus provideat minori, qui fieri poterit Beneficiatorum incommodo – *in Urbinaten. die 22 Iunii 1805.*

109. Quin imo si Capellani Universitatem seu corpus morale constituant, liberam habent propriae Massae administrationem potestatemque eligendi Officiales, cum Ordinariis nonnisi ius cognoscendi tempore sacrae Visitationis de gesta administratione competat, et Capitulum iure eos tantummodo polleat coercendi circa ea, quae rectam choralis servitii disciplinam respiciunt, quin tamen coerceri possint, ne collata munera renuncient, ex eo quod choro interesse minime teneantur, quin insuper Capellanis officium exercentibus Vicarii Curati Magistri caeremoniarum et Camerarii, non vero Praefecti spiritualibus exercitiis organistae vel cantoris cum Musicis, distributiones quotidianae denegari valeant, attenta autem peculiari fundatione adprobatur Archiepiscopi arbitrium distribuendi ea, quae absentes amittunt *in Pisana Iurisdictionis et Iurium die 27 Iulii 1839 et die 22 Iunii 1844.*

110. Iamvero habebat Metropolitana Ecclesia Pisana Capellanorum Beneficiatorum Collegium quinquaginta quatuor numero, quorum quisque peculiari gaudebat Praebenda, pluribus vel paucioribus Missarum oneribus attributis. Communis praeterea ipsis erat Massa, cuius procuratio per Capellanum ab eodem Collegio electum gerebatur; punctaturis ii non subiicebantur, si a choro abessent, qui vero intererant distributiones e Massa sumptas accipiebant. De istius Massae administratione pluries transactis quoque temporibus inter Archiepiscopos et Capellanos obortae erant quaestiones: illi nempe ius habere se putabant ferendi leges et decreta negotiorum procurationem respicientia, quibus isti aegro quidem animo, sed re tamen et acquiescebant et obtemperabant. Inter Canonicos etiam et Capellanos controversiae materiam suppeditavit chorale servitium: isti namque se subiectos esse Canonicis negabant, eosque non posse chori servitium et punctaturas, quo vellent modo, statuere contendebant. Capellani itaque freti auctoritate Averani in voto, cui titulus; *Pisana Canonicatus*, relato a Scarfantonio ad Ceccoperium decis. 59 n. 4, sustinuerunt, suum Collegium, cum iis omnibus praeditum sit qualitatibus, quarum vi uti corpus morale atque Universitas existimandum esset, ius habere liberae bonorum suorum administrationis; adeoque ab Archiepiscopi iurisdictione ad suorum negotiorum procurationem quod attinebat

exemptos esse, quin obesset quod Archiepiscopi Decreta administrationem respicientia edidissent, cum neque Ordinarii voluntas Universitatis iuribus nocumento esse posset, neque Collegii libertatem tollere, cuius quoad administrationem Tutoris Protectoris ac Defensoris tantummodo personam gerebat. Negabat vero Capitulum, Capellanos Universitatem vel corpus distinctum constituere: non enim poterat iuxta ipsius Scarfantonii doctrinam corpus aliquod esse, ubi extabat aliud. Idcirco Capellani Archiepiscopis subiecti semper adstiterunt, cum ab anno 1584 Archiepiscopus *del Pozzo* regulas ad administrationem spectantes approbaverit, et anno 1592 Vicarius Generalis Decretum tulit, quo leges aliae circa administrationem ipsam et distributiones iubebantur poenis etiam, si quis secus faceret, constitutis. Posterioribus autem temporibus, quae per Archiepiscopos decreta fuere, iis omnibus adamussim Capellani sunt obsequuti. Emus Relator vero hac in re distinguendum esse censuit quoad administrationem per corpora moralia gestam. Si namque reditus in largitiones vel eleemosynas impendi debent, veluti in dotes Puellarum in subsidia Pauperum ac cetera huiusmodi, tunc profecto eorum administratio ad formam Tridentinae Synodus immediate Episcopo subiecta extat; si vero agitur de administratione, quae peculiarem moralis cuiusdam Corporis oeconomiam attingit, cuiusque reditus membris, quae illud constituunt, alendis exclusive inserviunt, tunc sane affirmari non potest, ad Ordinarium pertinere ius singula administrationis eiusdem negotia gubernandi suo nutu decernendo, qui contractus ineundi, qui reiiciendi sint, et qua ratione administratio ipsa sit gerenda, adeoque patebat, Archiepiscopum tempore Sacrae Visitationis tantummodo ius habere cognoscendi, quomodo ipsa gesta esset administratio. Unde pertinere non posse videbatur ad Archiepiscopum ius approbandi consilia seu resolutiones, quae Capellanorum Collegium ineunda censeret; alias enim Archiepiscopo latissimum illud ius attribui deberet, quod in administratione redituum non pertinebat, quin obessent controversiae et dissidia, quae obvenirent, cum Archiepiscopo non deessent rationes efficiendi, ut consilia Universitatis eo susciperentur modo, ne controversiae et dissidia obvenirent. Qua de re Capellani eos eligere poterant, quos ipsis placeret ad gerenda negotia assumere, quin Archiepiscopi approbatione esset opus, excepta tantummodo electione Camerarii, quae iuxta Decretum Archiepiscopi approbationi subiicienda erat. Hinc quoad administrationis rationem Archiepiscopo facultas erat in actu sacrae Visitationis in examen vocandi administrationis tabulas, non vero quotannis; et ad hoc satis erat, ut ipsi innotesceret, quod in arca reliquum erat, quin ulla esset necessitas eius examini singulas procurationis tabulas subiiciendi.

111. Canonici autem arguerunt sibi, quippe superioribus, Beneficiatos omnibus in rebus subditos esse debere, adeo ut liberum esset ipsis Beneficiatos mulctare, a choro arcere, atque officiis non idoneos declarare, quotiescumque propriis non satisfacerent muneribus, et e contra distributionum praemiis diligentes donare. At Canonicis modica quidem coercitio competere videbatur, non vero ius Beneficiatos e choro expellendi, cum gravis nimium esset huiusmodi poena. Canonici itaque sibi ius vindicabant eligendi Magistrum chori sive Praefectum scholae Cantorum, alios Cantores, Diaconos, Subdiaconos, Hebdomadarios, Caeremoniarum Magistros et Vicarios Curatos, eisque favebat consuetudo. Non poterant vero Officiales istos ab ipsis electos coercere, ne Officio ullo pacto renunciarent. Nam dicti Capellani non tenebantur choro interesse, nec explicito iuramento servire et obedire manualiter sese obstringebant; idcirco locum habere in casu non poterat doctrina Rotae in Urgellen. 15 martii 1697 coram Ursino. At perperam contendere videbantur Capellani, quod duobus Capellanis in curam animarum assumptis non deberentur distributiones quotidianae cum a choro abessent causa huiusmodi officii. Nam cura habitualis erat penes Capitulum, et Capitulum etiam ex Capellanis constituebatur, quin obstaret, quod iidem praeter Praebendam congruam in annuis scutis quinquaginta a Parochia, non ex arca Capituli perciperent. Nec denegare posse videbantur duplicem distributionem caeremoniarum Magistris e coetu Capellanorum eligendis, cum Capitulo Ecclesiae Archiepi-

scopo Magistratui et Collegiis Universitatis assisterent, si de sacris agebantur, quae in Metropolitana, non vero aliis in Ecclesiis fiebant. Denegandae tamen videbantur distributiones Capellano, dum tempore divinorum organum pulsabat vel cum Musicis psalleret, si aliquod stipendium obtineret: sed aliqua consideratione censeri poterat praesens Capellanus, qui a triginta annis distributionibus gaudebat. Camerarius vero distributiones percipere posse videbatur, dum Ecclesiae servitio operam dabat, licet praeter Praebendam libellas triginta quatuor quotannis strennarum nomine haberet, cum stipendium huiusmodi impar esset oneribus. Praeterea ad Parochorum atque Ordinandorum utilitatem mos erat Pisis, semel quotannis duo vel plures spiritualium exercitiorum cursus fieri certo quodam in loco; horum praeses eligebatur Sacerdos, qui plerumque e Capellanis erat. Hic ut officio tali serviret a choro abesse debebat, ac distributiones gaudebat: sed nimis lata interpretatio Brevis Clementis XI fieri videbatur. Capellani moverunt etiam dubium, num praedicti Officiales bona fide perceperint distributiones a die 4 decembris 1837, qua nempe die in publico coetu lecta fuerunt responsa Sacrae Congregationis, cui titulus *Dubia Indultorum:* sed haec ad rem non faciebant. Demum ea, quae Capellani absentes amittebant, in utilitatem praesentium non cedebant, sed in unum collecta ab Archiepiscopi arbitrio pendebant, qui ea partim diligentioribus in chorali servitio, solemnioribus praesertim graviorisque laboris diebus, veluti in praemium attribuebat, partim in fundi augmentum impendebat. Emus Relator, huiusmodi consuetudine hinc inde expensa, conclusit: – censerem, posse permitti, ut res, quo hactenus processit modo, in posterum quoque procedat –.

112. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quae iurisdictio competat Archiepiscopo in administratione Massae Universitatis in casu? II. An resolutiones Universitatis et electiones Officialium sint ab Archiepiscopo approbandae in casu? III. An et quomodo Archiepiscopo competat ius exigendi redditionem rationum ab Universitate in casu? IV. An quomodo et quae iurisdictio competat Canonicis in Capellanos etiam quoad eorum coercitionem in casu? V. An ius sit Canonicis eligendi et destituendi officiales chori et inservientes Altari in casu? VI. An Officiales electi possint munera collata renunciare in casu? VII. An pro quo tempore et quibus distributionibus frui debeant Vicarii curati in casu? VIII. An et quomodo caeremoniarum Magistri Archiepiscopo et Capitulo inservientes gaudere possint distributionibus quotidianis in casu? IX. An idem ius competat Caeremoniariis Magistratui et publicae Universitati inservientibus in casu? X. An Capellani in organo canentes cum Musicis frui debeant distributionibus in casu? XI. An et quomodo Camerarius Universitatis absens a choro lucrari possit distributiones in casu? XII. An Capellani praefecti spiritualibus exercitiis frui debeant distributionibus in casu? XIII. An Officiales Capellani bona fide perceperint distributiones post diem 4 decembris 1837 in casu? XIV. An approbanda sit erogatio residui Massae Universitatis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, expectetur electio novi Archiepiscopi, et interim transmittatur copia Literarum Apostolicarum s. m. Nicolai II, Constitutionis C. M. Episcopi D'Elci, particulae Capitularium Constitutionum, ceteraque documenta ad rem facientia. Ad quartum, Affirmative iuxta consuetudinem et praesertim circa ea, quae rectam choralis servitii disciplinam respiciunt. Ad quintum et sextum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris. Ad septimum, Affirmative pro diebus et horis onerata, amissis distributionibus inter praesentes tantum, iuxta votum Emi Relatoris. Ad octavum et nonum, Affirmative in omnibus, dummodo in Metropolitana tantum Ecclesia munus exerceant, iuxta votum Emi Relatoris. Ad decimum, Negative; excepto actuali tantum Capellano, attentis peculiaribus circumstantiis, iuxta votum Emi Relatoris. Ad undecimum, Affirmative pro diebus et horis onerata, amissis distributionibus inter praesentes tantum, iuxta votum Emi Relatoris. Ad decimum secundum, Negative iuxta votum Emi Relatoris. Ad decimum tertium, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris. Ad decimum quartum, attenta peculiari fundatione et in casu, de quo agitur, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris – *in Pisana Iurisdictionis et Iurium die 27 Iulii 1839.*

113. Quum priora tria dubia indecisa perstitissent, nonnullorum autem ex his resolutio minime arriserit Capellanorum Universitati, repropositis dubiis: – I. An et quae iurisdictio competat Archiepiscopo in administratione Massae Universitatis in casu? II. An resolutiones Universitatis et electiones Officialium sint ab Archiepiscopo approbandae in casu? III. An et quomodo Archiepiscopo competat ius exigendi redditionem rationum ab Universitate in casu? IV. An sit standum, vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu? V. An sit standum, vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu? VI. An sit standum, vel recedendum a decisis in septimo dubio in casu? VII. An sit standum, vel recedendum a decisis in octavo dubio in casu? VIII. An sit standum, vel recedendum a decisis in nono dubio in casu? IX. An sit standum, vel recedendum a decisis in decimo dubio in casu? X. An sit standum, vel recedendum a decisis in undecimo dubio in casu? XI. An sit standum, vel recedendum a decisis in quarto decimo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative et competere iuxta sacros Canones ius cognoscendi tempore sacrae Visitationis de gesta administratione, iuxta votum Emi Relatoris. Ad secundum, Negative ad primam partem, salvis iuribus Ordinario per sacros Canones competentibus, Affirmative ad secundam quoad approbationem Camerarii, iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium provisum in praecedentibus. Ad quartum, in decisis iuxta modum; nimirum circa ea, quae rectam choralis servitii disciplinam respiciunt. Ad quintum, in decisis; et amplius. Ad sextum, in decisis; et amplius. Ad septimum, in decisis iuxta modum, nimirum quoad Archiepiscopum extra Metropolitanam functiones pontificales exercentem. Ad octavum, in decisis; et amplius. Ad nonum, in decisis; et quoad actualem Capellanum facto verbo cum Sanctissimo, et amplius. Ad decimum, in decisis; et amplius. Ad undecimum, in decisis; et amplius – *in Pisana Iurisdictionis et Iurium die 22 Iunii 1844* (1).

114. Cum itaque Canonici dignitate Capellanos antecellant, aequum videtur, ut hi Canonici obsequantur, et in chorali servitio subditi sint, ne secus perturbatio et confusio oriatur. Proposito hinc dubio: – V. An Capellani obsequi et in chorali servitio subditi Canonicis esse teneantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Affirmative in omnibus – *in Lucana Capellaniarum die 3 Septembris 1825.*

115. Hinc non potest Capellanus patrocinare pro extero in Causis contra proprium Capitulum *in Dubio die 24 Maii 1640 ad Cap. 1 sess. 22 de reformatione Posit. 42 pag. 16.*

116. Capellanus autem, qui ratione Capellaniae de iurepatronatus tenetur assistere servitio chori, non tenetur contribuere pro supellectilibus sacris pro Missa celebranda quotidie in eadem Ecclesia, ratione Capellaniae *in Caietana Capellaniae die 7 Iulii 1696 lib. 46 Decretorum.*

117. At si ex consuetudine centenaria ultimus provisus ex Capellanis sarcinam Sacrarii perferre debeat, nequit Sacerdos postremo receptus huiusmodi onus reiicere, ex eo quod adsit Clericus, qui licet antiquior ultimum tamen locum in choro et capitularibus sessionibus occupat, quin relevet praetensa res iudicata et subsequens contraria consuetudo *in Ferentina die 24 Ianuarii 1829.*

118. Siquidem in Oppido S. Stephani Ferentinae Diaecesis extabat Archipresbiteralis Ecclesia sub auspiciis Beatae Mariae Virginis in Caelum assumptae, eique inserviebant plures Beneficiati, qui statis diebus choro interesse ac rem divinam facere obstringebantur. Illud autem apud illam erat iamdudum in more positum, quod ultimus Beneficiatus si esset Sacerdos onus haberet Sacrarii nec non implendi onera Missarum tam hebdomadae, quam aliorum onerum cum integra redituum parte, quae ad ipsum spectabat; si vero esset Clericus haberet quidem onus Sacrarii, non autem Missarum cum media tamen parte redituum, dum alia pars dimidia inter Archipresbiterum et Beneficiatos, qui per turnum Missas hebdomadae et aliorum onerum celebrabant, divideretur. Novissimo tempore inter eiusdem Ecclesiae Beneficiatos cooptati fuerunt Clericus Philippus Bonomo et Sacerdos Ioseph

(1) Reliqua habes in Verb. *Beneficiati* §. I, n. 95 ad 110, Tom. III.

Maria Milizia, ille tamen prius, hic posterius nactus est Beneficii possessionem. Factum hinc est, ut Capitulum partem fructuum ad Sacerdotem Milizia spectantium retinendam censuerit, qua Sacrarii curam gerenti faceret satis. Id aegre tulit Sacerdos Militia, ac reputans Sacrarii onus ad tramites inductae consuetudinis imminere Clerico Bonomo, qui licet possessione antiquior Sacerdote Milizia, nihilominus tamquam in minoribus Ordinibus adhuc constitutus, ultimum inter Beneficiatos tenebat locum, petiit ab Sacra Congregatione, ut exhortam definiret controversiam. Militia enim contendit, postremum Beneficiatum illum esse censendum ad formam Cap. 15 de maior. et obed., qui ultimum in choro et Capitularibus sessionibus occupat locum. Et hanc esse consuetudinem praefatae Ecclesiae ostendit ex re iudicata Tribunalis A. C. praesenti controversiae simillima anno 1697; ac praedictae consonam fuisse posteram consuetudinem ex duobus Testibus in medium prolatis demonstravit. At Clericus Bonomo seu Capitulum defendit, eam centum et ultra ab illinc annis inolevisse et servatam eo usque fuisse consuetudinem, ut ultimus ex Beneficiatis sarcinam Sacrarii suis sumptibus perferre teneretur. Unde anno 1698 orta controversia, Episcopus mandavit, ut consuetudo iam inducta servaretur. Nam consuetudo, ex qua novi electi certis subiacent oneribus, haud sacris Canonibus adversatur, in casu praesertim, ubi Clericus immunis erat ab oneribus Missarum et hebdomadae, eisque satisfacere ceteri Beneficiati compellebantur. Quin obstet distinctio inter Presbiterum et Clericum, cum documenta, quae in Capitulari grammatophylacio asservabantur, ac Seniorum traditio iuberent ac docerent, ut, qui receptione posterior erat, sive Presbiter sive Clericus sarcinam Sacrarii perferret.

119. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et ad quem spectet onus Sacrarii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad Sacerdotem Milizia ultimum provisum – *in Ferentina die 24 Ianuarii 1829.*

120. Servanda hinc etiam est consuetudo praecedendi iuxta antianitatem possessionis inter Capellanos residentes in Ecclesia Cathedrali, licet Fundator exoptaverit, ut novo Capellano ab eodem instituto locus assignaretur immediate post Capellanos perpetuos ibidem iam praeexistentes *in Perusina Praecedentiae die 14 Ianuarii et die 1 Septembris 1736.*

121. Siquidem post erectas in Cathedrali Ecclesia Perusina iuxta mentem Iulii Oradini olim S. Rotae Decani quatuor Capellanias Oradinas nuncupatas, Polidorus dicti Iulii germanus frater aliam sub invocatione Spiritus Sancti anno 1577 ibidem fundavit Capellaniam, cuius Rectorem ultra onus ei impositum celebrandi Missas et alia necessaria faciendi - hortatur, ut incumbat in audiendis confessionibus fidelium ac in ministrando SSmo Eucharistiae Sacramento –; adiiciens deinde: – possit tamen si velit, intervenire ad ecclesiasticam sepulturam mortuorum cadavera associando, quando ei libuerit, nec non etiam teneatur intervenire in choro diebus festivis Missae cantatae et vesperis ac processionibus solemnibus, quando circa rem divinam in praedicta Capella vel circa confessiones excipiendas aut sacram Eucharistiam ministrandam occupatus non fuerit, dummodo per Capitulum et Capitulares dominos ei assignetur locus immediate post Capellanos perpetuos Oradinos, deferendo cappam et cottam respectivam et non alias nec alio modo –. Sacerdos Paschalis Lazzarini iamdudum Capellaniam assequutus dein contendit praecedere in choro et processionibus Carolo Pilorci, altera ex dictis Capellaniis Oradinis novissime proviso. Vicarius Generalis Decretum protulit, quo commisit Canonico Priori – quatenus, facto verbo cum Capitulo, assignet Paschali Lazzarini stallum in choro immediate post ultimum ex Capellanis Massae adiunctis et quandocumque adscitis, seu ad instar Massae creatis et eidem adscriptis una cum aliis Capellanis Oradinis, eodemque loco, ut praefertur, assignato dicto Lazzarini iniungat interesse in festis diebus Missae cantatae vesperis et processionibus iuxta praescriptum Fundatoris, ipsumque dictis functionibus non interessentem consuetis punctaturis et mulctis urgeat et compellat –. Reclamante ab hoc Decreto praefato Lazzarini, propositis dubiis: – I. An servanda sit consuetudo praecedendi iuxta antianitatem possessionis inter Capellanos residentes in Ecclesia Cathedrali Perusina, ita ut Paschalis Lazzarinus praece-

dere debeat Carolo Pilorci? *Et quatenus negative.* II. An ordo praecedendi cum ceteris Capellanis residentibus statui debeat iuxta antianitatem fundationum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Perusina Praecedentiae die 14 Ianuarii 1736.*

122. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Perusina Praecedentiae die 1 Septembris 1736.*

123. Qua de re proposito dubio: – An Capellanus Maior et Minores Capellani Ecclesiae S. Salvatoris Civitatis de Ubeda in generalibus et quibusvis particularibus processionibus habeant locum inter Canonicos et Beneficiatos Collegiatae Ecclesiae dictae Civitatis, videlicet Capellanus Maior immediate post ultimam Dignitatem, caeteri vero Capellani minores immediate post Beneficiatos? –, Sacra Congregatio respondit: – Servetur solitum, et amplius – *in Giennen. die 24 Augusti 1754.*

124. Quod si Fundator Capellanias instituerit cum onere interessendi horis canonicis, et voluerit eos puniri eodem modo et forma, quibus puniuntur alii Capellani Ecclesiae Cathedralis, nec non poenas applicari Sacristiae dumtaxat, licet huiusmodi Capellaniae non sint praecise residentiales, adeoque compatibiles cum alio Beneficio residentiali seu Parochia, Capellanus tamen Paraeciam obtinens ac non residens privandus est distributionibus applicandis Sacristiae; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et quibus emolumentis Capellanus non residens privandus sit in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, privandum esse distributionibus applicandis Sacristiae – *in Ferrarien. Capellaniae die 3 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

125. Unde quum Priores et Confratres Ecclesiae S. Mariae de Vineis planis Oppidi Arpini commiserint Episcopo, ut pro suo arbitrio et conscientia duas Capellanias erigeret cum onere interessendi choro in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli, et Episcopus imposuerit huiusmodi onus sub poena punctaturae Sacristiae Ecclesiae praedictae S. Mariae applicandae, proposito dubio: – IV. An onus punctaturarum dictis Capellanis in casu deficientiae a servitio chori et applicatio punctaturarum ad favorem Sacristiae S. Mariae de Vineis planis vel Beneficiatorum S. Michaelis Archangeli substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative favore Sacristiae – *in Sorana Capellaniarum die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

126. Idcirco cum in Ecclesia Cathedrali adsint Capellani cum onere residentiae, quia tamen de distributionibus quotidianis participent, si ob id servitium negligant, mulctari possunt per subtractionem partis fructuum applicandae Fabricae Ecclesiae vel alteri loco pio arbitrio Episcopi; his enim in terminis proposito dubio: – An Capellani, qui servitium omittunt, dum Episcopus pontificaliter celebrat, aut quoties divinis Officiis praesto est, possint mulctari per subtractionem tertiae partis reddituum suarum Capellaniarum, applicandae et distribuendae intervenientibus? –, S. Congregatio respondit: – Posse mulctari, arbitrio Episcopi quoad quantitatem mulctae applicandae Fabricae Ecclesiae, si indigeat, vel alteri pio loco, itidem pro eiusdem Ordinarii arbitrio – *in Aquilana Servitii die 27 Septembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 772.*

127. Hinc residentia praecisa obligat sub poena amissionis Beneficii, et per alium adimpleri nequit; residentia autem causativa obligat solum sub poena amissionis fructuum, et potest per alium adimpleri *in Alexandrina Servitii Chori die 9 Iulii 1768 §. Vulgatissima.*

128. Ex quibus autem dignosci possit, utrum Beneficio adiecta sit residentia praecisa aut causativa, tradit Rigantius ad Regul. I Cancellariae §. 8 n. 16, ubi inter cetera animadvertit, poenam amissionis fructuum a Fundatore expressam in dubio residentiam tantum causativam inducere, secus vero si aliunde constet, ipsum praecise residentiam voluisse *in Alexandrina Servitii Chori die 9 Iulii 1768 §. Vulgatissima* (1).

129. Alias residentia iuxta communem

(1) Idipsum docet etiam Butr. in cap. fin. n. 7 de Cler. non residen.; Rot. coram Molin. decis. 516, n. 16, tom. 2.

Doctorum sententiam intelligenda est causativa et correspondens fructuum assignationi *in Alexandrina die 19 Septembris 1767* §. *Longe* (1).

130. At residentiae causativae correspectiva debet esse redituum quantitas *in Alexandrina Servitii Chori die 9 Iulii 1768* §. *Residentiae*.

131. Unde cum Fundator onus residentiae huiusmodi demandaverit et respectivam congruam seu stipendium assignaverit, locus esse debet reductioni, quoties de stipendii diminutione constiterit *in Alexandrina die 19 Septembris 1767* §. *Longe*.

132. Cum autem Ludovica Graziani postremis tabulis anni 1639 geminam instituerit Capellaniam ad Altare Nativitatis Ecclesiae Parochialis inde Collegiatae Montis Carotti, imposito singulis Capellanis onere celebrandi binas Missas in praefato Altari ad libitum nec non alternatim per hebdomadam recitandi divinum officium in choro cum aliis Sacerdotibus, proposito dubio: - II. An Capellaniis fundatis a Ludovica Graziani sit adnexum onus residentiae et servitii chori personaliter praestandi, et quomodo Capellanus Francucci sit in id cogendus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, dilata; et coadiuventur probationes - *in Aesina Suspensionis Onerum et Residentiae die 15 Iunii 1816*.

133. Siquidem quoad Clericum, qui lege residentiae obstringitur et abest, non eadem semper in Ecclesia praxis obtinuit: nam Alexander III in cap. 3 et 6 de clericis non residentibus recta via privandos Beneficio Clericos non residentes sanciverat; sed Caelestinus III in Cap. *Ex parte* eod. tit decreverat, Clericum etiam per decennium et ultra absentem non esse Beneficio privandum, nisi prius ad residendum citatus et admonitus fuisset; statuerat autem Innocentius III in Cap. *Inter quatuor* eod. tit. privandos esse Beneficiatos, si post tempus ab Episcopo praefinitum adhuc residere neglexissent, et deinde in Cap. *Ex tuae* eod. tit. iusserat, expectandos esse saltem sex menses a die citationis, si ignoraretur, ubi absens moram duceret *in Ferentina Residentiae die 22 Novembris 1823* §. *Quatenus*.

134. Verum hic privationis ordo plurimum immutatus fuit a Tridentina Synodo in sess. 24 cap. 12 de reformatione, cum praescripserit, eos, qui residentiali Beneficio potiuntur ac residentiae oneri non satisfaciunt, ita esse puniendos, - ut anno primo privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione Praebendae ac residentiae facit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia, contra eos iuxta sacrorum Canonum Constitutiones procedatur - *in Ferentina Residentiae die 22 Novembris 1823* §. *Verum*.

135. Cum itaque per annum et ultra Beneficiatus abfuisset, quando Beneficii fructus ei fuere denegati, videri poterit, Capitulares iuxta Tridentinam sanctionem eosdem fructus denegare: verum indicata Tridentina sanctio in cap. 12 sess. 24 de reformatione tunc solummodo sibi locum vindicat, cum Beneficiatus fuerit legitime citatus et nihilominus residere neglexit *in Ferentina Residentiae die 22 Novembris 1823* §. *Verum* (2).

136. Quapropter id eo vel magis vim obtinet cum Beneficiatus ad personalem residentiam non teneatur, et per alium choro et Ecclesiae inservire valeat, nulla enim hoc in casu declaratur privatio fructuum per Capitulares in eum absentem ultra annum facta absque praevia citatione ad residendum, si praesertim se bona fide abfuisse asserat, ex eo quod nullum residentiae onus suo Beneficio inhaerere censuerit; his quippe in terminis proposito dubio: - II. An et quos fructus percipere debeat quoad praeteritum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative in omnibus, solutis fallentiis - *in Ferentina Residentiae die 20 Decembris 1823*.

137. Reproposito dein dubio sub formula: - II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, in decisis -

(1) Butrius in Cap. fin. de cleric. non residen. n. 7; Rot. coram Bichio decis. 13, n. 8; coram Cavalerio decis. 551, n. 6.

(2) Fagnan. in Cap. *Licet*, n. 25 et 26 de Praebendis; et in Cap. *Ex tunc* de Cleric. non residen.; Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 4, n. 130.

in Ferentina Residentiae di 6 Augusti 1825 (1).

138. Hinc antequam Sacra Congregatio resolvat, an Capellano debeantur et sint respective restituenda emolumenta et fructus ab Curia Episcopali sequestrata ratione debitae residentiae non praestitae ad formam Statutorum, merito mandat, ut scribatur Episcopo pro informatione iuxta instructionem *in Terracinen. Residentiae die 24 Maii 1710 lib. 60 Decretorum.*

139. Enimvero – inter cetera Statuta, quae vigent inter Capellanos seu Beneficiatos Ecclesiae Collegiatae S. Ioannis huius Civitatis, approbata uti fertur ab hac Sacra Congregatione usque de anno 1698 adsunt infrascripta: « Terzo che mancando ciascheduno delli suddetti Beneficiati in officiare la loro chiesa per due mesi continui, come anche tutta la quaresima senza legittimo impedimento, perdi la parte di tutto l'anno. Quarto che chi mancherà a tutto l'offizio nel coro della detta chiesa sia tenuto alla puntatura di quattordici quadrini, cioè due quadrini per ciaschedun'ora ed un baiocco a chi manca alla Messa cantata ». Praefati tertii Statuti commissam contraventionem praetendentibus Beneficiatis eiusdem Ecclesiae adversus Rochum Massicencium eorum conbeneficiatum de anno prope defluxo 1709, Causa introducta fuit in ea Curia Episcopali, a qua prodiit Decretum sequestrationis portionis fructuum spectantium ad dictum Massicencium, subindeque eorumdem fructuum aequalis divisionis inter alios Beneficiatos ratione debitae residentiae non praestitae ab eodem Massicencio, qui proinde gravatus recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua exhibito Statutorum tenore aliisque actis desuper confectis citatus fuit in partibus Procurator Capituli dictae Ecclesiae usque sub die 10 martii proxime praeteriti ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione, eoque non comparente, subscriptum fuit infrascriptum dubium ab EE. VV. sapienter resolvendum: – An fructus et emolumenta anni 1709 debeantur et sint respective restituenda Rocho Massicencio Beneficiato Ecclesiae S. Ioannis Terracinensis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro informatione Episcopo, iuxta instructionem – *in Terracinen. Residentiae die 24 Maii 1710 lib. 60 Decretorum.*

140. Qua de re cum quaestio ageretur, an Capellania S. Mariae Magdalenae dein Sanctissimae Annunciatae nec non aliae in Collegiata Ecclesia S. Angeli in Foro Piscium erectae ex lege fundationum, quin obstaret contraria observantia, haberent onus residentiae et inserviendi choro, proposito dubio: – An Capellania sub titulo S. Mariae Magdalenae nunc Sanctissimae Annunciatae ceteraeque in Collegiata Ecclesia S. Angeli in Foro Piscium erectae habeant onus residentiae serviendique choro in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad D. Secretarium ad mentem – *in Romana Capellaniarum die 20 Augusti 1768.*

141. Nullum vero dubium, quod Capellanus causa infirmitatis a chori servitio absens distributiones quotidianas percipit ad formam consuetudinis, eas tamen lucrari nequit, quae inter extraordinarias recensentur *in Pisana Indulti die 8 Iulii 1843.*

142. Enimvero Rescripto diei 23 septembris 1839 infirmitatis gratia Indultum obtinuerat abessendi a choro ad biennium, si tamdiu infirmitas perduraverit, Ioseph Morosius alter ex universitate Capellanorum Cathedralis Pisanae ita scilicet, ut fructus ac distributiones suas facere interim posset, velut si choro praesens interesset. Expirato Indulto, prorogationem petiit, cum adhuc infirmitas perduraret. At obstitit Universitas Capellanorum exponens, cum sana valetudine uteretur, haud sedulam fuisse in explendo chori servitio; idcirco petiit declarari, Morosium lucrari non posse, ubi Indulto donaretur, nisi quod lucrari solebat, quando choro intererat, hanc esse consuetudinem allegans, quae penes Capitulum et Universitatem Capellanorum iamdiu vigebat. Constabat, Capellanos Beneficiatos nulla obligatione teneri choro interesse; sed quoties intererant, toties lucrari distributiones; atque a negligentibus amissas nec ceteris diligentibus accrescere, sed pro lubitu Archiepiscopi in pios usus erogari. Modus autem, quo fructuum et distributionum perceptio regebatur, sequens erat: – Fructus,

(1) Species Causae huius prostat in verb. *Beneficiati*, §. III, n. 57 ad 63, Tom. III.

quos lucrari capaces sunt Capellani Beneficiati, ex triplici fonte derivant; 1. ex Praebenda valde exigua unicuique Beneficio annexa; 2°. ex quotidianis distributionibus iam supra enunciatis, quas lucrantur Beneficiati, quoties chori servitium praestant. Unde distributiones pro diligentissimo assurgere possunt ad duo supra viginti mensuras (sacca) frumenti; 3°. Ex distributionibus inter praesentes (vulgo inibi *sedute o mancie* appellantur), quae ideo fuerunt statutae, ut certis quibusdam anni diebus, nocte Nativitatis Domini, vesperis Quadragesimae, processionibus Rogationum et Corporis Christi, maior numerus Beneficiatorum haberetur. Morosius oppositas fallentias non diffitebatur: at reponebat, abfuisse se in Ecclesiae seu Diaecesis Pisanae utilitatem, sive qua Parochus, sive qua ludi Magister, sive aliquando pro causis nonnullis contra ipsum per Universitatem motis peragendis; ista autem servitia, etsi extra Cathedralem Ecclesiam praestita, satis compensare tenebat absentiam a choro, exemplo ducto a primaevis Ecclesiae Presbiteris, qui nulli peculiari Ecclesiae adstricti, hac illac ab Episcopis mittebantur, prout fidelium necessitas exigeret.

143. His itaque in facto positis, propositis dubiis: – I. An et ad quod tempus concedenda sit prorogatio Indulti Capellano Iosepho Morosi in casu? *Et quatenus affirmative*. II. An et quomodo sint eidem concedendae distributiones quotidianae in casu? III. An et quomodo sint eidem concedendae distributiones, quae dicuntur *sedute* et *mancie* in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad aliud triennium. Ad secundum, Affirmative ad formam consuetudinis. Ad tertium, Negative in omnibus – *in Pisana Indulti die 8 Iulii 1843*.

144. Unde cum reditus Capellanorum in distributionibus potissimum consistant, ac vix exaequent sustentationem, et diuturnum sit chori servitium, Sacra Congregatio nedum eis concedit Indultum absentiae recreationis causa per duos anni menses a choro et Civitate amissis tamen distributionibus, sed et indultum percipiendi distributiones tempore infirmitatis vel confirmandae valetudinis, licet obstet antiquissimum statutum per sex centenariam consuetudinem confirmatum *in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792*.

145. Siquidem Capellani Portionarii et Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Illerdensis ex antiquissimo statuto anni 1237, usu etiam recepto, omnibus absentes privabantur distributionibus, in quibus potissimum, exceptis Canonicis, eorum reditus consistebant; infirmi etiam, dummodo non essent in Civitate, et quotidie choro interesse non consueverint, priusquam aegrotarent. Post sexcentenariam fere observantiam Capellani Portionarii et Beneficiati supplicarunt pro indulto absentiae recreationis causa per duos anni menses a choro et Civitate ac tempore etiam infirmitatis vel confirmandae valetudinis cum perceptione distributionum. Eis annuendum non censuit Illerdensis Episcopus quoad bimestrem absentiam, concedendas vero distributiones autumavit, – quando male valent in Civitate aut balneis egent ad salutem firmandam et reparandam; aegrotantes enim favore digni sunt et Beneficiati et Clerici choro inservientes multo maiori et ampliori, quam Canonici, tam propter diuturnam assistentiam, quam praestant, quam propter tenuitatem redituum. Ideoque non erit abs re indulgere distributiones quotidianas omnibus infirmis et omnibus, qui abfuerint valetudinis tuendae causa, modo infirmitatis vera sit et realis, et dum sani soliti sint residere, hac praecisa lege adiecta, ut coram Ordinario comprobent salutis languorem, praevio iudicio Medicorum, eorum iuramento firmato, et obtineant licentiam in scriptis, ut discedant a Civitate. Ita fit obvium fraudibus, et auxilium reportat imbecillitas, supplentibus distributionibus tenuitatem redituum Beneficiorum et Capellaniarum, qui vix exaequant sustentationem, maxime quando ob infirmitatem Sacrificium celebrare non valent –.

146. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et pro quo tempore Beneficiatis Capellanis et Portionariis sit concedendum Indultum abessendi a choro et residentia cum perceptione distributionum in casu etc. II. An et quomodo absentes etiam a residentia causa infirmitatis percipere valeant distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pro duobus mensibus, amissa tertia parte distributionum; et

ad D. Secretarium cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi, comprehensis Canonicis – *in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792.*

147. Qua de re cum Beneficiati ad quotidianum chori servitium teneantur, nedum indulgetur vacatio duorum mensium, pluribus tamen exceptis diebus, et dummodo duae ex tribus partibus semper choro intersint, sed et ampliatio, si ex testimonio Capituli et Episcopi neque Populi commodo neque cultui Ecclesiae praeiudicium inferatur *in Valentina Servitii Chori die 31 Iulii 1819.*

148. Siquidem Beneficiati Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Valentiae die 7 septembris 1772 obtinuerunt a Clemente XIV, ut unusquisque per duorum mensium spatium in unoquoque anno a choro abesse posset, exceptis diebus Dominicis aliisque festis de praecepto nec non Adventu, Quadragesima et Octava tum Nativitatis, tum festi Corporis D. N. I. C., et interim omnes fructus quotidianasque distributiones perciperet ita tamen, ut duae ex tribus partibus Beneficiatorum semper pro chori servitio remanerent. Hoc autem Indulto haud satis contenti, praedicti Beneficiati exin postularunt, ut illud ampliaretur ad Dominicos ceterosque dies festos spatio duorum mensium vacationum incidentes, exceptis tamen Adventu, Quadragesima, Nativitate et festo Corporis D. N. I. C. cum eorum octava festo Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Assumptionis Beatae Mariae Virginis Metropolitanae Valentinae Ecclesiae Titularis nec non officiis matutinis, quae de media nocte recitari consuescebant. Postularunt insuper, ut tempore concessae vacationis eamdem haberent Missarum eleemosynam, qua tempore residentiae gaudebant, cum huiusmodi subsidium sibi necessarium censerent. Episcopus retulit: – Capitulum, cuius sententiam, ut mihi iniungitur, exquisivi, neque Populi commodo, neque cultui Ecclesiae praeiudicium inferri iudicat ob ampliationem talis gratiae cum dictis exceptionibus, dummodo non omnes simul ac semel eadem fruantur, sed tantum tertia eorum pars, qui choro habitualiter assistant secundum laudabilem praxim huius Metropolitanae Ecclesiae, et insuper a dicta ampliatione vacandi a choro in diebus festis excludantur, qui in Civitate commorantur, eo quia cum ad festorum sanctificationem teneantur, videtur, non aliter melius huic obligationi satisfacere posse, quam divinis Officiis assistendo, cui Capituli sententiae libenter subscribo –. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit ampliatio Indulti s. m. Clementis XIV in casu? II. An et in quo numero concedenda sit tempore vacationum Beneficiatis celebratio Missarum extra Metropolitanam in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi. Ad secundum, dilata; et scribatur Archiepiscopo ad mentem – *in Valentina Servitii Chori die 31 Iulii 1819.*

149. Si vero Beneficiatus pares sustinendo choralis officii oneri reditus habeat, non indulgetur dispensatio a residentia chorali, licet balbutiens et surdaster cunctis functionibus satisfacere nequeat *in Mutinen. Residentiae die 14 Decembris 1833.*

150. Siquidem Aloisius Palmerius Beneficium cum onere inserviendi choro in Ecclesia Cathedrali erectum obtinuit et in casu, quo residentiae lege obstrictus esset, dispensationem ab Sacra Congregatione petiit, ex eo quod balbutiens et surdaster esset, minusque proinde idoneus ad psallendum atque ad sacrorum procurationem, assiduoque studio ad mutinenses ephemerides aliasque commendationes edendas incumberet. Episcopus testatus est, – ipsum parum auribus audire ac linguae haesitantia laborare –. At licet haec vitia eum impedirent, quominus alterna modulatione psalmos aliasque sacrorum precationes concineret recitaretve voce elata, eum tamen scripsit posse rite choro interesse, – ac variis multisque functionibus, quae in Cathedrali celebrantur, inservire sine praeiudicio aliarum eiusdem exercitationum –, quae modicum tempus tantum requirebant, quod et ceteri, quos pro ipsorum de ea re iure audiendos censuit, speciatim declararunt. – Frustra vero ipsum pluries excitavit, ut iuratam Medici fidem exhiberet circa eius infirmitates atque impotentiam. Advertebatur insuper, Fundatorem oneri choralis officii sustinendo reditus pares constituisse, cum scutata septuaginta octo perciperet ac triginta sex tantum Sacra peragere adigeretur. Palmerius tamen ostendere studuit, ex Apostolicae Sedis benignitate im-

pertiri aliquando dispensationes huiusmodi, praecipue cum tot annorum experientia constiterit, eam non esse Mutinensis Cathedralis conditionem, ut absque ipsius interessentia divinarum rerum procurationi debitus cultus ac necessarius splendor deesse censendus esset. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo sit annuendum petitae dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio cum declaraverit, Palmerium teneri ad residentiam, responsum dedit: – Ad secundum, Negative in omnibus – *in Mutinen. Residentiae die 14 Decembris 1833* (1).

151. Nec itaque conceditur indultum abessendi a choro et residentia studiorum causa in Seminario degenti, si Capitulum rationabiliter dissentiat *in Mutinen. Dispensationis et Reductionis Missarum die 23 Novembris 1844.*

152. Siquidem Caesaria de Buschettis postremis tabulis anni 1421 erigendum mandavit Beneficium in Ecclesia Cathedrali Mutinensi, adiecto onere Beneficiato pro tempore ter in qualibet hebdomada Missas celebrandi, nec non Anniversarium in die suae mortis peragendi, ac insuper in divinis Officiis memoratae Ecclesiae singulis diebus interveniendi. Statuit autem, – quod Beneficium semper detur uno Sacerdoti idoneo in sacris constituto, Missam celebranti, qui interesse debeat in dicta Ecclesia divinis officiis horis debitis, ter qualibet hebdomada Missas celebrare et Anniversarium –. Cum vacaverit Beneficium huiusmodi, Comes Aloisius de Buschettis patronus rite nominavit Iosephum Guidelli suum nepotem adolescentem in aetate decem annorum constitutum. Qui cum studiorum causa in Abbatiali Seminario Civitatis Nonantulae versaretur, ubi eius Pater ratione concrediti sibi muneris domicilium posuit, ideo indultum absentiae a residentia usque dum expleto studiorum curriculo ad sacros Ordines promotus fuisset. Nam licet de iuris rigore hoc indulto donetur nonnisi, qui studiis operam navet in Universitate vel saltem in publico et celebri Gymnasio et sacrae Theologiae et sacris Canonibus studuerit, ex aequitate tamen concessum quandoque est, ut in Seminario etiam degentibus et grammaticae studentibus concessum fuerit eo sub obtutu, quod et ista veluti semita sit maioribus et ecclesiasticis scientiis addiscentibus. At obstitit Ecclesiae Cathedralis Capitulum, cum imminutus existeret inservientium numerus: et rationabilis Capituli dissensus in casu praesertim attendendus videbatur. Nam Testatrix ipsa super hoc Beneficio speciale quoddam ius Capitulo concesserat per haec verba: – Et quoties Beneficium vacare contigerit Rectore, intra mensem (Patroni) post vacationem eligere debent Rectorem ipsius Sacerdotem in sacris constitutum et Missam celebrantem et illum praesentare Capitulo maioris Ecclesiae Mutinae, qui illum sic electum et praesentatum, si et in quantum idoneum cognoverint et idoneum confirment, et non aliter qui celebret et intersit divinis officiis, ut supra –.

153. His itaque perpensis, denegata dispensatione aetatis et ordinis, proposito dubio: – II. An et quomodo sit annuendum eius precibus pro indulto abessendi in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, non expedire – *in Mutinen. Dispensationis et Reductionis Missarum die 23 Novembris 1844.*

154. Quod si reditus non sint pares praescriptis oneribus et graves urgeant expensae, nedum onera moderantur, sed et suspensio geminae Capellaniae indulgetur *in Camerinen Suspensionis die 20 Novembris 1802.*

155. Enimvero templum in Civitate Camerini S. Mariae in via dicatum anno 1634 extruxit cl. me. Cardinalis Georio, illudque heredem scripsit ac praecepit, ut duodecim Capellani nominarentur, qui quotidie horas canonicas ad instar Cathedralis persolverent et singuli Sacra ter centum quotannis perficerent, ut pro stipendio assignarentur scuta quadraginta Priori Parocho, scuta octoginta et unum Capellano decano et scuta septuaginta quinque reliquis undecim Capellanis, ut tandem hereditas teneretur ad expensas manutentionis fabricae eiusdem Ecclesiae et sacrarum supellectilium nec non Sacelli divi Ansovini Episcopi, quod in Metropolitana Ecclesia extabat. Cum autem hereditatis reditus innotuissent impares scriptis oneribus, auctorante Sacra Congregatione, singula onera moderata fuerunt. Anno 1799 Capellani in aliam

(1) Species et resolutio primi dubii prostant in Verb. *Beneficiati*, §. III, n. 76 ad 79, Tom. III.

inciderunt calamitatem, cum praefata Ecclesia partim terraemotu ruisset. Hinc aes alienum scutorum 1890 impositis censibus super fundis hereditatis Georiae Capellani contraxerunt, ut fatiscentem Ecclesiam restituerent. Et quamquam restaurata esset Ecclesia, ut in ea parochiales et chorales functiones iam peragerentur, attamen adhuc necessaria erat ex iudicio Periti impensa scutorum 382. 90, ut opus rite perficeretur. Hanc ob causam Capellani petierunt suspensionem geminae Capellaniae, quae iam vacabant. Archiepiscopus haec retulit: – Instantiam ergo Capellanorum pro suspensione duarum Capellaniarum non solum iustam, sed etiam necessariam omnino iudico pro subeundis expensis necessariis, pro perficienda et firmanda Ecclesia S. Mariae in via et reaedificanda Capella S. Ansovini, et pro extinguendis censibus, quibus gravatur hereditas Georia, ad quod explendum nulla alia suppetunt media. Capitulum huius Metropolitanae pro petita suspensione electionis novi Capellani in locum dicti Vannucci suum praestat consensum. Ego pariter meum praesto pro suspensione Capellaniae vacantis per liberam dimissionem Sacerdotis Olivieri. Addendum arbitror, Priorem et decem Capellanos pro chori et Ecclesiae servitio esse sufficientes, et Populi devotionem ex hac suspensione non imminui. Quoad tempus necessarium refero intervallum requiri saltem viginti annorum, dummodo eximatur pia hereditas ab onere celebrationis et applicationis Missarum eisdem duabus Capellaniis proportionabiliter iniuncto –.

156. His itaque perpensis, proposito dubio: – An ad quod tempus et quomodo concedenda sit suspensio Capellaniarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Camerinen. Suspensionis die 20 Novembris 1802.*

157. Qua de re cum Fundator Capellaniam instituerit cum onere quotidiani Sacri et interessendi horis canonicis diurnis et nocturnis in Ecclesia Cathedrali, Sacra Congregatio, attenta redituum tenuitate, permisit, ut Capellanus tres tantum Missas hebdomadales iuxta observantiam celebraret ac diebus festis divinis officiis interesset *in Aquen. Reductionis Onerum die 19 Februarii 1791.*

158. Enimvero in erectionem Capellaniae ad Altare Beatae Virginis Gratiarum Aquensis Cathedralis inter vivos donavit anno 1504 Sacerdos Dominicus de Ochis inaestimata quaedam praedia ac debitorum nomina, deindeque mortis causa reliqua bona. Onera Capellano imposuit quotidiani Sacri, interessendi divinis officiis et horis canonicis diurnis et nocturnis in dicta Ecclesia Cathedrali. Num haec confirmata fuerint in erectione Capellaniae, ob illius defectum ignorabatur. Nam ex visitatione pastoralis anni 1589 reditus Capellaniae erat ducatorum viginti quatuor cum onere trium Missarum hebdomadalium, feria scilicet secunda quarta et sabbato. Qua de re in visitatione anni 1633 decrevit Episcopus Crova, quod Capellanus continuare deberet celebrationem trium Missarum hebdomadalium, quin aliquid innovare censuit Episcopus Bicutus in visitatione anni 1647. Quum collata autem quandoque fuisset Capellania sub obligatione adimplendi onera fundationis, mandavit tandem Episcopus Gozani anno 1680, ut de legitima Capellanus doceret Missarum reductione; iterumque ut S. Sedem adiret – pro declaratione, ut tutius esse possit in conscientia –. At his neglectis Decretis, continuarunt Capellani in tribus celebrandis hebdomadalibus Missis, donec in novissima Capellaniae collatione praeceptum renovavit modernus Episcopus adeundi Sacram Congregationem. Hinc Ferdinandus Chiabrera Aquensis Praepositus et Capellanus supplicavit pro approbatione consuetudinis, eidemque idem Episcopus favit. Nam reditus Capellaniae in annuis consistebat scutis 38 monetae Romanae, quem oneribus imparem esse censuit Episcopus, cum eleemosyna pro Missis perpetuis ad quindecim solidos esset taxata; unde pro tribus Missis qualibet hebdomada necessaria erat summa scutorum trium supra viginti, et quindecim dumtaxat supererant. At sacra supellex Altaris ornamenta et Capellae reparationes inter Beneficiarii munia locum sibi vindicabant, cum anno 1783 summam scutorum trium et aliorum quatuordecim anno 1787 Capellanus impendere debuisset ad necessarias Sacelli reparationes.

159. Rebus sic stantibus, Episcopus autumavit, – decernendam observantiam celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada

feria secunda quarta et Sabbato, sicuti ab initio observatum vidimus ex praelaudata Visitatione anni 1589, et iniungendum Capellano interessentiam divinis officiis in Cathedrali celebrandis diebus festis de praecepto (excepto tamen Oratore, qui ratione Canonicatus iam ad interessentiam adstrictus est), ipsumque Capellanum absolvendum tum ab aliis Missis supradictas tres in praeteritum non celebratis, ubi opus, tum ab alio quovis maiori onere in futurum supportando –.

160. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo adimpleri debeant onera Capellaniae de Ochis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia sub eodem tecto favore Oratoris tantum – *in Aquen. Reductionis Onerum die 19 Februarii 1791.*

161. Unde, attenta redituum tenuitate, indulgetur reductio servitii chori ad dies festos ita tamen, ut, si reditus augeri contigerit, Capellani rursus ad quotidianum servitium teneantur *in Alexandrina Servitii Chori die 30 Iulii 1768.*

162. Iamvero Capellani Cathedralis Ecclesiae Alexandrinae grave nimis asserentes ob nimiam redituum tenuitatem onus assidui et quotidiani servitii chori supplicarunt pro eius reductione ad dies tantum festos. Proposito tamen dubio: – An et quomodo reducendum sit servitium chori in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 novembris 1767 respondit: – Dilata, et firmetur status –. Impletum id fuit ab Episcopo, adhibita potissimum opera Advocati Fiscalis suae Curiae. Hinc ex calculo patebat, unicuique Capellano, expensis et oneribus subductis, annua scuta 14. 52 obvenire tum ratione Praebendae, tum quotidianarum distributionum. Episcopus tantum abesse retulit, ut spes aliqua vel minima affulgeret augmenti redituum Capellaniarum, ut probabilius impenderet periculum futuri maioris decrementi. Censuit tamen, quod si ex aliqua piorum fidelium largitione – Capellaniarum reditus augeri contigerit usque ad summam scutorum quadraginta, detractis Missarum oneribus, integrum sit Episcopo Oratores vel eorum Successores quotidianae rursus residentiae adigere –. Namque Fundator pro singulis Capellanis scuta quadraginta annua constituerat. Indulgendum hinc censuit Oratorum precibus ex eo potissimum, – quod tenuitas emolumenti residentiae quotidianae oneri respondere non videatur, et propter hanc tenuitatem residentiam negligi haud raro periculum sit –. Reproposito itaque dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Alexandrina Servitii Chori die 30 Iulii 1768.*

163. Quod si adiunctum sit Missarum celebrationi servitium chori, hoc potius et ante omnia delendum censet Garcias de Benef. part. 7 Cap. 1 n. 126 *in Derthonen. Reductionis Onerum die 21 Aprilis 1787* §. *Potissima.*

Item *in Aquen. Reductionis Onerum die 29 Ianuarii 1791* §. *Quoties.*

164. Unde ex regula generali reducendum est prius servitium chori, quam Missae *in Novarien. Reductionis Onerum die 17 Septembris 1791* §. *Quatenus.*

Item *in Aesina Reductionis Onerum die 15 Ianuarii 1803* §. *Si.*

165. Quae praecipue obtinet regula, ubi Testator dispositionem a Missis incipiens earum celebrationem praedilexisse videatur *in Romana Reductionis Onerum die 19 Iunii 1802* §. *Verum.*

166. Idcirco cum Fundator primo loco de Missis meminit, quam de servitio chori, sic praecipue ad illas, quam ad hoc respexisse videtur, ut alia potius onera, quam Missae reducenda sint iuxta doctrinam Fagnani in Cap. *Ex parte* de constitutionibus n. 34 *in Aesina Reductionis Onerum die 15 Ianuarii 1803.*

167. Quapropter si ea sit praesumpta Testatoris voluntas, ut cetera prius onera, quam Missae reducantur, ob eleemosynae Missarum augmentum, non est locus earumdem Missarum reductioni, sed potius deletur etiam servitium chori cum celebratione Missarum ad rationem manualis *in Derthonen. Reductionis Onerum die 19 Maii 1787.*

168. Siquidem ex annuis Mediolanensibus libris 300 seu scutis quinquaginta monetae Romanae Capellaniam instituit anno 1707 Antonius Robbio in parochiali Ecclesia Oppidi Salarum cum onere quotidiani Sacri et cho-

ralis residentiae in divinis', ad quam tamen teneretur solus Capellanus, – qui non erit de familia –. Passivum patronatum reservavit Sacerdotibus et Clericis de familia, ac in eorum defectum Sacerdoti aut Clerico Salarum magis idoneo et morigerato ad nominationem Haeredum. Aucta in ea regione ad obulos sexdecim cum dimidio manuali eleemosyna, Sacram Congregationem exorarunt Patroni pro diminutione onerum, eorumque precibus ita annuendum censuit Derthonensis Episcopus, ut libellae duodecim pedemontanae seu scuta fere duo Romana pro chorali assignarentur residentia, ac tot ex reliqua summa celebrarentur Sacra ad manualem. Ex eo autem quod ordo testamentariae scripturae incipiebat a celebratione Missarum ac lex choralis residentiae in eo tantum casu vim haberet, quo non adesset Capellanus de familia, praesumpta urgebat Testatoris voluntas, ut cetera prius onera, quam Missae reducerentur. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, deleto servitio chori, et celebratis Missis ad rationem manualis – *in Derthonen. Reductionis Onerum die 19 Maii 1787.*

169. Unde, si iusta adsit causa, Sacra Congregatio permittit quidem, ut Capellanis imponatur onus servitii chori iuxta reductionem, non vero reductionem Missarum indulget *in Senogallien. Commutationis Voluntatis die 18 Februarii 1832.*

170. Enimvero coniuges Marcus Antonius Gianfranchi et Elisabeth Calcagni supremis tabulis anni 1693 sua omnia bona legarunt ea lege, ut in Ecclesia Collegiata S. Mariae a Misericordia Oppidi Belviderii in solo Lateranensi erecta binae Capellaniae constituerentur, quarum Rectores forent amovibiles ad nutum Capituli, cui iuspatronatus attribuerunt. Singulis Capellanis imposuerunt onus celebrandi tres Missas qualibet hebdomada ac diebus festis aliisque statutis alternatim ad auroram ob Populi et Rusticorum commodum eisdemque peritiam Gregorianae musices praescripserunt, ut ecclesiasticis functionibus inservire possent. Quum utraque Capellania vacaret, Canonici petierunt, ut iniungeretur novis Capellanis alternativum chori servitium cum reductione tamen Missarum, et commune fieret omnium Capitularium onus celebrandi et applicandi Missam ad auroram. Eñus Archipresbiter et Capitulum Lateranense non solum consensum praestiterunt, sed et valde commendarunt huiusmodi commutationem voluntatum Testatorum, cum divinus cultus augeretur, ex eo etiam quod Capitulum nedum Capellanos chorales non haberet, sed in praesens sex dumtaxat Canonicis constaret, tribus favore fabricae iam suspensis. Reductio tamen Missarum in Testatorum animas detrimentum cedebat, hinc deneganda videbatur. Proposito hinc dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Capituli Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Misericordia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro impositione tantummodo choralis servitii iuxta reductionem, dummodo Capitulares una cum Capellanis alternatim ferant onus celebrandi et applicandi Missam ad auroram, facto verbo cum Sanctissimo; quoad Missarum vero reductionem, Negative – *in Senogallien. Commutationis Voluntatis die 18 Februarii 1832.*

171. Nam attenta notabili redituum imminutione, respectiva indulgetur Capellanis reductio servitii chori, non vero Missarum *in Romana Reductio Servitii Chori et Missarum die 18 Aprilis 1722.*

172. Siquidem Capellani S. Hilarii, qui iuxta tenorem fundationis tenebantur quotidie per se vel per alios Missam celebrare in Basilica Lateranensi et divinis Officiis in eadem interesse, attenta notabili redituum diminutione, recursum habuerunt ad Sacram Congregationem pro onerum reductione. Archipresbiter Basilicae censuit, indulgendum esse Capellanis, ut Missas celebrarent singulis dumtaxat diebus festivis de praecepto et aliis communibus Lateranensis, et quod iidem tenerentur solis diebus festivis ad chori servitium, cum assistentia tamen singulis horis tam matutinis, quam vespertinis, exceptis vesperis non communibus mensium iulii, augusti et septembris, et cum obligatione interveniendi processionibus et ceteris Basilicae communibus. Actum fuit de reductione per summaria precum, quae expediuntur inter Eñum Praefectum et Secretarium, et die 16 decembris 1719 responsum fuit ab Eño Praefecto modo, qui sequitur: – Firmis remanen-

tibus oneribus Missarum nec non omnibus aliis oneribus a Testatore indictis, pro deletione arbitrio Emi Archipresbiteri oneris assistendi vesperis, quae tamen non sint solemnes, nec non alterius oneris assistendi 115 officiis seu functionibus vulgo dictis *comuni*, praeservatis communibus, in quibus Oratores praestare debeant assistentiam et servitium pro diebus et horis a Capitulo assignandis –. Conquesti sunt Capellani de hoc Decreto, iisdemque instantibus pro suae Causae descriptione in folio, proposito dubio: – An et quomodo sit facienda reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Firmo remanente onere Missarum, pro maiori reductione servitii chori arbitrio Emi Archipresbiteri, audito Capitulo – *in Romana Reductionis Servitii Chori et Missarum die 18 Aprilis 1722.*

173. Imo nec Missarum reductioni cum iam semel reductae fuerint nec servitii chori locus est, si reditus ad utraque onera ferenda satis superque sint *in Novarien. Reductionis Onerum die 17 Septembris 1791.*

174. Enimvero Capellaniam seu ecclesiasticum Beneficium sub titulo S. Christophori per actum inter vivos instituit anno 1366 Anzelinus Tabozzi in Collegiata Ecclesia S. Iuliani Oppidi Gaudiani; eique plurima assignavit praediola urbanasque aedes cum onere chori hebdomadalium Missarum quatuor annuique Capitularium convivii in die festo S. Titularis, quod commutatum deinde fuit in solidos quindecim pro quolibet Canonico. Capellania haec iunita fuit anno 1578 alteri Capellaniae curatae eiusdem Collegiatae; deindeque anno 1661 quoad honores tantum et praerogativas Capitulo, separatis ab annuo eius reditu libellarum tunc 300 circiter (dein libellarum imperialium 442 seu scutorum 66 monetae Romanae) libellis centum pro distributionibus. Praediorum medietas deperdita antiquitus fuit absque culpa Capellanorum, causamque dedit Ordinario, ut Missas anno 1755 ex privilegio Apostolico reduceret ad centum octo. Satis tamen non erat huiusmodi reductio Canonico Curato Ioanni Ambrosio Lazzarini, qui dein Capellaniam possidebat, postulavitque exemptionem a chorali servitio vel Missarum omnium reductionem. Vicarius Capitularis impares esse reditus utrique oneri Missarum et chori censuit. At in facto erat, quod non obstante imminuto praediorum numero maior erat illorum reditus antiquo. Iuxta secundum enim Decretum unionis anni 1661 assignatae fuerunt pro distributionibus libellae centum – ex fructibus dictae Capellaniae, ut supra unitae, annui reditus in totum librarum 300 circiter –. Ex relatione vero Peritorum ascendebat iam reditus ad libellas 442. Semel insuper reductae fuerunt Missae, nec facile ulterior concedi solet reductio: et Capellani eousque adimpleverant onera Capellaniae cum iisdem reditibus, quos iam Orator percipiebat.

175. Proposito hinc dubio: – An et quae onera sint reducenda in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Novarien. Reductionis Onerum die 17 Septembris 1791.*

176. Qua de re cum Capellani Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii Florentinae, qui praeter quotidianum chori servitium Missam quotidie celebrare tenebantur, reductionem ad Missas septuaginta annuas obtinuissent, frustra deinde novam postularunt reductionem, quin novam fructuum diminutionem demonstrarent, licet eamVicarius Capitularis eisdem, pro temporum conditione ad vitam honeste sustentandam, indulgendam esse censeret; his enim in terminis proposito dubio: – An et quae onera sint reducenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Florentina die 9 Septembris 1815.*

177. Si vero prima Fundatoris voluntas pro chorali fuerit servitio, locus est potius reductioni Missarum, quas secundo praescripsit loco *in Novarien. Reductionis Onerum die 17 Septembris 1791* §. *Quatenus.*

178. Amplia, licet res sit de Canonicatu, non vero de Capellania; nam dum Fundator voluit, Canonicum ex suis bonis erigendum teneri choro adesse et alia facere, quae alii Canonici praestant, et deinde onera Missarum imposuit, praetulisse videtur servitium chori, adeoque potius Missae, quam servitium chori, reducendae sunt, iuxta regulam Sacrae Congregationis statutam in Senogallien. die 23 martii 1789 *in Sutrina Reductionis Onerum die 13 Septembris 1806* §. *Sane.*

179. Idcirco hoc in casu si reditus praescriptis oneribus impares evaserint, ante o-

mnia taxatur congruum emolumentum pro chori servitio, et reliqui reditus Canonicales et legatorum erogantur in celebrationem Missarum ad manualem *in Sutrina Reductionis Onerum die 29 Novembris 1806.*

180. Siquidem Felix Boccarini erigi iussit Praebendam Canonicalem in Ecclesia Collegiata Anguillariae adiecta lege, ut Canonicus teneretur – Missas celebrare, in choro canere, et facere omnia, quae ab aliis Canonicis fiunt, et insuper Missas quindecim quolibet mense celebrare, computata tamen in his quindecim Missis hebdomada iuxta consuetum turnum –. Aliam Praebendam Canonicalem in eadem Ecclesia postremis tabulis anni 1649 reliquit Pennola Catani – cum ista conditione, quod praesentatus Canonicus sit Sacerdos et teneatur Anguillariae residere Missas celebrare in choro canere et facere omnia, quae ab aliis Canonicis fiunt, et completa hebdomada obligata in tota alia sequenti hebdomada quotidie Missas celebrare debeat –. Ad huiusmodi Praebendas plura accesserunt Legata Missarum, et unitas auctoritate Apostolica possidebat Canonicus Ioseph Pelioni: sed annua scuta 64. 53 vix percipiebat, ex quibus demptis oneribus omnibus etiam Missarum in scutis 57. 88 supererant annua scuta 11. 67 pro obeundo servitio chori singulis diebus festis etiam reductis tempore Adventus Quadragesimae et Octavis Paschatis Sanctissimi Corporis Christi et Assumptionis Beatae Mariae Virginis.

181. Rebus sic stantibus, proposito dubio: – An et quae onera sint reducenda in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Taxato ab Ordinario congruo emolumento pro servitio chori, reliquos reditus canonicales erogandos esse in celebrationem Missarum ad manualem; fructus vero Legatorum, qui non sufficiunt, erogandos esse in tot Missas, quot reditus ad manualem, et Episcopus incumbat restaurationi domus fatiscentis Legati Cascianelli, vel eiusdem alienationi cum investimento – *in Sutrina Reductionis Onerum die 29 Novembris 1806.*

182. Unde indulgetur Capellanis choralibus, iusta concurrente causa, etiam reductio Missarum nec non absolutio quoad praeteritas omissiones, cum praesertim adsit bona fides *in Florentina Reductionis et Absolutionis die 21 Novembris 1829.*

183. Siquidem Capellani choralis Metropolitanae Ecclesiae Florentinae inter cetera, quibus gravabantur, onera, plures etiam Missas ex antiquis institutionibus per annum celebrare tenebantur. At ob iniquas rerum temporumque vicissitudines quum primaevi reditus aliqua ex parte decreverint, complurium Missarum celebrationem praetermiserunt. Exin, ut propriae conscientiae prospicerent, expostularunt absolutionem ab anteactis omissionibus et onerum reductionem. Nam iidem quotidie choro interesse fidelium confessiones excipere et Paraeciae necessitatibus opitulari tenebantur, cum tenui annuo stipendio scutorum triginta sex. Aliquod tamen subsidium iisdem tribuebatur a Pio Opere sub nomine *Charitatis Capellanorum,* ad ipsorum egestatem sublevandam instituto. Dum Societas, a Capellanis ipsis constituebatur et proprios habebat reditus, gravabatur onere Missarum 5393, quarum eleemosyna cum esset decem obulorum, Capellani extra Cathedralem Ecclesiam stipem quaeritabant, non sine divini cultus iactura et Populi admiratione. Qua de re Capellani Administratores petierunt harum Missarum reductionem ad medietatem, ita ut celebrantes non amplius obulos decem, sed viginti iuxta novam Diaecesanam legem in Cathedrali Ecclesia lucrarentur. Voti compotes cum effecti fuerint die 30 Septembris 1818 ex audientia Sanctissimi Archiepiscopo commissum fuit – ut, veris existentibus narratis ac firma remanente celebratione Missarum in Metropolitana Ecclesia assignatisque per Archiepiscopum diebus et horis pro celebratione in Populi commodum, petitam facultatem reducendi enunciata onera ad rationem eleemosynae perpetuae ad decennium proximum tantum pro suo arbitrio et coscientia Oratoribus gratis indulgeat ita tamen, ut Oratores ipsi de integra et fideli erogatione ad formam praesentis Decreti quolibet anno coram eodem Archiepiscopo pro tempore docere teneantur –. Archiepiscopus vero Missas ad 2675, (errore forsan calculi) non autem ad 2696, uti petitum fuerat, reduxit. Cum inde dubium ortum fuerit, nonnullas Missas tunc esse inadimpletas, pro hisce omissionibus, probante Archiepiscopo, quotannis Missas 120 celebrarunt, quae iam ad numerum 1200 pervenerant. Verum Opus pium nonnullos fru-

ctus percipiebat a publico aerario sub nomine *Monte Comune:* sed anno 1799 a fructuum solutione cessatum fuerat, et solum restituta Republica ob fructus usque ad annum 1802 decursos recepit capitale scutorum 900, quae annuatim scuta 27 exhibebant. Ab anno iterum 1807 ad annum usque 1818 suspensa iterum ab aerario est fructuum solutio, et Capellani Missarum celebrationem pro rata omiserunt, quin etiam Missas pro fructibus annuorum scutorum 27 celebrarent. Haec itaque in annuas Missas 120 in perpetuum eroganda esse putabant Administratores, eleemosyna obulorum viginti singulis Missis assignata. Insuper praeter omissiones ex fructuum deficientia, ex libris alias Missas 6600 inadimpletas invenerunt. Qua de re petierunt Administratores Missarum reductionem ad medietatem cum onere celebrandi 120 Missas annuas, donec impleretur quantitas Missarum 3300, imputatis pro satisfactione Missis 1200, quae iam celebratae erant. Cumque in Decreto executoriali anni 1818 per errorem Missae 2675 tantum constitutae fuerunt, ideoque deerant singulis annis Missae 21, quae dicto calculo per decennium reductionis numerum 210 constituebant, Emus Relator censuit, hanc etiam omissionem superiori addendam esse; atque ita Missae pro praeterito satisfaciendae, deductis iam adimpletis in numero 1200, erant in totum 2310 ad rationem centum viginti in quolibet anno. Transacto interim decennio, expostularunt etiam Capellani Administratores, ut Missae annuae 5393 ad 2696, idest ad medietatem perpetuo reducerentur: aequitati consona Emo Relatori petitio videbatur, nec non absolutio quoad praeteritum, cum in facto esset rerum calamitas Capellanorumque bona fides.

184. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda reductio Missarum 5393 in casu? II. An et quot Missae sint celebrandae pro annuo censu scutorum 27 in casu? III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ab anteactis Missarum omissionibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad Missas 2696 in perpetuum ad formam Rescripti diei 30 septembris 1818, et iuxta votum Emi Rectoris. Ad secundum, Affirmative ad annuas Missas 120 usque ad numerum 2310, attentis Missis 1200 iam celebratis, iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, Affirmative in omnibus, iuxta votum Emi Relatoris – *in Florentina Reductionis et Absolutionis die 21 Novembris 1829.*

185. Nam quando alia desint media ad occurrendum necessitatibus Beneficiatorum choralium et Capituli, nedum simplicium adprobatur unio Beneficiorum, sed et reductio Missarum et Anniversariorum indulgetur, cum absolutione a praeteritis omissionibus *in Ussellen. die 23 Augusti 1834 et die 30 Maii 1835.*

186. Iamvero Capitulum Alense undecim Canonicis Praebendariis et unica Dignitate concludebatur, octo Canonicis de stallo nuncupatis, quatuordecim simplicibus Beneficiatis et duobus praeterea Capellanis, quorum alteri Sacristae, alteri Evangelii canendi officium erat. Hi omnes diurnum chori servitium obire tenebantur sub punctationis poena ac amissionis distributionum horis canonicis respondentium, quibus non aderant. Compertum erat, pro diurno hoc tam gravi onere ex consuetudine Cathedralis Alensis Ecclesiae rependi septuaginta quatuor librarum, scutorum nempe monetae Romanae circiter triginta titulo distributionum, nisi aliter a Fundatoribus iussum fuerit. Haec autem summa, quae si integra etiam solveretur, sustentando Beneficiato impar esset, in iis Beneficiis, quorum vel unionem vel reparationem praestolabatur Capitulum, imminutis reditibus, valde imminuta erat. Illa enim Beneficia duplex onus Beneficiato imponebant, alterum Missarum tercentarum celebrandarum, alterum choralis pensi. Unde propter redituum imminutionem in eam iam devenerunt conditionem, ut, subductis Missarum eleemosynis, quod reliquum erat, consuetis distributionibus Beneficiato solvendis impar valde inveniretur. Idcirco Episcopus exposuit, fieri saepe, ut Beneficiati ad suae sustentationi consulendum, posthabita divinorum Officiorum cura, mentem operamque ad alia converterent. Ad occurrendum hisce incommodis, quae ex imminutis reditibus consequuta erant, quaeque in divini cultus detrimentum et dedecus Ecclesiae cedebant, ex eiusdem Capituli sententia, Beneficia et Capellaniae essent uniendae, ut ex eorum unione Beneficiati, qui in praesens vix medieta-

tem distributionum sibi competentium percipiebant, integras deinde perciperent distributiones. Episcopus in actu Sacrae Visitationis iam tres peregerat uniones, ex quibus factum fuit, ut in unum coaluerint Beneficium duo a Sacerdote Ioanne Francisco Garau fundata Beneficia; item et Beneficium ab Episcopo Macones et Capellania a Sacerdote Pinna instituta, postremo et duo Capellaniae ab Episcopo Carcassona erectae ea lege, ut, si ex eleemosynis Missarum non celebratarum aliqua summa coacervaretur, eadem investienda esset, ut Capellaniarum fundi sarti tecti servarentur, iamque in promptu extabat summa scutatorum 574. Hinc Emus Relator censuit, quod excepta unione duarum Capellaniarum Carcassona, quas ad praescriptas a Fundatore leges sartas tectas esse oportebat, reliquae peractae ab Episcopo uniones eiusmodi esse videbantur, quae Pontificis beneplacito donari possent. Neque minus Pontificia approbatione donari posse videbantur reparationes Beneficiorum. Nec id ad rem satis erat: hinc 1°. proposuit reductionem Missarum cantatarum simplicium, ita ut tot ex illis celebrarentur, quot celebrari possent cum adsignatione eleemosynae solidorum duodecim cum dimidio favore celebrantium et solidorum quinque pro qualibet Missa favore Cantoris; 2°. relaxationem obligationis Missas tum praedictas, tum alias legatas certo die et fixo Altari celebrandi, ut facilius haberi possent celebrantes, ac expeditius et sine mora suffragium Fundatores perciperent; 3°. reductionem ad sex tantum Anniversariorum duodecim a quodam Decano Moyrano legatorum taliter, ut solidos quatuor cum duobus denariis pro quolibet singuli Ministri pro interessentia lucrarentur; 4°. Reductionem ad medietatem Anniversariorum a Sacerdotibus Leonardo Atzori et Rectore Spiga legatorum, et si hac facta reductione deductisque ex proventibus ipsorum eleemosynis Missarum nil pro adimplendis Anniversariis remaneret, dispensare Sanctitas Sua dignaretur, ut illa commutarentur in tot Missas cum interventu et adsistentia totius Capituli celebrandas; 5°. commutationem cum solemni Capituli processione panegiricae Orationis, quae in honorem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo quotannis in Ecclesia Cathedrali recitari debebat; 6°. ac tandem vacationem a choro duobus diebus quoque mense absque distributionum amissione.

187. His itaque ceterisque ad rem perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo probanda sit unio Beneficiorum Garau in casu etc. II. An et quomodo probanda sit unio Beneficii Macones et Capellaniae Pinniae in casu etc. III. An et quomodo probanda sit unio Capellaniarum Carcassona in casu etc. IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo tenuitati Beneficiorum Ibba et Gallus in casu etc. V. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio, quibus Beneficia tenentur in Ecclesia Cathedrali Alensi in casu etc. VI. An et quomodo eroganda sit in augmentum dotis pecuniae vis, quam unumquodque Beneficium superextantem habet, seu potius sit impendenda in eum finem, quem Fundatores iusserunt in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* VII. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo super absolutione a praeteritis omissionibus in casu etc. VIII. An et quomodo concedenda sit reductio Anniversariorum Moyrano in casu etc. IX. An et quomodo concedenda sit reductio Anniversariorum Spiga et Atzor in casu etc. X. An et quomodo reducenda et transferenda sint legata Missarum tam cum cantu, quam sine cantu celebrandarum in casu etc. XI. An et quomodo annuendum sit commutationi solemnitatis, qua festum Beatae Virginis de Monte Carmelo celebratur in casu etc. XII. An et quomodo Canonicis Ecclesiae Cathedralis Alensis concedenda sit quolibet mense biduana a choro absentia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata et ad mentem; mens autem est, ut Episcopus magis praecise referat, utrum conservato maiori, quo fieri possit Missarum adimplendarum numero infixarum Capellaniis et Beneficiis, quae pares oneribus substinendis habent reditus, consuli possit Capituli necessitatibus reductione choralis servitii vel unione Praebendarum Canonicalium vel aliorum Beneficiorum choralium, sin minus utrum suppetant alia media minus onerosa. Ad secundum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, Negative; et Episcopus curet in investimentum collocari scuta 574. Ad quartum, dilata ut in primo. Ad

quintum, Affirmative ad taxam perpetuam. Ad sextum, Affirmative ad primam partem iuxta votum Emi Relatoris, facto verbo cum Sanctissimo, Negative ad secundam. Ad septimum, Affirmative celebrato quotannis Anniversario infra octavam Defunctorum pro omnibus omissionibus. Ad octavum et nonum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris. Ad decimum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris facto verbo cum Sanctissimo. Ad undecimum et decimum secundum, Negative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris – *in Ussellen. die 23 Augusti 1834.*

188. Episcopus retulit, – se praeaudita etiam Capituli sententia aliter quam unionibus in propositione Causae prima enunciatis occurri minime posse Beneficiorum tenuitati non quidem reductione servitii choralis, qua profecto detrimentum fieret Capitularibus functionibus et Capituli dignitati, praeterquamquod nonnisi post longum temporis spatium, hac peracta reductione, quantitas illa conflari posset, quae supplendis Beneficiorum defectibus satifieret, ob nimiam taxae distributionum quotidianarum tenuitatem. Praeterea quum Praebendae omnes et Beneficia, si pauca excipiantur, tenuis ac modici sunt reditus ac minoris, quam par sit Canonicorum et Beneficiatorum substentationi tribuendae, chorale servitium nisi cum provisorum praeiudicio reduci non posset, quod eo reducto distributiones eisdem subtraherentur. Nec satis quidem fieri potest Praebendarum Canonicalium vel aliorum choralium Beneficiorum unione. Inter simplicia siquidem Beneficia nullum extat simpliciter chorale: Praebendarum vero numerum reduci dignitas Capituli ac decens Cathedralis Ecclesiae servitium eiusdemque Capituli negotia officiaque pene innumera non sinere videntur, eo vel maxime prae oculis habito, quod Praebendae omnes nedum sint a possessoribus occupatae, sed insuper Regio iuripatronatus obnoxiae et laicali patronatui cetera fere omnia tum Canonicalia tum simplicia Beneficia, vixque ac ne vix quidem Patronorum consensus ad propositam unionem peragendam obtineri valeret, ut taceam patronalia simplicia Beneficia pene omnia aliquod habere onus adnexum, quod Beneficiati ex Fundatorum instituto adimplere teneantur –. His proinde perpensis, repropositis dubiis: – I. An et quomodo probanda sit unio Beneficiorum Garau in casu etc. II. An et quomodo consulendum sit tenuitati Beneciorum Ibba et Gallus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus celebratis duodecim Missis annuis, et iuxta votum Emi Relatoris, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris – *in Ussellen. die 30 Maii 1835.*

189. At non indulgetur unio Capellaniae per Testatorem institutae, si necessitas augendi Capellanis choralibus stipendium et Ecclesiae utilitas nullatenus urgeat, licet Episcopus testetur, quod per unionem Capellani promptiores ad chori servitium erunt *in Civitatis Castellanae Unionis Capellaniae die 30 Maii 1818.*

190. Iamvero Petrus Ciani ultimo elogio anni 1756 heredem universalem scripsit Ecclesiam Beatae Mariae Virginis *del Ruscello,* quae extabat prope Oppidum Vallerani, relicto usufructu quoad viveret uxori suae Paulinae, cui iniunxit onus nominandi Capellanum Sacerdotem vel Clericum, cum annua congrua scutorum quinquaginta, et onere quotidie celebrandi vel celebrari faciendi Missam ad Altare maius praefatae Ecclesiae, nec non Anniversarium annuum die eius obitus. Attenta renunciatione Patronorum, ius nominandi devolutum est ad ipsam Ecclesiam proprietariam. Erant autem in dicta Ecclesia quatuor Capellani cum onere choralis assistentiae singulis Sabbatis ac diebus festis et celebrandi 152 Missas pro unoquoque absque designatione Ecclesiae, quorum primus, qui etiam Sacristiae et custodis Ecclesiae munere gravabatur, habebat annuum reditum scutorum 56. 70; secundus et tertius cum obligatione suscipiendi confessiones scuta 52. 42 pro quolibet; quartus denique, cui nocturna Ecclesiae custodia concredita erat, scuta 56. 40. Prior et Officiales praedictae Ecclesiae postularunt a Summo Pontifice, ut in proxima Capellaniae Ciani vacatione fieret illius perpetua unio quatuor supra memoratis Capellanis, inter quos tum onus Missae, et Anniversarii, tum reditus scutorum quinquaginta in hanc causam legatus dividerentur, ut ita aucto singulis emolumento scu-

torum 12. 50 et obligatione celebrandi Missam quotidianam in Ecclesia Beatae Mariae Virginis magis accuratum assiduumque illius templo servitium praestarent. Episcopus censuit, annuendum esse precibus Oratorum, cum nulli inferretur praeiudicium, magisque assiduum Capellani praestarent chorale servitium. Nulla tamen necessitas augendi Capellanis stipendium et utilitas praefatae Ecclesiae urgere videbatur, unde legitima commutandae voluntatis causa emergeret.

191. Proposito itaque dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro perpetua unione Capellaniae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Civitatis Castellanae Unionis Capellaniae die 30 Maii 1818.*

192. Unde Sacra Congregatio non permittit unionem Capellaniarum ob redituum tenuitatem, nisi cuncta distincte ac luculenter in promptu extent *in Narnien. die 13 Septembris 1834.*

193. Nam Sacri Canones a Beneficiorum unione abhorrent, ne divinus cultus quidquam detrimenti patiatur *in Narnien. die 13 Septembris 1834* §. *Ad.*

194. Siquidem Capitulum Cathedralis Ecclesiae Narniensis constabat viginti Canonicis ac sexdecim Capellanis, qui omnes corpus constituebant, quod nuncupabant fraternitatis. Capellanorum electio spectabat ad Canonicos, nulla adhibita Bulla sive Datariae Apostolicae sive Curiae Episcopalis, et ab ipsis Canonicis ad nutum dimitti poterant. Singulis Capellanis annuus reditus scutatorum decem tribuebatur, sed iidem grave chori servitium ferre tenebantur; hinc Episcopus testabatur: – Hac de causa quindecim annorum spatio meae in hac Sede mansionis non plures quindecim fuerunt Capellani –. Quin imo in praesens tres tantum numerabantur, ex quibus alter erat simplex Clericus, alter adversa conflictabatur valetudine, atque ideo unus tantum choro inserviebat. Ut ideo huic malo occurreretur, Canonici et Capellani petierunt, ut omnes Capellaniae ad sex tantum reducerentur, pluribus simul adiectis conditionibus ac legibus, quibus novi Capellani subiici deberent. Propositis interim dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit unio Capellaniarum Ecclesiae Cathedralis Narniensis in casu etc. II. An et quomodo probandae sint conditiones seu statuta, quae a Capitulo proponuntur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et exquiratur votum novi Episcopi tam super unione, quam super singulis conditionibus, ac transmisso statu activo et passivo Capellaniarum, referat in quos usus hactenus fuerint erogati reditus Capellaniarum vacantium – *in Narnien. die 13 Septembris 1834.*

195. Quod si extet redituum tenuitas et chori servitium detrimentum non patiatur, numerus viginti quatuor Capellaniarum ad octo supra decem reducitur, cum praesertim alia media ad augendos Capellanorum reditus desint, quin tamen suppressio Sodalitii eiusdemque redituum applicatio indulgeatur *in Urbevetana Reductionis die 6 Martii 1819 et die 24 Iulii 1824.*

196. Nam a Concilio Tridentino permittitur Praebendarum diminutio, modo tamen supersint Praebendae, quae divino cultui celebrando et Ecclesiae dignitati commode valeant respondere *in Urbevetana Reductionis et Applicationis die 6 Martii 1819* §. *Compertum.*

197. Enimvero in celebri Urbis Veteris Cathedrali Ecclesia chorali servitio addicti erant duo de viginti Canonici, duodecim de Massa Beneficiati ac triginta Capellani, quorum viginti quatuor primae, reliqui vero sex dicebantur secundae erectionis. Nimis miseram suam exponentes conditionem praefati viginti quatuor primae erectionis Capellani, qui dum ex propria Praebenda annuum reditum non excedentem scutata 23 percipiebant alternativumque praestare tenebantur servitium, omnes vero diebus festivis, ac unicuique impositum erat onus annuas 60 Missas celebrandi, postularunt, ut Capellaniarum numerus ad medietatem reduceretur, aucto redituperextantibus, utque Sodalitas S. Mariae Stellae, quae in Oratorio adiacenti Cathedrali erecta erat, supprimeretur, eiusque reditus, adimpletis oneribus, duodecim Capellanis, qui superessent, applicarentur. Capitulum obstitit quoad reductionem Capellaniarum, sed Sodalitii suppressionem commendavit. Confratres autem Sodalitii sese opposuerunt. Episcopus censuit Capellanos commiseratione dignos, quin detrimentum pateretur chori servitium, si viginti quatuor reducerentur ad

viginti, suppressis quatuor, quorum onera Missarum imponerentur pro rata viginti Capellanis, et reductio ac suspensio fieri posset de actu vacantibus et successive vacandis. Censuit etiam, quod dictum Sodalitium revera non habebat eam ecclesiasticam utilitatem, unde supprimi non posset ad hunc finem, ut chori Catedralis Ecclesiae servitio provideretur, eo vel magis quod Sodalitia plurima in Civitate haberentur; ac demum ita conclusit: – Ad extremum notare puto, quod quodlibet subsidium Capellanis concedatur, illis sub conditione decernatur, quod in chori et Ecclesiae Cathedralis servitio sint diligentiores, et Beneficiis Massae debeant associari in cantu Gregoriano Missarum et antiphonarum in libro in medio chori, quod hactenus non faciunt, eo quod ob tenues proventus se non teneri dicunt, aliisque associentur functionibus –.

198. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quot Capellaniae sint reducendae in casu? II. An et quomodo sit locus suppressioni Sodalitii S. Mariae in casu? *Et quatenus Negative ad secundum dubium.* III. An et quomodo sit concedenda Capellanis primae erectionis administratio redituum custodia Sacrarii et implementum Missarum eiusdem Sodalitii S. Mariae nec non facienda applicatio redituum favore eorumdem Capellanorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pro sex Capellaniis et iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum et tertium, Negative – *in Urbevetana Reductionis et Applicationis die 6 Martii 1819.*

199. Resolutionem hanc die 10 eiusdem mensis et anni Pius VII plenissime probavit et respective confirmavit. Cum autem Episcopus quamdam Capellaniam a bo. me.R.P.D. Francisco Ravizza fundatam suppresserit ad tramites praefatae resolutionis, Canonicus Ioseph Palazzi Orienti, qui se Camerarium fabricae Cathedralis Ecclesiae Urbevetanae dixit, exposuit, nominationem Capellani ad praedictae Fabricae Camerarium spectare, se tamen nunquam auditum fuisse, quamvis de eiusdem Ecclesiae iuribus tollendis ageretur; ideoque exoravit, ut novum de Capellanorum petitione instrueretur examen. Dimissus responso: – Doceat de remissione Causae cum clausula de aperitione oris –, ad R. P. D. Auditorem Sanctissimi confugit, qui suo Rescripto diei 17 augusti 1823 Causam seu Causas Sacrae Congregationi cognoscendas remisit cum clausula de aperitione oris arbitrio. At Episcopus Urbevetanus monuit, praedictum Canonicum sese perperam asseruisse fabricae Camerarium, cum munus suum expleverit anno antequam supplex Sacram Congregationem adiret; ac addidit, quod Fabricae – laica administratio nihil iuris habet super spiritualia et super Beneficia, et profecto nihil iuris habet reclamandi in casu, de quo agitur, et locum habere non potest –. Insuper Episcopus debitae executioni Decretum Sacrae Congregationis demandaverat, Capitulo et Camerario fabricae notificatis, atque data occasione vacationis Capellaniarum primae erectionis, iam tres Capellanias suppresserat seu reduxerat. Canonicus Palazzi Orienti vero nihil attulit, neque ut nominationem Capellaniae Ravizza ad Ecclesiae fabricam seu eius Camerarium pro tempore spectare, neque ut se Camerarii munere adhuc fungi evinceret. Nemo quoque comparuit, qui se modernum Camerarium diceret et instantiam a Canonico Palazzi Orienti propositam prosequeretur, quod aperto erat indicio, excitatam a praefato Canonico contentionem ab moderno fabricae Camerario improbari. Propositis itaque dubiis: – I. An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et ad mentem. Ad secundum, provisum in primo – *in Urbevetana Reductionis et Applicationis die 24 Iulii 1824.*

200. Unde quum adeo tenues sint reditus Capellaniarum, ut vacantes prostent, quin adsit, qui eas acceptare velit, Sacra Congregatio nedum indulget Missarum reductionem, sed et ex tribus praeexistentibus ad unam reducit *in Amerina Visitationis Sacrorum Liminum die 26 Martii et die 17 Decembris 1803.*

201. Siquidem in relatione status Ecclesiae Amerinae Episcopus exposuit: – Chorales Cathedralis Capellanias septem esse dixi. Harum autem tres esse vacantes tribus abhinc annis, scilicet vacant illae duae, quas bo. me.

Episcopus Consoli praedecessor meus erexit. Cum enim reditus ipsarum sint fructus Locorum Montium ex duabus quintis partibus, quae modo solvuntur, habet unaquaeque introitum scutorum decem; tertiam autem scutorum decem octo, ideoque ob huiusmodi tenuitatem nullus ad eam obtinendam concurrit, ergo longo abhinc tempore quatuor dumtaxat sunt Beneficiati chorales, quod ipsis gravamen affert servitii chori detrimentum et decus minuit Ecclesiae sacrarumque functionum. Quamobrem etiam atque etiam rogo EE. VV., ut facultatem dignentur mihi concedere tres praedictas Capellanias in una simul uniendi, quousque Loca Montium restituantur in pristinum, aut omnium trium introitus ad scuta 60 veniat. Tunc enim ex tribus duas efformabo, alias uti nunc semper vacantes erunt –. Capellani Consoli gravabantur onere Missarum 150 pro unoquoque in singulos annos. Episcopus praeterea affirmavit: – Nullus neque Patronus neque alius adest, qui teneatur ad supplementum, et Capitulum Cathedralis unioni consentit –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus unioni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affimative iuxta votum Episcopi, celebratis quotannis Missis bis centum – *in Amerina Visitationis Sacrorum Liminum die 26 Martii 1803.*

202. Post haec Clericus Vincentius Patrassi, qui iam agebat annum decimum septimum a Dataria Apostolica Capellaniam ex tribus praeexistentibus unitam obtinuit. Sed mox compertum est, quod ex Rescripto sa. me. Clementis XIV per organum Sacrae Congregationis editum die 29 iulii 1771 Missae centum quinquaginta, quae ex fundatione Consoli duobus Capellanis erant impositae, reductae fuerant ad Missam festivam. Quare modernus Capellanus postulavit, ut moderaretur Rescriptum diei 26 martii, et loco Missarum bis centum Sacrum festivum praescriberetur, simulque ut per alium Missam celebrare posset. Nam Consoli voluit, ut Capellanus per se ipsum celebraret. Sacra Congregatio nedum concessit dispensationem aetatis, donec ad legitimam perveniret aetatem, sed attenta reditum tenuitate, proposito dubio: – I. An et quomodo sit exequendum Rescriptum diei 26 Martii quoad numerum Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pro Missis 160 ad formam Rescripti 29 iulii 1771 pro medietate celebrandis diebus festis – *in Amerina Visitationis Sacrorum Liminum die 17 Decembris 1803.*

203. Idcirco quum nemo extet, qui Capellanias chorales ob tenues reditus acceptare velit, reducuntur octo ad tres tantum *in Melevitana die 23 Aprilis 1796.*

204. Enimvero parochialem Ecclesiam Visitationis Beatae Virginis oppidi Garbo in insula Gaulos in Collegiatam erexit Sacerdos Ioseph Hasciach. Hinc nominandi adhuc erant chorales Capellani octo, unus cum stipendio scutorum sexdecim monetae Romanae, quinque cum scutis septem et duo ob adnexum officii magistri Caeremoniarum cum respectivis stipendiis scutorum undecim et decem supra octo. Quum neminem autem ad tenues istas Capellanias allexerint edicta, supplicavit idcirco Sacerdos Laurentius Hasciach ipsius Collegiatae Canonicus Decanus et piae fundationis executor pro illarum reductione ad tres, eiusque instantiae favit Episcopus, ex eo quod nullus Garbii erat Sacerdos idoneus, – neque exteri inveniri facile possunt, qui, relicto proprio domicilio, in hoc Oppido residere contenti sint, quotidiano chori servitio addicti absque sufficienti congrua –. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit locus reductioni Capellaniarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad tres tantum – *in Melevitana die 23 Aprilis 1796.*

205. Imo ob redituum imminutionem nedum locus est reductioni Capellaniarum, sed et Missarum cum augmento tamen servitii choralis *in Romana Capellaniarum die 22 Septembris 1758 die 11 Augusti 1759 die 17 Iunii 1775 die 4 Aprilis 1778 et die 20 Decembris 1788.*

206. Siquidem ab Hilario Mauri fundatae fuerunt anno 1581 in Lateranensi Basilica quatuor Capellaniae disparibus reditibus praestandis ab heredibus et administratoribus suae hereditatis, qui etiam tenerentur singulis annis certam summam praestare Capitulo eiusdem Basilicae, – ut celebraret Anniversarium in die illius mortis et unam Missam solemnem cum primis et secundis vesperis

in festo S. Hilarii. Non diu tamen haec dispositio executioni mandari potuit; nam Xistus V omnia Hilarii bona R. C. A. addixit iure spolii, et stipendium Capellanorum ad dimidiam eiusdem partem redegit. Hoc stipendium a Summo Pontifice Gregorio XIV peraequatum fuit inter quatuor Capellanos. Clemens X, praevio Sacrae Congregationis Decreto, quatuor Capellanias ob redituum diminutionem ad duas contraxit, et ob eamdem causam anno 1715 suspensum fuit a Capitulo Anniversarium et Sacrum solemne. At cum anno 1736 duo Capellani recuperassent sortem census scutorum 1400 cum eius usuris scutorum 1300, sortemque erogassent in emptionem Locorum Montium, ita ut reditus duarum Capellaniarum, qui prius erant annuorum scutorum 82, aucti fuerint ad annua scuta 116. 50, Capitulum petiit, ut onus Anniversarii et Sacrorum deleretur. Emus Archipresbiter censuit, absolvendum Capitulum ab onere Anniversarii et Sacrorum tempore praeterito non actorum, liberandum vero tempore futuro, quia – nulla adsit spes possibilis satisfactionis, nec aequum sit, quod gravetur amplius conscientia et sollicitudo Officialium Capituli in perquirendo, quod frustra requirent, et nunquam invenient –. Quoad Capellanos censuit, – augendum esse iis numerum Missarum, et illas reintegrandum ad numerum a Testatore praescriptum, iniungendo cuilibet Capellano celebrationem Missae quotidianae –. Propositis hinc precibus S. Congregatio die 2 septembris 1758 respondit: – Omnia iuxta votum Emi Archipresbiteri –. Id ubi rescivere Capellani, sese contradictores praestiterunt. Proposito vero dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 2 septembris 1758 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Romana die 11 Augusti 1759.*

207. Capellani autem contenderunt, ob expositum reditum augmentum tale onus Missae quotidianae iniungi ipsis non potuisse, neque ex lege fundationis, neque ex praetenso augmento, cum illud ob deteriorationes, quae in aliis bonis obvenerant, de facto non verificaretur. Reproposito interim dubio sub formula: – An et quomodo sit locus reductioni Missarum, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 2 septembris 1758 et 11 augusti 1759 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et eligatur Peritus iudicialis pro firmatione status – *in Romana Capellaniarum die 17 Iunii 1775.*

208. Peritus retulit demonstravitque, vix detracto quotidiano Missarum et utensilium onere omnibusque expensis annua cuilibet Capellano superesse scuta 28. 81 pro chori servitio, quod eisdem Capellanis praescriptum fuit in illius reductione facta de anno 1725, in qua decretum fuit, quod – teneantur ambo imposterum etiam intervenire omnibus horis matutinis in Dominicis mensium iulii, augusti, septembris et octobris, atque alternatim per hebdomadam primam feria secunda quadragesimae usque ad Dominicam Palmarum –. Reproposito vero dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et persistendum est in decisis – *in Romana Capellaniarum die 4 Aprilis 1778.*

209. Novissima haec dissimulantes Rescripta, quartum anno 1786 institerunt Capellani pro reductione ad menstruas quindecim pro quolibet. Advertebatur, quod quotidianae utriusque Capellaniae Missae, quae ob imminutos reditus reductae fuerunt anno 1725, ad menstruas 45, restitutae ob eos auctos fuere ad pristinum numerum per Rescriptum diei 2 septembris 1758 confirmatum die 11 augusti 1759 et die 4 aprilis 1778. At ex calculo decennali patebat, – omnes Capellaniarum reditus vix ad summam scutorum 179 pro quolibet anno pervenire, ex quibus si demantur onera Missarum 60 pro quolibet mense, idest annuorum scutorum 72, supererunt tantum 107 scuta in locum 136 superextantium, deductis oneribus Missarum, de tempore Emi Archipresbiteri Pamphili –, qui ex Rescripto Sacrae Congregationis anni 1725 menstruas statuit Missas 45, auxitque servitium chori a diebus feriis et vesperis solemnibus ad omnes dies Dominicos iulii, augusti, septembris et octobris, et alternatim per hebdomadas ad omnes ferias Quadragesimae usque ad Dominicam Palmarum. Emus Archipresbiter haec memorans, ita conclusit: – Qua de re quoniam et Patronorum consensus accedit, censerem annuendum esse Oratoribus pro reductione Missarum ad menstruas 45 tantum, ab ipsis celebrandas servata forma in omnibus Rescripti huius Sacrae Congregationis

lati die 1 decembris anni 1725, atque alterius in executionem ipsius ab Emo Pamphilio lati die 11 martii 1726 –. At ex praefato extraiudiciali calculo maior resultabat reditus, quum detractis scutis 72 pro quotidianis Missis aliisque oneribus remanerent scuta 33.50 pro servitio chori, dum ex calculo iudiciali pro chori servitio supererant scuta 28,81. Idcirco multo magis deneganda in praesens videbatur petita reductio Missarum. Reproposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 4 aprilis 1778 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, iuxta votum Emi Archipresbiteri – *in Romana Capellaniarum die 20 Decembris 1788.*

210. Idcirco Sacra Congregatio, attenta Sacerdotum penuria augmento eleemosynae Missarum earumdemque ingenti numero, indulget quidem reductionem cum facultate augendi eleemosynam pro Missis statis horis celebrandis, sed renuit concedere ex iisdem erectionem Capellaniarum choralium, licet Archiepiscopus eam valde utilem ac necessariam censeat *in Senen. Reductionis Missarum et Erectionis Capellaniarum die 19 Iulii 1828.*

211. Enimvero in Metropolitana Senensi Ecclesia plurima aderant Legatorum onera, quae ascendebant ad annuas 2280 Missas; harum autem eleemosynae simul sumptae ad annua Romana scuta 331. 84 pertingebant. Archiepiscopus postulavit, ut ex annuo huiusmodi Legatorum censu libellae seu scuta Romana 147. 69 congrua constitueretur dos pro duabus Capellaniis in Metropolitana perpetuo erigendis, quarum pro tempore Rectores non secus ac ceteri eiusdem Ecclesiae Mansionarii integro quotidianae psalmodiae sacrorumque omnium Officiorum oneri succumberent, nec non statis dierum horis ac praesertim diebus festis definitum quovis anno Missarum numerum, accepta a Sacrario eleemosyna, persolverent. Reliquos dein eorumdem Legatorum reditus in Missarum celebrationem erogandos proposuit, tributa memoratis Capellanis et aliis, si opus fuerit, Sacerdotibus eleemosyna ad taxam Diaecesanam, quae tunc ad obulos viginti ascendebat. Denique quoad praeteritas onerum omissiones, quae ad Missas 6000 et ultra pertingere deprehendebantur, cumulativam petiit reductionem, ita ut eleemosynae ex omissis Sacris proficiscentes cumulatae intra septennium erogarentur in tot celebrandas Missas, quot feriatibus ac festis diebus litari poterant ad rationem manualis eleemosynae. Archiepiscopis enim ostendit, reditus Legatorum impares evasisse praescriptis Missarum oneribus perferendis, cum ii duodecim tantum Romanos obulos pro quolibet Sacro suppeditarent; dum contra eleemosyna manualis diebus ferialibus erat obulorum viginti et diebus festis obulorum triginta. Huic praeterea incommodo accedebat maxima Sacerdotum penuria. Idcirco, attenta reductionis Missarum necessitate, res valde utilis evadebat erectio duarum Capellaniarum choralium, cum septem tantum Mansionarii, qui alternatim per hebdomadas summo mane ac omnes aliis horis canonicis quotidie choro inservire tenerentur. Quapropter cum de eiusmodi choralis servitii augendi utilitate ac etiam necessitatem dubitari non posse videretur, gratiam commutationis voluntatum Fundatorum obtinere prorsus confidebat.

212. Propositis tamen dubiis: – I. An et quomodo probanda sit duarum Capellaniarum in Metropolitana Ecclesia erectio in casu etc. II. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio quoad futurum in casu etc. –. III. An et quomodo eleemosynae omissorum onerum sint erogandae in Missarum celebrationem in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, non expedire. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, data eidem facultate augendi eleemosynam pro Missis statis horis celebrandis. Ad tertium, Affirmative in omnibus iuxta votum Archiepiscopi – *in Senen. Reductionis Missarum et Erectionis Capellaniarum die 19 Iulii 1828.*

213. Immo nec indulgetur reductio Missarum et servitii choralis, nisi certo constet de asserta redituum imminutione, cum praesertim dubium extet, an iidem reapse fuerint imminuti *in Aesina Reductionis Onerum die 15 Ianuarii 1803.*

214. Siquidem ab anno 1674 Plebanus Ciccarelli erexit Capellaniam in Ecclesia Collegiata S. Leonardi Oppidi Massatii, eique in fundum partem praedii assignavit. Praecepit

autem, ut Capellanus nominatus teneretur – celebrare vel celebrari facere Missas septem in honorem septem dolorum Beatae Mariae Virginis iuxta eius intentionem, et ulterius obligatus sit vel per se ipsum vel per alium substitutum capacem intervenire et recitare officium divinum et horas canonicas in choro in dicta Ecclesia S. Leonardi cum aliis Capellanis vel Beneficiatis perpetuis cum huiusmodi onere, cum hebdomada tamen alternativa –. Capellaniam hanc, quae postea in Canonicatum erecta est, possidebat ab anno 1779 una cum fundo assignato Presbiter Aldebrandus Leoni, qui, licet percepisset ex reditibus scuta octo in annos singulos, ut ipse asserebat, attamen semper Missas celebravit et chori servitium impigre obivit. Tandem ob redituum tenuitatem postulavit reductionem tum missarum, tum servitii choralis. At fundus post centum triginta annorum idem manebat, possessores nunquam reductionem postularunt; Orator ipse cum eodem reditu eam acceptavit, et ultra vicennium conticuit. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Emo Episcopo pro nova informatione super annuo reditu Canonicatus per decennium, comprehensis etiam incertis – *in Aesina Reductionis Onerum die 15 Ianuarii 1803.*

215. Nec aliter edixit Sacra Congregatio, cum Capellanorum Collegium in Ecclesia Sanctissimi Rosarii erectum Oppidi *Ospedaletto* petierit exemptionem a quotidiano chori servitio et reductionem Missarum, ex eo quod annuus reditus ducatorum 800 iuxta fundationem redactus fuerit ad ducata 426 nequaquam Capellanorum culpa, sed ob censuum ac fundorum amissionem, militarem occupationem tributorumque augmentum, quin obesset, quod Episcopus testaretur, se ipsum diligenter scrutari curasse libros introitus et exitus, atque ex iis compertum esse, reditum annuum pertingere summam ducatorum 426 et onera intrinseca et extrinseca summam ducatorum 209; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An et quomodo locus sit reductioni in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem; mens est, ut exquiratur ab Ordinario distincta notula per extensum exitus ad annua ducata 209 ascendentis – *in Nullius Montis Virginis Reductionis Servitii chori et Missarum die 14 Iunii 1823.*

216. Unde cum Testator legatum Canonicis reliquerit pluribus adiectis oneribus, et in casu inadimplementi onerum ob redituum diminutionem substituerit Beneficiatos eiusdem Ecclesiae, non indulgetur reductio onerum, antequam interpellentur Beneficiati, velint nec ne praestare exequutionem legati *in Romana Reductionis Onerum die 19 Iunii 1802.*

217. Siquidem Valentinus Onorati postremis tabulis legavit Capitulo et Canonicis Basilicae S. Mariae transtyberim domum, adiecta lege adimplendi plura onera ac praesertim eligendi Capellanum, qui Missam quotidie celebraret et diebus festis confessiones fidelium exciperet. In casu vero, quo id Capitulum acceptare nollet vel onera non adimpleret, substituit Beneficiatos eiusdem Basilicae. Capitulum legatum acceptavit et onera implevit per plures annos: exin autem cum domus non amplius daret scuta 112, sed scuta 57. 7 dumtaxat, et onera ferrent impensam scutorum 72. 64, reductionem onerum postulavit. Advertebatur tamen, quod fundus deterior non evasisset, sed tantummodo diminuti erant reditus, sive quia pensiones domus abiectae, sive quia inexactae manserunt. Quare fieri poterat, ut imposterum augerentur, vel adhibitis diligentiis integre exigerentur, vel tandem per concessionem in emphytheusim maior ex domo reditus curari posset. Ex eo insuper quod Testator caducitatem indixerit, si onera non impleret, audiendi erant Beneficiati eiusdem Basilicae, antequam reductio concedi posset. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Romana Reductionis Onerum die 19 Iunii 1802.*

218. Nam cum in facto non extet redituum imminutio et immineat cultus divini detrimentum, non indulgetur reductio servitii choralis *in Romana Reductionis servitii chori die 17 Februarii 1821.*

219. Iamvero Bonaventura Verotti sibi

heredem scripsit Ecclesiam et Capitulum S. Mariae in Cosmedin adiecta lege, ut, post nonnulla soluta legata ex fructibus suae hereditatis, quatuor in praefata Ecclesia erigerentur amovibiles Capellaniae, Sacerdotibus conferendae cum congrua quinquaginta scutorum et onere quadraginta Missarum nec non servitii choralis alternative praestandi per hebdomadas. Anno 1727 Benedictus XIII Capellanias amovibiles perpetuas reddidit, Capellanisque Beneficiatorum nomen donavit. Praeter quatuor haec Beneficia Franciscus Manganoni anno 1781 aliam erexit Beneficialem Praebendam eodem modo et forma et cum eodem onere choralis servitii, quo tenebantur Beneficiati Verotti cum congrua scutorum sexaginta trium et onere viginti quinque Missarum. Anno 1784 Beneficiati Verotti ob redituum diminutionem obtinuerunt suspensionem unius ex Beneficialibus Praebendis ac reductionem Missarum ad decem, unde iterum assignata fuerunt singulis Beneficiatis annua scuta quinquaginta, comprehensis duobus scutatis distributionum. Exin tres Beneficiati reductionem servitii chori postularunt: licet enim reditus perciperent in summa scutorum 48, et si adiungerentur distributiones in scutatis quinquaginta circiter, attamen reditus potius diminutionem, quam incrementum pati poterant, cum praesertim ex domo retraherentur, quae in praesentiarum quidem non exigui reditus erat ob utiles locationes; et facile evenire poterat, ceu pluries contigit, ut vel conductorum mala fide, vel etiam Populi et alienigenarum diminutione, minorem reditum secumferret. Atque his de causis, non ex mala Beneficiatorum administratione factum fuerat, ut nil perceperint plurimis annis de reditibus sui Beneficii, ita ut creditores evaserint in summa scutorum 566, quae nonnisi post longum tempus ex residentiali summa scutorum 19 consequi poterant, dummodo domus locari posset sine ulla praesentis mercedis imminutione. Reductionem servitii choralis petiit etiam Beneficiatus Manganoni, quem licet uberioribus reditibus dotatum, attamen choro inservire voluit Fundator eodem modo et forma, quo illi inserviebant. Capitulum obstitit, cum duo dumtaxat Beneficiati et duo Canonici diebus ferialibus choro inservire tenerentur: hinc si admitteretur, quod unus tantum interesset, et hic infirmitate aliave causa detentus, duo tantummodo Canonici et aliquis Capellanus choro inservirent. Idcirco reductio cultus divini detrimentum secumferebat.

220. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda reductio choralis servitii tribus Beneficiatis Verotti in casu etc. II. An et quomodo sit concedenda reductio choralis servitii Beneficiato Manganoni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative – *in Romana Reductionis Servitii chori die 17 Februarii 1821.*

221. Imo si redituum decrementum culpa Beneficiatorum obvenerit, nedum non indulgetur reductio servitii chori et dispensatio ab onere applicandi Missam Conventualem, cum praesertim ob id respectivus adhuc extet fundus absque diminutione, sed nec indulgetur absolutio ab onere redintegrandi capitale, et consulere tenentur conscientiae suae; approbatur tamen concordia, qua Capitulum ex bonis propriis eorum congruam auget, et Beneficiati nova onera implere spondent, suppressis interim duobus Beneficiis tenuis reditus favore Massae Canonicorum, quin vero approbetur conditio, quod praesentes Beneficiati Missam Conventualem celebrare teneantur etiam post obtentum indultum iubilationis, quia quoad hoc servari debent resolutiones Sacrae Congregationis super dubiis iubilationum *in Amerina Reductionis et novae Dotationis die 22 Decembris 1821 et die 24 Augusti 1822.*

222. Siquidem sex habebat Beneficiatos Ecclesia Cathedralis Amerina, qui eius servitio mancipati choro interesse debebant alternative diebus ferialibus, omnes diebus festivis, et Diaconi et Subdiaconi ministerium praebere Canonicis solemniter celebrantibus. Quatuor ex his, qui primae erectionis dicebantur, anno 1634 Capitulum sibi reservato iurepatronatus capitularibus bonis provisit, ac praeterea aliud praedium nuncupatum *Urbestola* iisdem tradidit, onere iis imposito, ut diebus ferialibus Missam Conventualem applicarent. Beneficiati primae et secundae erectionis statuerunt alienare terrulas, quae adhaequabant iuxta censuales tabulas mille scutata,

nec non emere latifundium nuncupatum *Penna vecchia,* illudque in commune possidere, sicut iam possidebant praedium *Urbestola*, divisa inter ipsos Missarum Conventualium applicatione. Hisce rite a S. Sede approbatis, Episcopus delegit unum ex Canonicis, ut custodiret pecunias, quas Beneficiati erant exacturi ex Praebendarum alienatione. Hinc anno 1805 dictum fundum emerunt a quodam Barghiglioni pro scutatis 1500, quorum usque ad integram solutionem interusuria statuerunt sex scutatorum pro quolibet centenario et anno. Beneficiati vero ex scutatis 1268. 75, quae ad totum annum 1808 ex venditione terrularum receperant, unicam tantum summam 986. 78 pro empti praedii solutione consignarunt, ceteras summas in alios usus impenderunt. Cessit dein dies favore Barghiglioni integrae conventae solutionis, sed Beneficiati nec residualem sortem nec fructus solvere curarunt. Instituto hinc iudicio, et facta publica licitatione, dictum praedium *Penna Vecchia* fuit deliberatum favore melioris oblatoris pro summa scutorum 826 dumtaxat. Qua de re ex fundo *Penna Vecchia* damnum obvenit in scutis 674 et aliis scutis 571 tam in interusuriis solvendis, quam pro litium expensis aliisque causis consumptis; unde Beneficiatorum congrua, non detractis oneribus ac Missis Conventualibus, vix consistebat in scutis annuis quatuordecim circiter. Idcirco Beneficiati primae erectionis exorarunt Summum Pontificem, ut vel onera choralia, vel Missam Conventualem reduceret, vel Canonicis patronis ad redituum augmentum cogeret. Capitulum petitioni obstitit, quia quoad Missam Conventualem adhuc aderat praedium *Urbestola* absque diminutione, et quoad alia onera in facto erat culpa Beneficiatorum, qua redituum decrementum obvenerat, nec non detrimentum cultus divini, cum Ecclesia non haberet, nisi sex Beneficiatos. Beneficiati contra in Capitulum culpam vertere studuerunt; sed Capitulum contrarium ostendit.

223. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit concedenda dispensatio ab onere applicationis Missae Conventualis in casu etc. II. An et quae reductio servitii choralis sit concedenda Beneficiatis in casu etc. *Et quatenus negative ad utrumque.* III. An et quomodo providendum sit tenuitati redituum Beneficiatorum in casu etc. IV. An sit concedenda absolutio ab onere redintegrandi capitale in casu etc. *Et quatenus negative ad quartum dubium.* V. An qui et quomodo ad redintegrationem praestandam teneantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, dilata. Ad quartum, Negative; et consulant conscientiae suae. Ad quintum, dilata, et scribatur Episcopo, qui cogat Beneficiatos ad reddendam rationem omnium gestorum et Canonicum depositarium ad probandum, se solvisse pecunias depositas ad formam Rescripti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, et referat de superextantibus reditibus Beneficiatorum et oneribus, et, an ex propriis bonis valeant reintegrare Beneficia eorum culpa spoliata – *in Amerina Reductionis seu novae Dotationis die 22 Decembris 1821.*

224. Maluit Capitulum potius, quam impletam et forsan ob debitorum inopiam inutilem experiri actionem, rem amica concordia componere, suoque dispendio Beneficiatorum substentationi et Ecclesiae servitio consulere. Siquidem Capitulum ope concordiae ex propriis bonis Beneficiatorum reditus scutorum quatuordecim ad scuta fere triginta augebat, impositis tamen novis oneribus, quae Beneficiati ferre spondebant. Duo autem Capitulum postulavit, ut scilicet Capellaniae S. Blasii et S. Secundi, quae in Praebendas Beneficiales olim conversae idem passae erant infortunium, cum vix superessent annua scuta quinque, Apostolica Auctoritate supprimerentur, ac praedictus tenuis annuus reditus Massae Capitulari uniretur; nec non ut, si quis ex praesentibus quatuor Beneficiatis, quibus nova dos ab eodem constituebatur, beneficio iubilationis esset donandus, non ideo ab onere celebrandi Missam Conventualem per turnum in diebus ferialibus exemptus evaderet. Episcopus concordiam et Capituli petitionem adamussim probavit, et commendare censuit. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit probanda concordia in casu etc. II. An et quomodo sit concedenda suppressio Beneficiorum sub titulo S. Blasii et S. Secundi in casu etc. III. An et quomodo sit providendum in concessione iubilationis favore Beneficiatorum, qui de proximo ex-

pleturi sunt quadrigenarium servitium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative docto coram Episcopo de sufficienti Massa Capitulari. Ad secundum, Affirmative; facto verbo cum Sanctissimo super utroque dubio. Ad tertium, serventur resolutiones Sacrae Congregationis super dubiis iubilationum – *in Amerina novae Dotationis die 24 Augusti 1822.*

225. Nam si Rectores Capellaniarum seu Beneficiorum negligant vel omittant, quod utile est Ecclesiae, ex qua negligentia vel omissione sequatur perditio vel minoratio bonorum Ecclesiae, statuit Textus in Can. *Quicumque* 12 quaest. 4, quod iidem Rectores teneantur propriis bonis damnum resarcire ad instar Tutoris, qui negligenter res Pupilli curavit *in Amerina Reductionis seu novae Dotationis die 24 Novembris 1821* §. *Certe.*

226. Idcirco cum Collegium Capellanorum ab Alexandro Antonio Gentiloni institutum postularet Missarum et servitii choralis reductionem, ex eo quod perierit census sors in summa scutorum 1485, sed anceps erat, num valida fuerit eiusdem extinctio, proposito dubio: – An et quomodo sit concedenda Missarum et choralis servitii reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, ut reproponatur servatis servandis deductis hinc inde iuribus, et notificetur Emo Episcopo – *in Auximana Census Reductionis Missarum et Servitii chori die 26 Novembris 1836.*

227. Heres itaque ob redituum imminutionem nequit obtinere reductionem onerum, cum Testatores mandaverint suppleri ex hereditate, si fructus Capellanis assignati deficerent, nec etiam inventarium bonorum extet, vel si extet ex eo patet, quod status activus longe excedat passivum; adprobatur tamen concordia pro iis bonis, de quibus non habetur inventarium, non autem pro aliis, de quibus solemne prostat inventarium *in Romana Reductionis die 5 Septembris 1818 et die 20 Ianuarii 1821.*

228. Enimvero ultimo cum quo decessit elogio Ioannes Petrus Moretti usufructuariam instituit heredem uxorem suam Plautillam Bossi, proprietarium autem heredem Xenodochium Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum adiecta lege, ut in Basilica Liberiana tres Capellaniae amovibiles ad nutum ab eius herede erigerentur, et earum cuilibet assignavit scuta 120 praeter utensilia Sacristiae persolvenda, cum onere choralis servitii et Missae quotidianae in eadem Basilica celebrandae. Dictarum Capellaniarum assignamentum constituit in Locis Montium, quod si haec deficerent aut imminuerentur, ex aliis suis bonis suppleri mandavit. Viri pietatem imitata Plautilla, instituto herede eodem Xenodochio Sanctissimi Salvatoris, aliam Capellaniam in eadem Basilica similem omnino tribus aliis a Viro fundatis cum eodem assignamento et oneribus instituit praecipiens, ut tam assignamentum, quam utensilia ex fructibus Locorum Montium satisfacerent, et his imminutis aut deficientibus, ex ceteris bonis suppleri voluit. Utramque hereditatem acceptam habuit Xenodochium, et usque ab anno 1674 publico instrumento quotannis Liberianae Basilicae persolvere promisit scuta 36 pro utensilibus quatuor Capellaniarum; et scuta sex pro Fundatorum Anniversario. Omnibus hisce oneribus adamussim satisfecit Xenodochium usque ad annum 1797: tunc vero suspensa fructuum Locorum Montium solutione et vix in parte anno 1801 redintegrata, locum prius habuit transactio, nemine auctorante, inter Capellanos tantum et Xenodochium conciliata, ac deinde anno 1805, assentiente etiam Capitulo, provisionali concordia ad triennium duratura, ac iterum anno 1808 ad aliud triennium prorogata, conventum fuit, ut quatuor Missae quotidie celebrandae ad unam tantum redigerentur pro rata a Capellanis adimplendam, eorumque assignamentum absque ulla innovatione quoad chori servitium ad scuta sex pro quolibet mense cohibitum fuit. Diminuta fuerunt etiam utensilia a scutis 36 ad scuta 20 tantum, prout etiam Anniversarii eleemosyna reducta fuit ad scutum unum et obulos quinquaginta. Ut vero ex supremi Principis providentia certus constitutus est fructus Locorum Montium, Xenodochii Moderatores postularunt a Supremo Pontifice perpetuam correspectivam onerum reductionem, oblato statu activo utriusque hereditatis Moretti et Bossi, quam in annuis scutis 424. 16 constituebant, ex quibus solvi debebant scuta 288 pro Capellanis ad ratio-

nem scutorum 72 pro unoquoque, scuta 21. 50 Basilicae Liberianae pro sacris utensilibus et Anniversario, scuta 26. 70 pro canonibus aliisque legatis, et scuta 40 pro duabus dotibus. Hae simul unitae annuae praestationes conflabant summam scutorum 376. 20, atque ita superextarent annua scuta 47. 86 a Xenedochio eroganda in solutionem dativae in expensas administratoris ac demum in aegrotantium levamen; et absolutionem ac sanationem quoad praeteritum petierunt. Aderat tamen inventarium bonorum Plautillae Bossi, ex quo patebat, quod status activus passivum excedebat in summa scutorum 167. 18; adeoque locus esse non poterat reductioni. Quoad hereditatem Ioannis Petri Moretti nullum aderat inventarium: sed status passivus ab Administratoribus exhibitus superabat activum in scutis 147, 68. At Moderatores hereditatem Moretti acceptam habuerunt sine ullo inventario, ac solemni instrumento diei 20 decembris 1674 sese erga Liberianam Basilicam (quae in casu recusatae aditionis substituta erat) obligarunt pro praestatione utensilium et Anniversarii. Porro cum agatur de oneribus acceptis reductio concedi non solet.

229. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus reductioni quoad legatum quondam Plautillae Bossi in casu? II. An sint reducenda onera legati Ioannis Petri Moretti in casu? III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et sanatione quoad praeteritas omissiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative; celebrata unica Missa collective pro omnibus omissionibus – *in Romana Reductionis die 5 Septembris 1818.*

230. Post hanc Sacrae Congregationis resolutionem actum est de nova ineunda transactione inter Xenedochii Moderatores et Basilicae Liberianae Capitulum, qua conventum est, ut, firmo remanente Capellanorum Moretti et Bossi chori servitio ad formam fundationis et Decreti Sacrae Visitationis diei 27 ianuarii 1681, emolumentum ipsis assignaretur non amplius in scutis 120 iuxta fundationem, nec in scutis 72 ut proposuerant iidem Moderatores, sed in annuis scutis 96 cum reductione Missarum quatuor qualibet die celebrandarum iuxta voluntatem Fundatorum ad duas quotidianas; utque praeterea praestatio pro utensilibus ad scuta 20 reduceretur, ac pro Anniversario scutata dumtaxat tria suppeditarentur. Emus Archipresbiter huiusmodi concordiam commendavit. Capellani autem monuerunt, quod ipsi ex fundatione percipiebant scutata decem quolibet mense, et unusquisque eorum tenebatur quotidie Sacrum peragere pro anima respectivi Fundatoris, cuius tunc temporis eleemosyna manualis erat obulorum decem. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo concordia, de qua agitur, sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. II. An et quomodo sit providendum Capellanis Moretti et Bossi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam quoad Capellanum Moretti tantum iuxta votum Emi Archipresbiteri; quo vero ad Capellanum Bossi solutis ab Archihospitali scutis decem quolibet mense, teneri ad Missam quotidianam et servitium chorale iuxta solitum. Ad secundum, provisum in primo – *in Romana Reductionis die 20 Ianuarii 1821.*

231. Sacra Congregatio vero, attenta aetate, infirmitate et paupertate Patroni passive vocati, indulget suspensionem Capellaniae choralis, deputato simul ecclesiastico Administratore, qui, impletis oneribus, superextantes reditus ipsi consignet *in Viterbien. die 22 Augusti 1807.*

232. Siquidem Rosa Bastiani vidua Camarri postremis tabulis anni 1725 heredem sibi nuncupavit Capellam Beatae Virginis succursus erigendo in ea Beneficium residentiale; ac voluit, ut Capellanus tres Missas in singulas hebdomadas in eius Altari celebraret vel celebrari faceret, nec non interesset omnibus functionibus, quibus satisfacere tenebantur Prior et Canonici. Praecepit insuper, ut Capellania addiceretur propinquo usque ad quartum gradum, qui capax esset illam obtinere. Anno 1728 erecta fuit haec Capellania in Canonicatum: hinc anno 1759 Clericus Nicolaus Macagni Testatrici tertio consanguinitatis gradu coniunctus ex Decreto Curiae Viterbiensis institutionem praefatae Capellaniae seu Canonicatus obtinuit. Eo inde e vivis erepto, fratres Dominicus et Ioannes Ciofi, quibus iuspatronatus addictum erat, ubi defecissent consanguinei Testatricis, nomina-

runt Presbiterum Iacobum Cerrosi: sed Iacobus Macagni frater Nicolai Macagni postremi possessoris, suscepto clericatu, obstitit, interposito *nihil transeat*, quominus nominatio facta a fratribus Ciofi exequutioni committeretur. Sed cum ipse septuagenarius esset et surditate laboraret, postulavit ab Sacra Congregatione indultum, ut posset a choro abesse, vel saltem impletis oneribus suspensionem, attenta aetate, infirmitate et paupertate, indulgeret. Negarunt quidem fratres Ciofi, quod Orator capax esset, cum Missas celebrare non posset, et infirmitate aurium laboraret, et choro interesse nequiret, sed ex fundatione Capellania Sacerdotem actu non requirebat, ex eo quod tribuebatur facultas Capellano celebrandi vel celebrari faciendi; idcirco ad eam obtinendam capax erat Clericus. Res praeterea erat de Patrono passive vocato et paupere, qui ex reditibus Beneficii alimenta de iure petebat.

233. Propositis itaque dubiis: – I. An Capellaniae seu Canonicatus a Rosa Bastiani erecti institutio danda sit Clerico Iacobo Macagni eique concedendum indultum absentiae a choro in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit concedenda suspensio nominationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in secundo. Ad secundum, Affirmative ad vitam Clerici Iacobi Macagni, deputato a Vicario Capitulari ecclesiastico Administratore, qui, impletis Missarum oneribus et factis annuis depositis, superextantes reditus eidem consignet, et cogat heredes decessorum Capellanorum ad implenda praetermissa deposita – *in Viterbien. die 22 Augusti 1807.*

234. Unde licet supremus Pontifex permisisset, ut Capellaniae chorales in totidem Canonicatus erigerentur, cum tamen Capellaniae ad utilitatem Patronorum magis conducerent et erectio Canonicatuum voluntati Testatoris adversaretur, S. Congregatio postquam indulsisset earum suspensionem favore Capituli ad sublevandam Sacrarii inopiam, nedum suspensionem favore Patroni, sed et pluries, reservata etiam aliis Patronis pensione, prorogationem, attenta ipsorum inopia rerumque necessitate, concessit *in Perusina Capellaniarum die 22 Novembris 1828 die 12 Septembris 1829 die 16 Septembris 1837 die 13 Februarii 1841 die 17 Septembris 1842 die 24 Augusti 1847 et die 26 Iulii 1851.*

235. Iamvero Ioannes Maria Perotti postremis tabulis anni 1664 mandavit erigi tot Capellanias in Ecclesia Cathedrali Perusina, quot ferrent fundorum fructus ab ipso relicti, cum onere Capellanis choro inserviendi ad instar aliorum Capellanorum nec non per se ipsos Sacrum applicandi, praeterquam feria secunda et quinta cuiuslibet hebdomadae. Cum tres erectae fuerint Capellaniae, subinde tam Capellani, quam Patroni postularunt, ut tres Capellaniae in tres Canonicatus erigerentur; et Summus Pontifex Pius VI die 22 augusti 1795 - annuit pro suppressione et erectione nunc pro tunc cum primum vacare contigerit totidem Canonicatus trium Capellaniarum Perotti iuxta votum Episcopi et Capituli –. Bulla tamen erectionis nunquam expedita fuit, licet Capellaniae brevi tempore paulatim vacaverint. Cumque nemo ex Patronorum familia extaret idoneus, qui ad Capellaniarum possessionem contenderet, nec Patroni tempore habili extraneum Sacerdotem nominaverint, Canonici Cathedralis Ecclesiae petierunt, ut ad subveniendum Ecclesiae Sacrario aere alieno gravato et supellectilibus expoliato fructus Capellaniarum, suspensa illorum nominatione reductisque Missarum oneribus a Testatore impositis, ipsi Sacrario concederentur. Canonicorum votis anno 1803 annuit Summus Pontifex, ac indultum cum ad exitum iam properaret die 9 martii anni 1817 ad aliud decennium prorogavit. Post haec singuli ex familia Perotti contenderunt, ad se pertinere ius nominandi, quamvis ex diversis lineis proficiscerentur: quidam hinc aetatis dispensationem pro respectivis filiis efflagitabant, nonnulli huic petitioni assentiebantur, alii obsistebant, ac Fundatoris legem servandam esse clamabant. Siquidem Petrus Venanzi unicus Masculus supererat ex feminina linea Fabii Perotti, et masculina sobole carens, se ius exercere velle, iuxta Testatoris placitum, penes Episcopalem Curiam contestando denunciavit. Ex Marco Antonio sola supererat Theresia, quae monasticam vitam ducebat. Ab Irene ortum ducebat Raymundus Neri, qui cum Testatore quinto coniunctus erat gradu. Ipse duos filios suscepit, quorum unus habebat annos quinque, alter, cui nomen Cae-

sar, septimum iam exegerat annum et clericali tonsura erat initiatus. Idem Raymundus, cum magna rei familiaris inopia premeretur, postulavit, ut eius filiis aetatis dispensatio concederetur, sin minus, ut suspensa Capellaniarum nominatione, annui fructus ipsis tribuerentur, quibus se alere ac studiis vacare possent. Ex Magdalena demum Testatoris sorore descendebat Iacobus Frigeri quinto similiter gradu cum Testatore coniunctus, qui duos habebat filios, unum annorum quindecim, alterum annorum duodecim. Cumque et ipse inopia laboraret, enixe deprecatus est EE. PP., ut eius filiis dispensationem aetatis et indultum abessendi a choro largirentur. Reliqui descendentes Canonicatuum urgebant erectionem, licet eorum pars precibus Raymundi Neri, pars petitioni Iacobi Frigeri assensum suum praebere non renueret. At Capitulum Cathedralis Ecclesiae novum postulabat prorogationis Indultum, cum Sacrarium eodem ac etiam maiori indigeret subsidio. Redituum autem decrementum valde amplum deprehendebatur, cum praesentes fructus vix pares essent uni erigendo Canonicatui, et ad utilitatem descendentium magis conduceret, si duae saltem servarentur chorales Capellaniae. Nec dubium, quod ex litera fundationis ius nominandi spectaret ad Petrum Venanzi. Idcirco petitio Raymundi Neri et Iacobi Frigeri reiicienda videbatur, cum laederetur ius nominandi praefati Petri Venanzi, et vulnus voluntati Fundatoris infligeretur, ex eo quod praeter dispensationem aetatis etiam exemptio a choro et facultas implendi per alium onera indulgeri deberet. Uterque tamen se pauperes esse asserebat, adeoque veniam aetatis impertienda esse videbatur, cum passivam haberet vocationem.

236. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit exequendum Rescriptum diei 22 Augusti 1795 super erectione Canonicatuum in casu etc. II. An et ad quem spectet ius nominandi in casu etc. III. An et quomodo sit annuendum precibus Raymundi Neri in casu etc. IV. An et quomodo sit annuendum precibus Iacobi Frigeri in casu etc. V. An et ad quod tempus sit concedendum prorogationis Indultum Capitulo Cathedralis Ecclesiae in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Affirmative ad Petrum Venanzi. Ad tertium et quartum, dilata et ad mentem; mens est, ut scribatur Episcopo, qui, adhibitis diligentiis, referat, an actualiter extent fundi et bona ad valorem septem mille scutorum ex hereditate Petri provenientia ad formam laudi, vocatis ad redditionem rationis Administratoribus, ac deputato interim ecclesiastico Administratore, qui, adimpletis oneribus, curet celebrationem Missarum ad formam fundationis. Ad quintum, Negative in omnibus – *in Perusina Capellaniarum die 22 Novembris 1828.*

237. Episcopus retulit, pretium bonorum extantium hereditatis Perotti adaequare scutata 6943. 85, annuum vero fructum circiter ascendere ad scuta 265; adscito Administratore ad reddendam rationem, compertum esse, hereditatis arcam a die 6 Iunii 1828 auctam fuisse credita pecunia in scutis 88. 30, nempe pecuniae vim ex venditione frumenti colligendam conficere summam scutorum 276. 10, sumptus vero pertingere ad scuta 88. 30. Retulit etiam, Petrum Venanzi die 2 decembris 1828 nominationem contulisse in Caesarem et Franciscum filios Raymundi Neri, qui iam Clericali militiae nomen dedere, qui optime erant spei adolescentes. Repropositis itaque dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Raymundi in casu etc. II. An et quomodo sit annuendum precibus Iacobi Frigeri in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et suspensa duarum Capellaniarum collatione ad quinquennium, impletisque Missarum oneribus, reliqui reditus tribuantur filiis Oratoris, in causam studiorum erogandi, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative reportata nominatione Patroni – *in Perusina Capellaniarum die 12 Septembris 1829.*

238. Expirato quinquennio, quoniam Orator Raymundus Neri eadem adversa premebatur fortuna prorogationem assequutus est ad aliud eiusdem temporis spatium ex audientia Sanctissimi diei 15 decembris 1834; non ita vero propitium illi contigit Rescriptum ad preces, quas obtulerat cadente iulio 1835, quibus deprecabatur, ut Missae duabus Capellaniis adnexae ad dies festos reducerentur. Ingeminavit proinde preces easdem Raymundus, cum reditus Capellaniarum satis

non essent ad filii educationem procurandam, ex eo quod tempore fundationis eleemosyna Sacrorum erat ad taxam iulii unius, in praesens quindecim obulorum. Petrus Venanzi et aliqui Patroni passive vocati petitioni Oratoris adhaerebant; sed alii ac praesertim Episcopus obstiterunt. Episcopus enim censuit, reditus Capellaniarum satis esse ad filii Raymundi educationem, si in eam causam erogaret. Proposito hinc dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Raymundi Neri circa Sacrorum reductionem in casu etc. –, S. Congregatio responsum tulit: – Negative in omnibus – *in Perusina Capellaniarum die 16 Septembris 1837.*

239. Desiit inde terminus quinquennii, et miserrima Vidua novum efflagitavit Indultum ad aliud quinquennium. Episcopus retulit, quod – multi extant passive vocati ad tres Capellanias Perotti, sed nemine ex eis, si Oratricis votis annuatur, praeiudicium infertur, cum nemo ecclesiasticae vitae curriculum assumpserit, vel adhuc assumere sit dispositus. Omnes Patroni suum in scriptis favorabilem dederunt consensum –. Animadvertit vero, quod – curandum est, ne quidquid ex Capellaniarum reditibus, satisfactis oneribus, quorum integritati consulendum iugiter opto, eadem familia percipit, in alios usus distrahatur, et directe in adolescentis Clerici Francisci subsidium fideliter impendatur. Ad id assequendum Rmus Episcopus Civitatis Plebis, sub quo familia ipsa degit, oretenus desiderium protulit, ut praefatus Clericus potiusquam domi, ubi occasiones ei non desunt repellendi ecclesiasticam vocationem, in Seminario iterum foret collocandus, a quo infirmitatis praetextu elapso Ianuario pro ingenio a Matre fuit abductus. Hisce igitur animadversis, per aliud quinquennium gratiam non esse denegandam arbitrarer sub Sacrae Congregationis disciplina –. Capituli votum pro gratia concors pariter erat, dummodo integre pia onera, de quibus sollicitum se praebebat, fideliter adimplerentur. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit concedenda prorogatio Indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad aliud quinquennium ad formam praecedentium, et dummodo Oratricis filius in Seminario Diaecesano moretur iuxta votum Episcopi Perusini et Civitatis Plebis, facto verbo cum Sanctissimo, et notificetur Ministris Datariae Apostolicae – *in Perusina Capellaniarum die 13 Februarii 1841.*

240. Theresia Neri autem rursus Sacrorum reductionem postulavit ac dolens exposuit, ecclesiasticum Administratorem Canonicum Philippum Orsini recusasse Capellaniae reditus sibi suppeditare in alimoniam filioli sui, cum praeteritus Administrator ex superextantibus reditibus alimoniam Colonis Capellaniae praestitisset. Doluit insuper, quod Clericus Franciscus omni iure destitutus fuisset ad fruitionem Indulti, ni Seminarium ingrederetur, a quo tamen prohibebatur ob infirmam valetudinem, qua perpetuo vexabatur. Idcirco petiit, ut reditibus Capellaniae frui posset cum reductione Sacrorum, licet Franciscus in Seminario non commoraretur. Oratrici intentioni haud refragabantur interesse habentes; omnes imo consentiebant, uno excepto Stephano Ricci compatrono passivo, qui, provectam aetatem annorum quinque supra septuaginta lamentatus graviaque senectuti adiecta incommoda ac miseram familiae fortunam, petiit et ipse dato in id supplici libello, ut alimenta ex Capellaniae fructibus pro canonica aequitate sibi concederentur, quibus iam a pluribus annis gavisa erat Theresiae familia. Obstabat utrique Oratori Administrator Orsinius: nam deductis oneribus solum scuta 46 superextabant, quae satis non erant ad necessaria bonorum melioramenta et praesertim urgentes colonicarum domuum restaurationes, pro quibus saltem scuta 750 requirebantur. Idcirco suspensionem Capellaniarum ad quinquennium petiit. Episcopus retulit: – Bonorum ad Capellanias spectantium reditus iuxta hodiernam triennalem locationem sunt ferme quantitatis eiusdem ac erant de anno 1832 nempe scutorum 250, ex quibus vix supersunt, satisfactis omnibus oneribus, scuta 46. Meum Capitulum, habita ratione ad preces eodem tempore ab Administratore porrectas, suo actu capitulari in eum sensum devenit, ut per quinquennium Missae ad dies festos etiam abrogatos atque ad alios Beatae Mariae Virgini sacros reducantur, et Oratrici scuta annua sexaginta pro filio alendo suppeditentur. Huiusmodi sententiae adhaerere sub sapientissima EE. PP.

disciplina non dubito, hoc tantum discrimine, ut ex praedictis scutorum sexaginta medietas eidem Oratrici, et alia medietas compatrono Stephano Ricci assignentur –. Ad preces autem Administratoris quod spectabat censuit Episcopus, – ut Missarum reductione concessa ac suspensa per quinquennium Capellanorum nominatione, ex reditibus, qui satisfactis oneribus supersunt, annuatim scuta 30 eidem Viduae pro filio alendo, alia scuta 30 infirmo seni Stephano Ricci, et reliqua Administrator, pro debitorum extinctione ac pro necessariis reparationibus, tribuantur –.

241. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit servandum Indultum Theresiae Neri concessum sub anno 1841, etiamsi eiusdem filius extra Seminarium degat in casu? II. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio in casu? III. An et quomodo annuendum sit precibus Stephani Ricci in casu? IV. An et quomodo annuendum sit precibus Administratoris Capellaniarum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ut in sequentibus. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi durante Indulto diei 13 Februarii 1841. Ad tertium, Affirmative pro annua summa scutorum quatuordecim durante Indulto diei 13 februarii 1841. Ad quartum, Affirmative iuxta modum; nimirum impletis omnibus oneribus ut in secundo et tertio dubio, solutisque Viduae Neri scutatis annuis 46, reliqua summa erogetur in reparationes et melioramenta iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo quoad omnia – *in Perusina Capellaniarum die 17 Septembris 1842.*

242. Finem quoque habuit quinquennale hoc Indultum, et Vidua Neri gravioribus familiae aerumnis compulsa continuo preces iteravit auxitque, ut etiam reductio Missarum indulgeretur. Verum obstiterunt Stephanus Ricci, qui ob infirmitatem et gravem annorum octoginta aetatem ac inopiam integrum Capellaniarum emolumentum sibi adsciscere studebat, nec non Benedictus minor frater medicam exercens artem, qui petiit, ut sibi subsidium in scutis quinquaginta decerneretur. Administrator Capellaniarum proposuit reductionem Missarum pro duabus ex tribus partibus, firma tamen remanente celebratione Missarum dierum festorum. Propositis autem dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda prorogatio Indulti favore Theresiae Neri et Stephani Ricci in casu etc. II. An et quomodo annuendum sit precibus Benedicti Ricci in casu etc. III. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio in casu etc. IV. An et quomodo annuendum sit precibus Administratoris Capellaniarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad aliud quinquennium iuxta modum, nempe firma remanente suspensione Capellaniarum, satisfactisque oneribus ad formam fundationis, tradantur Viduae Neri scuta sexaginta et Stephano Ricci scuta viginti, reliqua vero erogentur pro manutentione fundorum, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, non expedire. Ad tertium et quartum, provisum in primo – *in Perusina Capellaniarum die 24 Augusti 1847.*

243. Cum autem Stephanus Ricci die 15 martii 1848 diem obiisset supremum, eius frater Benedictus continuo repoposcit, ut loco defuncti fratris in emolumenti perceptione sufficeretur: ast denuo incassum eius vota cessere per Rescriptum die 6 novembris 1848. Cum enim quinquennium expiraverit, Theresia Neri gravioribus pressa aerumnis suspensionem ad tempus indeterminatum, donec rei familiaris angustiae perdurarent, postulavit; hinc et Vidua Benedicti Ricci petiit redituum partem alimentorum titulo. Capitulum autem post adeo diuturnam Capellaniarum suspensionem exoptavit, ut, prorogata suspensione duarum Capellaniarum, pro una saltem Rector nominaretur. Advertebatur tamen, quod Ecclesia Cathedralis satis amplo decoraretur Choralium numero, quin damnum divini cultus obventurum esset. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Theresiae Neri in casu etc. II. An et quomodo annuendum sit precibus Annuntiatae Viduae Ricci in casu etc. III. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio in casu etc. IV. An et quomodo annuendum sit precibus Capituli in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad aliud quinquennium pro scutatis sexaginta, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative pro annuis scutatis quadraginta ad quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, et quartum, Negative – *in Perusina Capellaniarum die 26 Iulii 1851.*

CAPELLANUS CURATUS.

1. Neminem latet, Capellanum Curatum esse deputandum per Constitutionem *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis Alexandri III et sanctionem Concilii Tridentini in Cap. 4 sess. 21 de reformatione, quando ita numerosus sit Populus, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis administrandis, vel quando Parochiani non sine magno incommodo accedere possint ad Ecclesiam Parochialem, ut divina officia audiant et Sacramenta percipiant *in Tusculana die 8 Iunii 1765* §. *Clarissima.*

Item *in Novarien. die 23 Novembris 1765* §. *Alexander* et §. *Synodus.*

2. Unde iustis deficientibus causis ad peragendam dismembrationem Villae Vici superioris a Paraecia Alpisplanae, S. Congregatio eam quidem denegavit, sed attentis simul loci distantia ad duo milliaria ac difficultate adeundi Ecclesiam Parochialem hyberno praesertim tempore, ut una hora diebus solemnioribus pro audiendo Sacro ad non propinquum locum quatuor centum quinquaginta incolae commigrarent, proposito dubio: – II. An Parochus pro tempore dictae terrae Alpisplanae cogi debeat retinere Vicarium Curatum in Ecclesia Sancti Iosephi dictae Villae Vici superioris, seu potius quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, nempe pro facultate concedenda Capellano Vici Superioris, retinendo expensis illius Populi, audiendi in huiusmodi Oratorio publico Sacramentales Confessiones, S. Eucharistiam et Oleum sanctum in eodem conservandi nec non administrandi, Missamque etiam diebus solemnioribus celebrandi, salvis quibuscumque iuribus parochialibus – *in Derthonen. Dismembrationis die 11 Ianuarii 1766.*

3. Idcirco si necessitas providendi spiritualibus Populi necessitatibus urgeat, Episcopus merito mandat constitutionem Capellani Curati, eique stipendium, firmato statu servatis servandis coram Ordinario, solvendum est *in Tusculana die 8 Iunii 1765.*

4. Iamvero Episcopus Tusculanus dum in sacra Visitatione esset anno 1762 comperiit, in agro ex parte Algidi ad montis Tusculani radices, in quo insignis fundus Molariae extabat, intra fines Parochiae Montis Portii (quod Oppidum ex alia parte ultra montem erat) permultos commorari toto agro dispersos cum suis familiis – cuiusque aetatis et sexus in tuguriis miseram agentes vitam, plerosque summa rerum divinarum ignoratione teneri, non neminem sine Sacramentorum susceptione e vivis decessisse, plures non raro hyberno praesertim tempore Missae Sacrificio festis diebus non interesse, non paucos in Paschalibus diebus Poenitentiae atque Eucharistiae Sacramentis minime refici, adolescentes aliquot annorum quindecim et eo amplius nunquam ad sacram Synaxim accessisse, omnes demum in summa rerum omnium tum spiritualium, tum temporalium egestate versari –. Idcirco Episcopus Sacellum, quod ibi erat, ad Populum excipiendum ampliavit auxitque aede adnexa ad habitationem Capellani, qui inibi pro necessitate illorum hominum moraretur. Deputatus hinc fuit Sacerdos Honoratius Sebastiani Capellanus: sed non adhuc elapso anno Capellanus dimisit munus ob non solutum ab Archipresbitero stipendium scutorum trium quolibet mense. Unde Curia, ne Populus sacro Administro careret interea, monito prius Archipresbitero, ei salarium constituit solvendum a mensa Episcopali, repetendum a quo seu quibus de iure. Post haec plene re omni cognita sententiam tulit ac declaravit, exceptiones ab Archipresbitero propositas non obstare, retinendum Capellanum in Sacello Molariae, solvendum ei stipendium ex incertis Parochiae reditibus; si non sufficerent, quolibet anno ab ipsa Mensa supplendum. Appellavit Archipresbiter. Propositis vero dubiis: – I. An sit servandum Decretum sacrae Visitationis diei 15 Novembris 1762 pro deputatione Sacerdotis seu Capellani in Ecclesia S. Mariae *della Molara? Et quatenus affirmative.* II. An et a quo et quomodo et in qua quantitate debeatur eidem Capellano salarium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et am-

plius. Ad secundum, dilata; et firmetur status; servatis servandis, coram Ordinario – *in Tusculana die 8 Iunii 1765.*

5. Compertissimi autem iuris est in Canone *Sane quia* caus. 16 quaest. 2, nemini licere curam Animarum exercere sine Ordinarii licentia approbatione et examine *in Palentina Iuris visitandi die 4 Iunii 1763* §. *Praeterea.*

6. Hinc eo vel magis id locum obtinet vigore Constitutionis *Apostolici Ministerii* Innocentii XIII confirmatae a s. m. Benedicti XIII in Constitutione *In supremo* 16 post Concilium Romanum, ubi sub §. 11 expresse decernitur, specialem requiri approbationem Episcopi ad curam animarum, nec sufficere approbationem ad audiendas Confessiones, etiamsi agatur non de Parocho, sed de Capellano Coadiutore *in Asculana die 22 Ianuarii 1763* §. *Et.*

Item *in Palentina Iuris visitandi die 4 Iunii 1763* §. *Praeterea.*

7. Non tenetur tamen Capellanus ad nutum amovibilis curam animarum exercens Examinatorum Synodalium examini se subiicere, sed satis est, ut sit approbatus ab Episcopo *in Spoletana die 26 Ianuarii 1619 lib. 12 Decretorum pag. 2.*

8. Unde si Episcopus satis providerit spirituali Populi necessitati per constitutionem Capellani Curati, Sacra Congregatio, iusta non intercedente causa dismembrationis, adamussim adprobat Capellani Curati constitutionem *in Derthonen. Dismembrationis die 23 Iunii 1764.*

9. Siquidem inter asperiora Apennini iuga sex loca Fontis Voracis Cassoni Vallis Obscurae Montis Alti Mesoni et Reisoni semper Parochialem Ecclesiam in Oppido Casanovae unicam habuerant: sed inde Incolae Fontis Voracis providentia Episcopi Capellanum seu Vicarium Parochi pro se aliisque Pagis obtinuerunt; a Principe vero ab Auria Pagorum domino, ut domum pro Capellano aedificarent, impetrarunt. In meliorem proinde spem erecti, mox divisionem veteris Parochiae ac novam inibi fundandam postularunt, ob nimiam viarum asperitatem, ac praegelidos aeterna nive ac praeruptos montes, nec non periculi plenissimum iter, cum adesset flumen *Pescia,* cui pons impositus duplici tantum et quidem fragili trabe contextus. Parochus vero cum Populo et Episcopus acriter repugnarunt, ex eo quod iusta non concurreret causa, qua dismembratio fieri posset. Proposito itaque dubio: – II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio, denegata dismembratione, responsum tulit: – Ad secundum, bene provisum per Episcopum; et amplius – *in Derthonen. Dismembrationis die 23 Iunii 1764.*

10. Quando enim deficiant causae ad peragendam dismembrationem et necessitati fidelium consuli valeat per Capellanum Curatum, permittitur eius translatio de una in aliam Ecclesiam, facta obligatione ab hominibus loci praestandi eidem Capellano domum *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783.*

11. Iamvero Parochus Ecclesiae S.Nicolai Oppidi Mensae Sacramenta etiam administrabat Populo Villae Canutii, quae in districtu illius Paraeciae sita erat. Populus novam Parochiam in sua Villa petiit, cum a Parochiali Ecclesia per quatuor milliaria distaret, et haec distantia impedimento esset, ne senes et mulieres diebus festis ad Ecclesiam accedere valerent tempore praesertim hyemali. Addidit, novae Parochiae erectionem denegari non posse ob detrimentum Parochi Ecclesiae Sancti Nicolai, cum is conspicuos reditus haberet scutorum 341, et idcirco ab illius Praebenda avelli facile possent annua scuta centum pro congrua novi Rectoris, ex eo etiam quod Gregorius Ghiselli pro nova hac erectione obtulerit bona annui reditus scutorum quadraginta cum reservatione iuris nominandi Parochum sibi suisque tribuendi. Advertebatur tamen, dismembrationem non indulgeri, si necessitati fidelium consuli posset ope Sacerdotis auxiliaris vel Vice-Parochi. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, providendum esse per translationem Capellani Curati ab Ecclesia S. Eleuterii ad Ecclesiam S. Mariae Angelorum, facta obligatione ab hominibus Villae Canutii praestandi domum eidem Capellano Curato; et amplius – *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783.*

12. Cum itaque acris efferbeat lis, an sit locus dissolutioni seu dismembrationi unius Ecclesiae ab altera, et an iustae ac necessariae

extent causae ad dissolutionem seu dismembrationem peragendam, S. Congregatio hinc inde deductis mature expensis mandat, ut interim Capellanus Curatus in alia Ecclesia constituatur, ibique resideat et curam animarum exerceat pro commoditate Populi eo in loco degentis, donec Episcopus ea referat, quae ad controversiam dissolutionis dirimendam scitu necessaria censentur *in Placentina die 13 Aprilis 1726.*

13. Siquidem ab anno circiter, ut supponebatur, 1628 unus idemque Parochus binas administravit Parochias, alteram S. Mariae loci Retorti, alteram S. Michaelis loci Rompegii; cumque secuta harum Parochialium vacatione homines Villarum Silvae et Retorti comparuissent coram Episcopo Placentino et instetissent pro separatione suae antiquae Parochiae S. Mariae ab altera S. Michaelis, et promptos se dixissent ad supplendum de proprio pro substentatione separati Rectoris, quatenus bona pertinentia ad dictam suam Parochiam S. Mariae pro Rectoris substentatione non suffecissent, suaque spe frustrati vidissent, Sacerdotem Ioannem Paulum de Zazzera post expeditas Bullas pro Ecclesia S. Michaelis cum expressione, quod eius et annexorum fructus non ascenderent ad sexaginta duo ducata auri, possessionem etiam cepisse suae Ecclesiae S. Mariae, exorta est lis, quae fuit ad Sacram Congregationem delata cum facultate etiam procedendi ad dissolutionem unionis. Homines itaque Villarum Silvae et Retorti putarunt, esse locum dissolutioni unionis, et consequenter restitutioni omnium redituum ad Ecclesiam S. Mariae pertinentium et applicandorum pro substentatione separati Rectoris. Nam contenderunt, unionem processisse ex parvo numero habitantium in Villis Silvae et Retorti, et ex redituum insufficientia pro Rectoris substentatione: sed in praesens iam ter centum degebant homines in dictis Villis, et ipsi parati erant ad augendam summam annuam necessariam pro dicta substentatione. Quin imo cum Parochus teneretur alternis diebus festivis Missam celebrare in memoratis Ecclesiis ac teneretur etiam statutis anni temporibus in solemnitatibus Missam celebrare in eiusdem loci Ecclesia, cumque unus idemque Rector haec omnia explere non posset, inferebatur ad necessitatem dissolutionis unionis. Insuper inter Ecclesiam S. Mariae et Ecclesiam S. Michaelis intercedebat flumen Nuriae; unde aliquando nonnulli decesserant absque Sacramentis, quin proficeret, quod a Commissariis demandata fuisset retentio et manutentio pedagii super flumen, ut eius ope homines transire possent, cum id nunquam potuerit obtineri. E contra Sacerdos Ioannes Paulus Zazzera excepit, non esse locum dissolutioni unionis et dismembrationi unius Ecclesiae, quia alia distabat ab altera per spatium unius milliarii, et quia flumen intermedium si aliquando tumescebat, post modicum tempus detumescebat, et etiam quando tumescebat poterant homines ire et redire, dummodo pedagium iuxta regulas artis fieret et conservaretur. Addidit, quod tota Diaecesis Placentina a fluminibus intersecabatur, adeoque plures aliae novae Parochiae fuissent erigendae, et quod ipse non habebat in annuo reditu, nisi scuta quadraginta novem, quae sibi supererant, deductis oneribus; et in eo quod attinebat ad eos, qui sic decesserant sine Sacramentis, dixit, eos fuisse tres aut quatuor spatio annorum quadraginta, ac ignorari, an id contigisset ex eorum obitu repentino vel ex exaggerata difficultate flumen transeundi.

14. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus dissolutioni unionis Ecclesiae Parochialis Villarum Retorti et Silvae ab altera Ecclesia Parochiali Villae Rompegii, sive potius sit servanda unio in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An modernus Parochus Ecclesiae Rompegii teneatur ex nunc restituere omnes reditus alterius Ecclesiae Parochialis dictarum Villarum Retorti et Silvae pro substentatione novi Rectoris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Capellanus Curatus pro nunc constituatur in Ecclesia S. Mariae loci Retorti expensis Parochi, et scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Placentina die 13 Aprilis 1726.*

(1) Instructio fuit, ut expensis Parochi S. Michaelis loci Rompegii constituatur Capellanus, qui resideat in Ecclesia S. Mariae loci Retorti, et in ea exerceat curam Animarum pro commoditate Populi sub ea degentis, ac ulterius Episcopo scribendum esse censuit, ut, citatis interesse habentibus, capere faciat mensuram latitudinis torrentis

15. Hinc si adsit transactio nec necessitas urgeat, locus quidem non est additioni quarti Praesbiteri in Ecclesia parochiali; sed aucto habitatorum numero locus est sumptibus Decimatorum aedificationi novae Ecclesiae succursalis nec non subministrationi sacrarum supellectilium earumque manutentioni atque constitutioni Capellani Curati, qui in loco a Paraecia satis dissito functiones parochiales exerceat *in Carpenctoraten. Dismembrationis die 20 Augusti 1785 die 21 Ianuarii die 20 Maii et die 29 Iulii 1786.*

16. Siquidem Oppidum Montilii, quod Galli dicebant *Monteux,* cum territorio numerum bis mille circiter habitatores comprehendebat. Cepit inde Populus in dies augeri: domus oppidanae, olim Incolis viduae, mox plenae erant; et imo Populi frequentia effecit, ut nova in pomaeriis consurgere visa essent aedificia. Ditatum Incolis territorium quoque erat, et ea praesertim pars extrema, quae a loci natura nuncupabatur *les Palus.* Steriles illae terrae aquisque stantibus olim inundatae, heris ingratae suis, nec ligoni nec aratro suberant, calamorum vix feraces herbarumque palustrium. Ars deinde potuit in iis, quod natura invidebat. Namque aquarum libertate ex ordine cohibita, scindi serique patiebantur, uberes admodum factae. Consequens hinc fuit, cepisse Agricolas ibidem habitare: iamque tercenti et amplius erant; quibus si reliqui et Territorii et Oppidi habitatores iungerentur, omnium numerus erat 3257. Oppidi Consules exposuerunt, impares esse tot animarum saluti Parochum binosque Coadiutores in peramplae Paraeciae administratione, quique intra Oppidum residebant; sed misereri maxime oportere habitatorum regionis *les Palus,* quae trans torrentem *Sorqué* sita erat, et duas circiter leucas ab Oppido et Paraecia distabat. Longum iter impervium difficile ac periculis plenum praesertim in hyeme, dumque tenebat glacies asperrima terras. Namque ii, si Pueri et Adolescentes essent, in fidei erudimentis non instruebantur; si maiores et omni in aetate constituti nec Pastoris sui vocem nec verbi Dei praedicationem audiebant, et in festis diebus Missae Sacrificio saepissime non aderant, vetante duarum leucarum tum distantia, tum difficultate frequentibusque torrentis inundationibus. Sin autem auras vitae agebant extremas sine Sacramentis et sine Parocho moriebantur. Precabantur itaque mandari, quod a decimatoribus Monachis S. Benedicti Montis Maioris Presbiter alius in Oppidi Paraecia Parocho et duobus Coadiutoribus adderetur, quodque nova Ecclesia aedificaretur in regione *les Palus,* eique proprius Pastor constitueretur. Episcopus necessariam censuit Parochialis institutionem in contrada *les Palus;* advertit autem, Consules Montilii litem alias vigentem super quarti Presbiteri additione sub anno 1696 cum Decimatoribus transegisse, adeoque Decimatoribus licere Paraeciae servitium cum Parocho et duobus Presbiteris, prout antea, prosequi. At Consules non obstare dixerunt huiusmodi transactionem anni 1696, cum inde milleni homines et ultra aucti fuerint; idcirco sicuti transactae litis subiectum subivit immutationem, ita et viribus imminuta erat ipsa transactio. Hinc sumptibus Ecclesiae Matricis seu illorum, qui Ecclesiae fructibus potiebantur, Ecclesiae et domus rectoralis aedificia cum subministratione sacrarum supellectilium confici debebant, nam ex decimis quotannis retrahebantur librae 14,000; adeoque a Decimatoribus stipendium Rectori novae Ecclesiae praestandum esse sustinuerunt. Archiepiscopus censuit, transactionem esse servandam, – circa medium loci *les Palus* prope domum Ioannis Ludovici Danis necessariam esse erectionem novae Ecclesiae novam domum et novam congruam favore Presbiteri, qui in adiutorium Parochi et Populi a Parochiali Ecclesia distantis exerceat functiones parochiales in Ecclesia succursali –.

seu fluminis *Nuri* nuncupati in loco, in quo pedagium constituendum est et in praeteritis constitutum fuit, nec non Sacram Congregationem instructam reddat super quantitate redituum tam certorum, quam incertorum, qui remanerent pro Parocho S. Michaelis, quoties fieret dismembratio Ecclesiae S. Mariae, et huic bona assignarentur, quae ad ipsam ante unionem pertinebant; praeterea referat praecisam quantitatem bonorum et redituum ad Ecclesiam S. Mariae pertinentium, et quid instantes pro nova construenda Parochia in Ecclesia S. Mariae intendant quolibet anno contribuere pro novi Parochi manutentione, quomodo se obligare intendant, et an praetendant, quod praesentatio novi Parochi ad ipsos pertinere debeat, *ut in Reg. Litt. lib. 27 die 13 aprilis 1726.*

17. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus additioni quarti Presbiteri in Ecclesia Parochiali Oppidi Montilii? *Et quatenus Affirmative.* II. An et cuius sumptibus sit ei assignandum stipendium? III. An quomodo et quo in loco territorii *les Palus* sit erigenda Capella seu Ecclesia succursalis? *Et quatenus affirmative.* IV. An quibus mediis et cuius expensis sit construenda Capella seu Ecclesia succursalis ac domus pro habitatione Presbiteri Capellani nec non subministranda sacra supellectilia et respective manutenenda? V. An quibus modis et cuius expensis sit persolvendum stipendium eidem Presbitero et in qua quantitate? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi. Ad quartum et quintum, dilata – *in Carpenctoraten. Dismembrationis die 20 Augusti 1785.*

18. Repropositis dein postremis duobus dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative in omnibus sumptibus Monasterii. Ad quintum, Affirmative in omnibus sumptibus Monasterii iuxta taxam praescriptam in Constitutione Sanctissimi anni 1778 – *in Carpenctoraten. Diemembrationis die 21 Ianuarii 1786.*

19. Mox repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata ad primam post proximam et proponatur etiam unica et ad mentem; et mens est, quod Episcopus statim provideat de idoneo Capellano pro Incolis loci *les Palus* sumptibus Monasterii – *in Carpenctoraten. Dismembrationis die 20 Maii 1786.*

20. Repropositis itaque dubiis sub eadem Formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Carpenctoraten. Dismembrationis die 29 Iulii 1786.*

21. Idcirco Ordinarius iustis de causis valide erigit Capellanias Curatas ac respectivas Plebes ab Ecclesia Matrice dismembrat et novis Capellanis Curatis assignat, quin obstet Bulla Apostolica erectionis Ecclesiae Matricis cum clausula sublata et Decreto irritanti; sed imo Ecclesia Matrix cum decimas adhuc exigat ab Incolis Capellanis subiectis manutenere ac reaedificare Ecclesiam ac aedes adnexas tenetur, prout Incolae onera in actu erectionis praescripta ferre debent *in Firmana Dismembrationis die 15 Decembris 1759 et die 7 Septembris 1776.*

22. Iamvero in Oppido S. Elpidii Collegiatam erexit anno 1591 Gregorius XIV in Ecclesia eidem S. Elpidio dicata, illique univit Ecclesiam SS. Michaelis Andreae et Bartholomaei, curamque animarum Parochianorum eiusdem, quam exerceri mandavit per Archipresbiterum unicam dictae Collegiatae dignitatem duosque perpetuos Vicarios illius Coadiutores, qui propterea totius Oppidi et amplissimi illius territorii parochialia munera successive obiverunt, donec anno 1745 comperta in sacris Visitationibus indigentia Agricolarum incolentium dissitam regionem *della Corva* per quatuor quinque ac etiam sex milliaria, nova ibidem perpetua Capellania Curata ab Archiepiscopo erecta est, annuente Archipresbitero et Capitulo, cum assignatione Plebis illiusque dismembratione a Collegiata et Parochiali Ecclesia S. Elpidii et cum omnibus iuribus parochialibus, excepto fonte baptismali et honore debito Matrici Ecclesiae. Eo permoti exemplo Sodales S. Mariae de Misericordia, quorum exigebat institutum Pauperibus opem ferre in temporalibus et spiritualibus indigentiis, anno 1750 postularunt a Sacra Congregatione, ut similis Vicaria Curata erigeretur in opposita eiusdem Territorii aeque dissita regione Arellae, et Sacra Congregatio commisit Archiepiscopo, ut – super praemissis gereret statueret atque decerneret quidquid pro suo arbitrio et conscientia sibi in Domino expedire videretur –. Hinc Archiepiscopus in sacra Visitatione anni 1753 mandavit construi novam Ecclesiam cum domo parochiali in designato fundo, sumptibus Confraternitatis S. Mariae de Misericordia, ac collatis aliquibus caementis ab Archipresbitero et Canonicis S. Elpidii. Perfecto opere, novam Ecclesiam in Capellaniam Curatam erexit Archiepiscopus die 13 ianuarii 1758 sub titulo et invocatione SS. Angelorum Custodum, illique Plebem assignavit ac dismembravit cum omni iure parochiali excepto fonte baptismali, ac imposito Capellano Curato onere interessendi quibusdam functionibus peragendis in Ecclesia Matrici in illius obsequium. Congruam constituit novo Capellano

in rubris quinque frumenti annuatim per Syndicum colligendis a Parochianorum familiis praeter alia rubra decem, iuxta susceptam obligationem quotannis praestanda a dicta Societate S. Mariae de Misericordia, cui propterea reservavit ius nominandi et praesentandi tres idoneos Sacerdotes, ut, praevio examine, unus ex approbatis ab Ordinario institueretur. Id probavit ipse Archipresbiter cum nonnullis Canonicis: sed mox mutato consilio, improbare ceperunt Archipresbiter et Canonici utriusque Capellaniae curatae erectionem, ob resistentiam clausulae sublatae et Decreti irritantis, quibus munitae erant Literae Apostolicae Gregorii XIV, et ob defectum citationis Archipresbiteri et Capituli. Sodales vero et Capellanus Arellae sustinuerunt, Literas Apostolicas Gregorii XIV nequaquam prohibere dismembrationem, ubi necessitas occurreret ad formam iuris et Sacri Concilii Tridentini, citationis defectum sperni debere in casu, quo Capitulares nullam adducebant validam exceptionem, vel suppletum certum remansisse per consensum multipliciter praestitum ab Archipresbitero et Canonicis. Iustam quoque causam dismembrationis non defuisse contenderunt ob nimiam locorum distantiam ad sex usque millia passuum et ob difficillimum iter, sed etiam ob ingentem numerum Incolarum, qui misere occubuerant sine Sacramentis, et ob deplorandam ignorantiam Puerorum in rudimentis fidei propter defectum catechismi.

23. His utrinque perpensis propositis dubiis: – I. An dismembratio facta a Reverendissimo Archiepiscopo Firmano substineatur in casu etc. II. An constet de attentatis et quo modo sint purganda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Firmana dismembrationis die 15 Decembris 1759.*

24. Incolae Arellae rubra quinque frumenti pro stipendio Capellani nec non oleum pro lampade perpetua coram Sanctissimae Eucharistiae Sacramento iuxta erectionis legem per plures annos subministrarunt; sed exin detrectarunt oleum pro lampade tradere Capellano Curato, qui propterea, citatis omnibus, proposuit, utrum onera in erectionis Bulla praescripta, nec non manutentionem et reaedificationem fatiscentis Ecclesiae domusque residentiae Capellani Curati, subire tenerentur Incolae, qui Sacramenta recipiebant, et qui dictis oneribus, excepta reaedificatione Ecclesiae aediumque adnexorum, in praefato erectionis actu gravati fuerunt, vel Sodalitium S. Mariae de Misericordia, quod patronatu iureque nominandi et praesentandi Capellanum Curatum potiebatur, seu potius Ecclesia Matrix, quae decimas exigebat ab Incolis Capellaniae Curatae subiectis. At Incolae Arellae per plures annos onera tulerunt ac probarunt: in erectionis Bulla nulli adsignati fuerunt reditus pro fabrica Ecclesiae, illique vero pro Capellani Curati stipendio praescripti, atque in annuis rubris quindecim frumenti consistentes, adeo modici erant, ut nedum oneribus eidem adiectis non corresponderent, sed vix sufficerent ad congruam vitae Capellani sustentationem. Quocirca cum nihil esset, quod ex reditibus assignatis Capellano superesset, nihil pariter erat per ipsum erogandum in restaurationem et reaedificationem Ecclesiae aediumque adnexarum, ne sine alimentis deservire cogeretur. Hinc primo loco tenebatur Patronus; Patrono vero egestate laborante, Parochiani huiusmodi onus subire debent.

25. His itaque perpensis, propositis dubiis: - I. An et ad quos ultra decem rubra frumenti praestanda a Societate S. Mariae Misericordiae spectet praestatio aliorum rubrorum quinque frumenti olei pro lampade nec non manutentio Ecclesiae ac aedium pro Capellano Curato SS. Angelorum Custodum in casu etc. II. An et a quibus praedicta onera sint exigenda et consignanda Capellano Curato dictae Ecclesiae in casu etc. III. An et quatenus habitatores et coloni territorii S. Elpidii assignati dictae Ecclesiae SS. Angelorum Custodum teneantur subire onus dictarum praestationum et teneantur quoque persolvere decimas Ecclesiae Matrici in casu etc. IV. An et ad quos spectet reaedificatio dictae Ecclesiae et aedium pro Capellano Curato SS. Angelorum Custodum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, praestationem rubrorum quinque et olei pro lampade spectare ad Parochianos Arellae, manutentionem vero Ecclesiae et aedium parochialium spectare ad Collegiatam S. Elpidii. Ad

secundum, frumentum et oleum exigendum a a Sindico dicti loci Arellae ad formam repartimenti approbandi ab Emo Archiepiscopo; et amplius. Ad tertium, Affirmative ad formam resolutionis primi dubii. Ad quartum, spectare ad Capitulum S. Elpidii – *in Firmana die 7 Septembris 1776.*

26. Qua de re demandatur institutio Capellani Curati continuo residentis in loco a Paraecia duplici et ultra lapide dissito, non vero erectio Parochiae, si ob id satis consulitur necessitati fidelium, assignata pro dicto Capellano Curato congrua partim ex fructibus Ecclesiae Matricis et unione Beneficii simplicis, ac partim ex augmento decimarum, quas Incolae loci solvere promittunt, cum Parochus annua scuta circiter centum tantum habeat, quibus etiam Capellanum manutenere debet *in Asculana Erectionis Parochiae die 19 Decembris 1795 die 26 Novembris 1796 et die 15 Ianuarii 1803.*

27. Enimvero in Parochia Castri S. Petri Asculanae Diaecesis duae Appoiani erant Villae animarum centum, quae ad radices positae Apennini, duplici et ultra lapide per asperum praeruptumque iter, torrente etiam intercisum, a superiori distabant Ecclesia parochiali. Multoties idcirco Apoianenses Pueri Senes Valetudinarii, hyemali praesertim tempore, carebant diebus festis Sacro; interdum Sacramenta exquirere debebant a vicinioribus Parochis, et non raro decedebant Infirmi sine assistentia Sacerdotis. Aliquantulum hisce malis consultum fuit anno 1639 per erectionem simplicis Beneficii in Oratorio Appoiani sub titulo S. Athanasii cum onere unius Missae singulis diebus Dominicis et festis de praecepto et alterius hebdomadalis, et cum reservatione promiscui iurispatronatus favore Appoianensium. At quum plura ad curam deessent Animarum, supplicarunt Appoianenses anno 1794 pro erectione novae Parochiae, vel institutione Capellani Curati in eodem Oratorio cum assignatione decimarum in scutis annuis triginta nec non reditus dicti Beneficii in scutis annuis quatuordecim, seque solidaliter obligabant ad augendam decimam, ut congruam novo Parocho vel Capellano Curato instituerent. Propositis interim dubiis: – I. An et quomodo sit locus erectioni novae Parochiae, seu potius institutioni Capellani Curati residentialis in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An et quomodo sit constituenda congrua in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Emo Episcopo iuxta mentem; et mens est, ut referat de necessitate novae Paraeciae Parochi seu Vicarii aut Capellani Curati continuo residentis in Villa Appoiani, de congrua eidem assignanda, et de iure Matricitatis in specie reservandae favore Parochi S. Petri – *in Asculana Erectionis Parochiae die 19 Decembris 1795.*

28. Episcopus censuit, necessariam esse institutionem Capellani Curati, non vero novam condere Paraeciam; Appoianenses solvere Parocho S. Petri annua scuta ferme triginta, hinc – Capellano, qui Appoiani necessario instituendus est, portionem saltem scutorum quindecim assignandam esse existimarem ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus, cui portioni si Beneficium scutorum quatuordecim adiungatur, ad quod eligendi penes ipsos Appoianenses ius est, quodque augeri potest praestatione illa, ad quam Incolae sese astringere parati sunt, modum fortasse inveniemus, quem quaerimus, ne fidelis ille Populus, quem montes rupesque praepediunt, iusto suo desiderio frustretur, neve Parochus S. Petri gravem admodum sive iurium sive suorum redituum iacturam patiatur –. Nam praefatus Parochus annua scuta circiter centum percipiebat ex reditibus suae Paraeciae, quibus tamen non solum consuetis expensis satisfacere tenebatur, verum etiam Sacerdotem Capellanum sustentare debebat, a quo cum aliae septem Villae, quarum aliquae paullo minus distabant a Castro, quam Appoianus, non ita tamen tantae viarum difficultati obnoxiae erant.

29. His mature perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, facta obligatione per Communitatem, iuxta votum Emi Episcopi – *in Asculana Erectionis Parochiae die 26 Novembris 1796.*

30. Episcopus ad tramites resolutionis huius assignavit Capellano Curato scuta quindecim ex fructibus ad Parochialem Ecclesiam S. Petri pertinentibus, alia scuta quatuorde-

cim ex fructibus Beneficii S. Athanasii et alia scuta duo iuxta obligationem emissam ab Incolis Villae Appoiani, ultra etiam augmentum, quod iidem Incolae praestare parati erant. Nam Incolae illi, ut Capellanum obtinerent, augere promiserant decimas, quas rependebant. At inde Parochus postulavit, ut liberaretur ab onere solvendi scuta quindecim annua, et adigeretur Communitas ad emittendam obligationem iuxta Sacrae Congregationis Rescriptum, ut iniungeretur Capellano, ne Populum revocaret a frequentia Ecclesiae Matricis atque in ea sacris functionibus adesset et Praeceptum Paschale impleret. Contra Appoianenses arguerunt Parochum Castri S. Petri, qui solvere detrectabat scuta quindecim, ita ut, cum Capellani non haberent, unde viverent, Capellaniam et curam animarum derelinquerent, et Parochiani spiritualibus subsidiis destituerentur. Emus Episcopus tenue censuit esse stipendium Capellani in scutis triginta et unum: hinc proposuit, ut Appoianenses subministrarent scuta annua decem aut duodecim, et Parochus S. Petri augeret praestationem annuam scutorum quindecim vel cederet partem emolumentorum, quae ex baptismis funeribus et sponsalibus Appoianensium percipiebantur. Cum autem Ecclesia dismembrata non fuerit, habebat Parochus expedita iuris remedia, quibus revocare poterat Appoianenses ad interessendum aliquando Ecclesiae et ad implendum Praeceptum Paschale.

31. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An in qua summa et a quibus sit praestandum et augendum stipendium Capellano Curato in casu etc. II. An et quoties intra annum Populus Appoiani teneatur interesse sacris functionibus in Paraecia S. Petri ibique Praeceptum Paschale implere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in aliis scutis duodecim tantum praestandis a Populo Appoianensi. Ad secundum, Affirmative pro implemento Praecepti Paschalis, in reliquis esse monendum – *in Asculana die 15 Ianuarii 1803.*

32. Unde si Populus ita fuerit auctus, ut Episcopus Parocho seu Vicario perpetuo adiungendum esse Sacerdotem in Sacra Visitatione mandet praestito stipendio ab eo, qui verus sit Parochus, Sacra Congregatio merito iubet, Decretum huiusmodi esse exequendum *in Sabinen. die 18 Septembris 1751.*

33. Enimvero Emus Card. de Ilcio Episcopus Sabinae Ecclesiae, visitans Vicariam perpetuam cum cura animarum anno 1582 erectam in Oppido, quod nuncupabatur *Canemorto,* agnovit, in re praesenti opus omnino esse, ut Vicario alius Sacerdos, qui opem ei operamque praestaret in cura animarum, adiungeretur; decrevitque, – ut per Abbatem Commendatarium, qui obtinet Abbatiam praedictae S. Mariae de Plano, provideretur intra terminum unius mensis antedicta Ecclesia Parochialis de Coadiutore per ipsum Emum Ordinarium approbando, quo termino elapso et Sacerdote idoneo ad dictum effectum non assumpto nec praesentato, providebit taxato ac eidem Coadiutori assignato iuris ac facti remediis congruo emolumento super fructibus praedictae Abbatiae –. Aegre tulerunt hoc Decretum R. P. D. Bernardinus Marius Abbas S. Mariae et Franciscus Caffarellius eiusdem Abbatiae resignatarius: nam non ita excrevisse dixerunt Populum, ut opus omnino esset alium Sacerdotem Parocho adiungere; et si adiungendus esset, stipendium solvendum esse a Vicario, de cuius commodo et utilitate agebatur. At Emus Episcopus sustinuit, Vicarium omnibus praesto esse non posse, contigisse aliquando, ut, dum ipse Infirmo Sacramenta ministrabat, alius sine Sacramentis decesserit, cavendum esse, ne id eveniret, ut evenit; auctum esse Populum inficiari non posse, quae enim pridem erant familiae 170, in praesens iam erant 216, et quae olim erant Capita hominum 820, in praesens iam erant 1030; reditus Vicariae, qui certi erant, non excedere scuta 75, et qui incerti dicebantur, non excedere scuta 8, ex his omnibus detrahendas esse impensas, quas necessario subire debebat quotannis Vicarius, ut a iure et aequitate devium videretur onerare Vicarium stipendio Capellani in tanta redituum tenuitate, ideoque stipendium praestandum esse ex fructibus pinguis Abbatiae. Nam Abbas S. Mariae verus erat Parochus, non vero Vicarius, qui exercitium tantum habebat curae animarum. Addidit, nullam habendam esse rationem de Regularibus Sacerdotibus, cum duo tresve essent, qui Sacramentales tantum confessiones in eorum Ecclesia exci-

piebant, sed nullam Vicario opem ferebant neque ferre tenebantur; fidendum non esse vanis Sacerdotum secularium promissis, qui aut parum idonei erant ad excipiendas Sacramentales Confessiones et Sacramenta Populo exhibenda, aut dissidiis et contentionibus cum Vicario agebantur, quique si desides essent et negligentes, si vocati non irent, corrigi non poterant ab Episcopo, quod nullam emiserint obligationem, et volentes dumtaxat Parocho operam praestarent.

34. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus appositioni Capellani Curati in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Decretum factum in Sacra Visitatione per Emum Episcopum Sabinensem sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad utrumque – *in Sabinen. die 18 Septembris 1751.*

35. Quando enim locus non est dismembrationi Paraeciae, sed interim ob viarum difficultatem constituitur Capellanus Curatus in Ecclesia filiali, assignatur eidem congrua ex proventibus, quos aliquis percipit, et in subsidium reliquum suppleri debet a Communitate loci, cuius arbitrio et sumptibus reaedificatur nova Ecclesia *in Constantien. die 27 Iunii 1761.*

36. Siquidem Incolae Steinstattenses petierunt dismembrationem ab Ecclesia Schliengensi eiusque Vicario Curato, vel saltem constitutionem Capellani Curati in propria Ecclesia filiali ex decimis, quae in loco percipiebantur a Magno per Alemaniam Priore sacrae Religionis Hierosolymitanae. Nam iacebat intermedia parva Ecclesia sive Capella ex defectu luminis tenebrosa et sine sacristia inter Pagum Steinstatt et Oppidum Schliengense 648 passus distans a remotissima Pagi domo; et 1739 passus ab aedibus parochialibus Schliengensibus per viam ampliorem, passus vero 1384 per viam angustam, ita ut ab ultima Pagi domo ad aedes parochiales duplicis milliarii pluriumque passuum distantia intercederet per utramque viam. Rivi aderant proximi; et plures Testes formiter examinati asseruerunt, adeo utramque viam occasione pluviarum et dissolutionis nivium extraordinariis rivorum inundationibus obtegi, ut per angustam et breviorem nullus aditus pateret, et ad superiorem latiorem viam, in qua porticulus reperiebatur, in maioribus inundationibus sola navicula perveniri posset, sed Incolas navigandi arte imperitos esse, et semel accidisse, quod Parochus deferens Sanctissimum Viaticum Infirmo exundantium aquarum impetu per integrum lapidis iactum fuerit depulsus, atque inde ob distantiam obrutamque viam administrationi Sacramentorum et curae exercitio nequaquam semper praesto esse Capellanum in Oppido Schliengensi residentem, et Parochianos Steinstattenses quandoque privari Missae Sacrificio diebus festis, plurimosque decedere sine Sacramentis et sine assistentia Sacerdotis. Contra Magnus Prior nedum dismembrationi, sed et deputationi Capellani Curati obstitit: nam sacrum Concilium Tridentinum in sess. 21 cap. 4 praecepit assumptionem Coadiutorum pro modo affluentiae Populi, non autem illorum residentiam in omnibus angulis Parochiae, cum praesertim specialis vigeret consuetudo in Provincia Bryscoviae, ubi asserebatur existere Pagus Steinenstatt, quod Coadiutores residerent apud Matricem, non autem in Ecclesiis filialibus etiam dissitis unius horae. Contendit insuper Magnus Prior, quod decimae praediales, subductis canonibus ac responsionibus ratione dominii fundiarii vigore emphyteuticarum concessionum a Steinenstattensibus debitis, solum attingebant annuos florenos 534, et vix sufficiebant pro manutentione Vicarii Curati Schliengensis et Capellani Coadiutoris, nihilque supererat pro nova Ecclesia aedificanda.

37. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – II. An sit locus praetensae deputationi Capellani Curati, qui continuo residere debeat in Pago Steinenstatt, et a quo eidem sit assignanda congrua? *Et quatenus affirmative.* III. An sit locus praetensae aedificationi Ecclesiae nec non aedium parochialium in eodem Pago Steinenstattensi et cuius sumptibus in casu etc. –, Sacra Congregatio, denegata dismembratione, respondit: – Ad secundum; Affirmative sumptibus Magni Prioris ex decimis parochialibus Steinenstatt, et in subsidium reliquum suppleatur a Communitate. Ad tertium, arbitrio et sumptibus Communitatis – *in Constantien. die 27 Iunii 1761.*

38. Nam sacrorum Canonum sanctio Sacrae Congregationis et Canonistarum doctrina est, ut primus Parochus ipse, qui coadiu-

vatur, alendi Capellani onus ferat *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836* §. *At* (1).

39. Si vero Parochiae reditus non sufficiant, Episcopus suae Mensae proventibus eidem congruam portionem assignet, et in subsidium Parochiani *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836* §. *At* (2).

40. Unde compertum omnino est, ante omnia Concilium Tridentinum in cap. 4 sess. 21 de reformatione Episcopo permittere, ut Parochi Coadiutoribus – competens eius arbitrio assignetur portio ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus – *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836* §. *Concilium.*

41. Idcirco Coadiutori seu Vicario Curato pars fructuum pro sufficienti victu est adsignanda, quae vel in tertia redituum parte consistit, ut visum est Rotae apud Duranum decis. 144 n. 6, et apud Card. Falconerium de decimis decis. 9 n. 14, vel in duobus aureis in singulos menses, ut de sententia Sacrae Congregationis tradunt Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 15, Barbos. de offic. et potest. Episcopi allegat. 60, n. 2, Panimolla decis. 15 adnot. 2, n. 29 *in Ferentina Coadiutoriae die 8 Februarii 1744* §. *Cum.*

42. Inde vero S. Pius V praestandae congruae Vicariis Curatis modum imposuit, nimirum nec infra scuta quinquaginta nec supra scuta centum, computatis omnibus etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus percipi solitis, ut in Constitutione 47 *Ad exequendum* anni 1567, sive perpetui sint, sive temporales et amovibiles, sive minorem congruam acceptaverint, aut secus *in Assisien. Congruae die 9 Septembris 1786* §. *Ad primum.*

43. Attamen Benedictus XIV in Encyclica *Cum semper* in suo Bullario 103 §. 10 tom. 1 arbitrio Episcoporum commisit, ut, pro temporum circumstantiis proque onere applicandarum pro Populo Missarum, possent congruam Vicariis perpetuis aut temporaneis decernere, sive cum congrua iisdem non fuisset integre attributa, sive etiamsi fuisset iuxta S. Pii V Constitutionem assignata *in Assisien. Congruae die 9 Septembris 1786* §. *Ad secundum.*

44. Qua de re cum de noviter constituendo Capellano coadiutore res sit, illud definiendum est attentis circumstantiis loci, onerum numeri animarum, aliisque, quas vel in ipsa Parochis assignanda congrua prae oculis haberi voluit S. Pius V in Constitutione *Ad exequendum* 1 novembris 1567 *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836* §. *Quodnam.*

45. Quod si ab initio stipendium seu salarium Capellanis auxiliaribus in animarum curae exercitio assignatum fuerit, illudque semper ab illis pro iusto sufficientique habitum ac receptum absque ulla vel minima eorum reclamatione, augendum non est nec novum constituendum, nisi probata aut illius originaria insufficientia aut eiusdem subsequuta imminutione *in Carpenctoraten. die 15 Septembris 1781* §. *Addit* (3).

46. Nam quando agitur de simplicibus Curatis seu Capellanis ad nutum amovibilibus, iis non congrua debetur, sed simplex salarium seu stipendium, quod operae laboribusque respondeat *in Capenctoraten. die 15 Septembris 1781* §. *Causa.*

Item *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836* §. *Quodnam* (4).

47. Unde si Parochus non tenetur deputare Capellanum Curatum suis sumptibus, sed Episcopus, invito Parocho et interposito recursu ad S. Congregationem, illum constituerit ac iusserit solvere salarium ex reditibus Parochiae, locus est restitutioni salarii exacti a Capellano, quin propterea sit relaxandum mandatum pro aliis decursis et non solutis usque ad diem praestiti servitii *in Pisauren. die 1 Septembris 1753 et die 28 Septembris 1754.*

48. Iamvero aderat in territorio Gradariae

(1) Rota in Asculana Contributionis congruae 28 aprilis 1755 §. 2 coram Elephantutio.

(2) Fagnan. in Cap. *De Rectoribus* de Cleric. aegrot. n. 3; Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3, alleg. 63, n. 15.

(3) Gloss. in Cap. *Quanto* verb. Indulgemus in fin. de censibus; Rot. in decis. 429, n. 2 coram Ludovisio; et in Tarraconen. Augmenti congruae et arrogationis nominis Rectoris 11 maii 1759 §. 2 coram Card. Bussio.

(4) Barbos. de iur. eccles. univers. lib. 3, cap. 6, n. 58; Rot. in decis. 466, n. 19, part. 19, tom. 2 Recent.; et in Tarraconen. Vicariatus super iuribus et emolumentis Vicariorum 4 iulii 1759 §. 3 coram Herreros.

Parochia ruralis S. Sophiae, quae duas habebat Ecclesias, alteram intra Gradariam, et alteram in centro ipsius Parochiae. Anno 1743 cum morte Archipresbiteri vacaret Parochia, actum fuit de unienda hac Parochia cum altera S. Ioannis, quae erat intra Gradariam cum onere retinendi Rectorem ruralis Ecclesiae S. Sophiae, qui curam animarum haberet; sed proposito die 11 ianuarii anno 1744 dubio: – An sit locus unioni et respectivae dismembrationi in casu etc. –, rescriptum fuit: – Negative, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –, quae fuit - ut provideret indemnitati animarum –; ideoque Archipresbiter,ut huic responso obtemperaret, Sacrum diebus festis sive per se sive per alium Sacerdotem egit in Ecclesia rurali, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae petentibus ministravit, Pueros Religionis dogmata docuit. Anno 1748 de gravi crimine accusatus presbiter Petrus Giovannelli, ut Causam suam, in qua de privatione Parochiae agebatur, in Sacra Congregatione tueretur, Romam venit, deputato in Vicarium suum Andrea Nardio. At Curia Episcopalis Pisaurensis, amoto Nardio a munere Vicarii, oeconomum deputavit Antonium Carletti et Nardium Capellanum ruralis Ecclesiae S. Sophiae, ut Sacrum in ea diebus festis ageret. Questus est de hoc duplici onere eiusque inutilitate Archipresbiter apud Eminentissimos Patres, negavitque Nardio Capellano stipendium; sed Curia Episcopalis, non expectato Sacrae Congregationis iudicio praecepit Oeconomo, ut ex Parochiae reditibus stipendium solveret Nardio, quod ab Oeconomo factum fuit duabus summis solutis. Postulavit Archipresbiter, ut Capellanus amoveretur; et die 15 Aprilis anno 1752 rescriptum fuit: – Quoad remotionem Capellani ruralis ad D. Secretarium cum Agente Episcopi, et ad mentem –. Mens vero fuit pro omnimoda Capellani ruralis remotione. Remotus fuit Nardius, qui iampridem rei exitum praenoscens a mense ianuario destiterat Sacra agere, et mense iulio postulavit, ut Archipresbiter compelleretur ad solutionem residui sui stipendii; sed inde, mutato consilio, Archipresbiterum in ius vocavit coram A. C. E contra Archipresbiter Signaturae Tribunal adiit petens, ut Nardius, qui, lite in Sacra Congregatione pendente, exegerat stipendii partem mandatis Curiae Episcopalis Pisaurensis, attentata purgaret, utque Causae cognitio Sacrae Congregationi delegaretur; et quod petiit, obtinuit. Postulavit igitur Archipresbiter a D. Secretario, ut compelleretur Nardius ad purgationem attentatorum et restitutionem quantitatis, quam ab Oeconomo exegerat, decretumque fuit: – Obtinuit per viam nullitatis, et supersederi per octo, et amplius –; expedito inde mandato de restituendo, exequutum illud fuit, et summa pecuniarum penes publicum depositarium servabatur. Rediit Promotor Curiae Episcopalis ad D. Secretarium, et re iterum probe perspecta, confirmatum fuit Decretum. Adiit Emum Card. Praefectum, et reiectus fuit: nesciens, quo se verteret, petiit, ut ei liceret audire S. Congregationis sententiam. Archipresbiter hinc ostendit, deberi quidem Nardio stipendium, qui Sacra egit: at deberi ab eo, qui Capellanum praeposuit; non teneri Archipresbiterum, qui hoc onus retinendi Capellanum non habebat, quique ei non mandavit, ut Sacra ageret.

49. His interim perpensis, proposito dubio: – II. An sit locus restitutioni salarii exacti a Capellano Nardi, seu potius sit relaxandum mandatum pro aliis salariis decursis et non solutis usque ad diem praestiti servitii in casu etc. –, S. Congregatio cum edixerit, quod remotio sustineri deberet, nec Archipresbiter teneretur illum suis sumptibus deputare, adimpletis oneribus parochialibus vel per se vel per alium, responsum dedit: – Ad secundum, ad mentem – *in Pisauren. die 1 Septembris 1753.*

50. Nihil praetermisit Emus Praefectus, ut mens Sacrae Congregationis impleretur. Archipresbiter obsequens voluntati Emi Praefecti epistolam supplicem dedit Episcopo, obtulit remissionem salarii a Nardio indebite exacti, veniam petiit. Sed nihil obtinuit. Cum itaque mens Sacrae Congregationis implere nequiverit, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Pisauren. die 28 Septembris 1754* (1).

(1) Reliqua habes in verb. *Archipresbiter*, §. II, n. 180 et 181, Tom. II.

51. Cum autem Parochus ab immemorabili consuetudine teneretur per alium celebrare Missam diebus festis in alia Paraecia unita, sed reditus adeo tenues essent, ut nemo eam acceptare vellet, et Promotor Fiscalis instaret, ut hoc onus deleretur, ex eo quod alias ovibus consuli non poterat, Sacra Congregatio censuit agere cum Summo Pontifice ad effectum persolvendi ex aliqua publica capsa emolumentum Capellano Coadiutori, donec aliter provideri valeret *in Tudertina die 25 Maii 1822 et die 25 Ianuarii 1823.*

52. Iamvero in Tudertina Diaecesi aderat Castrum Turrium, cui ab immemorabili unita erat Paraecia Oppidi Barattani. Unicus Pastor praeerat ovibus utriusque Paraeciae, ac residebat in Castro Turrium, cum onere tamen mittendi singulis diebus festis Sacerdotem ad Castrum Barattani, ut ibi pro Populi commoditate absque onere applicationis Missam celebraret. Reditibus utriusque Paraeciae multum imminutis, detrectabant Parochi veterem servare morem circa onus Missae in Oppido Barattani, et hinc ea de causa novissimus Parochus libere cesserat Paraeciae; antecessor vero pluries coram Episcopo insteterat pro exemptione ab huiusmodi onere. Vacante itaque Paraecia ab aliquibus mensibus, frustra pluries indictus erat concursus. Nam reditus parochiales summam constituebant scutorum 99. 25, non deductis oneribus, quae ut referebat et demonstrabat Cancellarius Episcopalis, onere comprehenso praedictae Missae, summam conficiebant scutorum 88. 13; unde ab onere immunia non supererant, nisi scuta 11, 12. Qua de re Promotor Fiscalis Sacram Congregationem adiit, sibi facultatem fieri flagitans indicendi iterum concursum cum exemptione futuri Parochi ab onere mittendi Sacerdotem ad Castrum Barattani, qui ibi pro Populi commoditate Sacrum faceret. Episcopus, attenta paucitate Sacerdotum et modicitate redituum, quin aliud esset medium consulendi ovibus, obsecravit S. Congregationem, ut dignaretur instantiam Promotoris Fiscalis admittere. Etenim dum paupertas habitantium non sinebat, ut hoc gravarentur onere, quod nunquam habuerant, iidem non obstante exhortatione Episcopi et Vicarii foranei Missae commoditati cedere omnino renuerant ac mordicus renuebant, cum ius quaesitum et immemorabili consuetudine firmatum haberent. Propositis interim dubiis: – I. An exonerandus sit Parochus Castri Turrium ab onere celebrationis per alium diebus festis in Oppido Barattani in casu etc. II. An et quomodo cogendi sint Incolae Barattani Parocho aliquid contribuere, ut antiqua servetur methodus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et Episcopus, transmisso distincto statu activo et passivo Paraeciae comprehensis incertis, referat de distantia Villae Barattani a Paraecia Castri Turrium, de numero animarum et familiarum utriusque separatim, et cur per symbolam ad formam sacri Concilii Tridentini sess. 24 cap. 13 de reformatione augeri nequeat congrua Parochialis *in Tuderdina die 25 Maii 1822.*

53. Episcopus retulit, utriusque Paraeciae reditus accurate descriptos, comprehensis etiam incertis, summam conficere scutorum 99. 25; expensas vero omnino necessarias, a quibus eximi non poterat Parochus, summam constituere scutorum 89. 21, ita ut Parocho non superesset nisi summa scutorum decem et trium obulorum; distantiam Villae Barattani a Castro Turrium esse 750 passuum, familias huiusce Villae 20, et animas constituere 107, familias Castri Turrium esse 33, animas 137. An vero superesset modus consulendi indigentiae redituum parochialium iuxta Tridentinam Synodum sess. 24 cap. 13 de reformatione ita conclusit: –. Augeri non potest congrua Parochialis ad formam Concilii Tridentini causa paupertatis Parochianorum. Antequam suaderem Barattani Incolis, ut assentirentur exemptioni ab onere celebrationis Missae diebus festis in eorum Ecclesia, omnem manum apposui, ut singuli pro rata augerent congruam; sed omnes uno ore responderunt, non posse causa paupertatis, et quia alia onera seculari Gubernio ultra vires solvere tenebantur. Interea Parocho carent, et eis opitulatur aliqua ex parte in spiritualibus Parochus Abbas Barbette Castri Veprium, tamquam Parochus proximior. Is saepe saepius mihi protestatur dicens, se non posse ultra procedere in exercitio propriae et alienae Paraeciae, et tunc quid consilii capiendum nescio. Peto iterum, ut EE. VV. dignentur Pro-

motoris Fiscalis petitiones et instantias benigne excipere et executioni demandare. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem – *in Tudertina die 25 Ianuarii 1823.*

54. Mens autem fuit, ut ex aliqua publica causa emolumento Capellano Coadiutori persolveretur, donec aliter provideri valeret *in Nursina Capellani Curati die 22 Decembris 1838* §. *Verum.*

55. Idcirco si cuncta desint media, et Parochus ob infirmitatem propriis fungi nequit muneribus, S. Congregatio mandat, ut constituatur Capellanus Curatus ad formam Tudertinae *in Nursina Capellani Curati die 22 Decembris 1838.*

56. Siquidem Sacerdos Benedictus Costanti Nursinae Diaecesis loci *Saccoviso* Parochus perpetuus exposuit, annis se quinquaginta sex natum, gravissimo tamen reumatico gravedinoso morbo laborantem, imparem prorsus animarum curae exercitio de plenissimo Medicorum testimonio esse factum. In adeo rerum discrimine flagitavit, aut honestam ab R. Camera Apostolica ad vitae substentationem portionis adsignationem, aut alteram meliori, quo fieri poterat, modo provisionem. Episcopus retulit, Benedictum Costanti sic revera adversa valetudine affectum esse, ut ad curam animarum impar prorsus evaserit, eumdem triginta iam ab annis laudabiliter Paraeciae Saccovisii praefuisse, annuum Paraeciae reditum ab oneribus depuratum, comprehensis incertis stolae, ascendere ad summam scutorum 56. 30, qua summa vix unius personae substentationi provideri posse, miserrimam esse Parochianorum conditionem, adeoque ipsos nullum subsidium alteri Sacerdoti parare valere, Diaecesim simplicibus Beneficiis penitus carere, denique cuncta media per Concilium Tridentinum proposita deficere. Idcirco Episcopus Summum Pontificem enixe adprecatus est, ut Parocho Costanti convenientia media adsignare dignaretur.

57. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo constituendus sit Capellanus Curatus in Paraecia Saccovisii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad D. Secretarium cum Sanctissimo ad formam Tudertinae diei 25 ianuarii 1823 – *in Nursina Capellani Curati die 22 Decembris 1838.*

58. Quando igitur nec Parochus, impar omnino ad munus parochiale obeundum factus, nec Episcopus, nec Parochiani symbolam suppeditare Vicario Capellano substentando idonei reperiantur, summa sexaginta scutorum ex Spoliorum Camera pro Capellano constituitur *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836.*

59. Nam nedum inhumanum, sed et omnino illegale est, Clericum, qui aliunde honestissimae vitae sit, incurabili morbo gravatum et perpetuo impedimento detentum a Beneficio removere, sed ei succurrendum omnino esse per Coadiutorem docet Textus in Cap. *Ex parte* de clerico aegrotante, in Cap. *Pastoralis* eod. tit., et Fagnanus in Cap. *Ceterum* de Rescriptis n. 75 *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836* §. *Iamvero.*

Item *in alia Nursina Capellani Curati die 22 Decembris 1838* §. *Iamvero.*

60. Siquidem in perexiguo Iapeti pago Nursinae Diaecesis Parochi munus pluribus ab annis exercebat Sacerdos Philippus Colasanti. Is propter deformem corporis habitum Pontificia dispensatione Presbiter ordinatus, irregularis omnino ac impar ad Parochiale munus obeundum evaserat (1). Idcirco Episcopus spirituali Populanorum utilitati idoneo Sacerdote consulendum esse persentiit: sed qua ratione id fieri posset, anceps haerebat. Etenim Colasantium a Parochia prorsus repellere inhumanum putabat, quippe is suo semper munere optime functus erat, et aliun-

(1) Iamvero Episcopus retulit: – Ha sempre più sofferto maggiori incommodi e segnata mente un indebolimento considerabilissimo nella spina dorsale ed una contrazione in ambedue le braccia; oltre di ciò è ricoperto di varie piaghe, che sensibilmente lo tormentano, e per trasportarlo da un luogo all'altro conviene porlo sulle spalle di una robusta persona, che dovendo amministrare il Viatico gli metta la borsa dell'Eucaristia, e così sopra le spalle altrui farsi condurre alla casa degli Infermi. Inoltre l'indebolimento delle vertebre lombari è giunto ad un grado così straordinario, che l'obbliga a celebrare la Messa interamente sedendo anche nell' atto della consegrazione, e stante la contrazione delle braccia evvi pericolo dell'effusione nella sunzione del calice –.

de fortunae bonis destitutus Patrimonii Sacri titulo Paraeciam retinebat: e contra Paraeciae reditus vix uni alendo individuo pares erant, quique aderant Parochiani (quinque dumtaxat familias constituentes) pauperrimi sane inveniebantur, denique Episcopalis mensae proventus nec ipsis eius oneribus interdum satisfaciebant. Hinc Summum Pontificem supplex adiit efflagitans, - ut, ab animarum curae exercitio praedicto Sacerdote penitus remoto, in praefata Villa aliquis temporaneus Vicarius substitueretur, qui et spirituali Incolarum bono vacaret, et media ad substentationem necessaria praesto illi inveniantur -. Pontifex autem preces remisit Sacrae Congregationi, quae, cum nec Paraecia nec Episcopus nec Parochiani symbolam suppeditare Vicario Capellano potuerant, proposito dubio: - An et quomodo constituendus sit Capellanus Curatus in Pago Iapeti in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad D. Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem - *in Nursina Capellani Curati die 26 Novembris 1836.*

61. Mens autem fuit, ut ex aliqua publica capsa emolumentum Capellano coadiutori persolveretur, donec aliter provideri valeret: et revera ita factum est anno 1836 quoad Colasantium Parochum Iapeti, assignatis pro eius Coadiutore ex Spoliorum Camera scutatis sexaginta, quae post eius obitum attributa sunt die 2 Augusti 1838 Parocho Serravallis in summa scutorum quadraginta per biennium tantum, - et interim Episcopus curet ad forum sacri Concilii Tridentini media invenire, quibus congrua Capellano Curato persolvetur - *in Nursina Capellani Curati die 22 Decembris 1838* §. *Verum.*

62. Unde, iusta urgente necessitate, Sacra Congregatio opportuna pro variis rerum circumstantiis adhibet media, quibus constitutioni Capellani Curati, eiusque respectivo stipendio adamussim consulere satagit *in Nursina Capellani Curati die 24 Martii 1838 die 21 Novembris 1840 die 4 Iunii 1842.*

63. Iamvero eversis ob geminatos labentis soli tremores in Pago *Serravalle* Nursinae Diaecesis casulis bene multis, quinquaginta circiter familiae, tum quod solo aequatas domos reficere potis non essent, tum ne novis sese periculis obiicerent, hinc illinc vagare coactae fuerunt, binosque (praeter rara, quae ac illac mapalia construxerunt) confecere pagos, quorum alter tribus et amplius millibus a Curionali Aede passuum distabat, alter milliarium lapidem binum cum dimidio; utrumque incolebant homines fere tercenti, pauperculi sane, ac plerique ad terram vertendam, vel gregibus custodiendis addicti. Unica hinc ipsi Paraecia in principe loco *Serravalle* posita continebantur ac unico Pastore regebantur. Nemo itaque unus erat, qui fidei rudimenta Pueros edocere singulos valeret ac Religionis studio confovere; unde festis diebus plerique Sacro adesse nequibant atque Ecclesiae praecepto satisfacere, tum quod itineris longinquitate terrebantur brumali praesertim tempore, quo pluviae nivesque redundantes alpinum prope iter praebebant et salebrosum, tum ne miserum familiae censum furatum reperirent, vel Senes Pueros Aegrotos Latronum libidini obiicerent: quique vero dum Dominicae Passionis Sacramentum recolebatur Paraeciam convenire valebant, cum perexiguis sane finibus Curionalis Aedes coerceretur, saepe saepius sub caelo temporum inclementiam experiri cogebantur; demum plerosque nec extremis refici Sacramentis constabat atque Angelorum esca ad vitae exitum recreari. Tanto in rerum discrimine supplices adstiterunt Incolae Serravallis penes Sacram Congregationem, ut honorarium Capellano Coadiutori adsignare dignaretur. Nam Episcopus retulit, Parochiam nullum habere mansum, stipendium propterea detrahi non posse ab emolumento Parochi, cum esset exiguum; Incolas pauperculos fere omnes esse, tres tantum familias, quae aliquid contribuere valebant, contributum quodlibet renuere, cum maximam anni partem extra Paraeciam Serravallis Pagos vitam degerent, Episcopalem mensam pro dignitatis decore conservando, pro pauperibus alendis, aliisque indigentiis supplendo, universam impendi. Unicum igitur medium per Episcopum indigebatur, quo memoratus Capellanus posset provideri, scilicet pensionem sexaginta scutorum, quam Camera Spoliorum assignaverat favore Parochi Colasanti, qui iam diem vidit supremum, assignare.

64. His itaque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo constituendus sit Capella-

nus Curatus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et esse constituendum Capellanum Curatum ab Episcopo approbandum cum dependentia a Parocho et ad nutum eiusdem amovibilem; et quoad stipendium, ad mentem – *in Nursina Capellani Curati die 24 Martii 1838.*

65. Mens autem fuit, esse supplicandum Sanctissimo, ut ex aliqua publica capsa persolveretur eidem Capellano annuum stipendium in annuis scutatis quadraginta. Et facta relatione, Sacratissimus Princeps voluit, ut res componeretur cum Emo Praeside Camerae Spoliorum, cum quo initis consiliis tandem mandavit, ut per biennium tantum enunciatum stipendium a Camera Spoliorum praestaretur, et interim Episcopus curaret ad formam Sacri Concilii Tridentini media, quibus stipendium Capellano Curato persolveretur. Hinc biennio expleto iisdemque circumstantiis perdurantibus, prorogationem stipendii ad decennium Episcopus petiit: sed Emus Praeses Camerae Spoliorum Episcopali instantiae assentiri non posse contestatus est, cum ex motu proprio Pii VII diei 17 iunii 1817 huiusmodi bona ad fidei propagationem ex officio applicare teneretur. Medium tamen paratissimum indigitavit praesenti necessitati subveniendi ex reditibus locupletis cuiusdam nuperae hereditatis ex pia dispositione Testatoris Caroli Renzi in beneficium Nursinorum pauperum applicandis. Unde Incolae Serravallenses efflagitarunt, ut absque gravi ulla Testatoris Renzi voluntatis immutatione annuus reditus in scutatis quadraginta ex eiusdem bonis decerperetur. Nam ditissima erat hereditas, Orphani in una Civitate Nursinae subsidio egentes ad parvum numerum coarctabantur, et petita commutatio videbatur principali Testatoris fini valde consona. At obstitit Episcopus: his enim hereditatem coercuit ad summam scutorum 54838, qua duo Orphanotrophia erant erigenda, unum pro feminis, pro masculis aliud. Ingens esse asseruit numerum pauperum puellarum; idcirco permittere atque assentiri non poterat, ut ex hereditate Renzi quid vel minimum detraheretur in Orphanorum praeiudicium et in spretum voluntatis pii Fundatoris.

66. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit annuendum precibus Populi Serravallis super applicatione partis hereditatis Renzi pro Capellani Curati stipendio in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative assignata summa scutorum quadraginta ex reditibus hereditatis Renzi ad septennium, facto verbo cum Sanctissimo, et interim tam Episcopus, quam Populus omnino curent adinvenire alia media pro sustentatione Capellani Curati. Ad secundum, provisum in primo – *in Nursina Capellani Curati die 21 Novembris 1840.*

67. Summus Pontifex hanc resolutionem benigne approbavit et confirmavit: sed Canonicus Cionci piae hereditatis Renzi administrator meminit, iamdiu ab anno 1833 stipendium constitutum fuisse in scutatis nummis quadraginta praefato Capellano, scilicet in scutatis decem decerpendis ex reditibus cuiusdam Beneficii nuncupati a S. Claudio, aliis decem ex congrua Parochi, quinque ex fructu derivantibus cuiusdam legati pii siti in Ecclesia illius loci, quindecim demum ex oblatione a Parochianis facta, quorum solutioni sese illi obstrinxerant. Episcopus retulit, adesse iam promptum Benefactorem, qui ne praeiudicium inferretur Orphanis, exhibebat favore Capellani Curati scuta quatuor centum in censibus investienda cum annuo onere decem Missarum ea tamen conditione, ut, firmis scutatis decem ex congrua Parochi et aliis scutis decem ex Beneficio S. Claudii solvendis, Incolae Serravallenses ab onere praestandi annua scuta quindecim liberarentur. Ita enim Capellanus habebat annua scuta quadraginta quatuor praeter dictum legatum quinque scutorum. His proinde perpensis, repropositis dubiis sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, praevio recessu a decisis, constituendum esse Capellano Curato stipendium annuum donec aliter provideatur, iuxta votum Episcopi, qui curet investimentum cum solitis cautelis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Nursina Capellani Curati die 4 Iunii 1842.*

68. Quod si praesumpta Testatoris voluntas non repugnet et interesse habentes assensum praebeant, indulgetur unio Legati pii ad effectum augendi stipendium Capellano Curato *in Eugubina Applicationis die 7 Maii 1808.*

69. Enimvero procul ab Oppido Canthiani passibus quatuor millibus erat Pagus *Claserna* in Apenninis positus, cuius habitatores sub cura olim erant Prioris S. Nicolai Canthiani. Anno 1660 Episcopus Eugubinus cum in S. Visitatione novisset, quod hyemis praesertim tempore difficile erat iter ad Pagum, proprium Sacerdotem in *Claserna* constituit Priori S. Nicolai subiectum, eique stipendium tribuit scutorum quadraginta, quorum viginti percipiebat a Sodalitio S. Michaelis Archangeli in Ecclesia S. Anastasiae eiusdem Pagi erecto, alia scuta viginti a familiis, quae Pagum incolebant. Ob tenue huiusmodi stipendium non tamen facile Capellanus inveniebatur, et modernus curam Clasernae derelinquere volebat. Hinc Prior S. Nicolai, cum alia deficerent media, postulavit, ut applicaretur ad augendum stipendium hereditas Augustini Minelli, qui Capellanus fuerat in dicto Pago, quique postremis tabulis anni 1755, ob affectionem erga Parochianos et Ecclesiam suae sponsae S. Anastasiae constituit usufructuariam Virginiam neptem cum onere celebrationis Missarum singulis mensibus prima die Dominica, ita ut Capellanus, qui esset celebraturus Sacerdotales quoque confessiones exciperet, eique singulis vicibus daretur stipendium obulorum viginti quinque. Quod si Sebastianus quidam Benedetti ex suis bonis Capellaniam erigeret, tum praecepit, ut bona sua hereditaria cum illis Sebastiani pro fundo Capellaniae unirentur. Si vero a Sebastiano Capellania non erigeretur, tum instituit heredem proprietarium Sodalitium S. Michaelis Archangeli cum onere celebrationis triginta Missarum, comprehensis illis celebrandis diebus Dominicis. A septem annis occubuerat Virginia heres usufructuaria, quae tamen paupertate laborans nunquam impositam celebrationem praestitit. Neque Sebastianus Capellaniam erexit, ut propterea bona huiusmodi pertinerent ad Sodalitium, quod petitae a Priore S. Nicolai applicationi assensum praebebat. Episcopus retulit, hereditatem hanc non excedere annua scuta duodecim, detractis oneribus; et necessariam esse applicationem, quin obstaret finis Testatoris; sed imo amplificari eum censuit.

70. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit locus applicationi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, impletis oneribus per Capellanum - *in Eugubina Applicationis die 7 Maii 1808.*

71. Quin imo si reditus Capellaniae valde tenues sint, Sacra Congregatio indulget reductionem Missarum et liberationem solvendi annuum legatum alicui Loco Pio *in Imolen. Reductionis Missarum et Liberationis Oneris die 7 Augusti 1745.*

72. Siquidem notissima Constitutione Innocentiana suppressum fuit anno 1653 parvum Carmelitarum Monasterium, quod situm erat in Pago, qui dicebatur *Montefune*, eiusque bonis instituta fuit perpetua Capellania, datumque onus Capellano implendi legata, quibus Carmelitae satisfacere tenebantur, et solvendi quotannis libras centum monetae sive scuta 18 Hospitali *della scaletta* Civitatis Imolae, quod inde onus annuae praestationis minuit ad scuta undecim per annos decem illius Diaecesis Episcopus. Anno 1668 huic Capellaniae animarum cura data fuit et ad veram Parochiae naturam redacta: sed inde ob redituum tenuitatem petiit Capellanus reductionem gravis oneris quatuor centum triginta sex Sacrorum nec non liberationem a praestatione scutorum quindecim dicto Hospitali. Episcopus animarum perpendens detrimentum, si ob redituum tenuitatem Ecclesia illa Parocho careret, in ea fuit sententia, ut ingens ille Sacrorum numerus redigeretur ad unum pro Populo singulis diebus festis, et alterum singulis hebdomadis, aliisque oneribus relictis, annua praestatio Hospitali debita extingueretur et adimeretur. His itaque perpensis, propositis dubiis: - I. An et in qua quantitate sit concedenda reductio Missarum in casu etc. II. An sit concedenda liberatio favore Parochi super annua praestatione scutorum undecim in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, pro reductione iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative - *in Imolen. Reductionis Missarum et Liberationis Oneris die 7 Augusti 1745.*

73. Idcirco si numerosa sit animarum cura, permittitur quidem institutio census ex eleemosynis Missarum omissarum pro stipendio Capellani Curati, sed merito denegatur earumdem applicatio et futura reductio pro parochialis Ecclesiae necessitatibus, cum nulla adsit iusta causa *in Casalen. Reductionis et Commutationis Voluntatis die 26 Martii 1831.*

74. Iamvero in Ecclesia Parochiali Sanctissimi Crucifixi et Beatae Mariae Virginis a septem doloribus Civitatis Casalis octo numerabantur pia Legata, quae a suis Institutoribus nuncupari solebant – Gianolletto, Sanazzaro, Patrucco, Ventura, Natta – Caloni, de Merli, Barberis, Varina –. Huiusmodi Legatorum onera constabant ex Missis octingentis triginta quinque quotannis in eadem Ecclesia litandis. At ab anno circiter 1800 Missarum oneribus satisfactum non fuerat, cum interclusa esset via exigendi Locorum Montium fructus. Anno autem 1820 Parochus obtinuit cedulam, cuius annuus reditus ad libellas pedemontanas trecentas sexaginta quatuor pertingebat, quem tamen reditum in gravia et necessaria divini cultus et fabricae Ecclesiae obeunda impendia quotannis fuisse erogatum constabat. Alteram quoque cedulam anno 1829 ex ipso publico aerario assecutus est Parochus, ex qua eidem Ecclesiae annuus perpetuus accrevit fructus libellarum mille centum septuaginta septem ita tamen, ut eiusmodi fructuum exactio ab die prima ianuarii 1820 initium sumeret. Quapropter omnibus deductis expensis, quas pro liquidatione nominum fieri oportuit, decem libellarum millia a Parochiali Ecclesia percepta erant, quibus Missae 8350, quot nimirum decennium ab anno 1820 ad integrum annum 1829 complectebatur, in legatorum satisfactionem erant celebrandae. Si itaque ex cedularum fructibus ea portio, quae ad praefata dumtaxat Legata attinebat, in earumdem Missarum celebrationem ad manualem taxam unius libellae pro quolibet Sacro integre erogarentur, vix aliquid superesset in Ecclesiae sumptu convertendum. Qua de re Parochus petiit, ut quinque mille libellas in censum convertere posset ad effectum manutenendi Capellanum Curatum, cum laboriosam animarum 2200 curam gereret, ut Missae usque ad annum 1829 omissae ad mille reducerentur, ac demum ut tribueretur facultas Ordinario reducendi in futurum Legata Missarum pro parochialis Ecclesiae necessitatibus. Administratores assensum praebuerunt: et Vicarius Capitularis censuit, non solum aequum et conveniens, sed et necessarium votis Oratoris annuere. Constabat vero, annuos Parochi reditus quotannis confici ex libellis 1680 seu ex Romanis scutatis 320, onera, quibus ipse obstringebatur, pertingere Romana scuta centum; Ecclesiae reditus ad scuta Romana circiter 449 adscendere, onera ad Romana scuta 426, computatis etiam scutis circiter 47 ad ea obeunda impendia, quibus pro extraordinariis contributionibus et pro fabricae reparationibus opus esse potuisset, adeo ut nonnisi libellae 123 quotannis superessent. Quaedam tamen alia impendia enarrabantur pro renovandis campanis, pro extruendo choro, ac pro reliquo in libellis 1666 organi pneumatici solvendo pretio.

75. His itaque in facto positis, propositis dubiis: – I. An super praeteritis omissionibus concedenda sit petita Missarum reductio in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An locus sit institutioni census in sortem libellarum quinque millium pro stipendio Capellani Curati in casu etc. III. An reliqua summa impendi debeat in usum Ecclesiae parochialis in casu etc. IV. An tribuenda sit Ordinario facultas reducendi in futurum Legata Missarum pro parochialis Ecclesiae necessitatibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad Missas bis mille. Ad secundum, Affirmative pro investimento totius reliquae summae pro stipendio Capellani, qui teneatur singulis diebus festis etiam reductis Missam celebrare in Ecclesia parochiali, eamque applicare in compensationem praeteritarum omissionum, facto Verbo cum Sanctissimo quoad utrumque. Ad tertium et quartum, Negative – *in Casalen. Reductionis et Commutationis Voluntatis die 26 Martii 1831.*

76. Unde locus est reductioni onerum, donec reditus augeantur, si Capellania Curata nondum habeat reditus oneribus pares, fructus autem decursi et inexacti ad diem erectionis Capellaniae non sunt applicandi R. Fabricae S. Petri, quum iusta de causa erectio

suspensa extiterit ac nulla praemissa fuerit interpellatio, sed iidem erogandi sunt in tot Missas ad manualem ad formam fundationis *in Spoletana Reductionis Onerum et Applicationis fructuum die 15 Septembris 1804.*

77. Iamvero Nicolaus Morelli postremis tabulis anni 1799 heredes nepotes ex fratre nuncupavit, eisque reliquit Loca Montium S. Petri 24 ad effectum erigendi Capellaniam, imposito Capellano celebrandi quotidie Missam nec non coadiuvandi Parochum in cura animarum, cum tamen solutio reintegraretur; eo enim tempore suspensa extabat. Anno 1802 reintegrata fuit solutio duplicis quintae partis fructuum, qui ascendebant ad annua scuta 29. 40, quae satis non erant pro elecmosyna Missae quotidianae et coadiuvatione in curam animarum: idcirco reductionem onerum heredes petierunt. R. Fabrica S. Petri mox compulit praefatos heredes ad docendum de implemento legati, aliter ad erectionem Capellaniae cogebantur, et fructus decursi nec in Missarum celebrationem erogati applicarentur R. Fabricae; sed fratres Morelli allegarunt instantiam, quae pendebat penes Sacram Congregationem pro reducendis oneribus, et fructus Locorum Montium se nunquam exegisse docuerunt. Episcopus censuit, non posse deleri onus coadiuvandi Parochum, stante multitudine Populi, et necessariam esse eleemosynam triginta obulorum pro qualibet Missa. Heredes non tenebantur supplere, cum assignatio facta fuerit taxative. Reverenda Fabrica habebat quidem privilegium quoad fructus in opus pium non erogatos, sed iusta de causa suspensa manebat erectio Capellaniae, quo casu heredes erant a R. Fabrica interpellandi, ut obstaculum removeretur, qua interpellatione omissa, dubitari poterat, an locum haberet privilegium R. Fabricae. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. II. An fructus inexacti usque ad diem erectionis Capellaniae sint applicandi R. Fabricae S. Petri, seu potius et quomodo sint erogandi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Episcopi, donec augeantur reditus. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam in tot Missas ad manualem, ad formam fundationis – *in Spoletana Reductionis Onerum et Applicationis fructuum die 15 Septembris 1804.*

78. At locus non est dispensationi abessendi a residentia et implendi per alium onera Capellano imposita coadiuvandi Parochum in cura animarum, licet agatur de passive vocato, nec locus est reductioni onerum, cum reditus sint pares oneribus, ac in promptu iam sit extraneus nominatus, qui onera iuxta fundationem se impleturum promittit *in Lucana Dispensationis et Reductionis die 10 Septembris 1803.*

79. Iamvero anno 1761 Petrus Iacopucci sua bona attribuit Altari S. Aloisii, ut eorum fructus darentur Sacerdoti ad effectum coadiuvandi in cura animarum Plebaniam *di Casa Basciana*. Anno 1762 dotem auxit Franciscus Casciani. Dum vacavit Capellania curata anno 1799 praefatam Capellaniam regebat Sacerdos Vincentius Pardini, qui, antequam pro iure sibi concesso in fundatione expleret nominationem Capellani Curati, monuit Presbiterum Vincentium Lignani, num vellet Capellaniam Curatam consequi, cum ex contemplata familia descenderet et Paraeciam *di Fibialla* possideret. Quum hic onera se impleturum esse dixerit secundum reductionem, quae ex Decreto Vicarii Generalis Lippianno 1766 facta supponebatur, Pardinius extraneum Sacerdotem Benedictum Finucci nominavit, qui per publicum instrumentum diei 18 decembris 1799 onera in fundatione expressa acceptavit ac implevit. Hinc lis inter Lignanum et Pardinium: ille se nominatum ex fundatione contendebat, hic vero putabat, nominatum iri non posse, nisi onera fundationis acceptasset. Lignanus itaque petiit dispensationem abessendi a residentia, cum ageretur non de Beneficio proprie ecclesiastico, sed de Legato pio sive stipendio relicto, qui Parochum adiuvaret, ita ut de iure residentia non requireretur, cum nihil referre videretur, si unus, an alius onera praestaret. Contra Pardinius contendit, quod ex fundatione onera imposita essent Capellano, qui omnino residere teneretur. Quare dum ipse dispensationem postulabat, ut alium substitueret, nil aliud quaerebat, quam ex alieno labore lucrum facere. Lignanus actis S. Visitationis anni 1781 nitebatur, in qui-

bus mentio fiebat de onerum reductione concessa ab anno 1766. Pardinius vero negavit, datam unquam fuisse reductionem, et Vicarium Generalem eam concedere non potuisse, cum facultas huiusmodi reservata esset Sedi Apostolicae. Negavit, quod ex integro reductio concedi posset; par enim erat emolumentum oneribus, cum ex utraque fundatione Iacopucci et Casciani Capellanus percipiebat annua scuta triginta, nec a limitrophis Capellanis Curatis tantum perciperetur nomine stipendii. Maxime cum Presbiter Finucci iam nominatus omnia onera in fundatione imposita se praestiturum promisit et revera impleret.

80. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus dispensationi abessendi a residentia in casu etc. II. An sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative – *in Lucana Dispensationis et Reductionis die 10 Septembris 1803.*

81. Nam Sacra Congregatio declaravit, Rectores Capellaniarum, quae institutae fuerunt ante Concilium cum onere coadiuvandi Parochos in cura animarum, teneri ad residentiam personalem eadem lege Concilii Tridentini in Cap. 1 sess. 23 de reformatione, qua ipsi Parochi, iis exceptis, qui ex institutione per alium servire poterunt, quin Episcopus cum aliquo huiusmodi Coadiutore dispensare valeat quoad residentiam personalem, prout nec cum Parochis ipsis potest; sed eosdem ad residentiam sicut Parochos ipsos compellere tenetur *in Brixien. anno 1573 lib. 1 Decretorum.*

82. Hinc si necessitas urgeat, merito indulgetur, ut Capellanus Curatus in Pago Paraeciae residens cuncta Sacramenta salvis iuribus parochialibus administret, excepta Matrimoniis assistentia et implemento praecepti Paschalis, nec non functiones etiam funerales peragat, salvis emolumentis parochialibus *in Albinganen. Curae animarum et Functionum die 9 Septembris 1752.*

83. Iamvero plures ex finitimis Pagis olim subiiciebantur Parochiali Ecclesiae S. Laurentii: divisionem autem primum obtinuit a dicta Parochiali Ecclesia Populus Trevii; inde Populus Rivae obtinuit, ut sua Ecclesia constitueretur auxiliaris, data Capellano facultate sepeliendi mortuos et ministrandi omnia Sacramenta. Denique Populus Delii, qui Pagus distabat a praefata Parochiali Ecclesia duobus fere millibus passuum, cum maioribus premeretur angustiis, anno 1718 Episcopo Albinganensi visitationem agenti preces obtulit, quibus petebat, ut suis prospiceret incommodis. Episcopus, qui praesens viderat iter asperum praeruptum difficile et octo rivis interceptum, qui hyberno praesertim tempore, quo tumescebant, sine periculo traici non poterant, qui cognoverat, plures sine Sacramentis decessisse, maiorem Populi illius partem Sacris interesse festis diebus non posse, Pueros fere omnes ipsa fidei rudimenta ignorare, audito Parocho, decrevit, ut, salvis emolumentis parochialibus, in Oratorio Delii retineretur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro infirmis, ut Sacrum in eo fieri quotidie posset, exceptis diebus festis Paschatis et S. Laurentii, atque a Capellano Evangelium Populo, Pueris fidei rudimenta explicarentur. Experientia tamen compertum fuit, hoc Decreto non satis consultum fuisse Populi illius necessitatibus, ideoque anno 1742 Populus ad Sacram Congregationem confugit postulans, ut Capellano eaedem concederentur facultates, quas Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negociis et consultationibus praeposita anno 1733 Populo Rivae concesserat, scilicet – baptizandi, conferendi Sacramenta Infirmis, et tradendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tempore Paschali cuncto Populo pro satisfactione praecepti, nec non publicandi et assistentiam praebendi matrimoniis, cadaveraque tumulandi, dummodo tamen quolibet mense Capellanus transmittat nomina defunctorum baptizatorum et matrimoniorum Parocho, qui solus libros, in quibus haec adnotantur, retineat –. Causa tamen proposita non fuit. Interim vero novis subortis scandalis traiectione Puellarum per rivos, iisdem urgentibus necessitatibus, nam plurimi pluviarum causa vel ad Parochialem Ecclesiam accedere, vel domum repetere non potuerunt, Infantes quidam sine baptismate, et sine Sacramentis plures homines decesserunt, ipsaque mortuorum corpora pluribus diebus domi retinere debuerunt, motus Populus anno 1748 coactis comitiis statuit, ut

novae preces Sacrae Congregationi offerrentur. Episcopus audivit Parochum, et in epistola sua collectis tam Populi, quam Parochi rationibus conclusit: – Parocho ipsi exoptandum fore, ut supplices praedictae gratiae Oratoribus concederentur non solum ad praecavenda incommoda et evitanda scandala, sed etiam quod magis est, ut corumdem conscientiae consuleretur –.

84. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo Ecclesiae S. Bernardi loci Delii concedenda sit facultas sepeliendi cadavera et administrandi Sacramenta Baptismi Matrimonii Poenitentiae Eucharistiae etiam tempore Paschali et extremae Unctionis? II. An Populo Delii indulgendum sit audire Missam in dicta Ecclesia S. Bernardi et S. Laurentii? III. An liceat in dicta Ecclesia S. Bernardi peragere functiones funerales et alias non parochiales? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative quoad Matrimonia et implementum praecepti Paschalis; in reliquis, Affirmative salvis iuribus parochialibus. Ad secundum, satis provisum in Decreto Episcopi. Ad tertium, Affirmative salvis emolumentis parochialibus – *in Albinganen. Curae Animarum et Functionum die 9 Septembris 1752.*

85. Nam si iusta subsit causa indulgetur, ut Capellanus plura exerceat iura parochialia in Capella publica ad tempus, quin obstet Parochi et Parochiae asserti Patroni oppositio *in Augustana die 7 Aprilis 1731.*

86. Enimvero Baro Marquardus de Riedkiemb Sacrae Congregationi exposuit, quod ipse cum ingenti sumptu et labore Pagum Stetten Augustanae Diaecesis e manibus Haereticorum vindicaverat; et in Capella, ianuam in via publica habente, Imaginem Beatissimae Virginis collocaverat, quae habitatoribus eiusdem ad centum quinquaginta ascendentibus, qui in dies augebantur, summopere colebatur: cumque dictus Pagus Stetten a Parochiali Ecclesia media hora seu leuca germanica saltem distaret, supplicavit, ut in dicta Capella possent Confessiones Sacramentales audiri a Capellano ab Ordinario approbando, ibique Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum conservari ac distribui, verbum Dei explicari, et aquas ac tempestates benedici, aliaque Parochialia munia inter Arcis dicti Pagi moenia exerceri, salvis tamen iuribus stolae proprio Parocho competentibus. Ordinarius retulit, Oratorem vera narrasse ac dignum esse gratia super petita, ut alii invitarentur ad similia peragenda. Hinc Sacra Congregatio sub die 8 iulii 1726 rescripsit: – Pro facultate ad decennium, dummodo Orator se obliget in forma iuris valida ad manutenendum de proprio lampadem coram Sanctissimo Sacramento, et dummodo praeceptum Paschae ab omnibus adimpleatur in Parochia –; et dein expeditum fuit Breve Apostolicum cum solita clausula, – salva auctoritate Sacrae Congregationis –. Cum autem Parochus suum consensum praestare renuerit, audito iterum Ordinario, sub die 17 aprilis 1728 rescriptum fuit: – In decretis, et praefigatur Parocho terminus ad sua iura deducenda in Sacra Congregatione –; et ut facilius dictus consensus obtineretur, vel suppleri posset per Sacram Congregationem, ipse Ordinarius plures motivavit conditiones ac modificationes quoad oblationes ac etiam quoad verbum Dei, statutis tantum temporibus annunciandum, et similiter quod aliae functiones per Ordinarium designarentur. Voluit itaque Sacra Congregatio haec omnia dicto Parocho nota fieri, et sub die 23 iulii 1729 rescripsit: – Episcopo pro nova informatione iuxta instructionem –, quae fuit, – ut Ordinarius, accersito Parocho, modificationes et restrictiones in eius relatione expressas eidem insinuet et notificet, quod Sacra Congregatio gratiam, ut supra concessam ad decennium, restringere non dubitabit, quodque suas rationes Sacrae Congregationi referendas coram ipso exponat, vel in eadem Sacra Congregatione deducet, praefixo ad hunc effectum aliquo brevi et competenti termino –. Ordinarius retulit, omnia adimplevisse, ac transmisit protestationem et rationes coram eo deductas tam a Parocho, quam a Barone de Umbgeter dictae Parochiae asserto Patrono, se conquerentibus de praeiudicio iurium parochialium et respective iurispatronatus; et insuper quod praefatum Breve esset subreptitium, quia falso assertum fuerat, dictum Pagum Stetten fuisse a Marquardo e manibus Haereticorum vindicatum: sed quod pro introducenda et conservanda in dicto Pago Religione Catholica multa elaboraverit

dictae Parochiae Patronus. Ulterius Sanctitati Suae subticitum fuerat, dictam Parochiam esse de iurepatronatus laicali, cuius libertati plurimum repugnarent insinuatae modificationes, illisque semper contradicerent, prout etiam executioni Brevis.

87. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An literae Apostolicae sint exequendae etiam non accedente consensu Parochi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: Affirmative iuxta modum exprimendum ab Emo Praefecto (1) - *in Augustana die 7 Aprilis 1731.*

88. Quod si Summus Pontifex permiserit, ut erigerentur in Ecclesia parochiali duae Capellaniae Curatae amplissimis quidem auctae facultatibus, iure tamen praedictae parochialis Ecclesiae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, Capellani non modo nequeunt sibi vindicare ius privative exercendi curam animarum, sed imo in iis, quae concernunt curam animarum, a Parocho dependere debent *in Florentina Iurium parochialium die 6 Decembris 1738 et die 14 Martii 1739.*

89. Siquidem Simon de Oricellariis Rector Plebanae Ecclesiae S. Stephani de Campio efflagitavit primo, ut, admissa renunciatione Capellaniae ab ipso in praefata Ecclesia retentae, ex annuis illius reditibus binae aliae Capellaniae ibidem Apostolica Auctoritate erigerentur; secundo, ut Rectores earumdem Capellaniarum obstringerentur habitare domum memoratae Plebanae Ecclesiae, ut ibi degentes possent una cum Rectore seu Plebano assidue et devote Missarum et aliorum divinorum Officiorum celebrationi vacare – in illaque curam Animarum exercere –; tertio, ut – cura animarum Parochianorum, quae Rectoriae dictae Ecclesiae imminebat, de cétero non Rectori, sed dictis Capellaniis et illas pro tempore obtinentibus immineret, et per eos deberét diligenter exerceri –; et quarto, ut sibi tribueretur facultas edendi - Constitutiones honestas et rationabiles, Missarum et aliorum divinorum Officiorum assiduam et devotam celebrationem et prosperum ac salubriorem statum dictae Ecclesiae nec non divisionem distributionum quotidianarum curae animarum exercitium et vitam Capellanorum concernentes –. His precibus annuens Alexander VI per suas Literas in forma Brevis expeditas commisit Vicario Generali Archiepiscopi Florentini, – ut supra praemissis omnibus et singulis faceret, prout sibi videretur, iure praedictae Parochialis Ecclesiae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo –. Quocirca memoratus Vicarius Generalis enunciatam renunciationem Capellaniae admisit, et binas sub omnibus praedictis conditionibus ac legibus erexit Capellanias ea praesertim facta declaratione, quod – cura animarum Parochianorum, quae Rectori et Rectoriae dictae Ecclesiae imminet, de cetero non immineat Rectoriae nec Rectori, sed dictis Capellaniis et illas pro tempore obtinentibus immineat, et quod per eosdem debeat diligenter exerceri –; et demum praefato Simoni petitam facultatem concedendi exoptatas Constitutiones nedum impertitus fuit, verum etiam easdem Constitutiones subinde a dicto Simone editas, in quibus sub rubrica, de curâ animarum, inter cetera legebatur, – quod cura animarum dictae Plebis ac totalis administratio Sacramentorum in dicta Ecclesia et eius Parochia sit Capellanorum omnium praedictorum pro tempore existentium, et ad eos plene spectet pertineat et immineat, per eosque diligenter exerceri debeat, prout disponitur in Literis Apostolicis –. Post haec praefata Ecclesia Parochialis semper fuit collata sub nomine itidem Rectoris et Plebani, eique regimen et cura eiusdem Ecclesiae in Bullis collationum legebatur commissa, ac proinde consuevit Matrimoniis assistere, cadavera Parochianorum cum stola associare, eorum exequias celebrare, ac alias parochiales functiones independenter a praefatis Capellanis peragere. Exinde vero Capellani contenderunt, munerum parochialium exercitium ad se privative ac in exclusionem

(1) Modus autem fuit, - ut praevia restrictione gratiae ad decennium proximum tantum, Sacellanus seu Capellanus nequeat exercere alia munia parochialia praeter ea, quae explicita enunciantur in eisdem Literis Apostolicis, quoque facultas praedicandi verbum Dei, cathechismum et doctrinam christianam edocendi, eidem Capellano ultra tempus restrictum in relatione Ordinarii sub die 23 ianuarii 1728 libere concedatur pro anni tempore etiam quoad incolas Pagi Stetten, et in reliquis serventur modificationes et conditiones contentae in eadem supradicta relatione Ordinarii –, *ceu videre est in lib. 81 Decretorum pag. 147.*

Plebani pertinere. At Plebanus sustinuit, animarum curam non fuisse in Brevi Alexandri VI neque in eius executione e Plebano in dictos Capellanos translatam, sed Plebanum remansisse, ut antea, verum et principalem Parochum ita quidem, ut ei competeret facultas exercendi curam animarum et functiones parochiales cumulative cum praefatis Capellanis, eosdem vero Capellanos veluti simplices Coadiutores a Plebano in iis, quae animarum curam concernebant, dependere.

90. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An facultas exercendi curam Animarum et functiones parochiales in Ecclesia S. Stephani de Campio spectet cumulative ad Plebanum, seu potius privative ad Capellanos in casu etc. II. An Capellani eiusdem Ecclesiae in concernentibus curam animarum dependeant a Plebano in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative - *in Florentina Iurium Parochialium die 6 Decembris 1738.*

91. Repropositis dein dubiis sub formula: - An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis in omnibus, et amplius - *in Florentina Iurium Parochialium die 14 Martii 1739.*

92. Capellani autem Curati amovibiliter a Capitulo Cathedrali Ecclesiae deputati pro exercitio curae animarum tenentur diebus Dominicis et festis Missam applicare pro Populo, licet nulli sint reditus vel saltem pauci, qui ratione Parochialitatis a Cathedrali percipiuntur; his enim in terminis proposito dubio: - V. An Capellani Curati amovibiliter a Capitulo deputati pro exercitio curae animarum teneantur diebus Dominicis et festis Missam applicare pro Populo? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Affirmative - *in Ferrarien. die 18 Martii 1719.*

93. Nam obligatio applicandi pro Populo extenditur etiam ad Curatos amovibiles, cum amovibilitas non tollat, quin habeant curam animarum, uti ratiocinatur Monacellius in form. legal. part. 2 tit. 2 et tit. 16 form. 2 n. 20, et paupertas non excusat ab applicatione pro Populo, ut in terminis Parochorum non habentium congruam resolvit Sacra Congregatio in Forosempronien. Missae Parochialis 8 februarii 1716 lib. 66 Decretorum pag. 55 a tergo *in Ferrarien. die 4 Martii 1719* §. *Adversus.*

94. Siquidem textus Concilii Tridentini in Cap. 1 sess. 23 de reformatione, ubi legitur, praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, pro his Sacrificium offerre, intelligitur de speciali ipsius Sacrificii et fructus medii applicatione, iuxta late deducta per Fagnanum in Cap. *Fraternitatem* n. 93 et 94 de sepulturis *in Ferrarien. die 4 Martii 1719* §. *Adversus.*

95. Quin imo licet Fundator Capellano Curato ad nutum amovibili imposuerit onus applicandi 350 Missas annuas pro eius familia et consanguineis nec alius extet in loco Sacerdos, cui delegare valeat applicationem, nec arcessiri, nisi maximo incommodo et magno stipendio, Sacra Congregatio declaravit, Capellanum huiusmodi teneri ad applicationem Missae pro Populo *in Portuen. Applicationis Missae pro Populo die 19 Iulii 1766.*

96. Iamvero Card. Franciscus Barberini in fundo Sanctae Marinellae, qui novem lapidibus distat a Centumcellis, novam excitavit Ecclesiam dicatam S. Iosepho: in ea postmodum constituta fuit ex pietate Caroli Card. Barberini perpetua Capellania cum Presbitero ad nutum removendo, qui inibi resideret, et prius ab Emo Episcopo Portuensi approbandus, curam animarum exerceret et Sacramenta administraret. Sacratissima Eucharistia et Oleum Infirmorum in Ecclesia servabatur ac sacer fons pro Baptismate erat. Card. Raynerius de Ilcio anno 1753 ac inde Camillus Paulutius et Fridericus Marcellus Lantes in Sacra Visitatione mandarunt applicationem Missae pro Populo. Renuit Capellanus: nam contendit, Ecclesiam illam Parochialem non esse, cum non constaret de erectione; excludi hanc qualitatem tum ex ipsa conditione Presbiteri, qui nutu possessoris esset removendus, tum ex voluntate Fundatoris, qui voluit semper Capellaniam mere laicalem, nulli unquam in titulum dandam etiam pro Patrimonio, atque ipsum nomen Beneficii ecclesiastici semper reiecit; tum quia deficiebat Populus, cum ob non salubrem aerem vix decem perpetuo habitarent, qui tamen ad tercentum aliquando crescebant praesertim hyemali tempore ex pastoribus et

agri eiusdem cultoribus atque aliis, qui rusticae rei causa illuc veniebant, inde suos lares repetebant. Insuper Fundator imposuit onus applicandi Missas 350 quolibet anno pro eius familia et consanguineis: nec ullus ibi vel in vicinia esset Sacerdos; unde nonnisi ex finitimis Oppidis maximo incommodo ac magno stipendio arcessiri poterat, sed reditus ita imminuerentur, ut difficillimum esset postea invenire, qui Capellaniam loco ad valetudinem summe periculoso retineret. Advertebatur tamen, Fundatorem constituisse dotem centum et quindecim scutorum quotannis super reditibus fundi cum onere exercendi curam Animarum; ibique nullum Parochum habere curam animarum, ac Ordinarios in ea approbasse praedictos Capellanos, ac permisisse retinere in Ecclesia sacrum Oleum pro Infirmis ac fontem Baptismatis. Demum in praefata Ecclesia asservabatur Sanctissima Eucharistia, quod nisi Parochialis Ecclesia esset, neque ab ipsis Parochis fieri, neque ab Episcopis permitti poterat sine Sedis Apostolicae auctoritate. Nihil autem obstabat amovibilitas, ex eo quod non repugnaret cum qualitate Curati. Idcirco certa et absoluta erat lex de applicatione Sacrificii.

97. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Capellanus S. Marinellae teneatur ad applicationem Missae pro Populo in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Portuen. Applicationis Missae pro Populo die 19 Iulii 1766.*

98. Non tenetur vero Capellanus Curatus servare alternativam in celebratione Missarum aliisque parochialibus muneribus quoad duas Ecclesias iuxta Episcopi Decretum, sed servari debet solitum ante Decretum praefati Episcopi *in Feretrana Alternativae die 22 Iunii 1748.*

99. Iamvero cum Parochialis Ecclesia S. Mariae fines suos extra moenia munitissimae Arcis S. Leonis longe protenderet, atque inter eos fines duas simplices Ecclesias haberet S. Luciae et S. Bartholomaei, rusticae Plebis commodo cautum fuit anno 1574 Decreto Episcopi Famagustani Visitatoris Apostolici, ut iuxta alteram duarum Ecclesiarum ipsius rusticae Plebis aere collato domus aedificaretur, quo posset Capellanus Curatus his Ecclesiis constitutus iis, qui extra moenia incolebant, commode Sacramenta ecclesiastica ministrare. Re confecta aedibusque aedificatis, Capellani omnes semper titulo Ecclesiarum S. Luciae et S. Bartholomaei instituti fuere, diuturnaque consuetudine observatum fuit, ut nunc in una, nunc in altera earumdem per alternas vices festis diebus Sacra agerent. Exin vero Michael Pandolphinius Capellaniam hanc assequutus, cum originarius e Plebe S. Luciae omnes pene illius homines affinitatis vel consanguinitatis vinculo coniunctos haberet, in Ecclesia tantum S. Luciae divina persolvit. Id aegre ferens Populus Ecclesiae S. Bartholomaei, ne detrimenti aliquid caperet intermissione alternativae, adiit Episcopum Feretranum, qui, dum in sacra visitatione esset, Decreto suo annuit Plebis illius postulationi; sed, Episcopo illo e vivis erepto, Populus S. Luciae postulavit a Sacra Congregatione, ut Decretum illud irritaretur. Audito Vicario Apostolico, qui iam Episcopus Feretranus mox erat, rescriptum fuit: - Episcopo, qui mandet servari solitum, iuxta Decretum Visitatoris Apostolici –, in quo tamen cum nihil esset expressum de hac alternativa, contendit Populus Ecclesiae S.Bartholomaei alternativam hanc, quam ex facto probabant plurimi Testes septuagenario maiores, ex iure quoque esse servandam. Proposito hinc dubio: - An sit servanda alternativa per Capellanum Curatum in celebratione Missarum aliisque parochialibus muneribus in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative, et servetur solitum ante Decretum Episcopi Calvi - *in Feretrana Alternativae die 22 Iunii 1748.*

100. Quod si nulla urgeat necessitas, locus non est deputationi Capellani Curati in adiutorium Parochi, nec imo locus est deputationi Presbiteri pro celebratione secundae Missae diebus festis, nisi necessitas probetur *in Portuen. Deputationis Capellani quoad Parochiam Pali die 26 Martii 1808.*

101. Iamvero Castrum Pali ad mare superum pertinebat ad Portuensem Diaecesim et feudum Gentis Odescalchi. Habebat agrum adnexum, qui late porrigebatur in porrectum septem mille passibus, in anfractum quatuor mille. Hyemali vernoque tempore ter centum numerabantur habitatores sive ex Incolis, sive ex Militibus praesidiariis, sive ex Nautis et

agrorum cultoribus, sive ex Pastoribus. Isti habitabant mappalia per agrum sparsa, et adveniente aestate relinquebant stationem. Una tamen erat in Castro Parochialis Ecclesia unusque Parochus, qui a Duce Odescalchi tamquam Patrono nominabatur, ab eoque stipendium percipiebat. Cum anno 1801 Emus Episcopus Diaecesim lustraret in actis S. Visitationis adnotavit, – alium Sacerdotem Capellanum extitisse retroactis annis in castro Pali, qui singulis diebus festivis pergebat ad Ecclesiam S. Mariae *alli Monteroni,* ibi Missam celebraturus. At praeteritorum temporum infelicitate Ecclesia illa Sacris agendis modo impar est, unde nec Capellanus adest amplius in Castro Pali, nec tamen Parochus sufficiens esse videtur, ac proinde agetur cum Eccmo Patrono de Capellano rursus eligendo –. Episcopus enim contendit, quod licet Concilium Tridentinum in Cap. 4 sess. 21 de reformatione ageret de casu, quo – Populus numerosus sit –, attamen ad omnes casus transferri posset eius sanctio, in quibus – unus Pastor non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo –. Hinc a Patrono stipendium solvendum esse sustinuit, cum Parochus angustam haberet congruam scutorum septem in singulos menses. Et quatenus deputationi Capellani Curati non esset locus, saltem Presbiter deputandus esse videbatur pro celebratione secundae Missae diebus festis in Ecclesia Parochiali, vel in altera *dei Monteroni.* Patronus vero a se onus deputandi Capellanum Coadiutorem reiecit, cum illum sibi assumere deberet Parochus, qui congruam annuam sufficientem scutorum 196 habebat, vel saltem idem Presbiterum pro celebratione secundae Missae diebus festis deputare teneretur.

102. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus deputationi Capellani Curati in adiutorium Parochi pro cura animarum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit locus deputationi Presbiteri pro celebratione secundae Missae diebus festis de praecepto in Ecclesia Parochiali, vel in altera *dei Monteroni* in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, dilata; et coadiuventur probationes super necessitate secundae Missae – *in Portuen. Deputationis Capellani quoad Parochiam Pali die 26 Martii 1808.*

103. Unde non sustinetur deputatio Coadiutoris in exercitio curae animarum nec respectivum ei stipendium assignatum nec prohibitio excipiendi confessiones sacramentales nec praeceptum ad comparendum sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, licet Episcopus plura in Parochum obiecerit *in Ferentina Coadiutoriae die 8 et 29 Februarii 1744.*

104. Siquidem Decreto Episcopi Ferentini lato in sacra Visitatione Coadiutor seu Vicarius datus fuit Raymundo Mecoli Archipresbitero et Parocho Collegiatae Ecclesiae S. Agathae Oppidi Proxeudis, assignato annuo stipendio ex reditibus Parochiae eidem Coadiutori scutorum viginti quatuor. Mecolum insuper hortatus est Episcopus, ut se ab officio Parochi abstineret; praecepitque, – ne se exponat imposterum Confessionario publico in Ecclesia pro audiendis confessionibus specialiter mulierum –. Causae huius Decreti fuerunt, quod Mecolus aurium vitio laboraret, ceu Testibus constabat, querentibus feminis confessiones earum publicas esse, non auriculares ob Archipresbiteri surditatem; et quod Mecolus turpitudine vitae suae destrueret potius, quam aedificaret, inhonesta quippe Mulieris consuetudine allectus frustra ab Episcopo praemonitus fuit, frustra inde illum coercuit Episcopus, ut non alia fuerit et Populi scandalo et honori Archipresbiteri consulendi ratio, nisi dato Vicario et Coadiutore, atque interdicta facultate excipiendi publice in Ecclesia Sacramentales Mulierum praesertim confessiones. Appellavit ab hoc Decreto Mecolus: sed Episcopus eadem et graviora retulit, longamque seriem narravit processuum, qui in iudicio criminali facti contra Mecolum fuerunt ab anno 1726 ad annum 1743 testificatione Cancellarii Episcopalis, cum tutela appellationis Archipresbiter ille non resipisceret, praecepit eidem Episcopus, ut – sub poena suspensionis ipso facto incurrendae compareret –; sed ille non paruit, sese intra septa Loci immunis continuit, non sine Populi scandalo Sacrum faciens. Episcopus Tridentinae sanctioni adnitebatur, quin ulla ratione de validitate praecepti Mecolus movere posset quaestionem, cum enim praeceptum factum fuerit

ob nova crimina ab ipso admissa post appellationem ad Sacram Congregationem, non praepediebatur ab ea Episcopus ob nova delicta in Mecolum animadvertere, nec poterat Mecolus praetextu et colore quaesito litis pendentis impune peccare.

105. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: – I. An prohibitio excipiendi Confessiones Sacramentales facta Archipresbitero Mecoli substineatur? II. An deputatio Coadiutoris in exercitio curae animarum ei facta ab Episcopo substineatur? *Et quatenus affirmative.* III. An annuum stipendium scutorum viginti quatuor ab Episcopo assignatum Coadiutori substineatur, vel potius sit minuendum? IV. An praeceptum dicto Archipresbitero iniunctum ad comparendum sub poena suspensionis ipso facto incurrendae substineatur? –, Sacra Congregatio respondit: - Dilata ad sequentem, et interim Mecolus abstineat a celebratione Missae - *in Ferentina Coadiutoriae die 8 Februarii 1744.*

106. Repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Negative in omnibus - *in Ferentina Coadiutoriae die 29 Februarii 1744.*

107. Hinc non indulgetur erectio binae Vicariae Curatae per suppressionem Canonicatus vacantis et Capellaniae, si iusta non adsit causa, et interesse habentes merito adversentur *in Firmana Erectionis die 18 Augusti 1787.*

108. Enimvero ad praecidendas lites unitae fuerunt Ecclesiae Collegiatae S. Donati ac SS. Petri et Pauli Montis Ulmi: unde Parochus seu Archipresbiter S. Donati factus est Praepositus ac prima Dignitas SS. Petri et Pauli cum integra animarum cura et onere retinendi - ultra proprios Coadiutores, quos pro exercitio curae huiusmodi de praesenti habet, alium Presbiterum, Vicarium nuncupandum ab Ordinario loci prius examinandum et ad huiusmodi curam exercendam approbandum -. Quum primum ad Praeposituram ascendit Sacerdos Nicolaus Barba queri apud Sacram Congregationem ceperunt Oppidani, quod Coadiutorum numerum in Motu proprio Pontificio praefinitum non retineret, vixque unius quandoque et alterius Canonici opera uteretur. Praepositus ad deponendum Coadiutorum onus Summum Pontificem rogavit, ut binas erigere dignaretur perpetuas Vicarias, alteram per suppressionem Canonicatus de suo iurepatronatus in Ecclésia S. Donati a quinque annis vacantis, et alteram in Ecclesia S. Augustini per suppressionem Capellaniae erectae in suburbana Ecclesia S. Mariae *del Paradiso* de iurepatronatus Communitatis. Emus Archiepiscopus valde erectionem Capellaniarum commendavit, nullique per suppressionem Canonicatus et Capellaniae praeiudicium irrogari arbitrabatur. Pro erigenda Vicaria S. Donati sufficientes dicebat reditus Canonicatus in annua summa scutorum 150: quo autem ad Vicariam S. Augustini, satis pro congrua Vicarii esse autumabat Capellaniae fructus in annuis scutis 70 cum aliis scutis 30 a Praeposito oblatis. At potissima erectionis Vicariorum ratio in angustia constituebatur Ecclesiae SS. Petri et Pauli, in qua Periti Geometrae iudicio vix ex quatuor mille Parochianis stare poterant recti 1890 ac genibus innixi nongenti. Canonici vero et Communitas acriter obstiterunt: nam Ecclesia satis erat et facillima ampliatio, nec sumptus ad id necessaria deficiebant. Quin imo si iusta adfuisset causa erigendarum Vicariarum, non per suppressionem Canonicatus et Capellaniae, sed ex fructibus Praepositi, qui ascendebant ad summam annuam scutorum 700, fieri debebat. Hinc valde urgebat universi Capituli dissensus: nam expresse prohibet Sacrum Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 15 de reformatione, ne fiant in Capitulo absque eius consensu suppressiones; nec sine ratione dissentiebat. Quo maior enim erat Canonicorum numerus, eo levius singulorum servitium, licet pro chorali servitio viginti septem superessent. Ad Capellaniam autem quod spectabat, exploratissimum dixit Communitas canonici iuris interdictum, ne Beneficia de iurepatronatus laicorum, iis dissentientibus, supprimantur: in casu praesertim, ubi per suppressionem Capellaniae decrevisset contra intentionem Fundatoris cultus Beatae Mariae Virginis *del Paradiso,* et per erectionem perpetuae Vicariae Curatae Communitas libertatem amisisset nominandi simplices Clericos, ut paupertoribus succurreret familiis.

109. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia suppressionis vacantis Canonicatus et

Capellaniae et respectivae erectionis duarum Vicariarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et amplius; nec non ad mentem: mens est, quod Archiepiscopus cogat Praepositum Barba ad redditionem rationis cum interventu Deputatorum interesse habentium – *in Firmana Erectionis die 18 Augusti 1787.*

110. Quum enim dissensus Patroni iustus sit, ita semper impedit, ne unio concedatur etiam ad effectum erigendi Capellaniam Curatam *in Firmana Erectionis Capellaniae Curatae die 14 Ianuarii 1804.*

111. Siquidem fatiscente temporum iniuria Oppido Serviliani in Piceno, Clemens XIV procul illinc quatuor millia passuum erigendum curavit novum Castrum, cui indictum nomen Castrum Clementinum. Hinc anno 1783 erecta est Parochia in novo Castro, cuius Parochus omnibus spiritualia subsidia ministravit: sed id centum quinquaginta familiae et capita fere octingentum sexaginta, quae in novum Oppidum commigrare noluerant, reclamarunt, unicum Parochum satis esse non posse et deficere spiritualia subsidia, cum remotiores habitatores per agrum dispersi interesse nequirent unico Sacro, quod diebus festis celebrabatur, et Sacramentis in extremo vitae discrimine destituerentur. Quibus freti Parochiani S. Mariae *delle Piaggie* die 26 Martii 1803 petierunt, ut Capellania Curata erigeretur ex Beneficio, quod sub invocatione S. Antonii Abbatis erat in Parochiali Ecclesia S. Marci Castri Clementini propter translationem, cuius Communitati competebat iuspatronatus. Nam Parochiani egestate laborabant et Parochus non habebat ex congrua, unde Coadiutores sibi assumeret. Communitas patrona vero obstitit ac negavit, necessarium esse Capellanum Curatum in Ecclesia S. Mariae *delle Piaggie,* cum ab anno 1783 semper unus Parochus satis fuerat omnibus Ruricolis. Insuper pendebant iam preces ipsius Communitatis, ut ex hoc Beneficio erigeretur Canonicatus in Parochiali Ecclesia cum onere incumbendi ad Sacramentorum administrationem et assistentiam aegrotantium in toto territorio. Quare concedenda non videbatur unio pro Capellaniae Curatae erectione. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit locus erectioni Capellaniae Curatae ex Beneficio S. Antonii Abbatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Firmana Erectionis Capellaniae Curatae die 14 Ianuarii 1804.*

112. Cum autem acris et valde dubia quaestio efferbesceret quoad nominationem et institutionem Capellani Curati, Sacra Congregatio mandavit, ut concordia conficeretur *in Aesina Beneficii super collatione die 12 Maii die 28 Iulii 1804 et die 26 Aprilis 1806.*

113. Enimvero Innocentius VIII et S. PiusV hominibus Castri Montis Carotti, ex eo quod expensis totius Populi erecta fuerat Ecclesia Parochialis, quae unica erat in Oppido et in circumstante agro, patronatum et ius praesentandi Parochum concesserunt. Aucto deinde Populo, Parochus aegre curam gerebat per universam Paraeciam, quae in agro etiam late patebat. Hinc Communitas supplicavit Ordinario, ut Coadiutores Parocho daret: hinc Vicarius Generalis in actu Visitationis anni 1760 quinque constituit Capellanos perpetuos Parochi coadiutores - ex fructibus proventibus et reditibus eiusdem Plebaniae a Communitate tamen semper et perpetuis futuris temporibus eligendos nominandos et praesentandos –. Onera eisdem iniunxit, ut singuli quotidie horas canonicas recitarent, tres Plebanum opitularentur in administratione Sacramentorum, duo alia servitia Ecclesiae in cantu chorali in sacrario in exponenda catechesi praestarent. Cum anno 1801 vacaverit altera ex his Coadiutoriis, quae iam Canonicatus appellabantur, statim deputatus fuit oeconomus Sacerdos Nicolaus Fanciulli. Indictis dein publicis comitiis, pleniora suffragia habuit Sacerdos Placidus Carotti, nihilominus quod oeconomus Fanciulli inter candidatos adfuisset, sed statim controversia de nullitate electionis facta est; nam contra Decreta Sacrae Consultae suffragium tulit quidam Vitus Cagnoletti, qui alterius ex concurrentibus erat consanguineus. Idcirco Fanciullus apud acta Curiae ecclesiasticae Aesinae interposuit – Nihil transeat –. Hinc Sacerdos Placidus Carotti primum instetit apud Gubernatorem Aesii, ut compelleret Residentes Montis Carotti ad tradendas praesentationis literas, deinde vero reclamavit ad Sacram Consultam, quae rescripsit: - Partes utantur iure suo -. Post praetergressum tempus quadrimestre a vacatione

Coadiutoriae, Procurator Communitatis protulit in actis Curiae ecclesiasticae praesentationem in personam Placidi Carotti, quam Curia primum admisit cum clausula – si et in quantum –; sed postea instante Fanciullio mandavit – pro nunc et sine praeiudicio expediri solita Edicta –, ut convocaretur concursus ad vacantem Coadiutoriam. Sed cum in concursu nemo probatus esset, Communitas citationem coram Signatura ad impetrandum novum concursum Promotori Fiscali transmisit. Deinde de translatione actum est inter Curiam Episcopalem et Communitatem. Antequam tamen conficeretur, nomine Cleri et Populi Montis Carotti postulavit, ut Coadiutoria daretur illi, qui in concursu punctum tulisset. Hinc Sacra Congregatio die 19 Iunii 1802 mandavit: – Scribatur Emo Episcopo Administratori, qui, veris existentibus narratis, procedat ad provisionem Paraeciae, de qua in precibus, praevio novo concursu convocando ad formam sacri Concilii Tridentini –. Emus Episcopus rursus rem omnem exposuit petens, num novus concursus convocandus esset, an vero impedimentum pararet pendentia citationis coram Signatura. Denuo igitur prodiit die 17 iulii 1802 Rescriptum: – Scribatur Emo Episcopo Administratori, qui in casu, de quo agitur, procedat ad convocationem novi concursus et provisionem Paraeciae, de qua in precibus, ad formam sacri Concilii Tridentini –. Factus est novus concursus, in quo adfuit etiam Placidus Carotti: sed inter ceteros praehabitus fuit Sacerdos Nicolaus Fanciulli. Reclamavit hinc Communitas cum Sacerdote Carotti. Fanciullius itaque contendit, servandum esse Rescriptum Sacrae Congregationis, quia Vicarius Generalis concedere non poterat ius praesentandi Communitati, cum quaesitum non esset ex dotatione, et quia post quadrimestre tempus illud amiserat. Contra Communitas cum Placido Carotti negavit, exequendum esse Rescriptum Sacrae Congregationis, quia obreptitium et subreptitium erat; nam narrabatur, quod infecta nullitate fuissent comitia, quibus electio Presbiteri Carotti facta erat, et devolutum ius praesentandi rediisset ad Ordinarium propter lapsum quadrimestre. Quorum utrumque falsum fuisse demonstrare sategit.

114. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Rescriptum diei 17 iulii 1802 eiusque exequutio sint servanda in casu etc. *Et quatenus negative*. II. An et cui sit danda institutio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Iterum proponatur – *in Aesina Beneficii super collatione die 12 Maii 1804*.

115. Reproposita vero Causa sub iisdem dubiis, Sacra Congregatio die 28 iulii 1804 denuo respondit: – Iterum proponatur –. At exin repropositis praefatis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Placere de concordia etiam ex officio, et pro huiusmodi effectu scribatur Episcopo, qui de resultantibus certioret – *in Aesina Beneficii super collatione die 26 Aprilis 1806*.

116. At removeri non posse videtur ab officio Capellanus exercitio curae fungens, sed necessaria censetur cognitio causae ab Episcopo approbandae iuxta ea, quae habentur penes Nicolium in Floscul. verb. *Capellanus* n. 7 et Monacellium form. legal. tom. 1 tit. 10 form. 18 n. 17 *in Civitatis Plebis Iuris removendi Curatum die 19 Iulii 1732* §. *At*.

117. Idcirco Parochiani nequeunt amovere Capellanum seu Curatum ad nutum, sed tantum ex causa approbanda ab Episcopo *in Spoletana Iuris amovendi Curatum die 8 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum*.

118. Enimvero – cum in plerisque Ecclesiis Parochialibus Comitatus Nursiae assertus mos invaluerit, quod earum Rectores ad nutum respective Parochianorum removentur, aliique amovibiliter praesentantur, Episcopus ex munere pastoralis officii, prolato edicto, huic corruptelae, ut inquit, obviam ire duxit, decernens, ne imposterum animarum curam obeuntes amoverentur, ipso inconsulto. Profecto tutandi causa assertum huiusmodi ius Universitatis Montis Bufi eiusdem homines quam demisse praesidium implorarunt Sacrae Congregationis Boni Regiminis, exindeque remissa huiusmodi Causa ad EE. PP. Consessum, pluribus in praesenti se se confoveri contendunt in quasi possessione iuris amovendi pro libito Capellanum seu Curatum amovibilem, qui annuatim supplicationem porrigere consuescit pro sui confirmatione, ut perhibetur ex iteratis praetensis actibus atque Episcoporummet assertionibus in summario recensendis; ceterum ex infausto terraemotus chasmate deperiisse asserunt docu-

menta fundationis sive erectionis huiusce Capellaniae. At Episcopus, exaggeratis pluribus minus probandis, quae ex huiusmodi more insurgunt, praesertim quia Parochi tam frequenter amoventur, cum morum corruptelis minime blandiuntur, brevi se expedit, quod Capellanus Curatus ad nutum amoveri possit, cum apud deputantem Cura habitualis residet, secus vero si Capellano ipsi omnimoda animarum cura committatur, quemadmodum contingit in praesenti –.

119. His itaque praelibatis aliisque utrinque adductis, proposito dubio: – An liceat Communitati amovere Capellanum seu Curatum ad nutum, seu potius ex causa in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, sed tantum ex causa approbanda ab Episcopo; et amplius – *in Spoletana Iuris amovendi Curatum die 8 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum.*

120. Hinc Sacra Congregatio in alia Spoletana, quoad Capellanum Curatum cum eadem amovibilitatis lege nominatum a Communitate Seravallis, die 1 Decembris 1731 respondit inter Summaria precum: – Servetur Decretum anni 1713 –; et die 8 martii 1732 stetit in Decretis *in Civitatis Plebis Iuris removendi Curatum die 19 Iulii 1732* §. *Praeterea.*

121. Quin imo licet Abbas Monasterii Congregationis Cassinensis ius haberet deputandi ad nutum Presbiteros seculares Ecclesiis Parochialibus eius Monasterio unitis ac eisdem literas electionis dedisset expressam amovibilitatem ad nutum etiam sine causa praeseferentes, Sacra Congregatio tamen praecepit, ut Capellanus huiusmodi in casu, de quo agebatur, non removeretur, nisi ad effectum eum praeficiendi alteri Parochiae *in Perusina Remotionis Vicarii sive Capellani Curati die 3 Augusti 1743.*

122. Enimvero Sacerdos Franciscus Sarri exposuit, se post obtentam anno 1730 ad nominationem Abbatis Monasterii S. Petri Civitatis Perusiae Congregationis Cassinensis Capellaniam, cui animarum cura Parochialis Ecclesiae S. Gualterii Castri Casalinae adhaerebat, omnia parochialia munia non modo sine ulla cuiuspiam offensione, verum etiam magna cum sedulitate et laude, nec modico aere in supellectilium sacrarum causam aediumque parochialium utilitatem collato, exegisse; inde autem nulla quidem ex causa, sed ex proprio Abbatis arbitrio ac solo alterius Sacerdotis gratificandi studio fuisse ab eius Ecclesiae regimine amotum. Quocirca supplicavit, ad pristinum Vicarii, quo deturbatus fuit, officium restitui. Nam contendit, haudquaquam recte probari posse liberam hanc facultatem et consuetudinem removendi sine causa Vicarios, eamque nimium perniciosam esse bono Ecclesiarum regimini, dum ob ipsam, quam Monachi sibi adserebant effrenem removendi licentiam atque etiam tenuissimum stipendium Vicariis praestari solitum vix ac ne vix quidem ullus idoneus Clericus earum Ecclesiarum curam suscipere vellet. Episcopus quoque in sua relatione significavit, eam, quam Abbas velut unicum rationis momentum sibi exposuit, immemorabilem consuetudinem, si vera esset, nimium a iuris praescripto aberrare et spirituali animarum bono non parum obesse; difficilem vero sibi videri illius consuetudinis probationem. Ceterum ob pacis amorem Episcopus censuit, ita dirimi posse praesentem controversiam, ut Sacerdos Sarri consilium caperet dimittendi sua sponte Parochialem Ecclesiam Casalinae, ipse vero eodem tempore nominationem alterius Ecclesiae, vel congruam aliam compensationem ab Abbate obtinere deberet: at imposterum interdicendus esset Abbas, ne quempiam a sua Parochiali Ecclesia removeret, nisi legitima eius rei causa concurreret. E contra Abbas protulit immemorabilem consuetudinem eligendi pro administrandis Parochialibus Ecclesiis Monasterio subiectis novem et decem Capellanos sive Vicarios – amovibiles tamen ad nutum etiam sine causa –, atque annuatim eos confirmandi, si id sibi visum fuerit, quemadmodum in formula literarum electionis huiusmodi exprimebatur, similesque electionis et confirmationis actus ab anno 1683 ad annum 1742 in authentico Monasterii libro servari testabantur duo Notarii iidemque Actuarii eiusdem Monasterii. Sustinuit insuper praefatus Abbas, ius amovendi absque causa sibi concessum fuisse a Gregorio XIII, cum Pontifex approbaverit consuetudinem deputandi Presbiteros seculares – ad nutum Superiorum amovibiles –; idque consectarium esse videri ex iis, quae de amovibilibus et temporaneis

Vicariis seu Capellanis Curatis Ecclesiarum, quae unitae sint Capitulo Monasterio vel Dignitati tradunt cum aliis Fagnanus in Cap. *Cum ad Monasterium* n. 38 de statu Monachorum, Garcias de Benef. part. 1 cap. 2 n. 85, et late materiam hanc tractans et varios casus distinguens Card. De Luc. de Benef. disc. 80, Scarfantonius ad Ceccoperium lucubrat. can. tom. 3 addit. 19, et Fargna de iurepatronat. part. 2 can. 11 cas. 4 n. 6, quibus frequenter consonant Rotae decisiones. Idque in casu locum praesertim habere contendit, cum Vicarius Curatus literas nominationis seu electionis acceptaverit, expressam amovibilitatis legem – etiam sine causa – praeseferentes. Denique defendit, recte et iuste Sacerdoti Sarri ab se fuisse pristinum Vicarii officium ademptum, cum in promptu adessent plures attestationes, varia quaedam ipsius Sacerdotis dicta vel facta renunciantes minus composita et scandali occasionem Populo ingruentia.

123. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An remotio Francisci Sarri a Parochia nuncupata *della Casalina* facta ab Abbate S. Petri de Perusia sustineatur in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad mentem (1) – *in Perusina Remotionis Vicarii sive Capellani Curati die 3 Augusti 1743.*

124. Unde Capellanus Curatus, qui in altero Parochiae Oppido ex consuetudine moratur, ut Parochianis Sacramenta administret, nequit ad arbitrium Parochi etiam absque causa per Ordinarium cognoscenda removeri, Parochus tamen exercere potest in dicto Oppido omnes functiones reservatis emolumentis praefato Capellano, quin vero ibidem ad sui libitum residere valeat *in Lunen. Sarzanen. Iuris amovendi Capellanum Curatum die 2 Septembris 1747 et die 11 Maii 1748.*

125. Siquidem duo erant Oppida in Diaecesi Sarzanensi uni subiecta Parocho, alterum *Folli*, alterum *Bastremoli* nuncupabatur. Cum vero unum ab altero distaret via difficili et a torrente intercepta, ita ut impossibile fieret, ut ab uno Parocho Incolis utriusque Oppidi Sacramenta Ecclesiastica ministrarentur, veteri consuetudine usuque longaevo receptum erat, ut Parochus Oppidum *Folli* incolaret, in altero *Bastremoli* Capellanum curatum retineret. Venit in mentem Parocho Capellanum hunc removendi: sed obstitit Capellanus ipse, obstitere homines *Bastremoli*, negantes Parocho hoc ius, nulla reddita causa et sine cognitione Episcopi, verum etiam contendentes, non posse eum parochiales functiones exercere in eodem Oppido. Episcopus secundum Capellanum respondit. Propositis hinc dubiis: – I. An liceat Parocho Folli ad arbitrium removere Capellanum Curatum a terra Bastremoli ab ipso nominatum etiam absque causa ab Ordinario cognoscenda in casu etc. II. An liceat eidem Parocho Folli ad sui libitum explere omnes functiones parochiales in Ecclesia et loco Bastremoli, ibique etiam ad sui libitum residere in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, dilata; et scribatur Episcopo iuxta instructionem (2) – *in Lunen. Sarzanen. Iuris amovendi Capellanum Curatum die 2 Septembris 1747.*

126. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. II. An liceat Parocho Folli ad sui libitum explere omnes functiones parochiales in Ecclesia et loco Bastremoli, ibique etiam ad sui libitum residere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Affirmative ad primam partem reservatis emolumentis Capellano Curato, Negative ad secundam – *in Lunen. Sarzanen. Iuris amovendi Capellanum Curatum die 11 Maii 1748.*

127. Contra vero Capellanus Curatus a Parocho in Ecclesia filiali ad nutum electus, iusta praesertim causa intercedente, legitime ac valide ab Episcopo removetur, cum nullatenus de ipsius perpetuitate constet *in Montis*

(1) Mens autem fuit – ut Sarri in casu, de quo agitur, non removeatur, nisi ad effectum eum praeficiendi alteri Parochiae –, ceu videre est in lib. 95 Decretorum pag. 349.

(2) Scilicet, – ut Episcopus referat, an in deputatione Capellani pro loco Bastremoli Episcopus illum dumtaxat approbaverit pro audiendis Sacramentalibus Confessionibus aliisque administrandis Sacramentis, seu potius nominationem et deputationem dicti Capellani a Parocho factam pro exercitio curae Animarum in eodem loco confirmaverit, et an praecedentes deputationes Capellanorum factae fuerint cum qualitate amovibilitatis ad nutum Parochi –, ut in Reg. Litt. lib. 3 die 8 septembris 1747.

Alti Remotionis Capellani et Iurium parochialium die 12 Iunii 1762.

128. Siquidem Michael Aloisius Camparelli Prior et Parochus S. Angeli in Cryptis et S. Petri ad Ripas Diaecesis Montis Alti in partibus Apuliae elegit Sacerdotem Dominicum Pauletti – in Capellanum Curatum ad nutum – Ecclesiae filialis S. Felicitatis, quae erat in Villa Ronchettae, constituto illi stipendio in annuis ducatis quindecim praeter incerta curae emolumenta, illumque ad curam animarum Episcopum approbavit – in adiutorium Parochi – cum omnibus et singulis facultatibus, quae huiusmodi Capellanis concedi solent, et cum omnibus honoribus et oneribus consuetis. In Pastorali tamen Visitatione peracta anno 1758 visum fuit Episcopo exercitium curae animarum latius, quam par esset, ab eodem Capellano usurpari; quare Decreto suo plura vetuit praecepitque, ut iura Parochi tueretur et Capellani licentiam compesceret. Praeterea cum in primo Episcopi adventu in Diaecesim idem Capellanus haud comparuisset in termino, sub poena suspensionis ab audiendis Confessionibus, praefinito Confessariis ad subeundum novum examen, et fretus Monitorio super manutentione A. C. expedito, fidelium confessiones excipere ad plures dies continuasset, eum Episcopus removit ab exercitio curae, deputato novo Capellano, et ex causis sibi notis suspensum declaravit a divinis. Nam in antiquis et recentioribus Episcopi Visitationibus filialis enunciabatur praefata Ecclesia S. Felicitatis et unita Ecclesiae Parochiali SS. Angeli et Petri in Cryptis, et huius Parochus illi deserviebat per Capellanum residentem in dicta Villa Ronchettae, suis sumptibus conducendum, licet ob locorum distantiam Capellanus etiam Sacramentum Baptismi administrabat. Nec ambigendum videbatur, quin Capellanus esset amovibilis, cum non constaret, aliquem titulo praedictae Capellaniae fuisse ad sacros ordines promotum, et ipse Dominicus Pauletti deputatus expresse – in Capellanum ad nutum –. Idcirco amoveri poterat sine causa, vel iusta causa non deficiebat, ob illius reluctantiam Decretis Episcopi, cum etiam levis sufficeret.

129. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de perpetuitate Capellani seu Vicarii Curati Ecclesiae titularis S. Felicitatis Villae Ronchettae deputandi a Priore seu Parocho Ecclesiae Parochialis Matricis S. Angeli in Cryptis, seu potius constet de illius amovibilitate ad nutum, ita ut sustineatur eius remotio? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Montis Alti Remotionis Capellani et Iurium parochialium die 12 Iulii 1762.*

130. Unde ad Parochum sane spectat Ministros sibi necessarios ad curam animarum assumere ad formam Cap. 4. sess. 21 de reformatione, cuius censura sequenda esse videtur, non autem illa Cap. 6 eiusdem sessionis, cum non agatur de Parocho illiterato inhabili aut criminoso *in Asculana die 24 Iulii 1762* §. *Quocirca.*

131. Qua de re cum Promotor Fiscalis plura in Capellanum Curatum a Parocho assumptum obiecisset ad effectum sustinendi illius remotionem ac novam electionem alterius Capellani ab Episcopo peragendam, Sacra Congregatio rem quidem arbitrio et conscientiae Episcopi remisit quoad remotionem; sed quoad novam Capellani electionem mandavit, ut Episcopus in casu denegatae reintegrationis praefigeret terminum Parocho ad eligendum alium Capellanum ab eodem Episcopo approbandum *in Asculana die 21 Augusti 1762 et die 26 Februarii 1763.*

132. Siquidem Thomas Cardinelli Parochus Castri Gimiliani et Villae Podii ad Sacram Congregationem confugit, ne invitus ab Episcopo cogeretur dimittere exercitium curae animarum per se et Capellanum a se assumptum obeundum. Promotor Fiscalis vero defendit, alium Coadiutorem in exercitio curae adiungendum esse praedicto Parocho ab Episcopo, cum ille eo indigeret non ratione multitudinis Populi, iuxta praescriptum sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 4 de reformatione, sed ratione senectutis vel propriae culpae, iuxta dispositionem alterius Textus in cap. 6 eiusdem sess. 21, quia septuagesimum septimum agens aetatis annum vires sensuum et mentis amiserat, et in Pastorali Visitatione anni 1761 compertum fuerat, quinquagies descripsisse duplicem Missam uno die multasque absque necessitate anticipasse et

non pauca omisisse; insuper surditate laborantem non posse sine scandalo Confessiones sacramentales excipere. Remotionem Capellani sustinuit etiam Promotor Fiscalis ratione eius culpae, cum Cancellarius assereret, probari ex processu paulo ante confecto, quod ille esset invisus Populo ob demerita, continuo vagans, de libidine suspectus et negligens in expositione Evangelii et doctrinae Christianae diebus festis, quodque moribundam reliquisset sine assistentia, Populo semel commodum audiendi Sacrum ademisset die Dominico, Missam non celebrando, lampadem extinctam retinuisset ante Tabernaculum, licet a Populo necessarium oleum accepisset, et damna dedisset bonis Ecclesiae suorum opera, incidendo arbores, pascendo animalia, et deserendo culturam. Exhibuit quoque contra praedictum Capellanum alias Cancellarii attestationes, quod, perquisitis actis concursuum ad Ecclesias Parochiales, ille minime in eis approbatus reperiebatur ad curam animarum, quodque pluries delatus fuerat ad Curiam Episcopalem, ob iniuriam cuidam Merloni illatam, ob subrepta mororum folia, ob neglectum curiae exercitium, et ob tentatum adulterium, quod ceteroquin aliena calumnia imputatum fuisse Capellano de auditu a Muliere accusatrice testabatur idem Parochus Cardinelli in examine pro informatione Curiae recepto. Verum Parochus Cardinelli contendit, nullam fidem adhibendam esse succinctis relationibus Cancellarii sine processuum exhibitione, quibus perspicua fieret obiectorum criminum falsitas, praesumenda ceteroquin ex ipsa non prosecutione processuum et ex defectu cuiuscumque sententiae condemnatoriae. Et totius fere Populi testimonio aliisque luculentissimis Testibus, suum suique Capellani honorem bonum nomen integram famam atque idoneitatem ab impictis exceptionibus vindicare conatus est, disserens, haud posse dubitari de idoneitate Capellani, cum praesto essent plures ad Confessiones excipiendas approbationes et iudicium praecedentium Episcoporum, qui per ipsum sine querela passi fuerant curam animarum exerceri; minusque verti in controversiam posse Capellani exemplarem vitam et diligentiam in administratione curae animarum, cum haec omnia plurium testimoniis comprobarentur, nec deesse, qui asserebant, auctam aere proprio fuisse a Capellano sacram supellectilem ac promotam fuisse bonorum Ecclesiae utilitatem. Non culpa Capellani probavit, Vetulam sine spirituali auxilio decessisse, sed apoplectico morbo correptam; non Capellanum Missam celebrare neglexisse die festo, sed substitutum opportune relictum; non iniuriam eum intulisse Merloni, sed illum iudicialiter furti accusasse; non subtracta, sed empta ab eo fuisse mororum folia; non Feminam tentasse, sed a Femina obscuri nominis et famae delatum fuisse de concubitu octo ante annis tentato, cuius ceteroquin probationes deesse fassus erat Cancellarius Episcopalis, praeter calumniae iudicia, quae cumulabantur ab accusato Capellano.

133. Post haec Episcopus transmisit tres processus cum notula compendiaria meritorum sui Cancellarii Criminalis in comprobationem illius integrae fidei. At, his utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An sit locus remotioni Capellani, ita ut deveniendum sit ad novam deputationem Capellani Curati? –, Sacra Congregatio respondit: – Iterum proponatur - *in Asculana die 21 Augusti 1762.*

134. Promotor Fiscalis enixius institit, cum solum Episcopi iudicium sufficeret ad remotionem sustinendam etiam quoad Vicarios a Regularibus exemptis deputatos, nulla Superioribus Regularium pandita vel probata causa sui iudicii, ut approbando sententiam Sacrae Congregationis sancivit Benedictus XIV in Constitutione *Firmandis* 109 §. II tom. 1. Et, quatenus iusta causa requiretur ad remotionem sustinendam, nedum ea non deficiebat, sed praedictus Capellanus Emidius Pamponius sola facultate audiendi Confessiones praeditus erat, non autem ab Episcopo, praevio examine, approbatus ad curam animarum exercendam, prout requirebatur etiam quoad huiusmodi Capellanos seu Coadiutores et Vicarios temporaneos a Parochis nominatos vel assumptos, iuxta Constitutionem *Apostolici Ministerii* s. m. Innocentii XIII, confirmatam a s. m. Benedicto XIII in Constitutione *In Supremo;* ac propterea contra formam dictarum Constitutionum exercere non poterat curam animarum sine approbatione Episcopi, multoque minus postquam ab Episcopo privatus fuerat etiam facultate audiendi Confessiones. Contendit pa-

riter, novum Capellanum coadiutorem dandum esse Parocho Cardinelli ad electionem Episcopi, cum ille in termino per Episcopum praefinito recusaverit alium nominare et assumere idoneum Coadiutorem ab Episcopo approbandum, cuius opera indigebat ob senectutem et dissitum in duabus Villis Parochianorum incolatum, ut cavetur in dicta constitutione *Apostolici Ministerii*. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, arbitrio et conscientiae Episcopi; et in casu denegatae reintegrationis Pomponii, Episcopus praefigat terminum Parocho ad eligendum alium Capellanum ab eodem Episcopo approbandum, et ad mentem; et amplius - *in Asculana die 26 Februarii 1763* (1).

135. Quin imo Episcopus procedere potest ad formam Cap. 6 sess. 21 Concilii Tridentini per constitutionem Coadiutoris seu Vicarii cum respectiva fructuum assignatione, si Parochus propter imperitiam vel vitae turpitudinem potius destruit, quam aedificat *in Firmana dispensationis ab irregularitate die 28 Aprilis 1781.*

136. Iamvero cum Parochus Ecclesiae S. Mariae ad mare in castro Turris Palmarum Franciscus Monti incidisset in irregularitatem, ex eo quod scienter Baptismum sub conditione reiteraverit, Communitas Turris Palmarum, exposita praedicti Sacerdotis in obeundo Parochiali munere negligentia et suspensione inflicta ob dictam Baptismi reiterationem aliasque causas, allegataque asserta eiusdem in latinis litteris imperitia ob pauca errata, quae ex eius calamo in Parochialium librorum Regestris irrepsisse noscebantur, suppliciter postulavit ab EE. PP., ut probum doctumque Capellanum Curatum, qui animarum commodis diligentius inserviret, Parocho in posterum substituere dignarentur, eo magis quod ad hanc substitutionem commode erant parochiales reditus, qui summam scutorum 160 annuatim attingebant. Proposito interim dubio: – II. An substitui debeat alter Capellanus Curatus iuxta preces Communitatis? –, Sacra Congregatio, licet praefato Parocho dispensationem ab irregularitate indulgere censuerit, respondit: – Ad secundum, Archiepiscopus utatur iure suo ad formam Concilii Tridentini (2) *in Firmana Dispensationis ab irregularitate die 28 Aprilis 1781.*

137. Cum autem quaestio esset, an Parochus, qui Sacerdotem in suum adiutorem assumpsit pro exercitio curae animarum ad beneplacitum, teneretur exprimere et iustificare causas amotionis, quas Ordinario significavit, Sacra Congregatio respondit, ad D. Secretarium iuxta mentem *in Toletana die 17 Novembris 1725.*

138. Siquidem Martinus Clavero Corbela Parochus Ecclesiae Curatae Sanctae Crucis Villae Matritensis Toletanae Diaecesis cepit possessionem suae Parochialis et in suum adiutorem assumpsit pro exercitio curae animarum Sacerdotem Ioannem Alvarez ab Ordinario approbandum, et electio et confirmatio expleta fuit sub literali conditione, quod esset duratura ad merum Parochi beneplacitum. Cumque tractu temporis memoratus Parochus Martinus significatis suo Ordinario causis, quae ipsum ad hoc impulerant, existimaverit alium Sacerdotem loco Ioannis substituere, habitus fuit a Ioanne recursus ad Ordinarium sub obtentu, quod sine ulla causae expressione fuerat a suo officio remotus, et instetit pro reintegratione: sed cum in hoc iudicio succubuerit et appellationem interposuerit ad Tribunal Nuntiaturae, placuit illius Auditori Decretum ferre, in quo demandavit, faciendas esse probationes super causa remotionis. Parochus Martinus se reputavit maximopere ab hoc Decreto gravatum, cum inusitatum assereret in Hispaniis, quod Parochus, qui aliquem Sacerdotem ad suum beneplacitum assumebat pro adiutore in exercitio curae animarum, non posset eum removere sine expressione et iustificatione causae; exhibitoque supplici libello Sacrae Congregationi et ab eadem remisso ad Emum Card. Bellu-

(1) Reliqua vid. in Verb. *Attentata*, n. 66 ad 70, Tom. II.

(2) Scilicet in Cap. 6 sess. 21 de reformatione, ubi legitur. – Quia illiterati et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt, quam aedificant; Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, Coadiutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare vel aliter providere possint, quacumque appellatione et exemptione remota –.

gam, qui dignaretur Sacram Congregationem instructam reddere et votum suum aperire, Eminentia sua iustam existimavit Parochi querelam, sed eodem contextu insinuavit, ut in Sacra Congregatione dubium disputaretur, an in similibus amotionibus necessaria sit expressio et causae iustificatio; si enim existimaretur, non esse necessariam, Causa erat terminata, et e contra si necessaria reputaretur, tunc Causae examen et eius iustificatio erat assumenda in tribunali Nuntiaturae. His interim perpensis, proposito dubio: – An Parochus in amotione Sacerdotis assumpti in adiutorium pro exercitio curae animarum teneatur ipso instante causam amotionis exprimere et iustificare in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad D. Secretarium iuxta mentem – *in Toletana die 17 Novembris 1725.*

139. Iamvero Capellanus, pro exercitio curae deputatus ad coadiuvandum verum Parochum et huius sumptibus conductus, amovibilis de iure censetur *in Montis Alti Remotionis Capellani et Iurium parochialium die 22 Maii 1762* §. *Haec* (1).

140. Amplia, etiamsi non constet, aliquem fuisse amotum; quia in facultativis ius proprium non amittitur per non usum, nisi concurrat prohibitio, cum longi temporis acquiescentia, ut notat Rota in Nullius Provinciae Hispalen. Iuris deputandi et amovendi Vicarium super negocio principali 12 decembris 1707 §. Non obstante coram Card. Aldrovando, et in Maioricen. Manutentionis 23 februarii 1753 §. 5 coram Figueroa *in Montis Alti Remotionis Capellani et Iurium parochialium die 22 Maii 1762* §. *Haec.*

141. Unde si in literis deputationis apposita expresse fuerit qualitas amovibilitatis ad nutum, in dubium ea revocari nequit *in Montis Alti Remotionis Capellani et Iurium parochialium die 22 Maii 1762* §. *Et* (2).

142. Idcirco amovibilitas eo vel magis locum habet, quando Vicarius Curatus amoveri potest ad nutum, quasi vox ipsa liberam omnino et absolutam voluntatem significans vix coerceri posse videtur intra solos iustae ac legitimae causae limites; atque itidem quando Vicarius Curatus acceptavit literas suae nominationis sive electionis, expressam amovibilitatis legem – etiam sine causa – praeseferentes, prout utramque hanc circumstantiam expendunt Garcias in part. 1 de Benef. cap. 2, Scarfantonius ad Ceccoperium lucubrat. can. tom. 3 addit. 19, Pitonius de controv. patron. alleg. 100 in supplem. n. 40 41 et 51, et Rota coram Peutingerio decis. 15 et 53, coram Carillo decis. 96 n. 1, coram Molin. decis. 1082 n. 32 *in Perusina Remotionis Vicarii sive Capellani Curati die 13 Iunii 1743* §. *Haec.*

143. Siquidem ad materiam magistralis esse videtur decisio 53 coram Peutingerio, et apud Card. De Luca de Benef. disc. 80 plures casus distinguuntur, et n. 16 firmatur, quod quando Vicarii, qui assumuntur ad exercitium curae animarum, non sunt perpetui et collativi, habentur tamquam nudi famuli conductitii ad nutum amovibiles: et contraria ad summum procedere posse videntur, quando ageretur de removendo Capellano curam animarum exercente, non ad instantiam Parochi deputantis, sed ad instantiam Parochianorum de eo conquerentium *in Toletana die 17 Novembris 1725* §. *Ad.*

144. Quin imo testantur Fagnanus et Garcias in part. 1 cap. 2 n. 94 de Beneficiis, rescriptum ab Sacra Congregatione in una Civitatensi fuisse, Vicarios in Ecclesiis Parochialibus Capitulo unitis constitutos posse ab eodem Capitulo removeri ad nutum, ab Ordinario autem nonnisi ex causa legitima et probata, propter quam possent amoveri, etiamsi essent perpetui *in Civitatis Plebis Iuris amovendi Curatum die 19 Iulii 1732* §. *Consonare.*

Item *in Perusina Remotionis Vicarii sive Capellani Curati die 13 Iunii 1743* §. *Testantur.*

145. Quae itaque Sacrae Congregationis resolutiones extant, denegantes facultatem dimittendi pro libito Capellanos Curatos, eae intelligi oportere videntur de Vicariis amovibilibus quidem, non tamen ad nutum, quorumque nominatio non ad Abbatem Monasterium vel Dignitatem aliquam, cui subiecta sit

(1) Rot. in Bononien. Amovibilitatis Capellani 12 februarii 1726 §. Quemadmodum, et 31 ianuarii 1727 §. Quandoquidem coram Card. Corio, et super bono iure 14 iunii 1728 §. Potissimum coram Card. Crescentio.

(2) Piton. de controv. patron. alleg. 100, n. 54 in supplement.; et Rot. in Bononien. Amovibilitatis Capellani super bono iure 14 iunii 1728 §. Clariora coram Card. Crescentio.

parochialis Ecclesia, sed ad personas laicas, nempe Communitatem Patronum aut Confraternitatem pertineat, ut hunc casum distinguunt ipse Card. De Luca de Benef. disc. 80 n. 5 et seqq., Fargna de iurepatronat. part. 2 can. 21 cas. 3 n. 2 et 3 *in Perusina Remotionis Vicarii seu Capellani Curati die 13 Iunii 1743* §. *Si quae*.

146. Pignatellius narrat in consult. 143 tom. 3 n. 38, Sacram Congregationem Visitationis Apostolicae in Romana Remotionis Curati Ecclesiae SS. Venantii et Ansovini Camertis Nationis decrevisse die 17 iunii 1698: – Licere Officialibus laicis eiusdem Ecclesiae libere et pro suo arbitrio beneplacito ac nutu eligere et amovere Curatum amovibilem dictae Ecclesiae, etiam sine causa – *in Civitatis Plebis Iuris removendi Curatum die 19 Iulii 1732* §. *Narrat* (1).

147. Ceterum ad effectum removendi Capellanum Curatum amovibilem quaelibet sufficit levis causa, dummodo seiuncta sit ab odio et dedecore Capellani *in Montis Alti Remotionis Capellani et Iurium parochialium die 22 Maii 1762* §. *Et*.

148. Hinc peculiaribus concurrentibus circumstantiis, Capellanus Curatus ad nutum amovibilis quandoque removeri potest, quin sit necessaria causae cognitio ab Episcopo approbandae, cum praesertim rem Sacra Congregatio dirimat *in Civitatis Plebis Iuris removendi Curatum die 19 Iulii et die 27 Septembris 1732*.

149. Siquidem ad Commendam sacri Ordinis Hierosolymitani, qua potiebatur eques Gaddius, pertinebat Ecclesia Parochialis S. Christophori. Ei autem praeerat Capellanus seu Vicarius curam animarum gerens, quem Commendatarius non perpetuo, sed amovibiliter consuevit eligere et nominare. Ordinarius vero, si eum praevio examine idoneum compererit, solebat ei (absque tamen institutione vel collatione in titulum) facultatem impertiri administrandi Sacramenta et obeundi functiones Parochiali muneri consentaneas. Hunc in modum praepositus Ecclesiae illi fuit Sacerdos Antonius Philippus Castelluccius, quem tamen inde placuit Commendatario dimittere et alterum in eius locum subrogare. Castelluccius itaque reclamavit contendens, haudquaquam positum esse in libera voluntate ac potestate Commendatarii removere ab Officio Capellanum exercitio curae fungentem, sed necessariam esse cognitionem causae ab Episcopo approbandae. Commendatarius vero ad sui iuris tuitionem in medium potissimum protulit S. Rotae decisiones olim editas in Hispalen. Iuris amovendi Curatos decis. 15 et 53 coram Peutingerio, in Nullius Provinciae Hispalen. Iuris amovendi Vicarium 10 iunii 1707 coram Molines et 12 decembris eiusdem anni coram Aldrovando. Consonare itidem videbantur aliquae resolutiones, quae affinibus prodierunt.

150. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An liceat Commendatario removere Capellanum Curatum arbitrio suo, seu potius dumtaxat ex causa ab Episcopo approbanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et ad mentem – *in Civitatis Plebis Iuris removendi Curatum die 19 Iulii 1732*.

151. Reproposito mox dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit. – In casu, de quo agitur, esse locum deputationi alterius Capellani – *in Civitatis Plebis Iuris removendi Curatum die 27 Septembris 1732*.

CAPELLANUS SODALITII

1. Tralatitii iuris est, electionem Capellani Sodalitio privative competere *in Sutrina Capellaniae die 8 Iulii 1854* §. *Qui*.

2. Siquidem proposito dubio: - VI. An electio tam Oeconomi seu Administratoris pro gubernio et administratione bonorum eleemosynarum et oblationum dictae Capellae Sanctissimi Sacramenti, quam Capellani Confraternitatis, spectet ad Episcopum, vel potius ad Confratres in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, spectare ad Confratres cum approbatione Episcopi – *in Sarnen. Confraternitatis die 11 Iunii 1712 lib. 62 Decretorum*.

(1) Alterius similis casus decisionem refert, fuse materiam tractans Card. De Luc. de Benef. disc. 80.

3. Hinc haud integrum erit Ordinario, eum ab Officio repellere, quem Sodalitium suffragiorum pluralitate elegerit atque approbaverit *in Sutrina Capellaniae die 8 Iulii 1854* §. *Qui*.

4. Idcirco si ex legibus Synodalibus Episcopus ius habeat confirmandi Capellanum per Confratres electum, non propterea iam legitime electum reiicere, et alium non electum adprobare ac in possessionem, non obstante protestatione *nihil transeat*, immittere potest; alias enim nedum locus est immissioni ad officium Capellani favore legitime electi, sed et Curia ad Causam vocanda est ad effectum agendi litem super refectione damnorum et expensarum *in Sutrina Capellaniae die 8 Iulii 1854*.

5. Enimvero, ob renunciationem Canonici Donati Ceccherini, vacavit officium Capellani Sodalitii a Sanctissimo Rosario nuncupati in Civitate Roncilionis Sutrinae Diaeceseos. Quamobrem comitiis indictis die 17 aprilis 1853, quinquaginta Sodales ad novi Capellani electionem explendam convenerunt. Duo Collegiatae Ecclesiae Canonici, nempe Sacerdotes Pantaleon Tedeschi et Mathias Mordacchini, pro Capellaniae assequutione instabant, quorum nominibus secreto Sodalium suffragio commissis, potior inventus fuit Canonicus Tedeschi, quippe qui triginta septem vota retulit, cum Canonicus Mordacchini octo tantum supra viginti retulisset. Cum ex lege synodali electio Ordinarii confirmatione indigeret, hinc Sodalitii nominatio ad Curiam transmissa fuit. Accidit vero, ut Vicarius Generalis Sutrinus, reiecto contra Sodalium voluntatem Canonico Tedeschi, Mathiam Mordacchini alterum candidatum in Capellanum adprobaverit. Ab huiusmodi agendi ratione laesum se existimans Canonicus Tedeschi continuo, protestatione *nihil transeat* in Curia emissa, ad Sacram Congregationem provocavit. Nihilominus Vicarius Generalis, huiusmodi protestatione posthabita, Canonicum Mordacchini ad Capellaniae possessionem immitti iussit, uti reapse factum fuit. Episcopus seu Vicarius Generalis ob id Mathiam Canonicum Mordacchini praetulit et adprobavit, quia iusta et rationabilis adfuit causa, nempe morum honestas scientia vitae integritas, et confessarius erat, quae requisita non sic laudabiliter in Pantaleone Canonico Tedeschi reperiebantur, quandoquidem penes Curiam illam aliquid proditum fuerat contra eius honestatem vitae ob malam cum quadam muliere consuetudinem minime vero probatam, imo tunc de ipso bonum testimonium quoad honestatem praefata Curia receperat. Otiosam etiam recensuit vitam Canonici Tedeschi, cum magnum temporis spatium in Officina cuiusdam Rosati Altigeri tereret ac interdum venationi indulgeret laicorum more indutus. Hinc haud idoneum ad Capellaniam putavit eo etiam ex capite, quod nec confessarius esset nec fortasse ad Sacramentales fidelium confessiones excipiendas quoad scientiam idoneus censeri posset. Ne ullum autem dubium, quin ex capite octavo tertiae partis Synodalium Constitutionum liquido constaret, approbationem Capellani Confraternitatum ad Episcopum pertinere, nec amovendum esse causa Episcopo non patefacta et rata habita.

6. Contra Canonicus Tedeschi sustinuit, Confraternitatem ius habere eligendi Capellanum; cumque inter plures concurrentes unus tantum maiora numero suffragia retulerit relate ad numerum electorum hic tantum electus censeri debet, quia suffragia maioris partis electionem conficiunt; nec Ordinarius suam confirmationem denegare huic poterat, nisi comperiret indignum. Quod si multi sint concurrentes, quos inter duo vel plures absolutam obtinuerit suffragiorum pluralitatem relate ad numerum electorum, qua in hypothesi, ubi hi pares in suffragiis comperiantur, admittitur Superioris gratificatio, nisi electores ad novam electionem devenire malint; si vero horum alter maiora prae altero suffragia habuit, hic uti legitime electus habendus erit et a Superiore necessario confirmandus, nisi pariter probetur indignus. Cautum enim iure est, plenum ius electo acquiri; per confirmationem autem nihil novi iuris, sed tantum exercitium iuxta ea, quae animadvertit Passerinius in Cap. 33 de elect. n. 6 et 7. Quamobrem non est in potestate Superioris iure quaesito legitime ac valide spoliare, quamvis electio de digno tantum praelative ad digniorem facta fuisset; nam quidquid sit de foro interno quoad electorem receptum est, electionem seu provisionem digni excluso digniore validam esse, nec in foro

externo posse impugnari, ceu perpendit Passerinius loc. cit. cap. 30 n. 3. Idcirco dubitari in facto non poterat de bono Canonici Tedeschi iure ac de iniustitia reiectionis, quam ab Sutrina Curia is passus erat. Plura enim afferebantur probatissimorum virorum testimonia, quae quidem ad tempus electionis referebantur, in quibus morum honestas ac vitae integritas Canonici Tedeschi in comperto ponebatur. Nullius hinc momenti faciendas, subdidit, imputationes, de quibus Vicarius Generalis Canonicum Tedeschi redarguit, vel quia leves admodum erant ac omni culpa vacabant, vel quia ex ipsius Vicarii testimonio, tempore insuspecto reddito, falsitate laborare dignoscebantur. Nec maiori in pretio alteram reiectionis causam habendam, quod scilicet Canonicus Tedeschi Confessarii munus non exerceret, tum quia huiusmodi qualitas in Sodalitii Capellano non requirebatur, ac si opus fuisset, in mora constituendus erat electus, eique assignari tempus, intra quod necessarias ad id muneris facultates impetrasset, tum quia nulla exinde cum competitore Mordacchinio comparatio institui poterat, ex quo non paria uterque suffragia retulerat, sed unus Canonicus Tedeschi electus fuerat et Mordacchinius exclusus, tum denique quia quamvis ex hoc capite dignior Mordacchinius habendus fuisset, non tamen electo praeferri, quia electio digni prae digniori suis consistebat viribus. Quin imo Canonico Mordacchini non ante mensem aprilis anni 1853, eo scilicet temporis, quo accidit Capellani electio, Confessarii munus demandatum fuerat, idque censuit callide ac fraudolenter Sutrinam egisse Curiam. Quando quidem agendi ratio Sutrinae Curiae nec a dolo nec ab attentati vitio excusari videbatur, ex eo praesertim quod post iniustam Canonici Tedeschi reiectionem, huius protestatione ac appellatione posthabita, adversarium in Capellaniae possessionem immittere non dubitavit, exinde iustum constitui titulum arguit Tedeschi ad damnorum emendationem ac refectionem expensarum postulandam.

7. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de legitima causa reiectionis Canonici Tedeschi, seu potius sit locus eiusdem immissioni ad Officium Capellani Sodalitatis in casu? *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* II. An et quomodo sit locus refectioni damnorum et expensarum favore eiusdem Canonici Tedeschi in casu? –, Sacra Congregatió respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, dilata; et reproponatur vocata ad Causam Curia – *in Sutrina Capellaniae die 8 Iulii 1854.*

8. Cum vero non satis constet, quod Sodales ius nominandi Capellanum habeant, Sacra Congregatio mandat, ut coadiuventur probationes *in Feretrana Nominationis die 24 Iulii 1824.*

9. Siquidem Aediculam, quam Accolae nuncuparunt *la Cella del Padiglione*, intra fines Plebis Montis Madii Feretranae Diaecesis aedificari ac Deiparae Virgini dicari curaverat Leo Facchini; illam vero cum adnexa domo et aliquot praediolis Sodalitio Sanctissimi Sacramenti eiusdem Plebis cesserunt Ioannes Paulus et Perrinus germani fratres de Taurellis Leonis heredes, ut ea Sodalitium – pro proprio Oratorio – uteretur, onere adiecto, quod – Confraternitatis Rectores singulis annis duodecim Missas more Confratrum praedictorum celebrari facere teneantur –. Cessionem cum indicato Missarum onere Pontifex Urbanus VIII datis anno 1626 ad Vicarium Generalem Feretrani Episcopi Literis probavit. Aediculam postea Confratres ampliarunt constructa Ecclesia, quam dicebant S. Mariae *del Padiglione*. Legatum scutorum 200 favore praedictae Ecclesiae scripsit ante annum 1745 Eleonora Fabri, et unam Missam singulis sabbatis celebrari voluit; cum autem sibi legatum uniri petiisset Sodalitium, Episcopus Bonaiuti, tunc Feretranam Ecclesiam regens, illud in Beneficium simplex seu perpetuam Capellaniam erexit, atque hac sub conditione Sodalitium Legati unionem concessit, effectum habituram, quando vel decederet, vel Legatum dimitteret Sacerdos Antonius Sarti eiusdem possessor. Capellaniam itaque vacantem cum Episcopus Feretranus conferre vellet, Sodalitii Officiales nominationem Capellani sui iuris esse contenderunt. Nam non solum Ecclesiam S. Mariae *del Padiglione* cum ceteris illius bonis ac iuribus, sed nominationem quoque ad praedictum Beneficium vel Capellaniam perpetuam ad se

pertinere dicti Sodalitii Officiales sustinuerunt, Apostolicis freti Literis, quibus Urbanus VIII Aediculae adnexae domus ac praediorum cessionem favore Sodalitii probavit, cum onere tamen singulis annis duodecim Missas more Confratrum celebrari faciendi. Addiderunt quoque, acceptilationibus, quas Religiosi Minoris Observantiae pro eleemosynis Missarum ab eis in Ecclesia S. Mariae *del Padiglione* celebratarum exararunt, aperte evinci, ad Sodalitium tantum sui Capellani nominationem spectare: inventaria vero iussu Feretrani Episcopi Sodalitio identidem confecta ostendere, Sodales tantum ac praeterea neminem in rebus, quae ad eamdem Ecclesiam spectabant, sese immiscere; pluries denique usque ad annum 1687 habita esse Sodalium comitia pro Capellani electione, deesse deinde in Sodalitii tabulario codices et acta usque ad annum 1745, verum ex recentioribus monumentis, quae ad annum 1786 porrigebantur, praeclare elici Capellanum iugiter a Sodalitio fuisse nominatum. Insuper Sodales anno 1759 indulserunt Iacobo Albertini Capellam Confraternitatis, ut ad Ordines sacros promoveri posset. Videbatur tamen, legatum Fabri in Beneficium erectum referri non posse ad huiusmodi concessionem, cum Antonius Sarti ab anno 1745 usque ad annum 1799 illud retinuisset, non vero dictus Iacobus Albertini, sed potius ad bona ab heredibus Facchini cessa referendum. Hinc Episcopus censuit, ad se pertinere collationem praedicti Beneficii: nam Legatum Fabri possidebat Antonius Sarti anno 1745, cum Sodales illud acceptarunt; sequuta autem morte illius anno 1799, Legatum illud seu Beneficium per Bullas Cancellariae 15 februarii 1800 ab Episcopo Terzi collàtum fuit Clerico Iosepho de Rossi, qui illud dimisit usque et sub anno 1816.

10. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Sodalitio competat ius nominandi Capellanum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et coadiuventur probationes, et referat Episcopus de fundo Capellaniae, de numero Missarum, et quomodo adimpletae fuerint vivente Sacerdote Sarti, nec non a quo idem fuerit nominatus Capellanus, et quae relatio sit inter onera Missarum, quae ab ipso adimplebantur, cum Capellania erecta ex legato Fabri et post eiusdem Sarti mortem effectum habitura – *in Feretrana Nominationis die 24 Iulii 1824.*

11. Quum autem Confratres Sanctissimae Assumptionis et Rosarii Civitatis Senogalliensis congregari consueverint cum interessentia Vicarii Foranei ac fuerit ab Episcopo petita convalidatio ex defectu duorum suffragiorum, in discordia Confratrum deputatio temporalis Capellanorum post tertium scrutinium spectat ad Episcopum, non vero ad Officiales et Gubernatores; his enim in terminis proposito dubio: – II. An temporalis deputatio Capellanorum in discordia Confratrum spectet ad Episcopum, vel potius ad Gubernatorem et Officiales dictae Confraternitatis in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, spectare ad Episcopum post tertium scrutinium – *in Senogallien. Iuris suffragandi et deputandi Capellanos die 4 Iunii 1701 lib. 51 Decretorum.*

12. Alias enim nulla prorsus requiritur confirmatio electionis Capellani Confraternitatis Sanctissimae Annunciationis in Ecclesia S. Ioannis Baptistae erectae; quandoquidem proposito dubio: – XII. An Capellanus Confraternitatis eligi debeat a Confratribus approbandus ab Ordinario, vel potius a Commendatario in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum secundum, esse eligendum a Confratribus, nullaque indigere approbatione – *in Troiana Iurisdictionis die 24 Augusti 1709 lib. 59 Decretorum.*

13. Unde exploratissimum in iure esse videtur, facultatem esse Sodalibus proprio marte ac sine causa Capellanum amovendi, cum Capellaniam non in titulum sit ecclesiastici Beneficii Ordinarii potestate erecti, sed de sui natura ad nutum amovibilis *in Faventina Iuris Amovendi Capellanum die 30 Ianuarii 1836* §. *Quae.*

14. Unde Card. De Luca in disc. 80 n. 5 de Beneficiis regulam praebens, ut electum ab officio repellant, disquirendum esse docet, utrum Capellaniae huiusmodi ecclesiasticae provisionis titulum constituant, inquiens, quod in huiusmodi Capellaniis, quae in titulum non providentur, sed ad alicuius nutum, ad istum quoque fieri potest remotio ex sola voluntate etiam sine causa, et n. 17 subiungit: sextus casus est Capellaniarum manualium seu ad

nominationem laicorum aut etiam huiusmodi piarum Societatum et Congregationum aliarumque Universitatum; sed Capellaniae nullam habent formalem fundationem auctoritate Superioris, neque in istius provisione talis Auctoritas praecise necessaria sit, ut contingit in illis Capellanis, quos piae Societates vel Congregationes conductos retinent pro cultu Ecclesiae vel Oratorii, sive sunt illae Capellaniae, quae piis morientium dispositionibus cum sua dote ad instar Beneficiorum simplicium ordinantur, absque tamen formali erectione in Beneficium cum auctoritate Ordinarii, et tunc in effectu non sunt Beneficia ecclesiastica, neque sub regulis Beneficialibus cadunt, et consequenter ubi ex eadem pia dispositione sunt manuales, de plano intrat eadem facultas amovendi ad nutum ex mera voluntate et sine causa, cum pariter iure Famulorum censeatur – *in Faventina Iuris amovendi Capellanum die 30 Ianuarii 1836* §. *Stante*.

15. Ceterum Sacra Congregatio controversiam inter Episcopum et Sodalitatem exortam quoad Capellani remotionem non dirimit, nisi cuncta in promptu habeantur *in Faventina Iuris amovendi Capellanum die 27 Februarii 1836*.

16. Siquidem Prior et Confratres Sodalitatis Virginis ab Mariae Angelo salutatae Oppidi Brixichellae die 14 ianuarii 1835, generalibus vocatis comitiis, ab Capellani munere deiectum voluere secreto scrutinio Sacerdotem Iulianum Trerè. Cum autem Episcopus Sacerdotis integritatem ab plerisque Confratribus et ab Generali Curiae Vicario novisset, mandavit, ut Capellanus Trerè in Officio permaneret: sed Confratres ac praesertim Prior Ioseph Bracchinius acriter obstiterunt. Ut haec innotuerunt Episcopo, non iusta moveri causa Confratres, sed mala mente consilioque id eos perfecisse arbitratus, Bracchinium ob pessumdatam eiusdem Episcopi auctoritatem ab officio Prioris suspendit. Obmurmurarunt idcirco Confratres, sustinentes propriam potestatem amovendi Capellanum ad nutum ac etiam sine causa, cum Capellania erecta non esset auctoritate ecclesiastica, sed prorsus manualis censeretur ac existeret. Ius enim, quod Sodalitium obtinebat ex legis imperio atque ex unanimi Doctorum ac Interpretum sententia, idipsum luculenter ipsis attribuit concordia seu regulae, quas pro Sodalitio sancivit Faventinus Antistes die 9 Iulii 1824. Plures etiam in medium iustas protulerunt causas, quibus Iulianum ab officio Capellani iure ac merito amoverunt. Contra Episcopus contendit, removeri non potuisse Capellanum absque causa; atque ex odio vel malitia et ex vituperanda Bracchini calliditate Capellani remotionem evenisse. Unde Episcopus est causarum amovibilitatis iudex, eodemque inconsulto, nihil poterat innovari. Quod si ipsi facultas erat, Officiales ac Ministros ab Confratribus electos, quatenus idonei non sunt, ab officio removendi, tanto magis, subdidit Antistes, is cognoscere causas debebat, ob quas ipsi removerentur.

17. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An servandum sit Sodalitio ius ad nutum amovendi Capellanum in casu etc. II. An valeat Capellani remotio ab Sodalitio decreta in casu etc. III. An Decretum Episcopi quoad Prioris suspensionem sit infirmandum, vel confirmandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata – *in Faventina Iuris amovendi Capellanum die 27 Februarii 1836*.

18. Sodalitium autem perperam suppressum post reintegrationem etiam ius eligendi Capellanum cum respectivis oneribus nec non nominandi ad dotale subsidium recuperavit; et cum stipendium pro manutentione Capellani Confraternitatis relictum fuerit a Testatrice *demonstrative*, heres tenetur supplere, si iam constitutum satis amplius non sit pro temporum varietate *in Faventina Capellaniae die 21 Iunii 1794 et die 25 Maii 1822*.

19. Iamvero postremis tabulis anni 1598 heredem Eleonora Monteveteri Montem Pietatis Brixichellae instituit, eique inter cetera prescripsit – manutenere unum Capellanum in Ecclesia S. Crucis de Brixichella ad satisfactionem Priorum et Hominum dictae Societatis, – qui quotidianum ibi celebraret Sacrum; et in casu inadimplementi ex ordine substituit Sodalitia SS. Conceptionis et S. Mariae Hospitalis eiusdem Oppidi, ultimoque loco Conventum Fratrum Praedicatorum S. Dominici Faventiae. Orta hinc controversia super electione Capellani eiusque stipendio, eam Arbitri sequenti anno 1599 composuerunt, cum stipen-

dium esse debere edixerint scutorum quadraginta quotannis, nempe 160 libellarum ea tamen conditione, ut Mons Pietatis expensas cerae vini hostiarum et Clerici solveret. Laudum hoc exequutum asserebatur ad annum 1791: at duo ex novissimis inde Capellanis annuum consequuti fuerunt stipendium scutorum triginta trium ob variatam fortasse antiquam monetam. Quum eo autem anno vacaverit Capellania et nullus post Edicta comparuerit, qui eam acciperet, Summo Pontifici supplicavit Societas, ut Montem compelleret Pietatis ad augendum stipendium. Nam Testatrix indefinite et sine ulla assignatione fundi aut stipendii praescripserat Monti Pietatis – manutenere unum Capellanum –; ideoque incumbere eidem Monti debebat onus praestandi stipendium illud, quod secundum varietatem temporum ad manutentionem requirebatur Capellani, quodque eo tempore certe erat in scutis triginta tribus pro Missa quotidiana et utensilibus, quin obesset Laudum anni 1599, cum praefinitum in eo fuisset stipendium *demonstrative,* in ea scilicet summa, quae iuxta valorem tunc currentis monetae satis erat ad manutentionem Capellani, non item *taxative* ad excludendum augmentum stipendii, quod futura monetae varietas temporisque circumstantiae ad iustam manutentionem exigerent. Haud enim in se assumpsit Societas onus manutenendi Capellanum cum taxatis scutis quadraginta seu libellis centum sexaginta antiquae monetae, sed hanc Mons Pietatis demonstravit summam, ut suum onus adimpleret, eique propterea incumbebat vel Capellanum quaerere, qui cum antiquo celebraret stipendio, vel stipendium augere, ut ad praescriptum Testatricis valeret in praesens – manutenere unum Capellanum –. Tantum vero abesse, subdidit Societas, quod principaliter Testatrix ad commodum respexisset Montis, ut eum immo in casu non implementi onerum privaverit hereditate; et nihilominus per publicum Ratiocinatorem probabat annuos hereditatis reditus ad scuta saltem ascendere 77. 52. 11, onera ad scuta 54. 44. 6, ita ut superessent quotannis scuta 23. 8. 5, ex quibus supplere tenebatur heres stipendium Capellani et Missarum legatum adimplere. Contra Mons Pietatis contendit, non posse cogi ad praestandum Capellano stipendium ultra summam praefinitam in Laudo anni 1599 seu scuta 33 currentis monetae. Nil enim sanctius re iudicata, potissimum quia Eleonora ad pium augendum ipsius opus instituit heredem, eique contra damnosa esset hereditas, si augere deberet stipendium Capellani: nam, iuxta informe ceteroquin folium ab ipso exhibitum, consistebat activus status hereditatis in annuis scutis 63, passivus in scutis 61. 90, comprehenso stipendio Capellani in scutis 33. Inverisimile de cetero dixit defectum concurrentium ad Capellaniam ob multitudinem Sacerdotum, qui a suppressa Societate Iesu Missas celebrabant tenuiori stipendio.

20. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et ad quam summan sit augendum stipendium Capellani in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro summa per Ordinarium praefinienda – *in Faventina Capellaniae die 21 Iunii 1794.*

21. Episcopus itaque concessis sibi facultatibus utens – stipendium praedictum in obulis duodecim pro qualibet Missa, comprehensis sacris utensilibus –, constituit atque taxavit. At quamvis ita res omnimode compositae viderentur, non ideo tamen eorum controversiae e medio sublatae fuerunt. Praeter Missarum enim stipendium ab Episcopo taxatum, ut sacra quoque utensilia Ecclesiae solverentur, postulabant Sodalitii Priores. Sacri autem Montis Conservatores ea solvere denegabant, illa in Missarum stipendio comprehensa esse contendentes per illa Episcopalis Decreti verba – comprehensis sacris utensilibus –. Ea vero sibi omnino debita propugnabant pii Confratres, quia secus non auctum, aiebant ipsi, ab Episcopo fuisset Missarum stipendium, sed potius imminutum. Si enim a scutatis circiter 43 ab Episcopo noviter assignatis scutata novem et quinque obuli pro sacris utensilibus, iuxta illius loci consuetudinem, pro quotidiana Missa singulis annis solvenda detraherentur, non auctum, sed imminutum fuisset stipendium. Occupata interim Pontificiae Ditionis parte a Gubernio, quod dicebatur Italicum, cum ceteris illa quoque suppressa fuit Sodalitas; et Sacri Montis aliorumque piorum omnium locorum administratio ad eam transit, quam Charitatis Congregationem appellabant. Siluit interea controversia, et

illa Congregatio sibi sumpsit onus celebrationis Missarum, quae eo tunc tempore ad sex tantum in qualibet hebdomada fuerunt redactae, assignato quindecim obulorum stipendio pro unaquaque Missa Sacerdotibus ab ipsa Congregatione deputatis, qui eas etiam inde Capellaniae Missas celebrabant. Sed tandem publicis rebus compositis, pii Sodalitii Confratribus annuens Episcopus, Confraternitatem SS. Crucis restituit. Confratres itaque suorum quoque iurium redintegrationem urserunt, adversante Congregatione Charitatis. Postularunt pii Confratres primo, ut tres vel quatuor proponerentur a Montis Pietatis Conservatoribus Sacerdotes idonei, ex quibus a Confraternitate eligeretur, qui Ecclesiae servitio atque spirituali Confratrum utilitati magis idoneus inveniretur; secundo, ut eidem Confraternitati sacra solverentur utensilia iuxta loci consuetudinem, duorum scilicet obulorum cum dimidio pro qualibet Missa; tertio, ut iidem Sodalitii Priores atque Confratres ex piae Testatricis praescripto ad subsidium dotale singulis annis nominare valerent; quarto demum, ut, reductis licet Capellaniae Missis, harum tamen celebratio nunquam deesset in diebus omnibus festivis.

22. Negarunt itaque Confratres, Sacerdotem a Congregatione Charitatis deputatum Capellani munere fungi, cum quarumdam tantum pii legati Missarum fuerit ipsi commissa satisfactio, et ad nutum ipsius Congregationis, nullumque impositum ipsi fuerit onus SS. Crucis Confraternitati inserviendi; falsum esse eamdem Charitatis Congregationem sacra utensilia pro Missarum celebratione persolvere. Debebant insuper heredes ex Testatricis praescripto - in perpetuum manutenere unum Capellanum in Ecclesia SS. Crucis ad satisfactionem Priorum -. Huius autem Capellani esse voluit eadem pia Testatrix - celebrare unam Missam, servire ad satisfactionem dictorum Priorum, et intervenire omnibus processionibus in anno fiendis -. Idcirco servanda erat Testatricis voluntas, quin commutationi locus esse posset, nec non servandum erat laudum et sententia anni 1599 (1). Nec obstare videbatur possessio octo annorum, cum Capellania esset manualis ac ad nutum amovibilis; ideoque in ea locum non habere videbatur Regula 36 Cancellariae, quae de Beneficiis tantum loquitur. Denique postularunt Confratres, ne Missae celebratio deesset diebus omnibus festivis; nam Testatrix voluit - quod dictus Capellanus in dictis Dominicis (totius anni) teneatur dictam Missam dicere ad Altare maius dictae Societatis, et non aliter, nec alio modo; volens dicta Testatrix, dictam Missam semper celebrari, alia quod nulla praescriptione finiatur -. E contra Congregatio Charitatis ius suum mutuare putavit ex Decreto Italici Regiminis, quod Brixichellae adhuc vigere affirmabat, vi cuius omnes publicae beneficentiae Institutiones administrabat. Asseruit, post Confraternitatis suppressionem Congregationem ipsam propriis utentem facultatibus anno 1818 pro Missarum celebratione deputasse Sacerdotem, qui etiam actu tamquam Capellanus Confraternitatis inservire dicebat; taxam autem pro sacris utensilibus, iuxta Sacrae Congregationis mandata, persolvisse. Hinc licet Episcopus redintegra-

(1) Siquidem Arbitri laudum et Iudicis sententia anni 1599 e medio sustulit controversias super electione Capellani et stipendio eidem assignando exortas, cum statutum fuerit, - che quando verrà il caso di fare l'elezione del Cappellano per la Ven. Confraternita della SS. Croce di Brisighella, debbano gli Officiali del Sacro Monte proporre ed eleggere tre o quattro Sacerdoti, ed innanzi che vengano all'atto dell'elezione darne notizia con la nota dei nomi alli Priori *pro tempore* della Compagnia della SS. Croce, li quali si debbano o possano informare, e risolvere fra di loro quale sia più a loro soddisfazione, e riferirlo a quelli del Monte, che abbino a fare l'elezione di quello che sarà stato approvato da detti della Croce. Che quando quelli della Croce non si satisfacessero di alcuni delli proposti e nominati e le parti non si accordassero fra loro, in qualche altra maniera debbano senza rinnovare altro, ricorrere a Monsignor Vescovo di Faenza e suo Vicario, acciò faccino quella provisione, che le parerà giusta. Che per levare le dispute circa al salario del Cappellano, si dichiara debba essere di quaranta scudi di moneta l'anno, cioè L. 160 di Bolognini, con questo però, che la Compagnia del Monte sia tenuta a somministrare tutte le spese della cera vino ostie e Chierico. Quando si dovrà mutare il Cappellano e fare nuova provisione, debbano quelli della Croce notificarlo a quelli del Monte, cioè alli Priori per due mesi innanzi, acciò si possa fare l'elezione e provisione nel modo di sopra, e quelli del Monte debbano in termine di due mesi aver fatta la detta elezione, altrimenti possano quelli della Croce eleggerne e provvederne d'uno, rimanendo ferma la disposizione della Testatrice in tutte le altre cose contenute nel testamento, intorno alle quali non s'intende fatta innovazione o pregiudizio alcuno -.

verit Sodalitium ordinaria auctoritate, iuxta Constitutionem Clementis VIII *Quaecumque*, non alio tamen iure ac privilegio exercendo restituit, nisi exercitium praescriptarum sacrarum functionum ad effectum lucrandi indulgentias, minime vero temporalia bona administrandi tribuit facultatem. Noverat enim Episcopus ea penes Congregationem Charitatis existere. Contendit insuper, Capellanum in Capellania quovis in casu manutenendum esse, cum octo ab annis eam obtinuisset; adeoque locum habere Regulam 36 Cancellariae.

23. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo eligendus sit Capellanus et quibus oneribus gravandus in casu etc. II. An quomodo et in qua summa solvenda sint utensilia in casu etc. III. An et ad quos spectet ius nominandi ad dotale subsidium in casu etc. IV. An et quomodo etiam post reductionem singulis diebus festivis Missae celebrandae sint in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et eligendum esse Capellanum ad formam laudi et sententiae anni 1599 cum oneribus ad formam testamenti Eleonorae Monteveteri. Ad secundum, Affirmative iuxta consuetudinem Diaecesis et votum Episcopi (1), praeter emolumentum Capellani. Ad tertium, Affirmative ad Confraternitatem SS. Crucis ad formam testamenti. Ad quartum, Affirmative ad Altare maius Confraternitatis – *in Faventina Capellaniae et Subsidii dotalis die 25 Maii 1822.*

24. Hinc iustis de causis indulgetur sanatio unionis bonorum Capellaniae mere laicalis favore Sodalitatis, assignato Capellano congruo stipendio, cum onere tamen applicandi Missas, concessa simul absolutione super praeteritis omissionibus *in Ariminen. Capellaniae die 12 Decembris 1829.*

25. Enimvero publicum Oratorium Deo in honorem S. Ioannis Baptistae iuxta parochialem Ecclesiam S. Agathae in territorio Civitatis S. Archangeli Ariminensis Diaecesis fundavit, in eoque Capellaniam mere laicalem seu legatum Missarum anno 1723 instituit Ioannes Baptista Gori. Capellano onus imposuit Sacrum ibidem faciendi singulis diebus festis, comparandi sacram supellectilem ac tuendi Oratorium. Ius nominandi Clericum aut Sacerdotem sibi, quoad viveret, reservavit; postea ad suos consanguineos, atque his penitus extinctis, ad Communitatem S. Archangeli pertinere voluit. Familia Gori revera exaruit sub finem seculi decimi octavi, et Antonia unica femina superstes, ex hac vita migratura, Capellaniae patronatum donationis titulo contulit in comitem Antonium Baldini. Interea Oratorium S. Ioannis Baptistae terraemotu quassatum est, et Capellania ibidem erecta, auctorante Episcopo, translata fuit in Ecclesiam S. Mariae a Cella; cumque memoratus Comes Oratorium prope Ecclesiam Collegiatam e fundamentis construxisset in honorem B. Simonis Balachi, isthuc anno 1822 Capellaniam proprio marte transtulit, atque ut Sodalitati sub auspiciis eiusdem Beati inibi erectae consuleret ita de rebus Capellaniae legem dixit, ut Sodalitas bona administraret, quotannis Capellano, qui in eodem Oratorio Sacrum diebus festis celebraret, triginta sex solveret scutata, et quidquid esset reliqui ex annuis Capellaniae fructibus, in proprios converteret usus. Capellaniae insuper, quae ob renunciationem Pii Baldini vacaverat, nominationem contulit in Sacerdotem Michaelem Casacci, eique facultatem tribuit, ut illam sibi loco Patrimonii Sacri constitueret. Haec omnia a Comite Baldini et a Sodalitate B. Simonis bona fide gesta narrabantur; hinc Sodales, detecto errore, cuncta a Sede Apostolica sanari efflagitarunt, reservato tamen Communitati S. Archangeli iure nominandi Sacerdotem vel Clericum, ubi primum Capellaniam vacare obtingeret. Episcopus retulit, Capellaniae reditus per quinque annos nempe ab anno 1823 ad integrum 1827 ascendisse ad scutata 316, onera vero Missarum et publicorum vectigalium ad scutata 208; Confraternita-

(1) Episcopus autem haec censuit, *ut in* §. *Episcopus:* – ibi – Ad stipendium autem quod attinet, quid ni Decretis ea de re alias editis inhaereatur? Atque adeo constitutae Missarum eleemosynae ea etiam summa addatur, quae utensilium titulo persolvi consuevit? Locutionem enim in Episcopali Decreto minus accurate usurpatam perperam praetendunt Sancti Montis Administratores, quasi utensilium solutio in eleemosyna Missarum comprehendatur. Patet imo absurdi quidpiam locutioni illa efferri, nisi efferat solutioni eleemosynae Missarum adiungendam esse utensilium solutionem –.

tem omni penitus censu, quo fabricam Oratorii tueri, sacram supellectilem ceteraque ad divinum cultum comparare posset, destitutam esse, si Confratrum oblationes exciperentur, quae nec certae nec magni poterant esse momenti; huius Sodalitatis institutionem maximam praeseferre utilitatem, qui enim ipsi nomen dederunt certis diebus in unum conveniebant, ut Deo enixas funderent preces et concivem suum B. Simonem Balachi venerarentur; publicos Magistratus unioni Capellaniae favere, Incolas pro quorum commodo Ioannes Baptista Gori Missam diebus festis destinaverat, nullum sentire detrimentum, quia aliud Oratorium in his finibus erectum fuerat cum legato perpetuo Missae diebus festis, et parum distabat Caemeterium cum Aedicula a Communitate constructum. Capellanus vero Missam applicare debere videbatur, licet alii Capellani antea non applicaverant. Namque plures concurrebant coniecturae, quae applicationem urgebant; ac praesertim reditus satis ampli, et eleemosynam erogari solitam pro onere applicationis longe excedentes, grave suppeditabant indicium. Insuper Fundator statuit, ut in Sacrario liber asservaretur, et in eodem Missae celebratae describerentur: item si Capellanus aliquando Sacrum facere negligeret, sibi Fundator facultatem reservavit vocandi alium Sacerdotem, qui eadem vel alia die in Oratorio Missam litaret sumptibus eiusdem Capellani. Attenta autem bona fide, absolutio concedi videbatur.

26. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione unionis bonorum Capellaniae Gori favore Sodalitatis in casu? II. An Capellanus teneatur ad applicationem Missarum in casu? *Et quatenus affirmative.* III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione super praeteritis omissionibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative cum onere solvendi Capellano a Communitate eligendo annua scuta triginta sex. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative celebratis decem Missis pro anima Fundatoris – *in Ariminen. Capellaniae die 13 Decembris 1829.*

27. Quin imo si extet consuetudo, quod Capellani Confraternitatum teneantur Canonicis divina officia peragentibus inservire cum pluvialibus et in ministerio Diaconi et Subdiaconi, Sacra Congregatio mandat, ut servetur solitum *in Troiana Servitii die 23 Iunii 1742.*

28. Enimvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Troianae sustinuit, a Capellanis Confraternitatum Sanctissimae Annunciationis et S. Leonardi Diaconi et Subdiaconi ministerium Canonicis Missam canentibus praestandum esse, quemadmodum supra hominum memoriam servatum fuisse colligebat tum ex Testibus, tum ex Diaecesana Synodo sub annum 1735 edita, quae immemorabilem hanc consuetudinem probe agnitam commendavit, adeoque praefatos Capellanos ad praebendum huiusmodi servitium revocari omnino debere. Proposito hinc dubio: – II. An iidem Presbiteri seu Capellani teneantur Canonicis divina officia peragentibus inservire cum pluvialibus vel in ministerio Diaconi et Subdiaconi vel alias et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, servetur solitum – *in Troiana Servitii die 23 Iunii 1742* (1).

29. Quod si Confratres privilegio gaudeant sibi eligendi Sacerdotem aliquem approbatum in Capellanum et Confessarium, non propterea is est cogendus ad audiendas Sacramentales Confessiones *in Civitatis Castelli Iuris eligendi Capellanum die 13 Septembris 1755.*

30. Siquidem Sodalitio S. Mariae de Planctu, quod in Urbe est, aggregatum fuit anno 1665 alterum erectum in Ecclesia eiusdem nominis Villae Silicis Typhernatis Diaeceseos, acceptis hac aggregatione privilegiis omnibus Sodalitii Romani, inter quae illud erat, ut possent Sodales Sacerdotem aliquem approbatum in Capellanum et Confessarium suum eligere. Hac ipsa facultate usi sunt Sodales Villae Silicis, nunc dato onere suis Capellanis excipiendi Sacramentales Confessiones, nunc vero eodem onere expresse excepto. Anno 1752 Sodalibus praecepit Episcopus, ut infra tres dies Capellanum eligerent, qui confessionibus excipiendis esset idoneus. Praeceptum hoc in exequutionem Decreti editi in

(1) Reliqua habes in verb. *Attentata*, n. 192 ad 196 Tom. II; et in Verb. *Beneficiati*, §. V, n. 58 ad 61, Tom. III.

Visitatione datum dicebatur: sed Sodales contendentes Decretum illud, quod in Visitatione latum dicebatur, commentitium esse, quia Episcopus neque per se, neque per Convisitatores Sodalitium visitasset, spreto praecepto spretoque altero Episcopalis audientiae Decreto, quo Capellanum per modum provisionis deputaverat, et appellarunt a praecepto, et eorum Capellanum, quem sine onere excipiendi Sacramentales Confessiones habebant, confirmarunt. At Episcopus, spreta appellatione provisionale, illud suum Decretum exequutus est, coniecto in carceres Priore Sodalitii, et designata pro carcere ipsa Villa, Capellano confirmato. Clamarunt Sodales ad Tribunal A. C. pro purgatione attentatorum, sed Causae cognitio quoad omnia Sacrae Congregationi data fuit Decreto Emi Pro-Auditoris Sanctissimi. Sodalitium, praetermissis aliis quaestionibus de purgatione attentatorum et de libero iure eligendi Capellanum suum, unum postulavit definiri, non posse eius Capellanum cogi ad Confessiones excipiendas. Disputavit, hoc onere Sodales adstrictos non esse ex lege Fundatoris aut institutionis, privilegium hoc assequutos fuisse ex aggregatione, ut possent sibi Capellanum eligere Confessarium ex approbatis, facultativum esse hoc ius, non obligatorium; ne quod in favorem introductum erat, in odium converteretur: id liquidius fieri ex observatione facti, cum nunc hoc iure usi fuerint Sodales eligendo Capellanum cum onere excipiendi Confessiones, nunc vero eo iure usi non fuerint. Accedebat tenuitas stipendii ad annua scuta undecim ascendentis, quae non respondebat aliis oneribus Sacrorum pomparum seu provisionum aliorumque similium, quibus Capellanus obstringebatur. Nec numerosus dici poterat Populus Villae, cum vix perveniret ad 325 capita; et si numerosus dici posset Populus, non ideo cogi potuissent Sodales ad eligendum in Capellanum, qui Sacramentales Confessiones exciperet, ut Parochos adiuvaret. Nam dispositione Tridentini cautum est, ut Parochi sibi tot Sacerdotes adiungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.

31. His mature perpensis, proposito dubio: — An Capellanus Confraternitatis Beatae Mariae de Planctu sit cogendus ad audiendas Sacramentales Confessiones in casu etc.—; Sacra Congregatio respondit: — Negative — *in Civitatis Castelli Iuris eligendi Capellanum die 13 Septembris 1755.*

32. Imo Capellani Confraternitatum nequeunt absque licentia Episcopi conciones habere et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Populi adorationi exponere, licet contendant, Ecclesiam esse extructam in solo Lateranensi, possunt vero explere functiones designata per Episcopum congrua hora, qua expleri debent in Ecclesia Parochiali, quin Parochus a dicta Ecclesia possit sumere Viaticum absque Capellanorum licentia, excepto casu necessitatis, vel ibidem habere propriam sedem et assistere functionibus peragendis *in Mileten. Iurisdictionis et Iurium parochialium die 6 Maii 1747:*

33. Siquidem erat in Oppido Galatri Diaecesis Militensis Ecclesia S. Mariae de Valle, cuius Rector Capellani et Confratres substinuerunt, esse extructam in solo Lateranensi, ideoque ab omni sive Episcopi sive Parochi iurisdictione immunem esse. Plura hinc egerunt, quae in aliis Ecclesiis sine venia Episcopi et Parochi assensu agi non possent; sacras habuere conciones, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exposuerunt, et solemnes duxerunt Pompas, Episcopo irrequisito. Parocho negarunt, ut Sanctissimum Viaticum sumeret ab Ecclesia, et in ea sedem habere eum noluerunt, imo solemnia Sacra egerunt eodem tempore, quo idem Parochus sive Archipresbiter in parochiali Ecclesia Sacrum agebat aliasque exercebat parochiales functiones. Cum nova et contra antiquissimum solitum illius Ecclesiae haec viderentur Episcopo et Archipresbitero, iudicium moverunt in Episcopali Curia, a qua secundum eos sententiam obtinuerunt. Provocarunt ad Sacram Congregationem Rector Capellani et Sodales. Propositis itaque dubiis: — I. An Capellanis S. Mariae de Valle Terrae Galatri liceat conciones et sermones ibi per se ipsos aut per alium habere absque licentia Episcopi? II. An iisdem Capellanis liceat Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Populi adorationi exponere in dicta Ecclesia absque licentia eiusdem Episcopi? III. An Episcopus Militensis

exoratus pro licentia faciendi consuetas processiones extra ambitum Ecclesiae S. Mariae de Valle cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento et sacris statuis et imaginibus possit illam denegare? VII. An Capellani S. Mariae de Valle possint Missas solemnes aliasque functiones in dicta Ecclesia S. Mariae explere diversis temporibus consuetis, quibus explentur in Parochiali Ecclesia Terrae Galatri et illis temporibus, quibus explentur in Ecclesiis filialibus dictae Terrae? –, VIII. An Archipresbiter dictae Terrae possit ab Ecclesia S. Mariae sumere Sanctissimum Viaticum illudque deferre ad Parochianos infirmos, vel potius Capellani valeant id impedire? IX. An idem Archipresbiter debeat habere propriam sedem in choro dictae Ecclesiae et possit assistere functionibus ibi peragendis? –, S. Congregatio respondit: – Ad primum secundum et nonum, Negative; et amplius. Ad tertium, Affirmative concurrente tamen iusta et rationabili causa; et amplius. Ad septimum, Affirmative designata per Episcopum hora congrua, qua expleri debent in Ecclesia parochiali; et amplius. Ad octavum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, excepto casu necessitatis; et amplius – *in Mileten. Iurisdictionis et Iurium parochialium die 6 Maii 1747.*

34. Potest tamen Capellanus Confraternitatis privatim recitare litanias Beatae Mariae Virginis ad formam Constitutionum Confraternitatis in respectivo Oratorio absque licentia Parochi, quin tamen extra Oratorium in processionibus cum Confratribus uti possit stola praesente Parocho, qui vero licet ius non habeat celebrandi Missam solemnem aliquibus anni festivitatibus invitis Confratribus, nihilominus sustinetur Interdictum a Curia Episcopali appositum in Oratorio, cum Confratres proprio marte id publice impediverint – *in Cremonen. die 9 et die 23 Ianuarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

35. Enimvero – Confraternitas Mortis et Orationis Casalis Maioris ab antiquissimo tempore aggregata Confraternitati Mortis et Orationis Urbis in Oratorio existente intra limites Parochiae S. Leonardi eiusdem Casalis ecclesiasticas functiones peragere semper consuevit, praesertim vero per Capellanum suum qualibet die Sabbati litanias B. Virginis Mariae recitari curavit, die 8 septembris festum Nativitatis B. M. V. cum Missa Vesperis solemnibus, simulacrum etiam ipsius processionaliter deferendo annuatim recoluit, statisque anni temporibus, nempe in quatuor Dominicis quadragesimae, in octava mortuorum, in solemnibus Sanctissimi Natalis Domini Nostri et Pentecostes, Venerabile publice adorandum exposuit. Praepositum dictae Parochialis Ecclesiae S. Leonardi ad solemnes huiusmodi functiones per Officiales aliquot suos ad id specialiter deputatos eadem Confraternitas semper invitasse fertur, et ille ad Oratorium libenter accedens, nulla unquam petita mercede, Missam in dicta solemni die Nativitatis Beatae Mariae Virginis cecinisse, aliisque praemissis respective functionibus adstitisse, ipsoque impedito, Capellanus dictae Confraternitatis eadem officia explevisse dicuntur. Promota vero postmodum per eumdem Praepositum praetensione, quod omnes functiones in dicto Oratorio a se vel per alium a se pro libito substituendum, soluta quoque mercede, peragendae essent, Confraternitas praefata a praedictis publicis functionibus et a celebranda praesertim de anno 1701 dicta festivitate Nativitatis Beatae Mariae Virginis abstinendum statuisse supponitur. Dum vero in sabbato festum ipsum praecedente Capellanus eiusdem Confraternitatis ad recitandas de more litanias Beatae Mariae Virginis parabatur, Praepositus Sacristiam dicti Oratorii repente ingressus, illum prohibere studuit; sed interpositis aliquorum officiis, ut recitarentur, tandem concessit. At postera die, in qua festum ipsum dictae Nativitatis recurrebat, praeeunte cum Cruce elata Clero dictae Parochialis Ecclesiae S. Leonardi ad Oratorium dictae Confraternitatis, Missam cantaturus, insueto ordine dictus Praepositus accessit: ideoque Confratres, qui, ut asseritur, a celebratione eiusdem festivitatis abstinere statuerant luminibus extinctis nudatoque Altari prohibuerunt, ne Praepositus in dicto Oratorio quidquam perageret, tametsi ille ex ipsa Ecclesia sua Parochiali indumenta Sacerdotalia aliaque necessaria utensilia deferri curasset. Re igitur ad Curiam Episcopalem delata, recepto plurium Testium examine, illa

Oratorium Confraternitatis Interdicto confestim supposuit, eiusque Officiales et Confratres ad personaliter comparendum et ad dicendum causam, quare in poenas a iure statutas non incidissent, commonuit. Recurrentibus autem ipsis ad Sacram Congregationem, haec mandando interim nihil innovari, Episcopo pro informatione rescripsit, eaque accepta cum ab affictione praefati Interdicti iam biennium effluxisset, illud suspendit suspensionemque huiusmodi sub conditione servandi solitum et sine Partium praeiudicio usque ad exitum Causae prorogare dignata est. Praepositus interea, non obstante expresso Sacrae Congregationis praecepto, quod nihil innovaretur, praemissa extraiudiciali ad Confratres interpellatione, quod suffragia in dicto eorum Oratorio persolvi solita explere ipse volebat, ea, ut supponitur, persolvit, licet Confratres in Oratorio praedicto dumtaxat persolvenda esse, nullamque pro eorum celebratione eleemosynam se soluturos, responderint.

36. Ad omnes itaque controversias inter has partes dirimendas, propositis dubiis: – I. An substineatur Interdictum appositum in Oratorio Mortis Casalis Maioris per Curiam Episcopalem Cremonensem? *Et quatenus affirmative.* II. An relaxationi eiusdem interdicti locus sit? III. An per dictam Curiam sit procedendum contra Confratres praetensos complices? IV. An dicti Confratres teneantur et possint cogi per Praepositum S. Leonardi ad celebrandum in dicto Oratorio quotannis festum Beatae Mariae Virginis, quod recurrit die 8 Septembris? V. An liceat dicto Praeposito idem festum Natalitium celebrare in dicto Oratorio invitis Confratribus? VI. An iidem Confratres facientes praedictum festum, teneantur invitare dictum Praepositum ad illud celebrandum? VII. An dictus Praepositus teneatur per se ipsum in dicto festo Missam solemnem celebrare, et quatenus impeditus teneatur deputare Capellanum dicti Oratorii, vel alium Sacerdotem sibi benevisum? VIII. An et a quibus debeatur eleemosyna pro Missa solemni aliisque functionibus causa praefatae festivitatis peragendis? IX. An Capellanus dicti Oratorii possit recitare privatim qualibet die Sabbati et aliis diebus ad formam Constitutionum Confraternitatis litanias Beatae Mariae Virginis absque licentia seu interventu Praepositi? X. An liceat eidem Capellano in processionibus aliisque functionibus, qui una cum Confratribus incedit ac intervenit respective uti stola, praesente etiam Praeposito? XI. An et quae eleemosyna debeatur dicto Praeposito pro Anniversariis et Missis legatis in suffragium animarum celebrandis in dicto Oratorio et tempore Interdicti celebratis, ut asseritur, in eius Ecclesia? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et proponatur in prima etiam unica et communicentur Parti scripturae per decem dies ante – *in Cremonen. die 9 Ianuarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

37. Repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative ex quo satis. Ad quartum, posse hortari, sed non cogi. Ad quintum, Negative. Ad sextum, dilata. Ad septimum, dilata. Ad octavum, non indigere responsum, quia nihil praetendit. Ad nonum, Affirmative. Ad decimum, Negative extra Oratorium. Ad undecimum, dilata – *in Cremonen. die 23 Ianuarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

38. Unde nec Capellanus Societatis Orationis et Mortis loci Praedarii stola uti potest in processionibus extra Oratorium; proposito enim dubio: – VI. An Capellanus dictae Confraternitatis possit deferre stolam in dictis processionibus in Oratorio tantum, seu etiam extra Oratorium in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Novarien. Aggregationis die 24 Aprilis 1718.*

39. Cum autem Sodalitium Mortis et Orationis erectum in Monasterio Monachorum divi Hieronymi Congregationis Olivetanae Oppidi de Quarto contenderet, posse suos Capellanos stolam deferre, dum per Oppidum intra Parochiae fines pompae seu processiones ducebantur, et e contra Parochus S. Ioannis sustineret, stolae usum competere non posse Capellanis praefati Sodalitii extra Monasterium, neque illam deferendi ius sibi arrogare posse ob id, quod Sodalitium Mortis et Orationis de Quarto unitum aggregatumque esset Archiconfraternitati eiusdem nominis, quae in Urbe est, id enim dudum

definitum fuisse ab Sacra Congregatione in Causa Cremonen. 23 ianuarii 1706, proposito dubio: – I. An Rectores seu Capellani Confraternitatis Mortis et Orationis de Quarto, sive Seculares sive Regulares, possint stolam deferre extra Monasterium in districtu Parochiae tam in processionibus, quam in aliis praesertim praesente Parocho? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, posse in associatione Cadaverum iuxta institutum tantum, etiam praesente Parocho – *in Ianuen. Iurium parochialium die 13 Iulii 1748.*

40. Id tamen locum habuit ob particularem illius Confraternitatis titulum, cum alias non obstante quod Confraternitas sit aggregata Archiconfraternitati Orationis et Mortis Urbis eiusdem Capellanus nequit deferre stolam praesente Parocho, extra respectivum Oratorium *in Mutinen. Aggregationis die 20 Novembris 1762.*

41. Siquidem Confraternitas, quae sub titulo Immaculatae Conceptionis erecta erat in proprio Oratorio extra moenia Castri Brixilli Mutinensis Diaecesis, anno 1753 aggregata fuit Archiconfraternitati Orationis et Mortis Urbis, praevio Ordinarii assensu. Sodales itaque censuerunt, suis Capellanis licitum esse deferre stolam in processionibus funebribus, etiam praesente Parocho, cum id veniret in sequelam aggregationis obtentae ab Archiconfraternitate Mortis Urbis, cui data fuit facultas sepeliendi Cadavera in forma Ecclesiae consueta, sub qua veniebat ius deferendi stolam, ut ratiocinatur Rota in decisione 727 n. 8 coram Molines, et censuit Sacra Congregatio in Ianuen. Iurium parochialium die 13 iulii 1748. Sed post decisionem coram Molines edita fuerunt Decreta Urbis et Orbis a Sacra Congregatione Rituum, in quibus cum quaereretur in XXIII dubio: – An in dictis processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam? –, rescriptum est: – Negative extra propriam Ecclesiam –, quam resolutionem potius sequendam esse, quam decisionem coram Molines late firmat Monacellius in form. tit. 13 form. 1 n. 1, et concordat s. m. Benedictus XIV in Inst. 105 n. 126. Id pariter Sacra Congregatio resolvit in Cremonen. 23 ianuarii 1706, licet ageretur de Confraternitate aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis. Ponderandum propterea erat, utrum verba – iuxta institutum – adiecta in Rescripto praedictae Causae Ianuen. Iurium parochialium innuerent particularem aliquem titulum illius Confraternitatis, ad quem S. Congregatio respectum habuerit, seu potius inde desumenda esset regula generalis contraria resolutioni editae in Cremonen., quae allegata fuit in folio dictae Causae Ianuen. distributo pro Congregatione habita die 27 Aprilis 1748.

42. His mature perpensis, proposito dubio: – IV. An Capellanus dictae Confraternitatis, etiam praesente Parocho, in processionibus funebribus possit deferre stolam in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative extra proprium Oratorium; et amplius – *in Mutinen. Aggregationis die 20 Novembris 1762.*

43. Si vero extet consuetudo favore Capellani Confraternitatis potest deferre stolam; his enim in terminis exorta controversia inter Fratres Ordinis Praedicatorum Conventus Civitatis Centumcellarum, cui annexa erat Ecclesia parochialis S. Mariae, ac inter Sodales Confraternitatis Orationis et Mortis, Vicarius Generalis anno 1739 inter cetera decrevit, Capellanum praedictae Confraternitatis manutenendum fore et esse in possessione vel quasi possessione tam in processione Beatae Mariae septem dolorum, quam in aliis processionibus gestandi cottam seu superpelliceum et stolam ac faciendi actus ad hunc effectum fieri solitos, absque licentia R. P. Curati. Proposito hinc dubio: – VI. An liceat Capellanis Confraternitatum dictae Civitatis tam in processionibus per eam peragendis, quam in associatione Cadaverum tumulandorum tam in eorum Ecclesiis, quam in Parochiali deferre stolam, praesentibus Parocho vel Vice-Parocho? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Affirmative – *in Viterbien. die 16 Decembris 1741.*

44. Hinc multò minus Parochus Ecclesiae S. Mariae loci Rapagnani ius praetendere potest celebrandi solemniter Missas in Oratorio Sodalitatis Suffragii, cum eas Confratres celebrare et canere valent per Sacerdotes ab iisdem deputandos; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Sacerdotes deputandi ab asserta Societate Suffragii possint solemniter canere Missas in Ecclesia seu Orato-

rio sub titulo Suffragii absque licentia Parochi S. Mariae, vel potius Missae solemnes, quatenus in dicta Ecclesia seu Oratorio canendae sint, celebrari debeant ab eodem Parocho, etiam invitis Confratribus? –, S. Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem de licentia Episcopi, Negative ad secundam – *in Firmana Iurium parochialium die 2 Iulii 1736.*

45. Nam Sodales non tenentur in functionibus non parochialibus requirere Parochum aliosque Sacerdotes Parochiae etiam ex Decretis Sacrae Congregationis Rituum apud Monacellium in form. tit. 13 for. 1 n. 6 *in Apten. die 23 Septembris 1758* §. *Longius.*

46. Quapropter Confratres in functionibus non parochialibus non tenentur adhibere et requirere Parochum, sed eas explere possunt per proprios Capellanos, irrequisito Parocho *in Apten. die 2 Decembris 1758 et die 11 Augusti 1759.*

47. Siquidem Vicarius Generalis Episcopi Aptensis anno 1756 Sodalitio Poenitentium vulgo *Burras* erecto Episcopali auctoritate et anno 1710 Apostolica auctoritate confirmato vetuit, ne in eius Oratorio Capellani solemnia Sacra canerent pompasque seu processiones publicas ducerent Populoque benedicerent, non vocatis Parocho et Sacerdotibus Parochialis Ecclesiae. Episcopus hanc Vicarii Generalis prohibitionem confirmavit. Appellarunt Sodales ad R. P. Prolegatum Avenionensem, a quo, auditis Partibus, definitivo Decreto Episcopalia mandata uti contraria statutis Sodalitii et consuetudini Provinciae universae revocavit. Post hoc Decretum putabant Sodales, nullam iniiciendam esse moram aut impedimentum, ne sacrae functiones in eorum Oratorio agerentur; sed Episcopus, datis ad Parochum literis, suam esse mentem significavit, ne Sacerdos aliquis aut Regularis functionem ullam Sacerdotalem in Capella Sodalium expleret. Longius inde progressus est Episcopus, suspensis alio mandato omnibus Sodalitii functionibus, ac demum interdicta ipsa Capella, iniungens Aedituo, ut ianuas bene clausas cuicumque custodiret. Re tandem ad Sacram Congregationem delata, proposito dubio: – II. An in celebratione Missarum tam solemnium, quam privatarum, in expositione Sanctissimi Sacramenti, benedictionibus processionibus aliisque functionibus non parochialibus teneantur Confratres adhibere et requirere Parochum sive Sacerdotes secundarios Parochiae, seu potius functiones praedictas explere valeant per proprios Capellanos, irrequisito Parocho in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Apten. die 2 Decembris 1758.*

48. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Apten. die 11 Augusti 1759.*

49. Ceterum ad componendas huiusmodi controversias quandoque Sacra Congregatio mandat, ut Episcopus pro sua dexteritate Partes ad ineundam concordiam inducat *in Hortana Iurium parochialium die 5 Iulii 1738 et die 1 Augusti 1739.*

50. Iamvero cum intra fines Parochiae Oppidi Suriani plura essent publica Confraternitatum Oratoria, Rectores eiusdem Parochiae in solidum animarum curam exercentes, occasione, qua sub annum 1736 in Oratorio Confraternitatis S. Euthitii die festo S. Theresiae fuit a Capellanis celebrata Missa solemnis cum Diaconi et Subdiaconi assistentia, assertae consuetudinis praesidio suffulti ceperunt contendere, nullas posse in Ecclesiis dictarum Confraternitatum ab eorum Capellanis independenter a se et privative quoad ipsas functiones, etiamsi non parochiales, peragi; minusque licere praefatis Capellanis Missam solemnem in eisdem Oratoriis celebrare. Praefecti dictarum Sodalitatum autem post expositas suarum Ecclesiarum a memorata Parochiali independentiam multiplicesque Parochorum, quibus vexabantur, conatus, petierunt declarari, licitum suis esse Capellanis tum Missas solemnes, assistentibus Diacono et Subdiacono, privative quoad eosdem Parochos explere, tum praesentibus cadaveribus recitare officium Defunctorum, Missamque ad praescriptum Ritualis ante ipsorum tumulationem canere: e contra vero nullum ius esse praefatis Parochis quascumque functiones sive parochiales, sive non parochiales et mere ecclesiasticas, inconsultis Confraternitatum Officialibus earumque Ca-

pellanis, in ipsorum Oratoriis peragendi, ac praeterea non quaelibet intorticia nec ceras omnes, sed quartam funeralem dumtaxat Parochis deberi, quotiescumque in iisdem Oratoriis vel Ecclesiis tum Sodalium, tum aliorum quorumcumque Defunctorum cadavera sepeliri contingeret.

51. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An in Ecclesiis Confraternitatum laicalium Terrae Suriani expleri possint functiones non parochiales et signanter celebrationis Missarum cum assistentia Diaconi et Subdiaconi independenter a Parocho in solemnioribus earumdem Ecclesiarum festivitatibus? II. An in dictis Ecclesiis possint Parochi peragere functiones tam parochiales, quam non parochiales, irrequisitis Officialibus et Capellanis dictarum Ecclesiarum? III. An Capellani dictarum Ecclesiarum recitare possint officium Defunctorum et canere Missam ad praescriptum Ritualis, antequam sepeliantur cadavera illata in dictis Ecclesiis, seu potius privative spectet ad Parochos? IV. An occasione tumulationis Defunctorum in dictis Ecclesiis debeantur Parochis omnia intorticia et cerae, seu potius debeatur sola quarta funeralis? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad quartum, servetur solitum ad formam Constitutionis s. m. Benedicti XIII. - *in Hortana Iurium parochialium die 5 Iulii 1738.*

52. Repropositis dein dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) - *in Hortana Iurium parochialium die 1 Augusti 1739.*

53. Unde Sacra Congregatio quandoque etiam mandat, ut huiusmodi quaestiones dirimantur a S. R. Congregatione *in Placentina Functionum ecclesiasticarum die 14 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

54. Enimvero - animarum curam, quae iam olim imminebat Ecclesiae parochiali S. Mariae in Curtina Civitatis Placentiae, Card. Tranensis Episcopus Placentinus de anno 1563 cum omnibus emolumentis ex ea provenientibus perpetuo univit contiguae Ecclesiae parochiali et Collegiatae Ecclesiae S. Antonini, a cuius quidem Rectore fuit dicta cura acceptata una cum annuis libris 15 imperialium donatis et assignatis sacristiae mox dictae Ecclesiae Collegiatae a Rectore praedicto S. Mariae in Curtina et cum clausula ita tamen, ut Rector et alii Beneficiati dictae Ecclesiae S. Mariae in Curtina teneantur celebrare Missas et alia divina Officia celebrari solita et debita in praedicta Ecclesia S. Mariae, ne per supradictam unionem eadem Ecclesia debitis defraudaretur obsequiis, quemadmodum fusius legitur in instrumento dictae acceptationis approbato a Vicario Generali Placentino in summario dando. Postmodum de anno 1587 eamdem Ecclesiam S. Mariae in Curtina ad simplex Beneficium redactam et a cl. me. Cardinali de Aretio Episcopo Placentino iam incorporatam Seminario memoratae Civitatis Episcopus Sega itidem Placentinus dismembravit a Seminario, eamque perpetuo univit et incorporavit Societati doctrinae christianae pridem institutae in Civitate Placentiae ab eodem Cardinali de Aretio cum hoc tamen, ut Ecclesia ipsa S. Mariae debitis propterea non defraudaretur obsequiis, sed eius debita supportarentur onera consueta, quae fusius habentur in instrumento dictae unionis pariter in Summario exhibendo. Cum autem nuper de anno 1708 praefata Societas preces moderno Episcopo porrexit exercendi seu continuandi functiones in dicta Ecclesia S. Mariae, canendi nimirum Missas et divina Officia, exponendi Venerabile in suffragium animarum purgantium aliaque explendi, quae (cura animarum excepta) dudum competebant eidem Ecclesiae iam antea parochiali, idem Antistes petitam facultatem ad eius arbitrium duraturam impertivit, reservatis quibuscumque iuribus Capitulo S. Antonini. Ex adverso praetendentibus dicto Capitulo et Canonicis talem facultatem vulnerare sua iura parochialia, quae autumant spectare ad eorum

(1) Scilicet, ut Episcopus pro sua dexteritate et prudentia curet Partes ipsas componere easque ad aliquam transactionem super iisdem controversiis inducere: ita igitur omni adhibita diligentia exequetur, et quatenus Partes renuant, de resultantibus certiorando, animi sui sensum circa modum aliquam statuendi concordiam Sacrae Congregationi aperire non omittet, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 29 die 1 Augusti 1739.*

Parochum privative quoad Capellanum Societatis, delata fuit controversia ad hanc Sacram Congregationem, a qua de more requisitus Episcopus informare cuncta haec comprobavit asseruitque, a tempore ultimae unionis perseverasse Societatem adhucque perseverare in exercendis multiplicibus pietatis actibus in praefata Ecclesia, retinendo in eo duo confessionalia, sacram synaxim administrando per Capellanum intervenientem processionibus cum stola et propria cruce, et ex eo quod nuper decreverat celebrare trigesimum in suffragium operariorum ex hac vita migrantium cum officio et Missa cantata, ac publice adorationi exponere Venerabile, obstitisse, inquit, Capitulum S. Antonini praetendens, in praemissis sibi competere privativam, non obstante enunciata facultate ab Episcopo concessa, subdidit tamen informans, quod licet nulla ex functionibus praedictis sit Parochialis de sui natura, attamen quia ipsarum aliquae a Constitutionibus Synodalibus reperiantur reservatae Parochis, ideo necesse fuit, ut illis derogaretur ad hoc, ut in praesenti casu locus fiat observationi Decretorum generalium editorum in Urbis et Orbis a S. R. Congregatione de anno 1704, in quorum observantia insistendum censuit, uti latius ex relatione exhibenda in Summario –.

55. Propositis itaque dubiis: – I. An pertineat ad Capitulum Basilicae S. Antonini Placentiae canere Missam benedicere Populum cum Sanctissimo Sacramento facere officium mortuorum et alias functiones cum stola pluviali et aspersione aquae lustralis in celebratione Officii Mortuorum vel Trigesimi in Ecclesia S. Mariae de Curtina, vel potius ad Capellanum piorum Operariorum doctrinae christianae in casu etc. II. An Congregationi erectae in dicta Ecclesia S. Mariae in Curtina liceat celebrare vel celebrare facere per eius Capellanum omnes functiones non parochiales independenter a Parocho Ecclesiae Collegiatae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad S. Congregationem Rituum (1) – *in Placentina Functionum ecclesiasticarum die 14 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

56. Quod si ex Constitutionibus synodalibus et consuetudine nequeat celebrari solemniter in Oratoriis Confraternitatum absque Parochi licentia, respectivi Capellani non possunt Missam solemnem canere independenter a Parocho *in Faventina Functionum die 17 Iulii 1773 et die 14 Martii 1778.*

57. Iamvero intra limites Ecclesiae Parochialis S. Iacobi de Pinna Civitatis Faventinae sita erat Ecclesia Sodalium Tertiariorum S. Antonii Patavini, quae licet diu sub spirituali regimine Patrum Reformatorum de Observantia fuisset, inde tamen proprium sibi elegit secularem Sacerdotem in Capellanum pro sacris functionibus peragendis. Capellanus hinc sustinuit, celebrationem Missae solemnis in festo titularis Ecclesiae et in aliis festivitatibus Instituti Societatis nec non in Anniversariis Defunctorum inter functiones parochiales non comprehendi, sed esse functiones mere sacerdotales; recte proinde dictam Missam solemnem celebrari posse a Capellano Societatis, vel ab alio Sacerdote a Confratribus eligendo, quin Parochus contradicere vel se immiscere posset. Parochus contra provocavit tum ad Constitutiones Synodales Diaecesis Faventinae, quibus praecipiebatur, ut in Oratoriis Confraternitatum – nullo modo solemniter celebretur, nec Sacramenta ministrentur, vel huiusmodi ad Parochum de iure spectantia peragantur, absque nostra Parochiae expressa licentia –, tum etiam ad immemorabilem consuetudinem Faventiae vigentem, quorum utrumque servari iussit S. Rituum Congregatio in Decretis generalibus. His utrinque perpensis, proposito dubio: – III. An dictus Capellanus vel alius Sacerdos possit in die festo S. Antonii Patavini et in aliis festivitatibus Instituti eiusdem Confraternitatis prout etiam in Anniversariis canere Missam solemnem independenter a Parocho in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative; et serventur Constitutiones Synodales – *in Faventina Functionum die 17 Iulii 1773.*

58. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad dubium tertium in casu etc. –, Sa-

(1) S. R. Congregatio sub die 2 Iulii 1712 respondit: – Ad primum, quoad benedictionem cum Venerabili arbitrio Episcopi, quoad reliquas functiones spectare ad Parochum in casu, de quo agitur. Ad secundum, recurrant in casibus particularibus –, ceu videre est in lib. Decretorum S. R. Congregationis sub dicto anno 1712 pag. 297.

cra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis – *in Faventina Functionum die 14 Martii 1778.*

59. Hinc Parochus non tenetur impertiri licentiam Sacerdoti ad effectum celebrandi solemniter Missas aliasque functiones explendi in Oratorio Confraternitatis S. Laurentii Pontremoli, nisi fuerit ipse impeditus, vel noluerit per se ipsum gratis functiones peragere *in Lunen. Sarzanen. die 27 Iulii 1697 lib. 47 Decretorum pag. 370.*

60. Id enim dubio procul vim obtinet, quando adsit consuetudo; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Parocho impedito vel renuente accedere, expleri possint (expositiones scilicet Sanctissimi Sacramenti et benedictiones) per Capellanum eiusdem Confraternitatis absque alia eiusdem Parochi licentia? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, dentur Decreta in Lunen. Sarzanen. 27 Iulii 1697 (1) – *in Ferrarien. die 22 Martii 1698 lib 48 Decretorum* (2).

61. Qua de re Sacra Congregatio censuit, in Oratorio Confraternitatum non posse retineri Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nec illud exponi publice adorandum, nisi de licentia Episcopi; neque posse Capellanos dictarum Confraternitatum in diebus Purificationis Beatissimae Mariae Virginis et Dominicae Palmarum facere benedictionem candelarum ac palmarum, nec etiam absque licentia Parochi in solemnioribus anni diebus canere et celebrare Missas et vesperas solemnes *in Lunen. Sarzanen. die 19 Augusti 1690 et die 13 Ianuarii 1691 lib. 40 et 41 Decretorum pag. 5.*

62. Proposito insuper dubio: - III. An Capellani dictarum Confraternitatum ministrare possint christifidelibus ad Ecclesiam confluentibus extra tempus Paschale Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae? –, S. Congregatio respondit: – Negative - *in Lunen. Sarzanen. die 19 Augusti 1690 lib. 40 Decretorum.*

63. Reproposito dein dubio, Sacra Congregatio respondit: – Posse, accedente consensu Parochi – *in Lunen. Sarzanen. die 13 Ianuarii 1691 lib. 41 Decretorum.*

64. Idcirco propositis mox dubiis: – I. An Capellani Societatis S. Mariae Coronatae seu Suffragii Bononiae aggregatae Confraternitati Suffragii Urbis possint Christifidelibus ad Ecclesiam confluentibus extra tempus Paschale administrare Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae absque Parochi venia? II. An iidem Capellani in diebus Purificationis Beatissimae Virginis Mariae et Dominicae Palmarum possint facere solemnes benedictiones candelarum et palmarum palam in Ecclesia vel privatim in Sacrario absque licentia Parochi? III. An in solemnioribus anni diebus possint canere et celebrare Missas et Vesperas solemnes absque Parochi venia? –, Sacra Congregatio respondit: – Danda esse Decreta in Lunen. Sarzanen. die 19 augusti 1690 et 13 ianuarii 1691 - *in Bononien. Iurium Parochialium die 17 Novembris 1691 lib. 41 Decretorum pag. 268.*

65. Hinc multo minus Capellanus Confraternitatis Mortis indutus superpelliceo et stola potest post absolutum a Parocho Officium funeris in Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, super eodem cadavere una cum Sodalibus canere psalmos *Miserere* et *De profundis* cum aspersione aquae benedictae *in Romana Funerum die 10 Ianuarii 1682.*

66. Nec itaque Capellanus Ecclesiae olim Granciae fratrum Ordinis Praedicatorum potest in vim privilegiorum Regularibus concessorum assumere regimen Confraternitatum in dicta Ecclesia erectarum nec eorum Congregationibus assistere *in Forolivien. die 24 Novembris 1674 lib.28 Decretorum pag. 395.*

67. Unde Capellani etiam amovibiles Confraternitatum laicorum tenentur et compelli possunt ab Episcopo accedere ad publicas processiones *in Anconitana mense Iunii 1609 lib. 11 Decretorum pag. 61.*

(1) Decreta haec prostant in Verb. *Benedictio*, §. II, n. 101 in not. 1, Tom. III.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Benedictio*, §. II, n. 99 ad 102, Tom. III.

CAPELLANUS SEU VICARIUS EXERCITUS.

1. Capellanus maior Regius nuncupatus in propria Ecclesia parochiali non potest celebrando Missam sedere cum assistentibus et gremiali more pontificali, nisi specialem habeat a Sede Apostolica facultatem *in Massanen. mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

2. Nec potest approbare alios Capellanos inferiores praesidiorum ad audiendas confessiones, nisi pariter habeat speciale quoad hoc privilegium a Sede Apostolica *in Brundusina die 18 Novembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 525.*

Item *in Sypuntina die 16 Septembris 1649 lib. 18 Decretorum pag. 676.*

3. Unde Capellani Exercituum, sive Regulares sive Seculares, non possunt administrare Sacramenta Poenitentiae Eucharistiae, et extremae Unctionis Militibus catholicis in statione hyberna vel in praesidiis degentibus absque speciali Sedis Apostolicae indulto, vel Ordinarii, in cuius diaecesi morantur, licentia et approbatione, quin tamen pro praeterito tempore inquietandae sint conscientiae quoad Sacramentum Poenitentiae; propositis enim dubiis: – I. An Capellani cuiusvis Exercitus, sive Regulares sive Seculares, possint administrare Militibus in praesidiis degentibus Sacramenta Poenitentiae Eucharistiae et extremae Unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicae vel licentia et approbatione Ordinarii, in cuius Diaecesi extare contigerit? IX. An et quid pro sanatione gestorum in praeteritum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative: – Ad nonum, in praeteritum non esse inquietandas conscientias quoad Sacramentum Poenitentiae – *in Dubia Iurisdictionis Capellanorum Exercitus die 6 Martii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 79.*

4. Qua de re multo magis in Sacra Congregatione recepta habetur sententia, quod Capellanus Castrensis, si non habeat specialem facultatem a Sede Apostolica vel expressam licentiam ab Ordinario, non potest assistere seu interesse Matrimoniis, quae fiunt a Militibus, sive hi degant in praesidiis, sive in castris et stationibus hybernis aut aestivis, seu etiam sint positi in actuali expeditione, iuxta resolutiones eiusdem Sacrae Congregationis impressas apud Anacletum in ius canonicum tom. 4 tit. 3 de clandestina dispensatione §. 2 n. 97, apud Patrem Schiaram in additionibus ad suam Theologiam bellicam pag. 139 et 140, et apud Ursayam tom. 2 discept. part. 1 n. 59 et seqq. *in Iadren. die 24 Augusti 1720 §. Praemisso.*

Item *in Barchinonen. Matrimonii die 20 Novembris 1723 §. Iuxta; in Mediolanen. Matrimonii die 25 Septembris 1734 §. Hinc.*

5. Quin imo Capellani Exercitus, quamvis ex Apostolico Diplomate praediti facultate administrandi Sacramenta militaribus Personis, adeoque subrogati in locum Parochi, non videntur posse assistere Matrimoniis, dum Milites ea ineuntes non sunt in actuali expeditione, sed morantur in castris aut in hybernis stationibus vel in arcibus et praesidiis, nisi et hoc peculiariter concessum a Sede Apostolica eis fuerit, ut notant Anacletus in ius can. tom. 4 tit. 3 de clandestina dispensatione §. 2 n. 97, Sgmalzgrueber eod. loc. n. 165 et seqq., Card. Petra tom. 2 ad Constit. 13 Innocentii III, Rota in Leodien. Matrimonii die 2 Maii 1732 §. 5 coram Corio *in Neapolitana Matrimonii die 29 Augusti 1733 §. Ad.*

Item *in Mediolanen. Matrimonii die 25 Septembris 1734 §. Hinc.*

6. Unde consentanee ad haec Sacra Congregatio proposito dubio: – An sit validum Matrimonium contractum a Milite in statione degente coram Capellano Exercitus? –, responsum tulit: – Matrimonia Militum contrahenda coram Capellanis Exercituum in quocumque loco existentium fore nulla, nisi doceatur de sufficienti facultate aut privilegio; quoad Matrimonia praeterita particulariter videatur, et hoc scribatur Emo Archiepiscopo Mediolanensi, qui aliis Episcopis prudenter communicet – *in Mediolanen. die 11 Decembris 1677 lib. 29 Decretorum pag. 552.*

7. Concesso itaque a s. m. Innocentio XI Alphonso Archiepiscopo Mechliniensi amplis-

simo Brevi (1) ad petitionem Caroli Hispaniarum Regis Catholici ad quinquennium pro salubri directione et animarum salute eorum, qui Belgii in Castris degebant et versabantur, exortisque super eius intelligentia nonnullis controversiis, Sacra Congregatio declaravit, Capellanum Exercitus habere facultatem assistendi matrimoniis Militum, dum iidem reperiuntur in actuali expeditione, non tamen privative quoad Contrahentium Parochos, et nullatenus Capellanum interesse posse Matrimoniis, quae a Militibus contrahuntur, dum commorantur in hybernis vel aestivis castris aut etiam in praesidiis *in Belgii Matrimoniorum die 29 Maii 1683 lib. 33 Decretorum pag. 146.*

8. Expirato tempore praefixo in citato Brevi, deputata fuit Particularis Congregatio, cui interfuerunt cl. me. Card. Carpineus, Columna, Bonvisius, et Albanus deinde ad Summum Pontificatum evectus, quorum sensus fuit, ut in novo Brevi nonnulla verba corrigerentur, ita ut Capellani Exercitus deputari tantum intelligerentur pro iis Sacramentis, quae administrari consueverunt a simplicibus Parochis, et quidem pro tempore, quo Exercitus est in actuali expeditione, secus autem quando Milites in stationibus degunt et praesidiis, uti habetur ex Resolutionibus editis die 10 iulii et die 29 septembris anno 1690, de quibus Card. Petra ad Constit. Apost. Constit. 13 Innocentii III tom. 2 *in Barchinonen. Matrimonii die 5 Iunii et die 23 Novembris 1723* §. *Expirato.*

9. Siquidem petente Archiepiscopo Mechliniensi Brevis confirmationem cum aliqua ampliori facultate, propositisque dubiis: – I. An petitum Breve delegationis sit concedendum? II. An et in qua parte sit reformandum? –, praefata Congregatio Particularis dictis diebus 10 iulii et 29 Septembris 1690 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative –; et reformatio in hoc constituta fuit, ut loco verborum; – Volumus autem, ut quamdiu Exercitus praedictus non prodibit in campum, tenearis saltem per Vicarium tuum Generalem visitare singulis annis, iuxta pastoralis curae exigentiam, stationes Militum ac praesidia eorumdem in Civitatibus Oppidis Pagis et Fortalitiis commorantium –, haec alia verba apponerentur: – Volumus autem, ut iis quos, pro Sacramentis ecclesiasticis Militibus aliisque personis quibuscumque dicti Exercitus ministrandis, ut praefertur, deputandos duxeris, pro iis tantum Sacramentis, quae per simplices Parochialium Ecclesiarum Rectores administrari consueverunt, et his quidem et dumtaxat tempore, quo Exercitus praefatus in actuali expeditione reperiretur, secus vero quando Milites in stationibus et praesidiis degerent, administrandis deputati intelligantur – *in Mechlinien. die 17 Ianuarii 1722* §. *Expirato.*

10. Editis a Congregatione Particulari praedictis Decretis, contigit casus, quod Episcopus Celsonensis occasione relationis Status suae Ecclesiae ad Sacram Congregationem transmissae, inter cetera postulata ad examinandum proposuit et illud, an videlicet Capellanus Regii Exercitus in Hispaniis, cui Sacramentorum administrandorum Militibus facultas data fuerat in Brevi s. m. Innocentii X expedito anno 1644, posset Matrimoniis eorumdem Militum interesse; cumque Sacra Congregatio in responsionibus ad eumdem transmiserit memorata Decreta Particularis Congregationis deputatae, uti habetur ex re-

(1) En verba praefati Brevis: – Itaque tibi facultatem ad quinquennium proximum tantum harum serie tribuimus, per te vel alium seu alios sacerdotes probos et idoneos, ac praevio examine diligenti approbatos a te cum participatione et consensu dilecti filii Sebastiani Antonii Tanarii Internuntii nostri in Belgio etc., subdelegandos omnem et quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui ibi pro Sacramentis ecclesiasticis Militibus ministrandis pro tempore erunt, qui tamen in propria Diaecesi, sub qua illorum Ordinarii iurisdictionem suam ordinariam in eos exercere possent, non sint, sive Clerici et Presbiteri seculares seu quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regulares fuerint, exercendi perinde ac si quoad Clericos seculares eorum verus Praesul et Pastor, quoad Regulares vero illorum Superior Generalis esses etc. Praeterea tibi ac Presbiteris idoneis a te approbandis confessiones quarumcumque dicti Exercitus utriusque sexus personarum audiendi, illasque quibusvis excessibus ac delictis etc. absolvendi etc. –. Et in fine: – Volumus autem, ut quamdiu Exercitus praedictus non prodibit in campum, tenearis saltem per Vicarium tuum Generalem visitare singulis annis, iuxta Pastoralis curae exigentiam, stationes Militum ac praesidia eorumdem in Civitatibus Oppidis Pagis et Fortalitiis commorantium, super quo conscientiam tuam tuique Vicarii praedicti gravamus –.

sponsione edita die 22 septembris anno 1691, hinc factum est, quod in Concilio Provinciali Tarraconensi habito anno 1699 sub Archiepiscopo Iosepho Linas reassumpta fuerit universa haec materia et insimul statutum, allegatis et insertis supra recensitis Decretis, quod Breve Innocentii X pro Capellanis Exercitus Regis Hispaniarum sic esset explicandum, ut eius vigore possent praedicti Capellani ea sola administrare Sacramenta, quae a simplicibus Parochis administrantur, et quod haec administratio respiceret Milites in actuali expeditione existentes, et nullatenus Milites in stationibus et praesidiis degentes; additumque fuit in praedicto Concilio, ut haec Constitutio inter Missarum solemnia publicaretur *in Barchinonen. Matrimonii die 5 Iunii et die 23 Novembris 1723* §. *Editis*.

11. Ab huiusmodi relatis dispositionibus originem trahebat disputatio, quae inde proponebatur, et quae respiciebat validitatem seu nullitatem Matrimonii contracti die 30 Novembris 1688 in Civitate Barchinonae inter Franciscam Ferriol et Blasium Ximenes de Lillo, non fuit etenim contractum coram Parocho unius ex Contrahentibus, sed coram Capellano Regiminis Militum Germanorum. Vir siquidem et Mulier, non obstante nonnullorum mensium cohabitatione, coniunctim instabant pro declaratione nullitatis, ut ex eorum mandatis Procurae colligebatur: et ne pro Matrimonii validitate excipi valeret, quod tunc Milites erant in expeditione, fides exhibebatur Secretarii Regii Principatus Cathaloniae, in qua dicebatur, bellum inter Hispanos et Gallos fuisse indictum die tantum 11 maii 1689. Hinc die 5 iunii 1723 a nonnullis ex EE. PP. binae fuerunt excitatae difficultates, quarum altera desumpta est ex longo temporis spatio, quod intercessit inter diem contracti Matrimonii et diem, quo agi ceptum est de eius nullitate, et altera desumpta est, ex quo vel ante contractum Matrimonium nulla praecesserat Sacrae Congregationis declaratio, in qua dictum esset, Capellanos Exercitus non posse assistere Matrimoniis Militum, quando degunt in hybernis vel aestivis castris, vel quando sunt in praesidiis, sed illis tantum, quae a Militibus contrahuntur, dum sunt in actuali expeditione, aut Resolutionem Belgii Matrimoniorum, quae utpote edita die 29 maii 1683, Matrimonium antecessit, se retulisse non ad Breve Innocentii Papae X concessum Regi Hispaniarum, cum quo praesens controversia erat dirimenda, sed ad aliud Breve s. me. Innocentii XI, quod fuit concessum Archiepiscopo Mechliniensi.

12. Scribens pro nullitate Matrimonii plures attulit facti circumstantias, quibus extendere nitebatur, fuisse alias a Coniugibus cogitatum de obtinenda dissolutione Matrimonii, sed instantiam deinde suam prosecutionem non habuisse, vel quia Blasius, utpote militiae addictus iuxta accurrentes belli contingentias, ad diversas Regni Provincias se contulerat, vel quia inter armorum strepitus, qui fuerant in Principatu Cathaloniae, litis civilis prosecutio effecta est quodammodo impossibilis; addiditque, hanc longam taciturnitatem de iure veteri potuisse robur obtinere, sed non post Concilium Tridentinum, quo attento, praesentia Parochi est de forma, nec Matrimonium sine ea contractum validari poterat quocumque temporis lapsu, licet intercederet mutua coniugum cohabitatio cum copula, ita ut novus consensus coram Parocho et Testibus pro validitate esset de novo praestandus. In eoque quod spectabat ad punctum, quod ante Matrimonium, de quo agebatur, Sacra Congregatio invalida non declarasset Matrimonia contracta coram Capellano Exercitus, multa ab eodem scribente afferebantur et signanter, quod declarationes Sacrae Congregationis in hac materia non erant inductivae novi iuris, sed veteris declarativae; in quo rerum themate nedum subsequentia, sed antecedentia Matrimonia adversus earum tenorem contracta invalida censeri debebant. Subdidit, saepe memoratam Resolutionem in Belgii Matrimoniorum editam fuisse ante celebrationem praesentis Matrimonii; nec eam eludi posse sub fundamento, quod prodierit declarative ad Breve s. m. Innocentii XI, et non ad aliud consimilis Innocentii X, vel quia utraque Brevia consimilia erant, vel quia in folio Congregationis super Causae Belgii Matrimoniorum fuit utrumque Breve commemoratum, quo stante dici nequibat, Resolutionem illam fuisse pro declaratione unius, et non

alterius Brevis, et multo magis cum Sacra Congregatio consulta ab Episcopo Celsonensi super intelligentia Brevis Innocentii X, in responsione transmiserit Decreta Congregationis Particularis edita cohaerenter ad aliud Decretum in Causa Belgii Matrimoniorum, quod non fuisset, si huius Causae resolutio coarctata fuisset ad Breve tantum Innocentii XI, vel demum quia ex ipso Brevi Innocentii X non desumebatur facultas, quod Capellani Exercitus interesse valerent matrimoniis, quae a Militibus contrahebantur, et eo fortius, si non erant in expeditione. Advertebatur insuper, ante contractum Matrimonium, de quo agebatur, viguisse in Hispaniis opinionem, quod Capellani Exercitus assistere non possent Matrimoniis Militum vigore Brevis Innocentii Papae X, uti colligebatur ex declaratione Academiae Salmaticensis edita anno 1660, de qua Gonzalez in Cap. *Quod super his* n. 3 de consanguinitate et affinitate: - Hodie tamen in Exercitibus magni nostri Monarchae sunt quidem Vicarii Generales habentes sub se Capellanos Exercitus, qui sunt Iudices delegati et cognoscunt de causis matrimonialibus Militum et eorum divortiis, non tamen posse eos ut Parochos Matrimoniis Militum adesse respondit Academia nostra Salmaticensis anno 1660 ad consultationem factam per supremum belli Consilium pro expositione Bullae Innocentii X -.

13. His itaque perpensis, proposito dubio: - An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Matrimonium esse nullum - *in Barchinonen. Matrimonii die 4 Decembris 1723.*

14. Qua de re cum, post Decreta a praefata Congregatione Particulari, proposita fuerint generalia dubia: - II. An Capellani cuiusvis Exercitus, sive Regulares sive Seculares, possint assistere Matrimoniis Militum cuiuscumque nationis degentium in praesidiis cum militaribus feminis sine dicta facultate Apostolica et praecedenti probatione status liberi eiusque recognitione coram Ordinario loci et licentia Parochi, sub cuius Parochia maneant? III. An idem cum Militibus degentibus in castris et stationibus hybernis vel aestivis? IV. An idem cum Militibus in actuali expeditione positis? V. An idem cum Militibus nubere volentibus cum feminis non militaribus, sed Italis originariis loci seu Diaecesis, in qua reperiuntur? VI. An Milites acatholici cum acatholicis contrahentes teneantur servare formam praescriptam in sacro Concilio Tridentino? VII. An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus in praesidiis castris et expeditione manentes? VIII. An Capellani acatholici assistere possint Matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis etiam intra fines Italiae? *Et quatenus negative in omnibus praeter VI et VII.* IX. An et quid pro sanatione gestorum in praeteritum et in futurum super praefatis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum et statuendum sit? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum tertium quartum quintum et octavum, Negative. Ad sextum, Affirmative in locis, ubi publicatum fuit Concilium, iuxta Decretum Sacrae Congregationis 26 septembris 1602 ad tertium dubium, approbante s. m. Clemente VIII (1). Ad septimum, Affirmative; et ulterius indigere dispensatione, ut praefata Matrimonia licite contrahantur. Ad nonum, quoad praeteritum Matrimonia inita sine speciali facultate Apostolica, vel sine licentia Ordinarii loci vel Parochi, non servata forma Sacri Concilii Tridentini in Cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii pro sanatione, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, renovato tamen consensu etiam coram Confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus Parocho illius loci, in quo fieri contingat huiusmodi renovatio. Provisio in futurum differatur in prima proxima Congregatione, in qua consulendum erit ac deliberandum - *in Dubia Iurisdictionis Capellanorum Exercitus die 6 Martii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 79.*

15. Ad provisionem autem et sanationem quoad spectabat mox respondit: - Ad Secretarium cum Sanctissimo, iuxta mentem - *in Dubia Iurisdictionis Capellanorum Exerci-*

(1) At ibidem fuerat declaratum, nullum esse Matrimonium contractum coram Capellano Exercitus a Militibus existentibus sive in expeditione actuali, sive in statione vel praesidiis, non servata forma Concilii Tridentini Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii, ubi scilicet fuit publicatum.

tus die 20 Martii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 199.

16. Unde cum occasione transitus aut stationis hybernae Militum contenderent Capellani Exercitus, sibi licere Matrimoniis assistere absque praeviis denunciationibus et sine licentia Ordinarii aut Parochi, Episcopus petiit declarari, an id esset permittendum, Sacra Congregatio respondit: – Dandum esse Decretum editum die 6 Martii 1694 - *in Frisingen. die 29 Ianuarii 1707 lib. 57 Decretorum pag. 32.*

17. Praeterea – dubitans Episcopus Casalensis de potestate Capellani Militum circa assistentiam praestandam Matrimoniis contrahendis in eorum Regiminibus existentibus in his calamitosis temporibus in eius Diaecesi, dum ad valorem Matrimonii aliqui existimant sufficere assistentiam Parochi putativi ex adductis per Barbosam ad Sacrum Concilium Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii n. 79. Ad tollenda omnia inconvenientia et pro suae conscientiae serenitate oraculum EE. VV. super infrascripto dubio summopere exposcit –, scilicet: – An Capellanus alicuius Regiminis vulgo *Moniè del Reggimento* censeri valeat proprius Parochus Militum eiusdem Regiminis, ita ut valide assistere possit Matrimoniis eorumdem Militum? –, Sacra Congregatio respondit: – Detur Decretum sub die 6 martii 1694 – *in Casalen. Matrimoniorum die 28 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

18. Idcirco ne dubium quidem, quod Capellanus Militum in stationibus degentium nequeat valide eorumdem Matrimoniis interesse, cum luculenter non probetur legitima facultas eidem a proprio Parocho tributa *in Dubium Matrimonii die 14 Novembris 1699 die 7 Maii die 30 Iulii 1701 et die 3 Septembris 1707 lib. 49, 51 et 57 Decretorum.*

19. Enimvero – Fabricato processu in Tribunali SS. Inquisitionis contra Antonium Augustinum inquisitum de crimine polygamiae ob secundas nuptias ab eo contractas cum Iulia, vivente adhuc Margarita illius prima uxore, cum qua per plures annos convixerat filiosque procreaverat, eoque nuper ad Urbem transmisso, in illius examine suborta est dubitatio, num primum Matrimonium possit dici validum tamquam contractum coram Sacerdote Regulari uti Capellano Militum in stationibus degentium, inter quos descriptus reperiebatur idem Antonius Augustinus, absque eo quod appareat de praecedenti licentia Parochi. Tam dictus Capellanus examinatus, quam praetensus Reus constitutus affirmant, eamdem licentiam praecedenter a Parocho, quem vocant Vicarium Archidiaconalem, obtentam fuisse, de qua tamen idem Parochus dicit in specie non recordari, licet asserat: « Mi ricordo, che il detto Cappellano mi ha parlato diverse volte delli Matrimonii dei Soldati, e so che ne ha sposati, ma non so chi fossero quei Soldati, nè le loro Spose ». Cum autem placuerit Sacrae Congregationi huius articuli discussionem ad Eminentias Vestras remittere, ideo in praesenti Congregatione decernendum erit: - An secundum ea, quae proponuntur, Matrimonium ut supra contractum inter Antonium Augustinum et Margaritam fuerit validum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuvandas esse probationes, et citandam utramque Mulierem – *in Dubium Matrimonii die 14 Novembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

20. Unde – in cuius Rescripti adimplementum iterum compilatis actis coram R. P. Inquisitore, illisque ultimo loco remissis ad hanc Sacram Congregationem, ex eis resultat, ultra novas depositiones praecedentibus conformes, Capellanum deposuisse, quod Vicarius Archidiaconalis in Terra Demontis habeatur loco Episcopi; praefatum vero Vicarium quoad eius facultatem affirmasse sequentia verba: « Quando hanno avuto le loro provisioni dell' Ordinario, potevo dar licenza alli Parrochi, come di fatto l' ho data a quelli che dipendevano dalla mia giurisdizione, ma non per Soldati, che mi ricordi ». Et insuper se nescire, an huiusmodi facultatem dictus Capellanus habuerit, nec ne a Parocho, et demum praefatas Mulieres, Margaritam nempe primam uxorem dixisse Matrimonium contractum inter ipsam et dictum Augustinum Antonium esse validum uti celebratum in faciem Ecclesiae coram Testibus et dicto Capellano de licentia Parochi loci tunc senis et infirmi modoque defuncti, et in forma Matrimonii per plures annos cum Viro vitam duxisse ac quatuor suscepisse filios, quorum

duo adhuc in humanis degunt; et Iuliam secundam uxorem confessam fuisse, se nullum in hac Causa ius seu rationem fovere, attento praecedenti Matrimonio Augustini Antonii cum dicta Margarita –. Quibus stantibus, proposito dubio: – An matrimonium contractum inter Augustinum Antonium et Margaritam sit validum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Denuo examinetur Vicarius Archidiaconalis iuxta instructionem, et doceat magis praecise de eius iurisdictione in loco Demontis – *in Dubium Matrimonii die 7 Maii 1701 lib. 51 Decretorum.*

21. Qua de re – in executionem huiusmodi Rescripti datae fuerunt literae ad P. Inquisitorem Mediolanensem una cum instructione, qua deinde per ipsum transmissa ad Vicarium S. Officii Civitatis Laudae et ad P. Inquisitorem Taurini, ut iuxta illam denuo examinaretur dictus Vicarius Archidiaconalis. Perventa modo relatione praefati Vicarii receptisque actis in publica forma super hoc iterato examine expleto in loco Demontis, ex dicta relatione habetur, quamplures Milites Matrimonium contraxisse in Civitate Laudae non coram proprio Capellano, sed coram proprio Parocho, intra cuius Parochiae limites Mulieres habitabant; in libris Matrimoniorum dictae Civitatis nullum invenire descriptum Matrimonium celebratum coram Capellano, istumque aliquando praesentiam praestitisse Matrimoniis Militum initis extra Civitatem, sed Parochos etiam requisitos semper recusasse illa in libris Matrimoniorum deinde adnotare, dictosque Capellanos aliam facultatem non habere, quam sacras Missas celebrare nec non Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ad formam sacri Concilii Tridentini et Sacrorum Canonum administrare, iuxta literalem facultatem eisdem concessam a Vicario Generali Exercitus et castrorum Catholicae Maiestatis. Ex dictis vero actis seu examine transmiso ab Inquisitore Taurini resultat, dictum Vicarium in Terra Demontis exercere iurisdictionem Archidiaconalem ab annis septem circiter, ac fuisse requisitum a quodam Regulari Ordinis S. Francisci Minorum observantium Capellano Exercitus Pedemontani pro licentia assistendi Matrimoniis Militum, sed eam illi concedere noluisse, uti non subdito suae iurisdictioni Archidiaconali, ipsumque scire, coram eodem Capellano fuisse celebrata Matrimonia Militum, sed nomina et patriam Contrahentium latere, et demum huiusmodi licentiam concessisse Parochis subditis, non autem recordari, eam dedisse Capellanis Militum sibi nullatenus subiectis. Quibus omnibus in facto denuo praehabitis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Non constare de validitate Matrimonii – *in Dubium Matrimonii die 30 Iulii 1701 lib. 51 Decretorum.*

22. Idcirco – cuius Decreti vigore Augustinus Borghinus, ex tunc relicta Margarita Emmanuella, repetiit torum Iuliae, cum qua usque modo cohabitavit. Verum cum nuper idem Augustinus resciverit, causam eiusmodi resolutionis fuisse defectum praesentiae dicti Capellani sine legitima facultate, quam quidem causam antea ignorasse profitetur, hinc denuo pro serenitate conscientiae recurrit ad antedictum Tribunal Sacrae Inquisitionis exponens, praefatum Capellanum adhuc defunctum, nomine P. Ioannem Baptistam, ante nuptias celebratas cum Margarita obtinuisse licentiam, ipsomet Oratore praesente a Parocho Oppidi Demontii pariter demortui, de qua quidem licentia informatos esse subiunxit Albertum de Balbis ducem suae Legionis et Iosephum Animè; unde exoravit, sibi desuper provideri. Quapropter de ordine eiusdem Tribunalis, recepto examine dictorum Testium a Vicario Generali S. Officii Taurini et ad Urbem transmisso, fuit subinde Causa denuo remissa una cum processu ad Sacram Congregationem. Quo sane perlustrato, haec opportune a dictis Testibus dicta comperiuntur. Primo dictus de Balbis deponit: « Devo a questo dire, che alcuni giorni avanti, che fosse contratto il detto Matrimonio del suddetto Borghino con la suddetta Emmanuella, venne a trovarmi il suddetto Borghino, come suo Capitano, e mi diede parte siccome volea sposarsi con la suddetta Emmanuella, al che io difficultai alquanto, dispiacendomi d'aver Soldati maritati. Di lì a qualche giorno venne da me il suddetto P. Gio. Battista Cappellano a dirmi, siccome il suddetto Borghino voleva sposare la suddetta Emmanuella, allora io li dissi, se la vol sposare, la sposi, ma se V. P.

li deve sposare, faccia le cose con le debite maniere, cioè con la licenza del legittimo Parroco d'Edemonte, allora mi soggiunse il suddetto P. Cappellano, già io ho la licenza del Parroco d'Edemonte di far li Matrimonii de'nostri Soldati senz'altro, e non lo faria, se non avessi la dovuta licenza del Parroco, e così seguì il suddetto Matrimonio, qual P. Gio. Battista Cappellano al presente è morto ». Altera depositio est praenominati Iosephi Animè haec praeferens: « Dopo passato qualche tempo vidi il suddetto Moncalieri, (scilicet Borghinum) come ho detto di sopra, andar alla Chiesa per contrarre il suddetto Matrimonio, ed io essendo in compagnia di altri Soldati, non ricordandomi, chi siano, li dissi, e come Moncalieri può andare a sposare la suddetta Emmanuella, se non ha avuto la licenza! ed i Soldati mi risposero, che aveva ottenuta la licenza, senza spiegarmi però da chi l'avesse avuta, e così io vidi a contrarre il suddetto Matrimonio nel suddetto e medesimo tempo ».

23. Haec itaque nova iura hodie reverenter proponuntur EE. VV. expendenda, num ex iis probata remaneat praetensa licentia Parochi Demontii pro supradicto Capellano Regulari in stationibus degenti, sub consueto dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 30 iulii 1701 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Dubium Matrimonii die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

24. Si vero satis constet, quod Capellanus Exercitus legitimam a proprio Parocho contrahentium habuerit facultatem assistendi Matrimonio, nequaquam nullum declaratur Matrimonium *in Taurinen. Matrimonii die 16 Novembris 1720.*

25. Siquidem anno 1695 Ioseph Castagnerius miles in Terra Demontii Taurinensis Diaecesis dum Milites Pedemontani vulgo *Focilieri* in eadem permanebant, Matrimonium per verba de praesenti contraxit cum Constantia Borella coram Patre Hieronymo ex familia Minorum Observantium Exercitus Capellano. Per annum circiter Coniuges insimul cohabitarunt, sed cum Ioseph militaria subinde signa secutus ab uxore diverterit, ad Civitatem tandem rediit Taurini anno 1713, in qua cum Constantiam invenisset, ipsam in ius vocavit in Curia Archiepiscopali, praetendendo Matrimonii nullitatem. Ioseph itaque, formiter praeviisque interrogatoriis examinatus, confessus est, se anno 1695 Matrimonium cum Constantia contraxisse et cum eadem habitasse per annum, sed Matrimonium esse nullum utpote contractum coram Religioso Capellano Exercitus, qui facultatem non habebat ex se Matrimonio interessendi, quique licentiam a Parocho ad dictum effectum non reportaverat; et e contra Constantia excepit, Matrimonium fuisse quidem contractum coram Capellano Exercitus, sed eum a suo Parocho Terrae Demontii facultatem obtinuisse. Hinc ad effectum suadendi nullam interfuisse Parochi licentiam, fuerunt a Iosepho productae attestationes Vicarii primum et Secretarii Mensae Archidiaconalis qui, pervolutis scripturis, deponebat, non reperiri facultatem datam a Parocho Terrae Demontii, Patri Hieronymo, ut Matrimonio, de quo agebatur, assisteret; Parochi insuper viventis eiusdem Terrae Demontii, qui, recognitis libris parochialibus, aiebat, Matrimonium non esse in illis adnotatum; fratris demum Caroli Francisci Superioris Patrum Capuccinorum, qui dicebat se perlegisse scripturas sui Conventus, in cuius Ecclesia fuit celebratum Matrimonium, nec non alias a Patre Hieronymo relictas, nec ex illis ullam resultare Matrimonii mentionem. Constantia vero plures Testes formiter examinari curavit, quorum primus, qui erat eiusdem frater, deponebat, se ab Antonio Patre et ab aliis audivisse, fuisse a Parocho datam Religioso licentiam assistendi Matrimonio; secundus, qui erat pariter eiusdem frater, de eadem licentia praebebat testimonium addendo, quod a communi Genitore fuerat Parocho oblata quaedam portio casei et butiri pro dicta licentia obtinenda: tertius eamdem referebat cum memorata circumstantia concessionem licentiae, et subdidit, se fuisse praesentem uni ex denunciationibus Matrimonii, quae facta fuit in Ecclesia: quartus testabatur, se propriis auribus primam audivisse denunciationem, et tunc in sua domo publice dictum fuisse, quod licentia fuerat Religioso a Parocho data; quintus aiebat, se Matrimonio in Ecclesia contracto interfuisse et ali-

quod temporis intervallum praeteriisse ante accessum ad Ecclesiam, ex quo Pater Constantiae Parochum adivit, ut ab eo licentiam impetraret: et sextus, qui erat Miles una cum Iosepho, dicebat, se ipsum audivisse proprio ore narrantem, quod Matrimonium fuerat coram Capellano Exercitus contractum, sed praevia Parochi licentia. Praeter hos sex Textes, alii quoque fuerunt sub variis interrogatoriis, instante Constantia, examinati; quorum primus referebat, Patrem Hieronymum aliis interfuisse Matrimoniis, asserendo, se habuisse a Parocho licentiam: tertius aiebat, Parochum consuevisse Religiosos admittere ad praestandam Matrimoniis assistentiam: quintus testabatur, se fuisse praesentem, quando Capellanus postulavit a Parocho facultatem interessendi alteri Matrimonio, quod fuerat contractum inter Iacobum Pronum et quamdam Mulierem exteram: alii duo asserebant, se credere non posse, ut Capellanus voluerit sine debita Parochi licentia Matrimonio interesse: et primus secundus tertius et quartus testimonium reddebant, publicatum fuisse Matrimonium in Terra Demontii statim ac contractum fuerat, et Parochum nullatenus reclamasse.

26. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de validitate Matrimonii inter Ioseph et Constantiam contracti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Non constare de nullitate Matrimonii – *in Taurinen. Matrimonii die 16 Novembris 1720.*

27. Luculentum hinc quidem est, quod Matrimonium coram Capellano Exercitus initum sit nullum, quando Milites morantur in Castris seu stationibus, non vero sunt in actuali expeditione; sed si alter ex huiusmodi coniugibus nesciatur ubi sit, praevia eiusdem citatione per Edictum de more affigendum in locis publicis, assignato congruo termino ad comparandum et nemine intra illum comparente, nullum declaratur Matrimonium *in Mediolanen. Matrimonii die 20 Novembris 1734.*

28. Enimvero Francisca Maria Montalva catholica civis Mediolanensis et Christophorus Buttlar Lutherana haeresi pollutus atque ex Provincia Silesiae oriundus anno 1722 inter se Matrimonium inierunt, non quidem coram Parocho S. Babilae Civitatis Mediolanensis, sub cuius Paraecia ambo degebant, sed coram Ioanne Maximiliano Villani Religioso Theatino, qui in arce eiusdem Civitatis vicesgerens Capellani Exercitus Caesarei asseruit, se vigore privilegiorum militarium assistere praedicto Matrimonio, ex quo soboles subinde progenita fuit. Post haec Parochus S. Babilae paucis elapsis diebus de mandato Emi Archiepiscopi praedictos Contrahentes, qui in forma veri et legitimi coniugii cohabitabant, iussit illico separari, eosque monuit de Matrimonio nedum illicite, verum etiam invalide contracto, eo quia proprii Parochi praesentia non fuerit adhibita. In hoc rerum statu Francisca Maria et Christophorus communi consensu postularunt, ut Matrimonium praedictum revalidaretur. At Archiepiscopalis Curia Mediolanensis eorum votis noluit indulgere, nisi sub conditione, quod Christophorus, Lutherana haeresi eiurata, orthodoxam Religionem amplecteretur; quamobrem Christophorus, qui obfirmato animo in haeresi erat, desperans, se posse amplius valide Matrimonio iungi cum dicta Francisca Maria, in Germaniam secessit. Elapsis sex annis, Francisca Maria, citato Promotore Fiscali Curiae Archiepiscopalis, itidemque in iudicium vocatis per Edictum Christophoro de Buttlar et Patre Ioanne Maximiliano Villani, instetit coram Vicario Generali, ut praedictum Matrimonium irritum atque invalidum declararet, eoque renuente petitioni Oratricis assentiri sub fundamento, quod tam Pater Ioannes Maximilianus, quam Christophorus essent personaliter citandi, aut saltem per Edictum in partibus Germaniae, ubi verisimiliter erat, eos commorari, eamdem instantiam promovit coram Sacra Congregatione. Etenim Francisca Maria ex pluribus facti circumstantiis contendit, superfluum, quin immo impossibile reddi, eosdem Ioannem Maximilianum et Christophorum personaliter monere; superfluum quidem, cum usque ab initio certiores ambo facti essent de nullitate Matrimonii, nihilque adversus eam opposuerint; impossibile vero, quia ignorabatur, an amplius viverent, vel si viverent, nesciebatur locus, ubi iidem tunc commorarentur: his autem concurrentibus circumstantiis satis esse, alterum Coniugem absentem et latitantem per Edictum interpellare,

vel saltem ab eius personali interpellatione concedendam esse dispensationem resolvit Sacra Congregatio in Florentina die 17 ianuarii 1722 et in Wormatien. Matrimonii die 7 Iulii 1731.

29. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Praevia citatione Christophori per Edictum de more affigendum ad valvas in locis publicis Mediolani cum termino duorum mensium ad comparendum, et nemine intra eumdem terminum comparente, Emus Archiepiscopus procedat ad declarationem nullitatis Matrimonii – *in Mediolanen. Matrimonii die 20 Novembris 1734.*

30. Hinc multo minus validum censetur ac esse potest Matrimonium a Muliere, mortuo Milite proprio viro, cum alio subinde contractum coram Capellano Exercitus vi praetensi militaris privilegii *in Neapolitana Matrimonii die 29 Augusti et die 18 Septembris 1733.*

31. Iamvero Iacobus Nevesius in Hirlandia ortus cum Caesareis copiis, ad quas erat aggregatus, Neapolim venit anno 1725, ibique anno insequente occubuit in Hospitali Domo Incurabilium Turris octavae. Postmodum e Gallia ad eamdem Civitatem se contulit Barbara Margarita Kreagh Angla memorati Iacobi antea uxor, quae per aliquot menses subsedit in hospitio sito intra Paraeciam Ecclesiae S. Marci de Palatio. Cumque in eodem diversorio moram faceret Iosephus Pompeius Romanus die 12 aprilis anni 1730, nullis praemissis proclamationibus, Matrimonium cum eadem Barbara contraxit, non quidem coram Parocho S. Marci de Palatio, sed in privatis aedibus Instructoris Legionis Lotharingae coram Religioso, qui titulum habebat Capellani Exercitus Caesarei sive Superioris in spiritualibus, duobus etiam adhibitis Testibus. Ex hoc autem coniugio gemina soboles progenita iam fuit. Iosephus inde contendit, irritum fuisse Matrimonium, utpote non contractum coram proprio Parocho: nam dictus Capellanus Exercitus Caesarei Parochi vice et officio fungi rite non poterat, quia Matrimonium non fuerat initum inter personas militares aut ullo modo subiectas eidem Capellano. Privilegiis vero militaribus, quae ratione officii competere valuerint priori Viro Barbarae Margaritae, eo demortuo, potiri non videbatur potuisse Mulier, quae eius coniux fuerat, ut probant Scoppa ad controvers. Merlin., Pignatt. ad cap. 74 tom. 1 et Calderon. decis. 76 n. 15 tom. 2. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata ad sequentem, et ad D. Secretarium iuxta mentem – *in Neapolitana Matrimonii die 29 Augusti 1733.*

32. Exin additum est alterum dubium: quamvis enim nullum esset Matrimonium ac nulla vi contractus obligatio oriretur, poterat tamen contingere, ut, si Vir dolo malo feminam a culpa immunem et in bona fide versantem adduxerit ad Matrimonium ineundum contra normam a sacrosancto Concilio Tridentino praescriptam, iustitiae ratio postularet, damnum illatum Mulieri esse reparandum. Itaque fieri ob peculiares circumstantias poterat, ut huiusmodi damnum non aliter sarciri pleno et ex aequo valeret, quam rite rursus contrahendo Matrimonium cum eadem femina. Propositis hinc dubiis: – I. An constet de nullitate Matrimonii? *Et quatenus affirmative.* II. An Iosephus teneatur et cogi possit ad Matrimonium rite iterum contrahendum coram Barbara Margarita? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, dilata; et coadiuventur probationes iuxta mentem – *in Neapolitana Matrimonii die 18 Septembris 1733.*

33. Idcirco Apostolica Indulta, quibus consuevit concedi Capellanis Exercituum facultas administrandi Sacramenta Militibus, pluribus conditionibus concepta sunt, et signanter Clemens XI ad petitionem Augustissimi Imperatoris per suas Literas Apostolicas in forma Brevis die 28 iunii 1720 Capellano maiori Exercituum Caesaris tribuit facultatem, ut ab ipso vel aliis Sacerdotibus ab aliquo Ordinario approbatis et ab eodem Capellano Maiori subdelegandis administrarentur Sacramenta et plura alia peragerentur, additis his verbis: – Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Capellanus Maior pro Sacramentis etiam Parochialibus Militibus aliisque Personis quibuscumque dictorum

Exercituum ministrandis, ut praefertur, deputandos duxerit, nullatenus pro eisdem Sacramentis eo tempore iisdem Militibus et Personis praefatis, qui et quamdiu in praesidiis fixis stabilibusque consistent, sed quando dumtaxat Exercitus praedicti sive Legiones, quibus inserviunt, in actuali expeditione reperientur, aut in temporaneis hybernis vel aestivis stationibus detinebuntur, administrandis deputati intelligantur – *in Mediolanen. Matrimonii die 25 Septembris 1734* §. *Hisce.*

34. Hinc et Benedictus XIII Capellano Caesarei Exercitus eamdem concessit facultatem exercendam - dumtaxat erga Milites aliasque utriusque sexus Personas, ad dictum Exercitum, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes –; eamque sub hac clausula concepit: – Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Capellanus Maior pro Sacramentis etiam Parochialibus Militibus aliisque Personis quibuscumque dictorum Exercituum ministrandis, ut praefertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem huiusmodi facultatibus uti valeat erga Milites praesidiarios, qui continuo arcium seu aliorum locorum custodiae adscripti sunt, quos eorumdem locorum Parochis et Ordinariis in omnibus et per omnia subesse declaramus, sed dumtaxat erga Milites et Personas Exercituum praedictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperientur, tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus et temporaneis sive hybernis sive aestivis aut etiam praesidialibus stationibus pro tempore detinebuntur ita tamen, ut statim atque iidem Sacerdotes, quos Capellanus maior subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, literas dimissoriales, tam super eorum Sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore praesentium concessis pro eiusmodi munere exercendo Parochis locorum exhibere debeant; quibus visis, hi non impediant, quominus Missam in suis Ecclesiis celebrare ac in vim earumdem facultatum Sacramenta etiam Parochialia ministrare valeant, quod si eo tempore Matrimonium inter personas, quarum altera militaris seu ad dictos Exercitus pertineat, ibique occasione stationum praedictarum commoretur, altera vero Parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu, nec Parochus sine Sacerdote huiusmodi, nec vicissim Sacerdos sine Parocho celebrationi huiusmodi assistat aut benedictionem impertiatur, sed ambo simul et aequaliter stolae emolumenta, si quae licita percipi soleant, accipiant et inter se dividant – *in Neapolitana Matrimonii die 29 Augusti 1733* §. *Non.*

Item *in Mediolanen. Matrimonii die 25 Septembris 1734* §. *Hisce.*

35. Exin Benedictus XIV die 20 Martii 1741 Breve Apostolicum pariter edidit pro universo Austriaco Exercitu, quo facultas primo facta est Capellano maiori Exercituum pro tempore deputato per se vel per alios Sacerdotes debita forma ab ipso subdelegandos administrandi Militibus aliisque utriusque sexus personis ad Exercitus quomodolibet spectantibus - omnia Ecclesiae Sacramenta etiam ea, quae per Parochialium Ecclesiarum Rectores ministrari consueverunt –. Deinde sic pergit Pontifex: – Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Capellanus Maior pro Sacramentis etiam Parochialibus Militibus aliisque personis quibuscumque dictorum Exercituum ministrandis, ut praefertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem huiusmodi facultatibus uti valeant erga Milites praesidiarios, qui continuae arcium seu aliorum locorum custodiae adscripti sunt, quos eorumdem locorum Parochis et Ordinariis in omnibus et per omnia subesse debere declaramus; sed dumtaxat erga Milites et Personas Exercituum praefatorum ad vagas belli operationes destinatas, tum ubi in actuali expeditione reperientur, tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus et temporaneis sive hybernis sive aestivis aut etiam praesidialibus stationibus pro tempore detinebuntur – *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 29 Iulii 1769* §. *Verum.*

36. Prohibuit ulterius Pontifex, ne Parochi, visis literis testimonialibus deputationis ac facultatum eorumdem Sacerdotum, impedirent, quominus in vim earumdem facultatum Sacramenta etiam Parochialia ministrare valerent. Ac postea haec addidit: – Quod si eo tempore Matrimonium inter Personas, quarum altera militaris sit seu ad dictos Exercitus pertineat, ibique occasione stationum praedictarum commoretur, altera vero

Parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu, nec Parochus sine Sacerdote huiusmodi, nec vicissim Sacerdos sine Parocho celebrationi huiusmodi Matrimonii assistat aut benedictionem impertiatur, sed ambo simul atque aequaliter stolae emolumenta, si quae rite percipi solent, accipiant et inter se dividant – *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 29 Iulii 1769* §. *Vetat.*

37. Inquirendum igitur est, an quae in relato Brevi statuuntur praescripta intelligi debeant sub Decreto irritanti, (de quo tamen ne verbum quidem legitur) vel potius eo non obstante locum habere possint declarationes Sacrae Congregationis et signanter, quae prodierunt anno 1573 lib. 1 Decretorum pag. 125, ut scilicet ad Matrimonii validitatem sufficiat, si illud coram Parocho alterutrius ex contrahentibus celebretur *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 29 Iulii 1769* §. *Inquirendum.*

38. His autem mature expensis, Sacra Congregatio validum declaravit Matrimonium coram Capellano Campestri Exercitus nulliter initum, sed inde coram Parocho habitationis, non tamen Capellano Exercitus renovatum, quin obesset praetensa privativa facultas praedicti Capellani interessendi Matrimoniis Militum *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 26 Augusti 1769 et die 14 Martii 1772.*

39. Iamvero in arce Byrava sub dominio Borussico aderat nobilis adolescentula vix annorum quatuordecim nomine Leopoldina Baronissa de Poppen, quae Parentibus orbata apud Tutricem educabatur. Accidit autem, ut nobilis vir Fridericus Ernestus Comes de Giannini in Austriacis copiis pedestrium Schlopetariorum Vice-Columnellus, nocturno tempore, militari habitu ementito, secumque adductis viginti quatuor Hussaris, Byravium profectus die 24 Novembris 1744, ingressusque aedes Baronissae de Poppen, eam secum tulerit, ascensoque curru ambo discesserint. Ut primum pervenerunt ad Oppidum Fulnekae in proxima Regione Austriaca situm, steterunt coram Capellano Campestri Ordinis Minorum, ac duobus adhibitis Testibus, Matrimonium die 10 decembris eiusdem anni celebrarunt: indeque iter prosequuti, Olomucium se contulerunt, Urbem Moraviae principem, ubi lares retinebat eiusdem Comitis Giannini frater Patruelis, apud quem relicta Baronissa de Poppen, libere ibidem est conversata. Orto autem dubio de huiusce Matrimonii validitate, Episcopus Olomucensis ambos monuit, ac prudentes Viri suaserunt, ut seiunctim viverent, et Baronissa in locum tutum se reciperet. Verum neglectis hisce monitis, sese contulerunt ad fortalitium quoddam Kradistium nuncupatum, ubi post moram quinque mensium coram illius Parocho et duobus Testibus Matrimonii consensum die 16 ianuarii 1746 renovarunt. Gravibus deinde subortis dissidiis, Baronissa fugam arripuit, ac institit, ut Matrimonium ob raptus violentiam et defectum praesentiae Parochi nullum declararetur: contra Comes Giannini apud Borussiae Tribunalia enixe egit, ut Baronissa ad se redire compelleretur; sed Causa, secundum iuris protestantici principia discussa, occubuit Comes Giannini. Novem postea revolutis annis, die 26 Februarii 1765 Comes Giannini contendit apud Consistorium Episcopale Olomucense, nullum declarari Matrimonium a se initum cum Baronissa de Poppen, tum ex causa raptus, tum etiam deficientia proprii Parochi: Causa tamen cecidit. Appellatione itaque interposita ad S. Congregationem, sustinuit, Matrimonium nullum fuisse nedum ex raptu, sed et ex defectu proprii Parochi. Nam Capellanus Campestris neutrius ex contrahentibus erat Parochus, cum Baronissa subesset Parocho Byraviensi, et Comes Giannini adscriptus non reperiretur Cohorti seu Regimini Insurgentium Hungarorum, sed existeret Vice-Columnellus Pedestrium Schlopetariorum apud Campi Mareschallum de Traun et ad latus Serenissimi Caroli a Lotharingia, proindeque subiectus Parocho maiori omnium supremorum Officialium, ut ex Brevi Apostolico s. m. Benedicti XIV diei 20 martii 1741.

40. Eamdemque ob causam irritam fuisse contendit coniugalis consensus renovationem anno 1746 factam coram Parocho Oppidi Kradistii, cum et ipse comes, tamquam unus ex supremis Officialibus, et Baronissa, utpote Virum prosequi coacta, Capellano Maiori, uti proprio Parocho, subessent: ac perperam ad tuendam consensus renovationem opponi dixit, – tam dictum Comitem, pro tunc re-

stituta pace, Militem vagum nulli supremo *comando* aggregatum, tam Baronissam, quasi domicilium nactos fuisse Kradistii; respondit enim, facultates Capellanorum Maiorum nequaquam cessare, si restituta pace Legionarii milites otio diffluerent in aestivis aut hybernis stationibus, ex eo praesertim quod renovatus consensus extitit, quando obsignata quidem fuerant pacis foedera, non tamen ab Augustissima Imperatrice et ab aula Borussica ratihabita. Animadvertit insuper, ad acquirendum domicilium firmum animum requiri aliquo in loco permanendi; hunc vero animum habere non potuisse, utpote quia tamquam supremus Officialis arma suscipere et castra huc illuc sequi cogeretur. Et revera permanendi animus ex eo excludebatur, quod viatoriam tantum et militarem supellectilem secum adportaverat. At Defensor Matrimonii raptum exclusit ac validam fuisse consensus renovationem sustinuit. Observavit enim, Comitem Giannini non semper in Exercitu ac inter Militares copias versatum fuisse, sed aliquo tempore a castris abfuisse, ut passim solebat evenire; ac unicum Testem de exigua eiusdem Comitis supellectili deponere, atque idcirco reiici oportere, nec non novum esse, quod ad acquirendum domicilium ampla supellex et magna domus requireretur. Nec obiici posse, contendit, Breve Benedicti XIV praecipiens, quod Matrimoniis contrahendis inter personas, quarum una sit militiae adscripta, altera vero proprium habeat Parochum, interesse debeat tum proprius unius Parochus, tum etiam Militaris Capellanus. Advertit enim, dictum Breve intelligi ac comprehendere tantum personam Militarem, quae – ob accidentales et temporaneas sive hybernas sive aestivas aut praesidiales stationes ibi pro tempore commoretur –, sed talem non fuisse Comitem Giannini, qui neque stationis causa in loco Kradistii morabatur, neque ibi Milites eorumque Capellanus aderant. Observavit insuper, nullum in eodem Brevi reperiri verbum, quo Matrimonia aliter contracta irrita declarentur; atque hinc inferri, Matrimonia huiusmodi illicita quidem esse, non tamen irrita.

41. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An constet de nullitate Matrimonii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 26 Augusti 1769.*

42. Impertita autem nova audientia, Defensores Giannini rursus existentiam raptus probare insudarunt ac pro viribus contenderunt, Matrimonium a Comite Giannini cum Baronissa de Poppen, non coram Parocho Kradistii, sed coram Capellano Exercitus debuisse renovari: neque audiendos esse, qui eumdem Comitem Giannini pro vago Milite declamabant, cum probari non posset, ipsum vel nullum habuisse domicilium, vel illud deseruisse, quorum alterutrum ad inducendam Vagi qualitatem requirebatur; immerito quoque regeri, tempore renovati Matrimonii, ob evulgatam pacem, Exercitus fuisse dimissos, Milites ex albo deletos, et ad suos lares redire iussos. Fatebantur quidem obsignata, non quidem ratihabita pacis foedera; proindeque Comitem Giannini, qui Miles adhuc erat, et Austriacis copiis praeerat, animum permanendi Kradistii non habuisse, prout ad domicilium acquirendum opus fuisset. Quae de Comite Giannini affirmabant, eadem de Baronissa praedicari eique convenire existimabant, cum Benedictina Constitutio feminas etiam comprehenderet castra quoquo modo sequentes. Sustinuerunt praeterea, iurisdictionem Capellanis Militum in eadem Benedictina Constitutione tributam non esse cumulativam cum Parochis locorum, sed privativam; idque deprehendi tum ex politica atque oeconomica moderandi Exercitus ratione, quae Praetoribus seu, ut vocabant, Auditoribus Generalibus tota committebatur, tum etiam ex iuris Canonici sanctione et Ecclesiae disciplina, ut ad rem de Villosa de Milit. fugit. cap. 20 §. 2 n. 4, et Wanespen. in ius eccles. univ. part. 2 tit. 12 cap. 5 n. 16, atque hisce legibus sese conformasse s. m. Benedictum XIV in citata Constitutione affirmarunt. His addiderunt observantiam, depromptam ex depositionibus Capellani Maioris, nec non duorum universi exercitus Generalium Auditorum, atque etiam Capellani Praetoriani, ex quibus evinci dixerunt, Parochum tam Comitis Giannini, quam Baronissae de Poppen esse privative debuisse Exercitus Capellanum.

43. Contra Defensor Matrimonii, exclusa raptus existentia, advertit, Breve s. m. Benedicti XIV ad casum, de quo agebatur, aptari non posse, cum illud comprehenderet personas militares, quae – ob accidentales et temporaneas sive hybernas sive aestivas aut etiam praesidiales stationes ibi pro tempore commorentur –; neque id verificari de Comite Gianninio, qui in Oppido Kradistii stationis causa non permanebat, neque ibi militares copiae earumque Capellanus extabant. Addidit, nullam in eodem Brevi reperiri clausulam Matrimonia aliter facta irritantem, et ex hoc arguit, Matrimonia esse quidem illicita, non tamen nulla. Observavit etiam, idem Breve esse tantum facultativum, non vero privativum, nec adimere Parochis facultates de iure competentes, cum facultates nunquam censeantur uni ademptae et alteri privativae tributae, nisi expressis verbis id fuerit expressum, maxime quia iurium praeservatio in qualibet Principis concessione semper praesumitur. Inhaerendum proinde tantummodo asseruit literae Brevis Benedictini, reiectis attestationibus Capellani Maioris et Austriaci Exercitus Auditorum affirmantium, facultates huiusmodi ipsi maiori Capellano ceterisque Campestribus Capellanis fuisse impertitas. Inapplicabiles autem esse Auctoritates a Defensoribus Comitis Giannini hac super re allegatas, quia ex iis nullo modo firmata dignoscebatur privativa Capellanorum Exercitus iurisdictio cum omnimoda Parochorum exclusione. Perperamque obiici dixit, Comitem Giannini, utpote militiae addictum, animum acquirendi domicilium Kradistii habere non potuisse. Respondit enim, ad Parochialitatem acquirendam non requiri domicilium, sed simplicem habitationem sufficere. Satis autem constare subdidit, Comitem Giannini facultatem recedendi a militia obtinuisse, ipsumque Olomucio ad Oppidum Kradistii sese cum Baronissa contulisse animo ibidem commorandi, et ut valide Matrimonium renovaret, prout Episcopus Olomucensis et prudentes doctique Viri ei suaserant.

44. His denuo utrinque perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Olomucen. Nullitatis Matrimonii die 14 Martii 1772.*

CAPITULUM SEU COLLEGIUM CANONISSARUM.

1. Neminem latet, in iure Canonico pluries mentionem haberi de Collegiis Canonicarum seu Canonissarum, nempe in Cap. *Dilecti* de maioritate et obedientia, in Cap. *Indemnitatibus* §. supradicta de electione in 6, et in Clementina *Attendentes* §. illas quoque de statu monachorum, nec non apud scriptores et Canonistas, praecipue Gonzalez in Cap. *Dilecti*, Thomassinium de Beneficiis tom. 1 lib. 3 cap. 63, Card. Petra ad Constit. 14 Innocentii IV sect. unica n. 19, Vanespen in ius Ecclesiasticum part. 1 tit. 33 cap. 4 de Canonissis, et Zipaeum oper. canon. tom. 1 lib. 3 consult. 17 *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 28 Iulii 1730* §. *Reperiuntur.*

2. Collegia huiusmodi alia sunt simplicia, alia vero dicuntur mixta: collegia simplicia sunt, quae componuntur tantummodo ex feminis; et quamvis habeant Clericos seu Presbiteros, qui Sacra ministrant aliaque gerunt sexui femineo non permissa, isti tamen insimul cum feminis choro non interveniunt, nullumque votum habent in electione Abbatissae aliisque actibus capitularibus, nec dicuntur esse de Collegio aut faciunt unicum corpus et Capitulum cum Canonissis, sed tantum gerunt figuram Coadiutorum seu Administratorum Ecclesiae in divinis inservientes, ut observant Nolanus lib. 1 de Canon. cap. 15, ubi eos vocat Sacellanos Canonissarum, et post eum Vanespen. dicto Cap. 2 n. 20 et 21; et super hoc adest consilium Abbatis 8 part. 1, ubi probat, similes Presbiteros inservire in divinis, nec esse de Collegio Mulierum, quoties ipsi non se ingerunt in officiis Collegii, nec nominantur in regulis et statutis Capituli *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 28 Iulii 1730* §. *Collegia.*

3. Collegia vero mixta constituuntur ex Canonissis et Canonicis, unum idemque cor-

pus constituentibus: istaque mixtura Collegii eruitur, si Canonici habeant vocem activam in electione Abbatissae, in collatione Praebendarum, deputatione Officialium et similium, ac etiam si quotidie, vel in certis diebus solemnioribus conveniant choro, divinas horas canentes una cum Canonissis, ac in processionibus insimul procedant, ut explicant Iacobus a Vitriaco Histor. occident. Cap. 31, Thomassinius dicto cap. 63, n. 6, Card. Petra dicta sect. unica n. 24, Vanespen. dicto cap. 2. n. 20; et habetur in pluribus decisionibus sacrae Rotae praesertim in Monasterien. Vicariae 12 martii 1706 et 18 martii 1707 coram Omanna, in Colonien. Canonicatus 21 Ianuarii et 22 iunii 1729 coram Calcagnino, et melius distinguendo in Monasterien. Abbatissatus 9 iunii 1727 §. Absque eo coram Aldrovando *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis Visitationis die 28 Iulii 1730* §. *Collegia.*

4. Unde inter alia Collegia Canonissarum celebre erat illud S. Petri Romaricomontis in Lotharingia Sedi Apostolicae immediate subiectum, cuius Abbatissa praeficiebatur ad electionem dictarum Canonissarum, primaque Dignitas et Caput dicti Collegii dicebatur. Aderant etiam aliae inferiores Dignitates pluresque Canonissae nec non decem Presbiteri Canonici nuncupati aliiqui ecclesiastici inferioris ordinis. Qualis fuerit origo et institutio huius Collegii, ignorabatur: existebant tamen quaedam antiqua Statuta, quae fundamentalia vocabant, in quorum articulo 252 cavebatur, vocem activam et passivam in Capitulo competere tantum Abbatissae et Canonissis Praebendatis; et in articulis 245 et 266 disponebatur, Presbiteros Canonicos interesse posse Capitulo, quoties agendum esset de redditione rationum. Aderant quoque alia recentiora Decreta facta de anno 1614 per Episcopum Adriensem Nuncium Apostolicum dictique Collegii Visitatorem, in quorum articulo 22 declarabatur, Abbatissam esse caput praefectam superiorem atque matrem spiritualem omnium Canonissarum Canonicorum et Presbiterorum Ecclesiae: in articulo 24 facultas tribuebatur eidem Abbatissae corrigendi Canonissas propria auctoritate in levibus, in gravibus vero adhibito consilio et voto aliarum septem seniorum Canonissarum: in articulo 25 concedebatur pariter Abbatissae plenaria iurisdictio et auctoritas in Canonicos et Presbiteros aliosque Ministros quoad concernentia cultum et servitium divinum ipsius Ecclesiae, quoties vero eorumdem excessus et crimina correctionem ac punitionem requirerent, cognoscere et statuere deberet una cum Capitulo; et in articulo 32 haec habebantur: – Quod quando in his nostris Decretis incidit mentio de Capitulo, semper sub nomine Capituli intelligatur Congregatio reverendissimae D. Abbatissae cum suis duobus votis et dominarum Canonissarum –.

5. Istae tamen leges seu constitutiones, quia nunquam recognitae seu approbatae fuerant a S. Sede, et Collegiata Ecclesia visitatione iterum indigebat, hinc s. m. Benedictus XIII ad supplicationem modernae Abbatissae delegavit de anno 1726 in Visitatorem Apostolicum Emum Card. de Rohan, qui summa, qua pollebat, sapientia et pietate, adscitis quoque ad consilium selectissimis Theologis et Canonistis, iniunctum munus adimplevit. In primordio Visitationis fuit coram eo promota quaestio ex parte Canonicorum dictae Ecclesiae praetendentium, esse de gremio Capituli Canonissarum vigore quarumdam Literarum Apostolicarum Leonis X Clementis VIII Sixti V et Pauli V, in quibus enunciabatur, ipsos Canonicos unicum corpus et Capitulum constituere cum Abbatissa aliisque Canonissis. Sed animadvertens Emus Visitator, in dictis literis adesse tantum simplicem enunciativam usu nunquam receptam; iura vero dominicalia penes Abbatissam et Canonissas dumtaxat residere, ac ulterius quod indecorum esset, hanc praetensam mixturam cum feminis admittere, censuit, eos non esse de gremio Capituli nobilium Virginum, quia communi chori servitio non reperiebantur adscripti solumque ad Capitulum vocari deberent, prout antea vocabantur, quoties de eorum rationibus seu redditione computorum agi contigisset. Absoluta tandem visitatione, nonnulla condidit Decreta in quinquaginta articulos divisa, in quorum articulo 17 confirmabantur omnes antiquae Constitutiones et praecipue Decreta supradicti Episcopi Adriensis: in articulo 26 statuebatur, quod duo ex dictis decem Canonicatibus, nuncupati de

S. Romarico et de Cruce, qui functiones distinctas ab aliis octo de Altari maiori nuncupatis habebant, eisdem in omnibus exaequarentur, nec inter omnes Canonicos ulla amplius intercederet distinctio ordinis emolumenti et functionum. In articulis 30 et 31 ob tenuitatem redituum Canonicatuum fuerunt communi Massae unitae et incorporatae tres semipraebendae et quaedam Capellaniae de consensu Abbatissae et Canonissarum collatricum, unione ista non prius suum effectum habitura, quam post obitum possessorum; fuit tamen eisdem Canonicis iniunctum praeceptum adimplendi ex tunc Missas aliaque onera dictis semipraebendis et Capellaniis annexa, quarum tamen possessores solitam retributionem pro istis oneribus adimplendis dictis Canonicis solvere tenerentur. In articulo 46 confirmata fuit auctoritas et iurisdictio Abbatissae et Canonissarum de Capitulo quoad Canonicos aliosque Ministros Ecclesiae, moderata tamen potestate, ubi ageretur de aliquo delicto requirente iudicialem animadversionem et processum.

6. His itaque perpensis, Sacra Congregatio resolvit, Capitulum praefatae Ecclesiae S. Petri Romaricomontis constitui ex sola Abbatissa et Canonissis, easdemque capitulariter congregatas habere auctoritatem et iurisdictionem quoad Canonicos aliosque ecclesiasticos et Ministros Ecclesiae, et in casu criminis requirentis iudicialem animadversionem et processum, vocatis Canonicis ad Capitulum et accepto istorum consilio, Romae recursum instituere debere pro petendo Commissario, qui procedere posset contra culpabilem per censuras privationem Beneficii et alias poenas canonicas, et nihilominus ab ipsa Abbatissa et Canonissis illum arceri ab exercitio functionum in earum Ecclesia; simulque validam declaravit incorporationem Canonicatuum seu Praebendarum S. Romarici et S. Crucis nuncupatorum aliis Canonicatibus Altaris maioris nuncupatis, illorumque aequiparationem etiam quoad onera et functiones, nec non praesentaneum confirmavit adimplementum, dictis Presbiteris Canonicis Altaris maioris nuncupatis iniunctum, onerum trium semipraebendarum et quarundam Capellaniarum eis annexarum post vitam possessorum *in Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis die 13 Ianuarii 1731* (1).

7. Qua de re praefatis Canonissis, infirmitate laborantibus, non aliter ac Canonicis conceditur indultum percipiendi fructus et distributiones, cum divinis officiis interesse nequeant *in Colonien. Indulti die 22 Maii 1734* §. *Favere.*

Item *in Leodien. seu Colonien. Fructuum die 1 Septembris 1736* §. *Assertam.*

8. Enimvero Sacra Congregatio Annae Agneti Comitissae de Cleron et Canonissae insignis et secularis Abbatiae S. Petri Romaricomontis, cui ob aegram valetudinem datum non erat divinis interesse, concessit indultum lucrandi, durante infirmitate, fructus omnes tam certos, quam incertos, et distributiones quotidianas *in Tullen. seu Nullius die 12 Iulii 1721 lib. 71 Decretorum pag. 262.*

9. Idcirco si de Canonissarum infirmitate satis constet, conceditur eisdem indultum lucrandi fructus et distributiones quotidianas eo tempore, quo aegra valetudine utuntur *in Colonien. Indulti die 5 Iunii 1734.*

10. Siquidem Eleonora et Francisca sorores de Manderscheidt Blankenkeim, quarum altera erat Abbatissa in Elten, altera vero in Ureden, anno 1733 Sacrae Congregationi exposuerunt, se se duos obtinere Canonicatus in Collegiata Ecclesia utriusque sexus ad S. Ursulam intra Coloniam, séque ob habituales indispositiones nec non ob ingravescentem aetatem non posse quadrimestri servitio, quod praedictae Ecclesiae praestare tenebantur, incumbere, nec itidem ascendere ad chorum superiorem, cuius aditus difficilis admodum afferebatur. His autem expositis, duo postularunt: primo, ut Sacra Congregatio sibi impertiretur indultum lucrandi tam fructus praebendae, quam distributiones quotidianas eo tempore, quo aegra valetudine uterentur; secundo, ut eas eximeret ab onere ascendendi chorum superiorem, cum de cetero sese paratas exhiberent, cessante infirmitate, divinis officiis interesse in choro inferiori. At precibus per Summarium relatis, rescriptum fuit: – Officiali pro informatione et voto, auditis Canonicis –. Vicarius Generalis putans, in

(1) Reliqua et dubiorum resolutionem habes in verb. *Abbatissa*, n. 1 ad 6, Tom. I.

omnibus esse annuendum, rescripsit, – quod ambae antedictae Dominae ex ingravescente aetate, praeter teneram naturalem complexionem, frequentissima corporis infirmitate teneantur, proindeque residentiam quatuor mensium, quam in dicta Ecclesia singulis annis una cum diligenti frequentatione chori iuxta statuta et observantiam explere debent, nonnisi aegre admodum absolvere valeant –; subindeque affirmavit, – quod gradus, quibus ad chorum ascenditur, sint tam praecipites, ut vere putet, antedictas Dominas eosdem sine maximo incommodo conscendere non posse –.

11. Oratrices, de quarum infirmitate praetendebatur satis constare tum ex relatione Vicarii Generalis, tum ex testimonio Medicorum, petitionem suam fulciri censuerunt Rescripto Honorii II relato in Cap. *Ad audientiam* de clericis non residentibus et Bonifacii VIII in Cap. unic. eod. tit. in 6, qui post constitutam regulam, quae a fructibus et distributionibus quotidianis percipiendis arcet eos, qui non resideant et divinis officiis non intersint, excipiuntur tamen, – quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret –. Favere itidem videbatur earum instantiae praxis Sacrae Congregationis, quae similia indulta passim elargiri consuevit Canonicis vel Canonissis, quae ob infirmitatis impedimentum divinis nequeunt interesse. At Canonici petito indulto contradictores sese praebentes plura opposuerunt: primo, quod Oratrices quantumvis saepius monitae pluribus ab illinc annis residentiam et Ecclesiae servitium neglexissent, et tamen certum erat, Canonicos infirmos nullo potiri iure lucrandi distributiones quotidianas, si antea non consueverint divinis officiis interesse; secundo, quod vel non satis constaret de infirma earum valetudine ex allato Medicorum testimonio, dixerunt enim, Medicos illius regionis facile admodum similia testimonia proferre, vel quod asserta infirmitas talis non esset, qualem ad hunc effectum esse debere declarant Doctores in Cap. unic. de clericis non residentibus in 6; et tertio tandem impugnarunt, quod aditus ad chorum superiorem esset difficilis, ut asserebatur; putaruntque proinde Oratricibus tribuendam non esse exemptionem ab onere ascendendi una cum aliis ad praedictum chorum, ne aliqua ex parte cultum divinum minui contingeret.

12. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo concedendum sit indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro gratia, iuxta votum D. Secretarii – *in Colonien. Indulti die 5 Iunii 1734.*

13. Quod si perpetua obstet consuetudo, nequaquam huiusmodi Canonissae conceditur indultum percipiendi fructus et distributiones extra locum residentiae, etiamsi de ipsius infirmitate legitime constet, cum praesertim duas possideat Praebendas Canonicales in duabus Ecclesiis Collegiatis *in Leodien. seu Colonien. Fructuum die 1 Septembris 1736.*

14. Iamvero Anna Salome Comitissa de Manderscheidt Falakenstem, quae Canonicatum una cum Decanatu in Collegiata Ecclesia utriusque sexus sub titulo Beatae Mariae Virginis in Oppido Thorensi Leodiensis Diaecesis erecta nec non Abbatissatum in alia simili Collegiata ad S. Ursulam intra Coloniam obtinebat, anno 1735 exposuit, se ob contractam in oculis infirmitatem impediri, quominus e Civitate Coloniae, ubi moram trahebat, ad Oppidum Thorense se conferret, ibique debitam residentiam apud praefatam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis expleret, enixe postulavit, ab onere residendi in saepe dicta Collegiata dispensari, simulque iniungi illius Capitulo, ut, donec ex dicta oculorum infirmitate convaluisset, fructus omnes tam ex Decanatu, quam ex Canonicali Praebenda provenientes pro rata medii anni sibi traderentur. Assertam suorum oculorum infirmitatem ex allato trium Medicorum testimonio satis probatam esse contendit Oratrix, subindeque asserens, se ante hoc infortunium consuevisse in dicta Collegiata quolibet anno per sex consuetos menses residere, ei sedulo ac laudabiliter inserviendo, petitionem suam fulciri autumavit tum ex Rescripto Honorii II relato in Cap. *Ad audientiam* de Clericis non residentibus et Bonifacii VIII in Cap. unic. eod. tit. in 6, ubi licet a fructibus et distributionibus quotidianis arceantur ii, qui in suis Ecclesiis non resident, eisque negligunt inservire, excipiuntur tamen illi, – quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas excusat –, tum praxi Sacrae Congregationis, quae

consuevit indulta lucrandi fructus praebendales una cum distributionibus quotidianis elargiri etiam Canonissis, quae ob infirmitatis impedimentum divinis nequeant interesse.

15. At Capitulum dictae Collegiatae autumans, Oratricem sub obtentu dictae infirmitatis a sua Ecclesia abesse non posse, alias fructus Canonicalis praebendae, quam ibi possidebat, amittere, eosque inter ceteros Canonicos et Canonissas chori Ecclesiaeque servitio incumbentes dividi debere, illius instantiae contradictorem se praebuit sub triplici fundamento; primo, quod tametsi unum dumtaxat Canonicatum vel Beneficium obtinentes ex causa infirmitatis possint a residentia suae Ecclesiae abesse, atque eo tempore, quo ex praemissa causa absunt, non solum fructus Canonicatus vel Beneficii percipere, verum etiam quotidianas distributiones lucrari, id tamen permissum non reperiretur Canonissis, quae plura Beneficia et Dignitates assequebantur, quaeve, cum possent Matrimonium inire, non quidem ecclesiasticae, sed personae mere seculares esse dicerentur; secundo, quod in illa Collegiata vetus vigeret consuetudo, iuxta quam Canonici et Canonissae causa etiam infirmitatis non poterant ab ea discedere, sed ibi residere tenebantur, si volebant fructus praebendales et quotidianas distributiones acquirere; et tertio tandem, quod memorata Anna Salome ex Abbatissatu, quem in Collegiata ad S. Ursulam intra Coloniam retinebat, nec non ex Decanatu Collegiatae Thorensis proventus ad congrua vitae subsidia satis idoneos perciperet, quin reliquis Praebendae Canonicalis fructibus, ratione laboris et servitii tantum debitis, ac iure accrescendi inter inservientes merito repartiendis, indigeret. Apostolicus Nuncius ad tractum Rheni super Oratricis precibus auditus censuit, eiusdem preces esse reiiciendas, cum praesertim perpetua obesset consuetudo (1).

16. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An Comitissae Annae Salome debeantur fructus Praebendae Canonicalis Ecclesiae Collegiatae Thorensis ab anno 1735, non obstante eius absentia a dicta Ecclesia ex causa praetensae infirmitatis apud Ecclesiam Collegiatam S. Ursulae Coloniae in casu etc. II. An sit concedendum Indultum in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque – *in Leodien. seu Colonien. Fructuum die 1 Septembris 1736.*

§. I.

CAPITULUM QUOAD CONVOCATIONEM.

1. Certum est ex iuris communis dispositione, ius convocandi Capitulum ad illum spectare, qui caput est corporis capitularis *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Certum.*

Item *in Rossanen. Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858* §. *In* (2).

2. Convocatio enim Capituli est actus iurisdictionalis et praeeminentiae, ac propterea ad eum pertineat oportet, qui dignior est et Capituli caput *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Ob.*

3. Unde in hoc conveniunt omnes Canonistae, idque etiam Sacra Congregatio saepius definivit, ut apud Card. Petra ad Constit. 1 Leonis Magni sect. 1 n. 46 *in Imolen.*

(1) En verba praefati Nuncii Apostolici, *ut in* §. *Apostolicus* – ibi – Ponderati pertanto esattamente i motivi dedotti hinc inde, sembra, che l' istanza dell' Oratrice non sia ben fondata, e però non ammissibile massimamente, se si rifletta l'osservanza inalterabile, la quale veramente milita in queste parti della Germania, dimostrando questa che chi vuol conseguire e godere de' frutti della sua Prebenda, ancorchè indisposto o infermo e legittimamente impedito non possa frequentare il coro, sia nondimeno tenuto a dimorare in quel luogo medesimo, ove ha la sua Chiesa e Beneficio, non togliendo la personale indisposizione, che non possa essere presente nel luogo, ancorchè non possa prestare il suo servizio alla chiesa. Ma quando la petizione dell' Oratrice sembrasse ragionevole ed equa per conseguire dalla clemenza di nostro Signore qualche grazia, si crede, che non meriti di essere esaudita al più, che *pro rata temporis*, in cui fu solita servire alla Chiesa di Thorn –.

(2) Cap. *Postulasti*, de concess. Praebend.; Cap. *A collatione* in 6; Concil. Trid. in sess. 25 cap. 6 de reformatione; Barbos. in summ. Apost. collect. 40, n. 43; Rot. in Recent. part. 9, tom. 1, decis. 257, n. 16; Ursaya tom. 8 part. 1 discept. 37, n. 8.

Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774 §. Certum.

4. Nam convocatio Capituli nullatenus competere potest inferioribus seu membris in concursu superioris sive capitis *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855 §. Aliunde.*

5. Quin imo a iure devium esset ius convocandi Capitulum tribuere alteri, qui inferior est, et Canonicorum praesertim minister, ut perpendit Rota in Recent. part. 9 tom. 1 decis. 257, Piton. discept. Eccles. 123, part. 4, n. 2. *in Marsorum Iurium Parochialium die 30 Ianuarii 1830 §. Ob.*

6. Idcirco si iusta adsit causa, et consensus maioris partis Capituli nec non inferioris, qui ex consuetudine iure pollet convocandi Capitulum, accedat, Sacra Congregatio, cum nova sint conficienda statuta capitularia, indulget, ut ius hoc convocandi Capitulum eidemque praesidentia a prima Capituli Dignitate exerceatur *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855.*

7. Enimvero Capitulum Cathedralis Regiensis tredecim constabat Canonicis, quos inter quinque Dignitatis praerogativa augebantur, ac erant Archipresbiter Archidiaconus Maiuscula Theologus ac Poenitentiarius. Apostolicae Sedis auctoritate Dignitates Archipresbiteralis et Archidiaconalis anno 1806 Canonicorum Collegio aggregatae fuerunt, cuius antea pars non erant, licet ipsi praeessent. Maior omnium Dignitas et Collegii caput Archipresbiter erat, qui distincta ac prae ceteris pinguiori fruebatur Praebenda. Quamvis vero Archipresbiter esset prima Dignitas et Collegii caput, ei tamen ius denegabatur convocandi Capitulum, quod sibi arrogabat eiusdem Collegii Decanus. Hinc plures inter Capitulares contentiones oriri ab aevo solebant. Idcirco Episcopus Regiensis omnem dissidiorum causam e medio auferre et aequiorem ac stabilem rerum ordinem in suo Capitulo invehere cupiens, cum praesertim nova tunc conficienda essent capitularia Statuta, inter ceteros hunc articulum iam a Capitulo pluralitate suffragiorum probatum S. Sedis auctoritate confirmandum proposuit, quod scilicet Archipresbiter ius haberet convocandi Capitulum ac praesidendi. Hac enim ratione illa etiam maxima tollereretur indecentia, ut dignior ultimam quandoque sedem occuparet. Posthabenda proinde videbatur in themate consuetudinis ratio, ex quo non de pristina vindicanda, sed de nova inducenda methodo Capitulo consentiente ageretur, quae nimirum eiusdem Capituli rationibus opportunior esset et generalibus iuris sanctionibus magis consentanea. Imo etsi Archipresbitero ius convocandi Capitulum denegaretur, huic saltem ius eidem praesidendi ceterosque iurisdictionales actus exercendi tribuendum foret, quod quidem ab suae Dignitatis ratione omnino dimanabat. Non dubitabatur tamen, quin ius convocandi Capitulum Decanus perpetuo exercuisset.

8. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An Archipresbitero addicendum sit ius convocandi capitularia comitia illisque praesidendi in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative in omnibus, accedente tamen consensu actualis Canonici Decani – *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855.*

9. Haec proinde facultas convocandi Capitulum de iure primae Dignitati competens, debet esse libera absoluta et independens ab alterius cuiuscumque Superioris licentia, ita ut neque ipse Episcopus praetendere de iure valeat, non posse Capitulum congregari sine eius licentia, ut resolvit Sacra Congregatio in Cursulen. 9 maii 1637, quam refert Crispinius in tractat. de Visitat. part. 2 §. 30 n. 2 hisce verbis: – Sacra Congregatio Concilii censuit, posse Canonicos convocare Capitulum absque Episcopo sine illius licentia, nisi agatur de rebus Mensae Episcopalis –, quaeque reapse prostat in lib. 15 Decretorum pag. 532; et consonat altera Resolutio S. Congregationis Episcoporum et Regularium in Brundusina 17 ianuarii 1584 apud Pignatellium consult. 154 n. 7 tom. 4: – La Sagra Congregazione ha risoluto, che il Capitolo sia libero di congregarsi quando vuole, purchè non sia in pregiudizio del culto divino, onde non si può obbligare a domandar licenza – *in Rossanen. Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858 §. In.*

10. Ea nimirum ratione, quod Capitulum, tamquam Collegium legitime erectum cum suo Capite, habet ex iure facultatem se congregandi quoties sibi placuerit absque licentia

Superioris, ut praeter Pitonium in discept. eccles. 123 part. 4 notat Monacellius in formular. part. 1 tit. 6 form. 11 n. 18, Barbosa de Canon. et Dignitat. Cap. 35, Pignatellius consult. 154 tom. 4, Rota in Recent. decis. 112 n. 9. part. 7, coram Coccino decis. 2174 n. 11, in Hispalen. Iuris praesidendi in Capitulo 2 iulii 1700 §. Minusque coram dell' Olmo *in Rossanen. Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858 §. In.*

11. Hinc neque potest Episcopus impedire aut prohibere sine iusta causa, quominus pro libito Capitulum se congregare possit; ceu advertit Ceccoperius lucubr. can. lib. 4 n. 15, addito Ferraris in Biblioth. can. verb. *Capitulum* art. 1 n. 10 et 11, qui insuper docet, Episcopum congregare posse Capitulum pro casibus tantum, in quibus iuxta Sacros Canones tenetur eius votum vel consilium exquirere, et in aliis casibus spectantibus ad suam dignitatem, iuxta praescriptum Concilii Tridentini sess. 25 cap. 6 de reformatione; id autem integrum ei non esse cum agitur de actibus capitularibus, qui spectant ad Capitulum, uti Capitulum, quia pro rebus spectantibus ad ipsum Capitulum remanet intacta et illaesa sua iurisdictio, ut addit Concilium Tridentinum loco citato: – Ceteris autem in rebus, Capituli iurisdictio et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio, salva et intacta omnino relinquatur – *in Rossanen Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858 §. In.*

12. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, non posse ullo modo Episcopum impedire convocationem Capituli, etiamsi alleget, abusus esse in eiusdem convocatione et celebratione *in Amerina die 24 Aprilis 1632 lib. 14 Decretorum pag. 603 a tergo.*

13. Unde licet Episcopus certiorari debeat de Capitulis extraordinariis, non propterea convocationem impedire potest; proposito enim dubio: – II. An singulis hebdomadis statuto die, in aliis vero nonnisi ex Episcopi speciali licentia Capitulum congregari debeat? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, si Capitulum extraordinariis diebus convocandum sit, de eiusmodi convocatione certiorem esse reddendum Episcopum, a quo tamen convocatio ipsa impedienda non erit – *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1669 lib. 24 Decretorum pag. 125.*

14. Nihilominus haec iuris dispositio limitanda venit, ubi contraria adsit consuetudo; quamobrem eatenus pro convocatione Capituli non requiritur licentia Episcopi, quatenus sit solitum sine illa congregari, ceu resolvit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in Neritonen. 20 augusti 1601 apud Pignatellium consult. 154 tom. 4 n. 7: – Essendo il Capitolo in possesso di adunarsi senza del Vescovo e del Vicario, non si deve in ciò fare altra novità –, unde a contrario sensu ubi haec quasi possessio deficiat, et favore Episcopi vigeat, eius licentia pro convocatione necessaria est; nam in hac materia observantia et consuetudo praecipue spectanda venit, quae nimirum omne fert punctum, ceu ad rem docet Pitonius in discept. eccles. 123 part. 4 n. 26, quamvis consuetudo adversetur iuris dispositioni favore Capituli, eiusque primae Dignitati, cui servitus imponitur et subiectio petendi licentiam *in Rossanen. Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858 §. Nihilominus.*

15. Idcirco si Canonici subreptitie vel obreptitie obtinuerint Literas Apostolicas, quibus concessa eisdem fuit potestas convocandi Capitulum libere ac independenter tam ab Episcopo eiusque Vicario Generali, sede plena, quam ab Archidiacono maiore nuncupato de Rogationibus, sede vacante, quoties in suis comitiis agendum esse putaverint sive de lite contra Episcopum iam instructa, sive de aliis iudicialibus contentionibus, quae inter se et memoratos Episcopum ac Archidiaconum pariter vertentes possent promoveri, Sacra Congregatio nedum locum esse aperitioni oris mandat, sed et statuit, praefatas Literas reducendas esse ad terminos indulti s. m. Iulii III *in Gerunden. Iuris convocandi Capitulum die 13 Septembris 1738 et die 24 Ianuarii 1739* (1).

16. Qui vero ex Capitularibus iure pollet convocandi Capitulum, sede Episcopali vacante, non tenetur petere licentiam a Vicario Capitulari, licet consuetudo vigeat quoad Epi-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Aperitio oris*, n. 412 ad 418 Tom. II.

scopum, non vero quoad Vicarium; adeoque ius convocandi Capitulum devolvitur ad successivas Dignitates et Canonicos gradatim, quin Vicarius procedere valeat ad censuras contra convocantes Capitulum sine licentia, ac praetendere possit, quod iidem uti nequeant quacumque persona pro intimandis Capitularibus, si Cursores et Cancellarius eorum officium praestare recusent, et quin demum cogere valeat, ut praesidens Capitulo ipsum certiorem reddat de resolutionibus captis *in Melevitana Iurisdictionis die 18 Septembris 1723.*

17. Enimvero, vacante Sede Episcopali Melevitana electoque in Vicarium Capitularem Dominico Xiberras tunc Coadiutore Archidiaconi, exorta est controversia circa ius et facultatem convocandi Capitulum et alios nonnullos actus gestos a Vicario Capitulari. Namque Promotor Fiscalis contendit, Decanum Cathedralis Ecclesiae Melevitanae, quidquid esset de iure communi, ex consuetudine ibidem recepta non posse convocare Capitulum sine licentia Episcopi, ac per consequens sine licentia Vicarii Capitularis, qui succedit in iuribus Episcopi, et multo magis cum non probaretur, quod in aliis Sedibus vacantibus facta fuisset convocatio Capitulorum sine licentia Vicarii Capitularis; adeoque Vicarium Capitularem procedere posse ad censuras contra Decanum Dignitates et Canonicos convocantes Capitulum sine dicta licentia. Hinc Promotor Fiscalis sustinuit, non posse Decanum Dignitates et Canonicos uti quacumque persona pro intimandis Capitularibus, quo Cursores et Cancellarius eorum officium praestare recusarent, si retinentia Cursorum et Cancellarii proveniret, vel ex quo non fuit petita licentia Vicarii Capitularis, vel ex quo ipsi essent legitime impediti. Insuper Promotor Fiscalis censuit, Dignitates seu Canonicum Capitulo praesidentem teneri certiorem reddere Vicarium Capitularem absentem de resolutionibus capitularibus. Sicut enim Episcopo denegari non poterat copia resolutionum capitularium, sic eadem copia non erat deneganda Vicario Capitulari. Decanus contra defendit, nequaquam requiri licentiam Vicarii Capitularis, ut Capitulum convocare posset, tum quia de iure convocatio Capituli libera est, nec requiritur licentia Episcopi; et in tantum dictam licentiam esse necessariam in Diaecesi Melevitana, in quantum vigere pro Episcopo consuetudinem, quae cum non militaret pro Vicario Capitulari, hinc erat, intactam remanere iuris communis censuram tempore Sedis vacantis favore Capituli, tum quia septem Canonici antiquiores amplissime testabantur, nunquam in praeteritis convocationibus capitularibus petitam fuisse a Vicario Capitulari licentiam. Qua de re si Decanus abesset vel esset impeditus, putavit, facultatem convocandi Capitulum devolvi successive ad Dignitates et Canonicos gradatim, exclusis eorum Coadiutoribus. Idcirco alienum esse arguit, quod Vicarius Capitularis procedere valeret ad censuras, nisi ab eo licentia petita fuisset; ex eo etiam quia quatenus licentia esset necessaria, satis foret pro poena nullitas actus absque recursu ad censuras, quae sunt remedium subsidiarium. Hinc Decanus, qui procedebat cum praesupposito exclusivo necessitatis petendi licentiam, sustinuit, se Dignitates et Canonicos Capitulum convocantes, uti posse quacumque alia persona pro Capitularibus intimandis in casu, quo Cursores et Cancellarius recusarent suum Officium, ne, abstinentibus Cursoribus aliisque Ministris Curiae Episcopalis, a sui Officii praestatione ad rem gratam faciendam Vicario Capitulari, Vicarius per indirectum obtineret id, quod directe obtinere non poterat, quin etiam Decanus Dignitas seu Canonicus Capitulo praesidens teneretur certiorem reddere Vicarium Capitularem absentem de resolutionibus in Capitulo captis. Nam aderat observantia non participandi Vicario Capitulari resolutiones, quam asserebat in Cathedrali Melevitana vigere.

18. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An Decanus Cathedralis Ecclesiae, ad quem spectat convocare Capitulum, teneatur, Sede Episcopali vacante, petere licentiam a Vicario Capitulari pro convocandis Capitularibus in casu etc. II. An, ipso Decano absente renuente aut alias quomodolibet impedito, facultas convocandi Capitulum devolvatur ad successivas Dignitates et Canonicos gradatim, exclusis eorum Coadiutoribus in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An Vicarius Capitularis possit procedere ad censuras contra Decanum Dignitates et Canonicos convocantes Capitulum sine licentia in ca-

su etc. IV. An Decanus Dignitates et Canonici convocantes Capitulum uti valeant quacumque persona pro intimandis Capitularibus nec non quocumque Notario casu, quo Cursores et Cancellarius eorum Officium praestare recusent in casu etc. V. An Dignitas seu Canonicus Capitulo praesidens teneatur certiorem reddere Vicarium Capitularem absentem de resolutionibus capitularibus; *Et quatenus Affirmative*, quibus remediis procedi possit contra recusantem in casu etc. –; Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative quoad primam partem; et quoad secundam, habebitur ratio in casibus particularibus, visis literis coadiutoriarum. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Negative – *in Melevitana Iurisdictionis die 18 Septembris 1723.*

19. Cum itaque Ordinarius antiquum statutum synodale consuetudinem ac testimonium ipsum Canonicorum, quibus necessitas petendi licentiam ab eodem ante Capituli convocationem ostendebatur, proferret; et prima Capituli Dignitas quamvis nullum documentum exhiberet, de facto tamen proprio testaretur in re, quae assistentiam habebat iuris, Sacra Congregatio declaravit, convocari posse Capitulum absque licentia Ordinarii vel eius Vicarii Generalis, certiorato nihilominus praedicto Ordinario de qualibet capitulari convocatione, et salvis iuribus eiusdem ad formam sacrorum Canonum *in Rossanen. Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858.*

20. Iamvero Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Rossani cum nulla ferme scripta lege, sed usu ac traditione magis antea regeretur, ex mandato Sacrae Congregationis anni 1855 antiqua nonnulla Statuta ad vigentis disciplinae normam componere, nova conficere, et in unum corpus redigere curavit. Statuta sic digesta et scriptis edita, comitiis capitularibus pluries habitis ab singulis Canonicis examini supposita et communi suffragio communita fuere. Convenit tamen inter Canonicos, ut antequam ederentur et Metropolitanae regulam ac legem constituerent, Archiepiscopo approbanda deferrentur. Qui, ceteris fere omnibus articulis probatis, illum moderari censuit, qui inscribebatur sub numero 92 Cap. 19 ad ius convocandi Capitulum pertinens, hisce conceptus verbis: – Capitulum, ubi convocari continget, Archidiaconus, qui locum eminentiorem inter omnes obtinet, ex iure sibi specialiter debito, suo ipsius arbitratu convocabit, et eo impedito hoc ius devolvitur ad alias Dignitates, ab ipso tamen ad aliam proximiorem semper gradatim descendendo –; quem per haec verba reformavit: – Capitulum, ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo de Archiepiscopi vel illius Vicarii Generalis licentia, per schedulam ad triduum ad valvas sacristiae affixam, in qua tractanda sunt praenotentur, convocabit, pulsata de sero antecedenti campana –. Statuta ita recognita, in nonnullis correcta et approbata, Archiepiscopus ipse iterum curavit a Capitulo confirmari ac subscribi, ceu factum fuit ab omnibus, paucis exceptis Mansionariis ac duabus primis Dignitatibus, Archidiacono et Decano Metropolitanae Ecclesiae. Scilicet hi postremi, perpendentes, eorum ius laesum iri, ubi in convocatione Capituli necessaria foret licentia Archiepiscopi vel eius Vicarii Generalis, subscribere recusarunt, ac insimul contra formiter protestati sunt. Nihilominus protestationibus posthabitis, edictali lege lata Archiepiscopus statutorum corpus a se probatum et auctoritate sua munitum fuisse significavit, addita clausula: – sanantes auctoritate nobis quomodolibet permissa et competenti defectus omnes sive iuris sive facti, si qui in illis irrepserint –. Quamobrem ad Sacram Congregationem confugere e re sua duxit Archidiaconus Vincentius Lefosse nomine etiam Decani expostulans, ut ius, quod ipse uti prima Dignitas habebat convocandi Capitulum, libere et non impetrata venia Ordinarii exercere sibi ad normam iuris et consuetudinis Metropolitanae Ecclesiae liceret.

21. Archiepiscopus transmisit particulam excerptam a Synodo Diaecesana habita sub Archiepiscopo Lucio Sanseverino anno 1544 sub hisce verbis: – Capitulum ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo, de nostra vel Vicarii Generalis licentia convocabit, subscripta prius a nobis vel a Vicario nostro schedula, in qua ea, quae tractanda sunt in Capitulo, praenotentur, pulsata prius de sero campana –. Remisit praeterea Capituli, formiter in capitulari aula convocati, testimonium scriptis exaratum et subscriptum, quo id etiam

ex consuetudine inductum ostendebatur. Idipsum confirmabant testimonio suo plures antiquiores Canonici. E contra Archidiaconus sustinuit, ab immemorabili Archidiaconos convocasse Capitulum absque ulla Ordinarii licentia, quin obesset praefata Synodus Diaecesana anni 1594. Nam praeterquamquod dispositio illa, uti aliae plures, quae in dicta Synodo continebantur, utpote Capituli iuribus adversantes, nunquam receptae usu fuerant, accedebat, ex contraria consuetudine hanc antiquatam et abrogatam fuisse legem, ubi aliquando suis viribus constitisset. Nec meliori consilio captari poterat praesidium ab approbatione et subscriptione maioris partis Canonicorum statutariae huiusmodi dispositioni apposita. Primo enim perpendit, Capitulares subscriptores in manifestam incidisse contradictionem, quippe qui cum antea collegialiter et solemniter congregati, diligenti peracto examine, primaevam statutorum collectionem probaverint, in quibus liberum ac independens huiusmodi ius convocandi Capitulum in prima Dignitate et successive ac gradatim in aliis sancitum extiterat; deinde vero exemplar ab Archiepiscopo propositum, in quo contrarium quoad hunc articulum statuebatur, subscribere non dubitarunt. Sustinuit insuper, nec Capitulo nec Ordinario expoliare licere Beneficiatum iuribus, queis fruitur ex lege et consuetudine, et quorum in quasi possessione versatur. Advertit demum, subscriptiones huiusmodi singulatim, minime vero collegialiter, uti opus erat, peractas fuisse, quod quidem factitatum etiam asseruit in testimonio reddendo quoad consuetudinem convocandi Capitulum, cui nimirum extra collegialiter Canonici subscripserunt. Ex officio tamen monebatur, nullo id documento firmari, aliter imo, saltem quoad hunc alterum actum, rem se se habuisse patebat ex tenore voti Capitularis apud acta extantis. Archidiaconus vero contendit, testimonium Canonicorum ob timorem reverentialem fuisse subscriptum ex ipsius Archiepiscopi insinuatione; atque idcirco, utpote illegale ac suspectum, nullius momenti illud esse contendit.

22. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Archidiaconus Cathedralis Ecclesiae, ad quem spectat convocare Capitulum, teneatur petere licentiam ab Archiepiscopo vel eius Vicario Generali pro convocandis Capitularibus in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, certiorato tamen Archiepiscopo de qualibet Capitulari convocatione, et salvis iuribus Archiepiscopi ad formam sacrorum Canonum – *in Rossanen. Iuris convocandi Capitulum die 30 Ianuarii 1858.*

23. Nullum vero dubium, quod ius convocandi Capitulum pertineat ad Episcopum, si ipse praesens fuerit, atque aliquid Canonicis voluerit ad deliberandum proponere, vota exquirere et iuxta ea concludere, dummodo non agatur de suo vel suorum commodo privato *in Recanaten. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 181.*

24. Amplia, tum potest Episcopus propria auctoritate illud convocare etiam irrequisito eo, ad quem convocatio de iure spectare praetenditur *in Pharen. die 13 Novembris 1649 lib. 19 Decretorum pag. 4.*

25. Unde Episcopus debet habere in Capitulo primam sedem ac locum, quem ipse elegerit *in Oscen. lib. 3 Decretorum pag. 28.*

26. Quin imo ad arcenda iurgia et scandala, quae inter partes imminent, Episcopus inhibere potest capitulariter congregari usque ad designatum diem, quo se accessurum exhibet, ut omnia pacato animo fiant *in Lauretana Convocationis Capituli die 6 Februarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

27. Siquidem – iuxta Synodum Lauretanam sub titulo 20 de Capitulo et aliis Officialibus demandantem, Canonicos quolibet mense capitulariter congregari debere pro rebus Capituli peragendis, fuit illud convocatum 21 Iulii anni proxime praeteriti, absente tamen Primicerio et aliis Canonicis, qui, cum agnoverint resolutionem in eo captam, deputationis nempe duorum Canonicorum ad effectum prosequendi quamdam litem Capituli cum facultate exigendi a Syndico totam summam ab eis exposcendam, absque eo quod ullo unquam tempore tenerentur ad redditionem rationum etc., fuisse summopere gravantem et praeiudicialem, curarunt novam Capituli convocationem die 18 augusti ad moderandam facultatem ita illimitate concessam, expendendi scilicet absque obligatione reddendi rationem. Verum quia Episcopo innotuit, ut ipse ait in sua relatione, quod in dicto Capitulo

agi debebat de interesse tangente immunitatem ecclesiasticam, ut arcerentur iurgia et scandala, quae inter partes imminebant, inhibuit Canonicis capitulariter congregari usque ad diem 22 dicti mensis augusti, quo se accessurum exhibuit, ut omnia pacato animo fierent. Quapropter super praedictis exorta duplici quaestione, Sacra Congregatio supplicatur decernere: – An praeceptum Episcopi sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Lauretana Convocationis Capituli die 6 Februarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

28. Si vero Episcopus Canonicos non capitulariter, sed uti singulos ob id vocaverit, ut omnibus congregatis suum aperiat sensum, non tenentur nec possunt compelli accedere, etiamsi Episcopus intendat eis communicare res, ad utilitatem Ecclesiae vel morum correctionem vel aliquod scandalum vitandum pertinentes *in Sarzanen. die 4 Augusti 1668 lib. 26 Decretorum pag. 45 a tergo.*

29. Quin imo ius convocandi Capitulum alia de causa, quam quia Episcopus vult Canonicis aliquid ad deliberandum proponere, pertinet ad quos de iure spectabat ante Concilium *in Recanaten. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 181.*

30. Hinc ad ipsum Capitulum spectare illius convocationem respondit S. Congregatio, certiorato tamen Episcopo et exceptis iis Capitulis iam designatis pro certis diebus et horis *in Aprutina Iuris convocandi Capitulum die 31 Iulii et die 25 Augusti 1694 lib. 44 Decretorum.*

31. Idcirco Episcopus licet interesse possit Capitulo, non tamen votum habet *in Zaren. lib. 1 Decretorum pag. 69.*

32. Neque potest solus decidere et determinare negotia in Capitulo proposita, et ob varietatem votorum non resoluta *in Pharen. die 13 Novembris 1649 lib. 19 Decretorum pag. 4.*

33. Immo non potest Capitulo interesse nec ipse nec eius Vicarius, si de suo vel suorum commodo privato agendum sit *in Pharen. die 13 Novembris 1649 lib. 19 Decretorum pag. 4.*

Item *in Turritana die 14 Ianuarii 1651 lib. 19 Decretorum pag. 104.*

34. Unde Doctores tradunt, Episcopum convocare non posse Capitulum, nec eidem adesse, pro actibus capitularibus, qui spectant ad Capitulum uti Capitulum, seu de re ad suum commodum spectante, bene vero pro iis, quae ad suam dignitatem spectant, vel in quibus potest esse iudex *in Verulana die 11 Martii 1843* §. *In tertio* (1).

35. Nam S. Congregatio declaravit, posse quidem Episcopum aliquid Canonicis ad deliberandum proponere, vota exquirere, ac iuxta ea concludere ex Decreto Cap. 6 sess. 25 de reformatione, si nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, – in ceteris autem casibus, an Episcopus possit interesse Capitulo? ius commune immutatum manere – *in Vigilien. die 7 Iunii 1601.*

36. Idcirco ius convocandi Capitulum pro negotiis capitularibus competit Archidiacono et Canonicis ordine successivo etiam privative quoad Episcopum eiusque Vicarium Generalem; proposito enim dubio: – VII. An ius convocandi Capitulum pro negotiis capitularibus competat Archidiacono et Canonicis ut supra privative quoad Episcopum eiusque Vicarium Generalem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Affirmative – *in Camerinen. Praeeminentiarum die 7 Aprilis 1781.*

37. Unde ad primam Capituli Dignitatem, non vero ad Episcopum pertinere ius convocandi Capitulum tradunt Frances de Eccles. cathedr. cap. 25 n. 330, Piton. discept. eccles. 123 n. 3, et Rota in decis. 2174 n. 11 coram Coccino *in Tridentina die 17 Ianuarii 1761* §. *Decanus.*

38. Qua de re nequit Capitulum nuper erectum condere statutum, quo ius convocandi ac praesidendi Capitulum secundae tribuatur Dignitati, quin ipse Episcopus eidem praesidere valeat in casibus a iure reservatis *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum Capitularium die 9 Iunii 1855.*

39. Iamvero Praepositus Cathedralis Ecclesiae Basileensis seu Solodorensis uti prima Dignitas semper habitus est, qui Capitulum convocare eique praeesse assolebat. Anno vero 1835 Decanus Vock, vacante Praepositura, duabus sessionibus, se praeside, habitis, con-

(1) Ferrar. in verb. *Capitulum*, art. 1, n. 14; Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 73, n. 16; Fermosin. de reb. Eccles. tract. 3, quaest. 6, n. 11.

denda curavit Statuta, contra quae Canonici Solodorenses solemniter protestati sunt, cum non fuissent vocati. Episcopus retulit: – Decanus Vock in Statutis suis omnia Decano seu sibi vindicat. Sic dicit in prima parte Cap. 2 §. 6 et 7: « Decanus in Capitulo, exceptis negotiis oeconomicis, (quae, utpote fere nulla, Praeposito relinquere ipsi placet) dirigit. Hinc ad Decani officium pertinet, Capitulum, nisi de rebus oeconomicis sit agendum, convocare proponere et ex votis concludere curare, ut acta Capituli rite consignentur et expediantur, omnibus actis Decretis et Literis capitularibus subscribere, Canonicos installare et ad Capitulum recipere, acta et manuscripta Capituli Basileensis conservare, et eiusdem Capituli Archivium custodire ». Nec immerito conqueri poterit Praepositus, prima post Pontificalem Dignitas, qui Solodori ante Decanatus existentiam extitit, ac functiones praefatas exercuerat, ita ut omni iure, nisi in oeconomicis, spolietur, ut secundae Dignitati postponatur. Quod si Praepositus, cum non de oeconomicis rebus agitur, praesidere Capitulo non poterit, sed Decanus id facere deberet, quis id faciet absente Decano? Num senior Capituli? Et absente Seniore Subsenior, et sic porro. Ita Praepositus foret profecto postpositus, et prima Dignitas esset denique ultimus in Capitulo locus. Quaerere tandem licet, quo deveniret Episcopalis etiam auctoritas, si Decanus, nisi de rebus oeconomicis agetur, Capitulum convocet atque praesideat. « Episcopis (Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 6 de reformatione docet) ubique iis honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in Capitulo in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et iuxta ea concludant. Absente vero Episcopo, omnino hoc ab iis de Capitulo, ad quos hoc de iure vel consuetudine spectat, perficiatur ». Mirum sane videtur, quomodo redactor Statutorum hoc effatum Concilii Tridentini non ignoraverit, quod in Statutis citat, et nihilominus contendere potuerit, Decanum, exceptis negotiis oeconomicis, Capitulum convocare, et in Capitulo dirigere. Magis mirum, quod ille citans hunc Concilii Tridentini locum dicat: si autem de re ad Episcopi vel suorum commodum spectante sit in Capitulo proponendum et agendum, Decanus convocat Capitulum. Concilium Tridentinum pronuntiavit: « Absente Episcopo, ab iis de Capitulo, ad quos de iure vel consuetudine spectat »; consuetudo in Capitulo noviter erecto normam dare non potest, de iure documentum aliud non extat, quam Bulla Apostolica et Decretum executionis huius Bullae, quae Praeposituram dicunt primam, Decanatum vero secundam post Pontificalem Dignitatem. Exploratum porro est ex doctrina S. Rotae in Caesaraugustana de Caspe 4 martii 1644 coram Bichio ius convocandi Capitulum spectare ad eum, qui maior sit Dignitas in Capitulo –.

40. His mature perpensis, proposito dubio: – III. An Praepositus, vel Decano competat ius convocandi et dirigendi Capitulum, et an Episcopus possit, si velit, semper Capitulo praesidere? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative favore Praepositi; Episcopum vero semper posse Capitulo praesidere, exceptis casibus a iure reservatis – *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum Capitularium die 9 Iunii 1855.*

41. Hinc de iure ad digniorem spectat convocare Capitulum, proponere negotia decidenda, et suffragia Collegialium colligere, cum sit actus iurisdictionis, qui competit Praesidenti, etiam in sacris non constituto, ratione superioritatis *in Firmana Praeeminentiarum die 17 Septembris 1796* §. *Qua* (1).

42. Quum autem legitima consuetudine aut capitularibus statutis vel constitutionibus Synodalibus aliter introduci aut praefiniri potuit, idcirco horum potissimum habenda est ratio ac serio expendendum quid in Ecclesia sibi vindicet antiqua et constans observantia, quid Synodales constitutiones, quid demum capitularia Statuta praescribant *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Certum.*

43. Idcirco ius convocandi Capitulum Prae-

(1) Card. Petra in Constit. divi Leonis sect. 2, tom. I, n. 46; Barbos. in Biblioth. can. verb. *Capitulum*, n. 6.

posito et in eius absentia Camerario, ius illud aperiendi Digniori inter praesentes, ac ius recognoscendi scrutinia Digniori una cum Camerario competit, cum haec ex Constitutionibus capitularibus Synodis Diaecesanis et consuetudine satis constare videantur *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774.*

44. Iamvero Praepositus Ecclesiae Cathedralis Imolensis antiqua sua Dignitatis iura recuperaturus, quae a nonnullis annis amisisse querebatur, in capitularibus comitiis habitis die 27 septembris 1766 proposuit, quod sibi ad formam Constitutionum competeret ius convocandi Capitulum. Id autem ut audiverunt Canonici simul congregati decreverunt, quod deinceps non amplius vocaretur Capitulum, nisi per schedulam a Proposito subscriptam; et in eius absentia a Camerario. Verum hoc non obstante capitulari Decreto, Canonicus Camerarius ius convocandi Capitulum ad se privative pertinere contendit; eoque revera uti voluit in convocandis duabus vicibus comitiis anno 1768, et una vice anno 1769. Nam sustinuit, antiquissimam sibi favere consuetudinem, quam desumebat ex Synodo Diaecesana Imolensi anni 1693 sub Episcopo Zani, in qua tit. 3 cap. 2 de Canonicis et Dignitatibus Capituli n. 18 decernebatur, ut – Syndicus Capituli, quoties ratio negotiorum ad idem Capitulum pertinentium id exiget, debeat more solito indicere, seu intimare Congregationem per schedulam –. Hoc ipsum firmatum fuisse dixit anno 1697 ab Episcopo successore; idque confirmari affirmavit ex actibus Capitularibus praesertim anni 1563 1630 1674 1705 1707 1736. Quinimo animadvertit, anno 1705 absente Camerario, schedulam convocationis Capituli fuisse subsignatam a Praeposito, eamque ob rem excitatam fuisse in Capitulo gravem obmurmurationem, et Canonicum Thesaurarium reclamasse contra rei novitatem perturbantem iura Camerarii et consuetudinem antiquissimam. Hinc etiam sustinuit, convocationes aliquando factas a Praeposito, non proprio nomine et ex suae Dignitatis praerogativa, sed peculiari nomine Camerarii, atque instante ipso Camerario fuisse expletas. Consuetudinem probare etiam putavit ex iurata depositione omnium fere praestantioris nominis Canonicorum, quin obsesent testimonia trium Canonicorum oppositum testantium, cum duo ex illis anno 1766 et 1767 in Canonicorum coetum cooptati fuerint, alter vero unicus erat et singularis; ac proinde ad consuetudinem probandam inhaerendum erat depositionibus Canonicorum antiquiorum. Eodem hinc argumento usus est ex consuetudine desumpto ad probandum, Camerario ius esse aperiendi Capitulum et proponendi negotia. De hoc primum constare dixit ex Constitutionibus capitularibus Cap. 12 de modo eligendi Camerarium, ubi expresse legebatur: - Nec in ipsa Congregatione audeat quisquam proponere aliquid, nisi Camerarius sive Syndicus, vel qui ab eo proponendi licentiam habuerit –. Idque etiam constare addidit ex codicibus ipsis et ex actis Capitularibus, ex quibus eruebatur, Praepositos, dum Camerarii munere fungebantur, expresse declarasse, se tamquam Camerarios, non tamquam Praepositos, Capitulum aperire et negocia proponere, quin obstaret, quod Praepositura esset Dignitas, cum qualitas et iura Dignitatum a cuiusque Ecclesiae moribus et consuetudine sit desumenda. Nec refragari censuit caput quintum Constitutionum capitularium: nam in iisdem Constitutionibus reservata fuerat Capitulo potestas addendi tollendi atque declarandi singulas Constitutionum partes; ac centenaria observantia optima censeri debebat Constitutionum interpres. Subdidit insuper, in dicto Capite literalem haberi cumulativam et Syndicum in illis dictionibus *seu* et *vel*, quae ibidem habebantur, tum etiam in illis verbis, quae statim sequebantur: – Per manum Praepositi factam, vel Camerarii, absente Praeposito –, nempe – aut de commissione alterius eorum –; nec ullam haberi posse rationem de resolutione Capituli anni 1766, quam irritam esse sustinuit, quia contra Constitutiones capitulares et Synodales prodierat, cum absque praeambulo convocationis schedula et secretis suffragiis expleta fuerit. Idcirco Canonici nec potuerunt nec voluerunt spoliare Camerarium de suis iuribus. Exin observavit, intrinsecum Scrutatoris officium in his tribus consistere, nempe secrete scrutari vota eligentium, eaque in scriptis redigere, et sic redacta publicare; tria haec individua esse, et ex iure canonico et ex consuetudine Ecclesiae Imo-

lensis; atque idcirco perperam Praepositum velle postremum actum sibi vindicare, duos vero Priores non denegare Camerario, cum praesertim ex observantia ille ad Camerarium pertineret.

45. Contra Praepositus defendit, sibi uti maiori Dignitati competere ius convocandi Capitulum, cum praesertim id ex capitularibus Constitutionibus decerneretur, ubi in capite quinto legebatur, quod Canonici – congregari et convocari debeant per alterum Sacristam ac secundum commissionem et arbitrium Domini Praepositi seu Camerarii dicti Capituli vel alterius eorum –, et per cedulam – per manum Praepositi factam vel Camerarii, absente Praeposito, aut de commissione alterius eorum –. Ex his collegit, Camerarium, subsidiarie tantum et absente Praeposito, facultatem habere convocandi Capitulum. Idipsum erui dixit ex illis dictionibus, – iuxta arbitrium D. Praepositi seu Camerarii vel alterius eorum –. Sustinuit enim, dictionem illam *seu* non esse alternativam praeventionis, sed ordinis. Nec obesse contendit, quod in Cap. 12 decerneretur: – Syndicum convocare et congregare seu convocari facere posse quandocumque videbitur Canonicos ad Capitulum –. Disputavit enim, praepostere ibidem scriptum fuisse de Syndico, quia peculiariter agebatur de Camerario eiusque electione et munere, cuius pars erat convocare Capitulum in subsidium Praepositi. Advertit insuper, id minime officere iuribus eiusdem Praepositi, qui ob suam praecellentem Dignitatem maior erat et superior. Provocavit inde ad Constitutiones Synodales Imolenses, quae vim legis habebant in Diaecesi, quaeque in Synodo anni 1720 curam convocandi Capitulum committebant Praeposito, et in Synodo anni 1766 – primum Praeposito et Camerario, ut moris est –, quin obstaret Synodus anni 1693, in qua ius convocandi Capitulum tribui indiscriminatim videbatur Camerario: nam, ob multas ea de re ortas in Capitulo dissensiones, Episcopus successor anno 1697 praecepit Capitulo, ut modum et formam statueret peragendi Congregationes capitulares; Capitulum autem modum constituit in capite quinto Constitutionum, quod Proposito expresse favebat. His accedebat resolutio capitularis anni 1766: nec obstabat, quod capta fuisset sine suffragiis secretis, tum quia ius Praepositi erat evidens et contrarius abusus non erat, nisi mera Constitutionum transgressio, tum quia illa resolutio nil aliud continebat, quam quod praescripserat Synodus anno 1766, cui contradicere Capitulum amplius non poterat, tum demum quia, cum non ageretur de re aliqua, quae comprehenderetur sub dispositione Cap. *Quia propter* de electione, praedicta Constitutio irritum non poterat reddere quidquam viva voce fuit á Canonicis statutum. Hinc anno 1771, ipso absente Praeposito, per secreta suffragia aperte declaratum fuit, quod deinceps denegari amplius non posset Praeposito ius convocandi Capitulum, ac manutenendus esset in pacifica possessione ad formam Constitutionum. Perperam itaque opponi dixit contrariam consuetudinem, cum Canonici in suo primo ingressu Sacramento se obstringerent ad Constitutionum observantiam, atque idcirco nullam contrariam consuetudinem initium legitime habere potuisse, eamque interruptam fuisse per Diaecesanas Synodos annorum 1720 1738 et 1766. Quin imo contendit, praetensam consuetudinem prorsus evanescere ex libris Capitularibus temporum praesertim remotiorum, ex quibus constare asserebat, Praepositum convocasse Capitulum et schedulas sua manu firmatas transmisisse. Subdidit, deficere consuetudinem immemorabilem vel quadragenariam cum titulo favore Camerarii ex libris capitularibus et Synodis annorum 1720 1738 et 1766; adeoque praetensa consuetudo iuri et constitutionibus derogare non poterat. Iisdemque rationibus ius competere asseruit Praeposito aperiendi Capitularia comitia: nam aperitio Capituli consistebat in invocatione Spiritus Sancti, quemadmodum in gratiarum actione consistebat finis. Hanc autem ad Praepositum pertinere sustinuit, tum quia ipse Capitulo tamquam dignior praeerat, tum quia ius hoc nunquam fuerat ab Adversariis in controversiam adductum, tum denique quia ita semper observatum fuerat, ut Testes de proprio visu deponebant, et ex actis capitularibus resultabat. Hinc et ius recognoscendi scrutinia Praeposito conveniebat, cum esset dignior, et ex actis capitularibus haberetur, huiusmodi recognitiones expletas semper fuisse a primo in ordine et praecipue a Praeposito, quin Camera-

rii, licet praesentes, unquam contradixerint, uti de viso factoque proprio deponebant tres Canonici, qui, cum adhaererent Adversariis in huiusmodi lite, in suspicionem adduci non poterant.

46. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et cui competat ius convocandi Capitulum illudque aperiendi in casu etc. –, II. An et cui competat ius recognoscendi scrutinia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, ius convocandi Capitulum competere Praeposito, et in eius absentia Camerario; ius vero aperiendi Capitulum competere Digniori inter praesentes, et amplius. Ad secundum, competere digniori una cum Camerario et amplius – *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774.*

47. Hinc multo magis Praeposito primae Dignitati competit ius convocandi Capitulum, quin illud convocari per alium valeat, nisi is absit a loco residentiae, eidemque ius proponendi negotia, facta tamen aliis Canonicis potestate proponendi materias decidendas in Capitulo per ordinem antianitatis, nec non ius colligendi suffragia, quatenus eorum numeratio coram ipso sit facienda, si haec praeter ius etiam ex Constitutionibus capitularibus et consuetudine expresse statuantur *in Firmana Praeeminentiarum die 26 Novembris 1796.*

48. Siquidem Parochialis olim Ecclesia S. Bartholomaei Murrivallium erecta fuit anno 1586 in Collegiatam Canonicorum octo trium Mansionariorum et Praepositi, qui – inibi Dignitas principalis et ceterorum caput existeret. Non primum vero, quam anno 1767 conditae fuerunt capitulares Constitutiones, quibus auctoritas accessit cl. me. Card. Paracciani tum Firmani Archiepiscopi; ac prae ceteris statutum fuit, – ut congregentur Capitula ad sonum campanae turris post Completorium, et in Sacrario nostrae Ecclesiae de mandato et licentia Praepositi, sive in eius absentia Canonici senioris; qui Praepositus vel Canonicus nunquam praedictum mandatum et licentiam possit denegare; quoties a Canonico Camerario seu quolibet alio Canonico requisitus fuerit –. Statutum pariter fuit, ut – conficiatur buxolum consultorum, ex quo per Praepositum, sive in eius absentia per Canonicum seniorem extrahatur una schedula, et sorte extractus consulat super singulis propositionibus in Capitulo habendis, prout sibi melius et rectius visum fuerit; et consultationes singulae sive per secreta suffragia, sive omnium consensu, erunt approbandae –. Praepositi iura, quae sarta tectaque semper servata fuerant, exin die 27 maii 1796 turbata sunt.

49. Firmanus Archiepiscopus in sua informatione dixit: – Nulli dubium est, quin Praeposito Collegiatae Ecclesiae Murrivallium primae et uni Dignitati ius competat convocandi Capitulum. Hoc ius nedum congruit Ecclesiae sanctionibus, sed peculiares quoque ipsius Ecclesiae Constitutiones id ei aperte attribuunt –. Retulit etiam Archiepiscopus, haud impugnare Canonicos ius illud Praeposito, sed id contendere, ut, eo absente a Sacrario, liceret seniori Canonico indicere Capitulum. Hoc vero improbavit et necessarium arbitratus est, ut Praepositus – absit quoque a loco residentiae ac ita absit, ut ex una negotium proponendum sit urgens, dilationemque minime patiatur, et ex altera spes non adsit, ut brevi sit rediturus. Hoc, praeter ius canonicum, eiusdem Collegiatae praxis confirmat, de qua testantur duo Seniores. Qui enim est praesens in Civitate, non dicitur abesse ab Ecclesia, ut in terminis respondit Rota post Scarfantonium decis. 26 tom. 1 –. Aeque Praeposito non impugnari affirmavit ius proponendi negotia in Capitulo, sed hoc sibi Canonicos contentiosos tribuere, ut post illum liceret singulis aliis proponere quidquid voluerint, et in id etiam eorum postulato adversabatur. – Si enim (sunt eius verba) Praeposito tribuunt ius proponendi, sequitur, ut ceteri excludantur, ne ius ipsum intervertatur, et plura capita in eodem corpore vigeant. Potest sane iisdem Canonicis ius esse, vel post proposita ad deliberandum a prima Dignitate terminum petere, ut consultius respondeant, vel suam quemque dicere ex ordine sententiam, vel demum instare, ut proponatur, si quid omissum fuerit a Praeposito, vel si quid utiliter proponendum praeterea censeant. At ut ipsi iidem proponere utcumque valeant, hoc minime fas esse videtur, quemadmodum constat etiam ex ipsius Collegiatae praxi, cui consonant Ecclesiae Statuta –. Neque prodesse censuit Archiepisco-

pus contentiosis Canonicis, quod res foret de agenda contra Praepositum ipsum lite. Quandoquidem ex hoc – nil aliud consequitur, quam ut Praepositus exeat quidem a Capitulo, dum res deliberatur, sed nihilominus ipse proponat –. Scarfantonius autem in lucubr. can. lib. 4 tit. 4 n. 54 ius tribuit Canonicis alia post eum proponendi negotia: sed universa fere Canonistarum schola primae tribuit Dignitati privativam proponendi negotia in Capitulo, ac prae ceteris Nicolius lucubr. can. lib. 1 tit. 4 de aetat. et qualit. n. 7 limit. 3, Monacellius tom. 1 form. 4 n. 24, Card. Petra in Constit. 1 divi Leonis sect. 2 n. 46 tom. 1, Garcias de Benef. part. 3 cap. 4 n. 26. Hinc Praepositus privativam alteram colligendi suffragia comprobavit ex Textu in Cap. 1 de maioritate et obedientia, Engel. in ius can. lib. 3 tit. 1 n. 1.

50. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – II. An eidem Praeposito spectet ius convocandi Capitulum in casu etc. III. An, absente vel renuente Praeposito, liceat convocare Capitulum de licentia Canonici senioris praesentis in casu etc. IV. An et quomodo singulis Canonicis post Praepositum ius spectet proponendi materias decidendas in Capitulo in casu etc. V. An et cui competat ius colligendi suffragia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative renuente vel absente Praeposito a loco residentiae. Ad quartum, Affirmative per ordinem antianitatis. Ad quintum, Affirmative favore Praepositi iuxta modum, nempe quoad enumerationem suffragiorum coram ipso faciendam; et quoad omnia dubia, amplius – *in Firmana Praeeminentiarum die 26 Novembris 1796.*

51. Unde si neque ex fundatione neque ex Constitutionibus capitularibus vel Synodalibus neque ex consuetudine ius convocandi Capitulum ullo modo ac ullo tempore Canonicis competit, ne dubium quidem, quin huiusmodi ius ad primam Capituli Dignitatem spectet; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Priori Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Civitatis Firmi competat ius perpetuum convocandi Capitulum, seu potius ius idem repartiri annuatim debeat in singulos Canonicos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum dilata; et praefigatur terminus Priori ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione – *in Firmana die 8 Iunii 1782.*

52. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Firmana die 6 Septembris 1783.*

53. Non pugnat vero, ut alteri quam Dignitati ius sit indicendi Capitulum, ceu evincunt Constitutiones plurium Ecclesiarum atque etiam Collegiatarum Urbis *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Denique.*

Item *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855* §. *Quoad secundum.*

54. Idcirco si consuetudo dudum invaluit, ut inferior hoc iure potiatur, custodienda est *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Denique.*

Item *in Regien. Praeeminentiarum et unionis die 22 Septembris 1855* §. *Quoad secundum.*

55. Siquidem in Ecclesia S. Bartholomaei aderat Canonicorum Collegium et Abbas prima totius Capituli Dignitas. Etenim ipsum caput esse Capituli, ceteros omnes stallo praecedere et peculiaribus signis et praeeminentiis reliquos Canonicos antecellere, imo cunctos eidem parere in chorali disciplina, adeo certum, ut in discrimen revocari nequiret. Qua de re capitularia comitia convocanda esse contendit a praedicto Abbate, non vero a Procuratore Capituli, qui inferior erat et Canonicorum minister. Contra Canonicorum Defensor, etiamsi fateretur, ex iuris communis dispositione ius convocandi Capitulum spectare ad Superiorem aut Capituli Dignitatem, attamen hoc iure minime Abbatem S. Bartholomaei praeditum esse censuit. In primis enim ipse nec Superior nec Dignitas, sed potius Capituli Vicarius ac minister vocari debebat. Dein animadvertit, non Abbatem, sed Capituli Procuratorem et in subsidium Canonicorum seniorem a tempore, quod hominum vincebat memoriam, convocasse capitularia comitia, et Capitulo expendenda negotia proposuisse, quin alienum esset, ut ei ius hoc competere posset etiam vi Constitutionum capitularium. Consuetudo igitur, quae in Collegiata S. Bartholomaei dudum invaluit, ut

Procurator Capituli, potiusquam Abbas, convocaret Capitulum, custodienda erat, cum in dirimendis praeeminentiarum quaestionibus Sacra Congregatio annosae consuetudini plurimum deferre soleat.

56. His utrinque perpensis, proposito dubio: – VI. An et ad quem spectet ius convocandi Capitulum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, Affirmative ad Procuratorem Capituli; et amplius – *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830.*

57. Cum itaque Ecclesia Collegiata S. Iacobi constaret Priore animarum curam adnexam habente et undecim Canonicis, cumque iuxta Constitutionem Synodalem ad praefatum Priorem spectaret ius convocandi Capitulum, proposito dubio: – VII. An convocatio Capituli spectet ad Priorem iuxta Constitutionem Synodalem anni 1728? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad septimum, Affirmative – *in Tolentina Servitii chori et Missae Conventualis die 26 Maii 1739.*

58. Hinc Sacra Congregatio declaravit, ius convocandi Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. M. Maioris Bononiae pro tractandis negociis ad bonum eiusdem Ecclesiae regimen spectantibus competere Priori praefatae Ecclesiae *in Bononien. Prioratus die 16 Ianuarii 1683 lib. 33 Decretorum pag. 12.*

59. Declaravit insuper Sacra Congregatio, ius interessendi Capitulo competere omnibus habentibus vocem in eo *in Bononien. Prioratus die 16 Ianuarii 1683 lib. 33 Decretorum pag. 12.*

60. In Cathedrali autem Lunen. Sarzanen. ratione Dignitatis et Statutorum Ecclesiae ius convocandi Capitulum spectat ad Archidiaconum *in Lunen. Sarzanen. die 12 Martii 1695 lib. 45 Decretorum.*

61. Luculentum hinc est, convocationem Capituli fieri ab eo omnino necessum esse, qui ius convocandi habet, prout notat Tuscus in concl. pract. t. 8 litt. V concl. 257 p. 1 *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Porro.*

62. Alias enim nedum nullum est Capitulum, sed et constat de attentatis commissis, si illud convocaverit, qui potestatem non habebat, non obstante protestatione seniorum Canonicorum, nec non inhibitione eius, qui iure convocationis potiebatur, ex eo praesertim quod iam contentio remissa esset ad Sacram Congregationem super iure convocandi Capitulum materias decidendas proponendi ac suffragia colligendi *in Firmana Praeeminentiarum die 26 Novembris 1796* (1).

63. Qui vero iure pollet convocandi Capitulum potest illud convocare etiam absens a choro, sed praesens in Civitate *in Senen. Iuris convocandi Capitulum die 22 Iunii 1688 lib. 36 Decretorum pag. 262 a tergo.*

64. At nullum ac irritum est Capitulum et resolutio Capituli nomine facta, nisi legitime convocatum et congregatum fuerit *in Nicien. Decretorum die 29 Februarii 1744* §. *At longe.*

Item *in Capuana die 15 Iulii 1829* §. *Postremo; in Triventina Collationis et Praecedentiae die 18 Augusti 1860* §. *Intrinsecis.*

65. Nam sic necessaria est praevia Capituli intimatio, ut alias nulla censeatur ac sit resolutio absque ulla praevia intimatione capta; his enim in terminis proposito dubio: – VIII. An sustineatur resolutio de ineundis comitiis capitularibus singulis secundis Dominicis cuiuslibet mensis absque ulla praevia intimatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad octavum, Negative – *in Camerinen. Praeeminentiarum die 7 Aprilis 1781.*

66. Compertum hinc est, moneri praesentes per diem ante oportere de die hora et loco *in Balneoregien. Electionis Alumni die 26 Augusti 1769* §. *Si quae* (2).

67. Unde intimatio Capituli fieri debet ante iuxta morem praesertim inductum; secus enim actum esset de praevidenti sapientia legum, et fraudibus via sterneretur, cum sagaciores tempus aucupari possent, quo aliqui abessent, ut sibi indulgerent *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Neque.*

68. Qua vero ratione Canonici sint collegialiter convocandi, nihil in iure statutum invenitur; proindeque hac in re cuiuscumque

(1) Resolutionem dubii huius habes in Verb. *Attentata*, n. 141 ad 144, Tom. II.

(2) Gloss. in Cap. *Si de Capitulo* de concess. Praeben.; Calderin. cons. 2 et 3 de Constit.; Ceccoper. lib. 4, tit. 1, n. 28; Scarfant. lib. 4, tit. 1, n. 24; Card. Petra comment. ad Constit. 1 S. Leonis Magni, sect. 2, n. 44, tom I.

Capituli lex aut consuetudo est servanda *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Qua.*

69. Alibi enim fit convocatio per sonum campanae, alibi per literas, alibi etiam viva voce *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Qua* (1).

70. Idcirco consuetudo omnino tenenda atque servanda praesertim cum in convocatione Capituli nihil innovari expediat, ne quis ipsius Capituli legitimus insurgat impugnator, quemadmodum animadvertit Card. Petra in Const. 1 Leonis Magni sect. 2 n. 45, et Passerinius in Cap. 10 de elect. n. 49 *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Qua.*

71. Qua de re convocatio Capituli facienda est per nuncium ad formam Constitutionum, qui tamen singulis Capitularibus pridie exhibere debet schedam sive scriptam sive impressam cum indicatione diei et horae tantum ac de executione docere tenetur Secretarium *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829.*

72. Nam Sacra Congregatio declaravit, eum, ad quem spectat Capituli convocatio, non teneri ad rem in ipsa convocatione significandam, quia nimirum Capitularibus inducias ad deliberandum denegare non licet *in Lunen. Sarzanen. die 12 Martii 1655.*

Item *in Balneoregien. Electionis Alumni die 26 Augusti 1769* §. *Si quae; in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Neque.*

73. Hinc et Sacra Rota in Avenionen. Convocationis Capituli die 17 Maii 1752 coram Bussio statuit, Canonicos Capituli convocationem cupientes minime obstrictos esse negotia in comitiis extraordinariis proponenda palam facere ei, qui ius habet indicendi Capitulum illique praesidendi *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Neque.*

74. Enimvero Senogalliensis Cathedralis Ecclesiae Capitulum duplici constabat Canonicorum Collegio. Qui antiquioris fundationis obtinebant Praebendas, Canonici seniores appellabantur; ceteri ab eorum institutore Canonici Lucatelli nuncupabantur. Utrumque Collegium peculiari instructum erat communi mensa, et unumquodque seorsim sua gerebat negotia: sed quae universum spectabant Capitulum, communi expediebantur consilio. Quae autem leges sancitae erant pro convocatione generalis Capituli, eaedem servari debebant in peculiaribus utriusque Collegii cogendis comitiis. Porro capite 20 capitularium Constitutionum, ubi agebatur de congregando Capitulo, haec edicebantur: – Intimatio fieri semper debet pridie, pro certa die et hora, omnibus et singulis Capitularibus in Civitate degentibus vel eius suburbiis per aliquem ex inservientibus Cathedrali, qui suo munere exequuto teneatur id Capituli Secretario referre, ut appareat certa fides intimationis opportuno tempore factae –. Exinde mos iamdiu invaluit, ut Canonicorum comitia ab Archipresbitero ceu Capituli praeside per nuncium oretenus indicerentur. Attamen cum ex huiusmodi consuetudine iurgia et incommoda scatere Canonici Lucatelli intelligerent, in comitiis habitis die 5 februarii 1828 cunctis suffragiis decrevere, ut eiusmodi nuncio in posterum sufficerentur schedulae signo obductae, ex quibus quid deliberandum, quid expendendum innotescerent. Nihilominus Archipresbiter die 17 martii nova per nuncium, ut iampridem usus fuerat, comitia advocare non dubitavit, quibus (licet Capitulum decem constaret Canonicis) sex tantummodo interfuerunt. Nam Canonicus Discepoli, ut sacri Concionatoris munere in Basilica S. Laurentii in Damaso fungeretur, immorabatur in Urbe, alter aegrotabat, reliqui duo parvi pendentes Archipresbiteri agendi rationem, paulo ante improbatam, adire renuerunt. Canonicus Marangoni alter ex illis, qui ultro convenerant, ratus, Constitutionem novissime conditam sacris canonibus adversari, omnem dedit operam, ut, ea de medio sublata, consuetudo convocandi Capitula per nuncium, quae iamdiu viguerat, exinde revivisceret. Res, ut ipse expetierat, contigit: nam omnes, qui aderant, eius iudicio acquiescentes, sine urnae periculo initum consilium propria manu firmarunt. At Canonicus Discepoli Senogalliam

(1) Pignatell. consult. can. 43, n. 1; Gonzalez in Cap. unico de Syndico, n. 9; Card. Petra ad Const. 1 Leonis Magni, sect. 2, n. 44, tom. 1.

reversus statim Constitutionem mensis februarii acriter propugnavit, ac tertio hac super re Capitulum convocare Archipresbitero suasit. Itaque stata die Canonici cum convenissent, in contrarias abierunt sententias, et Archipresbiter exortam quaestionem studio partium tunc dirimi posse desperans, satius duxit ea die comitia dissolvere. Cum igitur res adhuc sub iudice maneret, Canonicus Discepoli per Sacram Congregationem eam definiri postulavit.

75. Emus Episcopus censuit: – Optimo sane consilio iamdudum consuetudo inolevit, ut comitia tam civilia, quam ecclesiastica per schedulas eorumdem obiectum exprimentia cogerentur. Optimo aiebam consilio: ne videlicet suffragium in eis laturi quasi caeco impetu et absque negociorum tractandorum praevio maturo examine ad comitia ipsa adventarent –. Unde conclusit: – Ego autem opinarer, rationi magis consonum esse, ut Capitulares per schedulas potius, quam per nuncium ad Capitulum invitarentur, uti ab initio innuebam –. Itaque Canonicus Discepoli in primis animadvertit, verba capitularium Constitutionum Decreto capitulari diei 5 februarii minime esse adversa; nam subdidit Emus Episcopus: - particula illa Constitutionum commodam accipit interpretationem, quin captam die 5 februarii deliberationem destruat, scilicet agi inibi non de mandato cogendi comitia, sed de persona oneranda pro Canonicis ad ea invitandis –. Dein etiamsi obsisterent Constitutiones capitulares ipsaque Senogalliensis Ecclesiae consuetudo, attamen custodienda foret resolutio diei 5 februarii: facultate siquidem pollebat Capitulum veterem abrogandi legem, novamque edicendi sanctionem; imo in praesenti casu novam Canonici praecipere tenebantur formam indicendi comitia, ut, qui iam irrepserant, averterentur abusus. Et sane ex inducta ratione convocandi Capitulum plura in rerum Capitularium administrationem et Ecclesiae regimen redundasse incommoda affirmavit. Accidit enim saepe numero, ut Nuncius retulerit quidem, se Capitulares admonuisse, revera tamen non accersierit. Si quis autem adfuisset, is quasi caeco impetu reique prorsus nescius suffragium ferebat. Archipresbiter cum illos Canonicos tantummodo collectos animadvertisset, quos sibi favere putaret, tunc occasione capta, rem, cuius vel maxime intererat, discutiendam proponebat: secus negotiis maioris momenti consulto praetermissis, de levioribus cum ipsis sermonem instituebat. Hinc saepe saepius factum est, ut quod uni Archipresbitero placitum, id capitulari lege sanciretur. Neque Decreto 5 februarii officere censuit resolutionem Sacrae Congregationis in Lunen. Sarzanen. die 12 martii 1655, cum ea non reprobaret legem aut consuetudinem, qua convocator Capituli schedulam mittere, et in illa res pertractandas describere compellatur, sed tantummodo declarat, quid ex iuris communis censura sit sentiendum. Archipresbiter et qui ipsi adhaerebant contenderunt, iure meritoque in comitiis habitis die 17 martii abrogata fuisse, quae die 5 februarii statuta fuerant, relate ad modum convocandi Capitula. Si enim per inservientem ex censura capitularium Constitutionum ad ea Canonici vocandi erant, manifestum scatebat, per nuncium, non autem per schedulas comitia esse indicenda, ex eo praesertim quod adamussim id confirmabat consuetudo, quae in dubiis optimam exhibet legum interpretationem. Nec dubium, quod inesset Capitulo facultas propria Decreta immutandi declarandi revocandi, dummodo in his eadem, quae in anteactis Decretis, solemnitas intercederet. At tam in Capitulo 5 februarii, quam in alio 17 martii eaedem adhibitae fuerunt solemnitates, quandoquidem ad utrumque per nuncium Canonici vocati fuerant, et cunctis suffragiis constituta revocaverant, quin obstaret, quod quatuor Canonici defuissent, unus enim longe aberat, alter aegrotabat, et reliqui duo, cum vocati adire noluerint, veluti praesentes habebantur.

76. His utrinque perpensis, proposito dudio: – An convocatio Capituli fieri debeat per nuncium, seu potius per schedulas, quae res pertractandas exhibeant in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative per nuncium ad formam Constitutionum, qui tamen singulis Capitularibus pridie exhibeat schedam sive scriptam sive impressam cum indicatione diei et horae tantum, ac de executione docere teneatur Secretarium – *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829.*

77. Unde neque Canonici instantes pro con-

vocatione Capituli tenentur praeventive denunciare ei, qui ius habet illud convocandi, negotia in eodem Capitulo tractanda; his enim in terminis proposito dubio: - IX. An Canonici instantes pro convocatione Capituli teneantur praeventive denunciare Archidiacono negocia in eodem Capitulo tractanda in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad nonum, Negative - *in Camerinen. Praeeminentiarum die 7 Aprilis 1781.*

78. Omnes vero Capitulares convocari debent; notissimum enim in iure est, nullum declarari Collegium, quoties praetermissum sit vel unum congruo tempore admonere Vocalem, qui ius habeat suffragium ferendi; aliter recessio Vocalium non renunciatio proprio iuri, sed vis illata ac spolium dicenda foret, ut ad rem Rota in Compostellana Aperitionis oris 19 novembris 1703 coram Molin. *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Secundo.*

79. Hinc resolutio capta nulla est ex defectu consensus omnium interesse habentium, ceu perpendit Rota in Urbanien. Canonicatus 20 iunii 1698 coram Pio, et in Eugubina Canonicatus 4 maii 1699 coram Lancetta *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Secundo.*

80. Idcirco, cum nulla subsit causa, Sacra Congregatio non permittit derogationem Constitutionibus capitularibus, ut comitiis minor numerus Canonicorum interesse possit *in Auximana Servitii chori die 14 Aprilis 1804.*

81. Siquidem erant olim in Cathedrali Auximana duodecim Canonici, quibus ex posterioribus institutionibus alii octo additi fuerunt. Quum autem ex Constitutionibus Capituli octo ex Canonicis intervenire deberent Congregationibus capitularibus, ut ratae essent susceptae deliberationes, Canonici postularunt, ut sibi liceret in posterum easdem Congregationes convocare cum interventu sex Canonicorum. Episcopus censuit, - esse retinendum numerum statutum octo Canonicorum ad rite hoc habendum. Conventus Capitularis differri licet semper ad tempus opportunius. Si forent sex facillime inter se conspirati negocia conficerent contra aliorum voluntatem -. Hinc nulla subesse videbatur causa, ut Emus Episcopus observabat, cur Constitutionibus esset derogandum. Nam comitia haberi poterant quocumque die, qui opportunior esset Canonicis, ut iisdem constitutus numerus interesset. Periculosum imo erat, negocia Capituli paucorum arbitrio committere. Proposito itaque dubio: - II. An sit permittenda convocatio comitiorum capitularium cum interventu sex tantum Canonicorum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Negative - *in Auximana Servitii chori die 14 Aprilis 1804.*

82. Quum autem Capitulum nullum ac irritum censeretur ex defectu convocationis, legitimae intimationis faciendae singulis Canonicis, nec non legitimi Canonicorum numeri per legem synodalem designati, sed ab Episcopo forte derogatam, Sacra Congregatio mandavit, ut exquireretur ab eodem Episcopo accuratior informatio *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853.*

83. Enimvero in Collegiata Ecclesia Oppidi Canini vacavit die 25 Iunii 1850 Beneficium Canonicale, cuius nominatio de iure spectabat ad Canonicos eiusdem Collegiatae. Quapropter indicto Capitulo per suetam edictorum affixionem concursus, tres nomina sua dederunt, scilicet Christophorus Sereni sacerdos, Antiochus Rossi, ac Raymundus Catena. Ad diem 20 augusti anni praedicti Canonicus Decanus Aloisius Cencioni, vacante Archipresbiteratu prima Dignitate, Capitulum convocavit, ad quod omnes, qui sex numero erant, Canonici convenerunt. In eo actum est primum de Sacerdote Serenio, quem per secreta suffragia repudiarunt: quoad alios vero, qui nondum erant clericali tonsura initiati, propositum est suspendere actum, ut eos Episcopus idoneos redderet. Item Canonicis convenientibus ad diem 3 septembris consilium captum est: nam cum iterum convenissent, ut praefatus actus capitularis clauderetur, unanimiter statuerunt, rem ad diem sabbati 7 septembris remittere pro maiori absentium commodo. Verum antequam sabbatum adveniret, Canonicus a Secretis Capituli sponte sua Episcopum rogare existimavit, ut, quocumque numero adessent Canonici, facultatem ipsis faceret Capitulum celebrandi. Officialis Episcopi de eius mandato rescripsit, posse Capitulum in eo casu opinionem sequi, quam

in lib. 5 Decretalium Cap. Cum *ex iniuncto* de novi operis nunciatione §. 49 tradit Fagnanus his verbis: – Si est aliquis, ad quem spectet congregatio Universitatis, tunc si ad mandatum illius non veniant omnes, possunt venientes explicare actum, etiamsi non interveniat maior pars Collegii –. Itaque Sabbato appropinquante, aderant tres tantum Canonici, qui Capitulum habere vellent. Renuebat Cencionius vehementer: alter eorum aberat adhuc; nihilominus a tribus illis Capitulum celebratum est, quo plenis suffragiis Clericum Raymundum Catena elegerunt, excluso Antonio Rossi, quem nec suffragiorum periculo subiiciendum censuere, ex eo quod nondum exhibuerat Secretario Capitulari literas testimoniales de clericali tonsura rite suscepta. Hinc querelae non paucae exortae: scilicet Canonici ab actu capitulari absentes querebantur, quod spreti fuissent; ideoque actum illum illegitimum fuisse contenderunt. Antiochus Rossi querebatur, quod *nihil transeat* ab ipso in Curia appositum iam cogeretur per sententiam Iudicis lacerare. Itaque ad Sacram Congregationem confugit, ut declararetur irrita nulliusque roboris Curiae Episcopalis sententia.

84. Defensor Antonii Rossi sustinuit, nullam fuisse electionem, primo ex defectu convocationis Capituli, cum ea fieri debuisset per Decanum Cencioni, qui tamen omni nisu obstiterat convocationi Capituli in Sabbatum subsequens, rogatus quoque a Canonico Spaccari neutiquam a sententia recessit, quin imo signum campanae dari solitum prohibuit. Quod vero iactabant adversarii, cuique ex Capitulo facultatem esse illius convocandi, id tantum intelligendum esse subdidit, vel cum caput eiusdem Capituli deest, vel cum praesente maxima parte Capituli, illud renuat malitiose indicere, vel cum ex mora sit periculum amittendi ius nominationis, vel tempore pestis vel alterius cuiuscumque mortalitatis, quo redacto Collegio ad unum vel duos, unus tantum facultatem habet convocandi atque eligendi, ut docet Fagnanus, cuius auctoritate male utebantur adversarii. Hisce seclusis casibus, semper fieri debet convocatio ab eo, qui habet potestatem convocandi, adeo ut hoc tantum casu semper legitimus habeatur actus, etiamsi numero maiores Canonici non intervenerint, qui maioritatem, ut aiunt, completivam efficiunt, cum satis sit haberi maioritatem comparativam, ceteris in mora et contumacia constitutis ad monitum citati Auctoris. Secundo ex defectu legitimae intimationis faciendae singulis Canonicis actum nullitate laborare censuit, cum in themate triduo antequam coetus haberetur, singuli intimari debuissent. Tertio ex defectu legitimi numeri Canonicorum idipsum arguit: nam ex lege Synodali quinque Canonici adesse debebant, quin Episcopus praefatae legi derogaverit vel derogare potuisset. Contra vero qui partes agebat pro Raymundo Catena contendit, validam fuisse convocationem Capituli: nam palam erat, a Decano eam processisse, qui die 20 augusti Capitulum indixit, ac postmodum suspendit, iterum convocandum die septima proximi mensis septembris; et praeterea non opus erat, ut singulis vicibus intimatio fieret, cum adhuc prior legitime facta in suo robore permaneret, ac ceteras futuras Congregationes legitimas faceret. Unde suspensiones satis indigitabant ad unum eumdemque actum sessiones omnes referri, quarum prima uti a Decano interrumpi non potuisset absque consensu Canonicorum, ita nec postremae, quae unum totum cum illa constituebant. Et quoad numerum Canonicorum spectabat, sustinuit, legi synodali derogatum fuisse ab Episcopo, qui facultatem dederat celebrandi conventum quocumque numero *reperibili*, cui dispensationi causam praebuit necessitas evitandi scandala, quae in vulgus irrepserant ob crebra iurgia ac dissidia exorta inter Canonicos.

85. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus lacerationi nihil transeat, ita ut danda sit institutio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et exquiratur ab Episcopo accuratior informatio – *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853.*

86. Ceterum si primum legitime Capitulum designata die indictum fuerit ac postmodum suspensum ac iterum convocandum altera statuta die, non opus est, ut singulis vicibus intimatio fiat, cum adhuc prior rite facta in suo robore permaneat, ac ceteras futuras Congregationes legitimas faciat, quemadmo-

dum docet Rota in decis. 467 part. 19 tom. 2 Recent. n. 13: – Hinc sequitur legitima convocatio etiam secundi Capituli, quia ut diximus et absentes vocati fuerunt et etiam praesentes in loco electionis personaliter per diem ante, quamquam isti de necessitate non essent iterum citandi, ex quo sciebant statutam diem ex eorum interventu et determinatione factis in praecedenti Capitulo – *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Contra.*

87. Unde nedum nova convocatio Capituli facienda non est, sed nec ipsi ius convocandi habenti integrum est, absque Capitularium consensu Capitulum iam rite convocatum suspendere et revocare, cum convocatio Capituli sit officium, non facultas, et ipsi onus incumbat illud convocandi, etiamsi renuat, ceteri vero Canonici postulent *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Contra* (1).

88. Idcirco quum ex actu erectionis Capituli plures adsint Canonici, qui longe per Pagos Diaecesanos residentiam habentes non tenentur adesse, nisi in casibus in fundatione expressis, iidem convocandi sunt in praedictis casibus dumtaxat; eorumque vota respectivum habere debent valorem, quin in statutis capitularibus praescribi valeat, ut eadem pro una tantum voce computentur *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855.*

89. Siquidem Leo XII anno 1828 novum Capitulum ex decem suppressae Collegiatae Solodorensibus Canonicis, nec non ex tribus ecclesiasticis viris Pagi Lucernensis, ex tribus Pagi Bernensis, atque ex uno Pagi Lugiensis composuit, comprehensis in hoc decem et septem Canonicorum numero Praepositura maiore post Pontificalem prima, et Decanatu secunda Dignitate. Capitulum huiusmodi in duodecim Praebendas residentiales et quinque forenses dividendum edixit. Residentiales erant decem Canonici Solodorenses ac unus ex singulis Pagis Lucernensi ac Bernensi, ceteri autem forenses erant, seu qui foris morabantur. Omnes Canonici, septem solummodo exceptis Canonicis Solodorensibus, cum dictis Dignitatibus Episcopi Senatum constituere debebant, quibus ius eligendi Episcopum, praeter nonnulla alia iura, tributum est. Decanus Vock anno 1835, cum statuta capitularia condere vellet, convocavit omnes Canonicos Senatum Episcopi constituentes non modo residentiales, sed etiam forenses, neglectis illis septem Canonicis Solodorensibus, licet residentialibus, qui non erant in senatu Episcopi; idcirco iidem solemniter protestati sunt. Episcopus retulit: – Redactor statutorum part. 2 cap. 3 §. 7 et 8 forensens saepius, imo etiam ad receptionem Canonicorum ad Capitulum et ad omnia negotia gravia et ardua convocandos esse statuit; relinquit sibi tamen effugium in sequenti paragrapho 10 dicens, gravia etiam negotia, sed adeo urgentia, ut moram et dilationem non patiantur, in conventibus Capituli specialibus, ad quos Canonici forenses non sunt vocandi, et qui iuxta §. 9, ad arbitrium Decani, vel ad instantiam duorum Canonicorum Capitularium Decano intimatam habentur, diiudicari et perfici. Non possunt utique forenses, qui sunt per Pagos Diaecesanos dispersi ita, ut unus illorum in ultimis Helvetiae finibus residentiam habeat, advenire pro omnibus casibus per Statuta expositis..., sed ut toties convocentur, non est necesse. Sunt illi foris; et sicut Solodori non tenentur adesse, nisi in casibus per Bullam ac Decretum executionis Bullae assignatis, ita non datur obligatio eos convocandi, nisi in iisdem casibus... Ceterum in Curiensi Helvetiae Diaecesi sunt Canonici forenses; ibi videre licet, quod sit circa forenses observandum –.

90. Praeterea in parte 2 sect. 2 cap. 3 §. Statutorum legebatur: – Si quando in Causis cum consensu Capituli tractandis et perficiendis Canonici capitulares forenses et absentes vel quominus, quamquam vocati, compareant, impedirentur, vel propter instantiam negotiorum moram et dilationem non patientium, vocari non possent, tunc a Canonicis residentialibus capitularibus nomine totius Capituli deliberetur aut decernatur ea tamen restrictione, ut, tali casu obveniente, vota Canonicorum capitularium ex quolibet Pago Diaecesano prae-

(1) S. Congregatio Episcoporum et Regularium in Ripana die 5 octobris 1617; Barbos. de Canon. et Dignit. Cap. 35.

sentium pro una tantum voce sint numeranda-. Ad quae perpendit Episcopus: – Scio equidem paragraphum hunc ob Gubernia Diaecesana invicem aemulantia idque petentia in statuta receptum fuisse; sed cum iuxta Canones votum uniuscuiusque Canonici capitularis valorem habere debeat, adeoque vota Canonicorum capitularium ex quolibet Pago Diaecesano praesentium non tantum pro una voce numerari queant, articulus iste approbationi resistere non parum videtur. Praeterea bene observandum venit, ex unoquoque Pago Lucernensi Bernensi ac Argoviensi nonnisi unicum esse Canonicum residentialem. Si per morbum vel iter feriarum talis unicus Canonicus, quominus compareat, impediretur, et paragraphus supra memoratus valeret, vota quoque, quia votum ex uno Pago deesset, omnium Canonicorum ex ceteris Pagis forent pro nihilo habenda. Eo pervenitur si via Canonum relinquatur –.

91. His mature perpensis, proposito dubio: – IV. An et quomodo ad Capitulum convocandi sint Canonici forenses, et an absentibus aliquibus Canonicis debeant vota aliorum Canonicorum ex quolibet Pago praesentium pro una tantum voce computari? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative ad primam partem in casibus a Bulla erectionis expressis, Negative ad secundam – *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855.*

92. Alias vero si Canonici absint vel aegrotent vel vocati adire noluerint, veluti praesentes habentur *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Neque.*

Item *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Neque.*

93. Hinc absens a Civitate de iure ne quidem est advocandus, iuxta Rotam in decis. 467 part. 9 tom. 2 Recent. n. 6 *in Aquipendien. Canonicatus die 16 Iulii 1853* §. *Sed.*

Item *in Ianuen. Deliberationis capitularis die 28 Iulii 1860* §. *Canonici.*

94. Id eo vel magis vim obtinet, si extet consuetudo, qua nunquam advocantur Canonici extra Civitatem commorantes *in Ianuen. Deliberationis capitularis die 28 Iulii 1860* §. *Canonici.*

95. Nam in huiusmodi negotiis consuetudinem esse attendendam indubitati iuris est *in Ianuen. Deliberationis capitularis die 28 Iulii 1860* §. *Canonici.*

96. Quando praesertim res deliberanda haud eiusmodi videatur, quae omnino requirat vocationem absentis, si scilicet non agatur de eligendo Praelato recipiendo Canonico aut Praebenda conferenda, quae maioris momenti negotia dicuntur, pro quibus absentes vocandi sunt, ceu hisce in casibus tantum vocationem urgere tenent Bohemerus in Decret. lib. 3 tit. 11 lib. 9, Leurenius for. eccles. lib. 3 tit. 11 quaest. 127, et Scarfantonius tom. 2 pag. 109, sed agatur de negotio ordinario, de quo alias in Capitulis actum fuerat, nimirum de pia praxi, quae omnium consensione fuerat invecta *in Ianuen. Deliberationis capitularis die 28 Iulii 1860* §. *Canonici.*

97. Idcirco concessa, quatenus opus sit, sanatione, Decretum Capitulare servandum est etiam ab iis, qui sessioni capitulari non interfuerunt cum a Civitate abessent, et Syndicus Capituli illud exequi tenetur *in Ianuen. Deliberationis capitularis die 28 Iulii 1860.*

98. Enimvero in Collegiata et Parochiali Ecclesia sub invocatione Beatae Mariae Virginis Assumptae in Caelis et SS. Fabiani et Sebastiani Civitatis Ianuensis nonnullis ab annis pius invaluit usus, qui in ceteris eiusdem Civitatis Ecclesiis servabatur, ut benedictio cum Venerabili impertiretur singulis festis diebus hora meridiana post choralem officiaturam et Dominicis post Evangelii explicationem per turnum a Canonicis et Mansionariis, qui chorali servitio ibidem addicti erant. Cum ex septem, quot iam praeter Abbatem Capituli caput erant Canonici, duo huiusmodi onus assumere detrectarent, hinc coacto Capitulo die 13 decembris anni 1858 praesentibus Abbate et quatuor Canonicis et absentibus duobus Contradictoribus alteroque, qui, ut asserebatur, procul morabatur a Civitate, ad praecavenda scandala et dissensiones huiusmodi, statuerunt, solvendam esse per Syndicum Capituli ex incertis proventibus praesertim parochialibus distributionem centesimorum quadraginta favore Canonici, qui dictam functionem celebraret. Hanc deliberationem cum ceteris absentibus Canonicis communicatam alter probavit, ceteri ut

antea renuentes suo assensu communire negarunt. Idcirco nullam edixerunt praefatam deliberationem, tum quia vocatus non fuit alter ex Canonicis, qui eo temporis in loco morabatur parum a Civitate distante, quique ideo per nuncium vel per literas vocandus fuisset, tum quia ex octo Capitularibus, quinque tantum interfuere, cum de iure ad Capitulum constituendum maior non sufficeret pars, sed requireretur, ut duae tertiae partes essent praesentes. Agebatur insuper de novi oneris impositione ac de re, quae omnium interesse et iura afficiebat, ac ea propter satis non erat consensus maioris partis, sed singulorum Canonicorum consensus requirebatur. Archiepiscopus his favebat, quum usus paucis ab annis introductus esset, et quia adeo rari incertique essent parochiales proventus, ut praebere nequirent fundum, ex quo detrahenda esset mulcta decem solidorum Canonico illa hora absenti infligenda, maxime quia unus tantum tunc aderat Parochianus in Patroni persona.

99. Ceteri e contra Canonici validam renunciarunt dictam deliberationem; primo quia ignorabatur praecise locus commorationis Canonici a Civitate absentis, et vox invaluerat, prohibitum ipsi fuisse reditum a Superiori ecclesiastico; secundo quia vigebat consuetudo, qua nunquam advocabantur Canonici extra Civitatem commorantes; tertio quia haud eiusmodi visa est res deliberanda, quae omnino requireret vocationem absentis. Cum itaque absens non esset vocandus, id etiam sequebatur, quod deliberatio suscepta reapse fuisset ex tribus partibus; ex septem siquidem praesentibus, quinque in eodem consilio fuerunt. Plura inde cumularunt ad demonstrandam necessitatem, sin minus convenientiam festivae benedictionis, tum respectu habitu ad Ecclesiam, tum relate ad Canonicos. Nec ullum exinde damnum Capitularibus obvenire ex eo contenderunt, quod non ageretur de pecunia ad praebendas Canonicales spectante, sed ea proveniret ex nonnullis emolumentis, ut plurimum parochialibus, de quibus quamvis ipsi Capitulares iure pollerent fruendi, non erat tamen Capitulo prohibitum determinandi rationem huiusmodi proventus percipiendi, scilicet an pro una potius, quam pro altera functione lucrandi essent. Nec dubium, quod Capitulum veluti quaecumque alia Universitas posset statuere regulas circa functiones, mulctas etiam seu poenas indicere contra renitentes, ac satis esset consensus maioris partis; ubi enim de necessitate vel utilitate Ecclesiae agitur, maior pars potest praeiudicare minori quoad ea, quae respiciunt Canonicos non uti singulos, sed collegialiter, et dissentientes vel absentes tenentur stare deliberationi factae a maiori parte praesentium; quemadmodum extra controversiam est, posse Capitulum statuere circa distributionem fructuum et participationem distributionum.

100. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur Decretum Capitulare diei 12 decembris 1858 in casu? II. An dictum Decretum servandum sit etiam ab iis Canonicis, qui sessioni capitulari non interfuerunt in casu? III. An a Syndico Capituli exequendum sit mandatum quoad retributionem statuti emolumenti favore Canonicorum, qui onus benedictionem impertiendi sustinent in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, praevia, quatenus opus sit, sanatione deliberationis capitularis, Affirmative in omnibus. Ad tertium, Affirmative habita tamen quoad quotam retributionis ratione eventualitatis proventuum – *in Ianuen. Deliberationis capitularis die 28 Iulii 1860.*

101. Alias vero compertissimi iuris est, ad Capitulum constituendum tres saltem Capitulares requiri ex Lege *Neratius* ff. de V. S., Gloss. in Clem. *Quod circa* de elect., Navarr. l. 1 cons. 6 n. 1 de elect. *in Fulden. die 21 Novembris 1767* §. *Hinc.*

102. Nullum insuper dubium, quod Capitulum ubique haberi valeat, ut ad rem Cap. *Quod sicut* de elect. *in Urbinaten. die 22 Iunii 1805* §. *In tertio.*

103. Ceterum Capitulum celebrari debet a Canonicis in Aula Palatii Episcopalis, quoties adsit consuetudo legitime praescripta *in Turritana die 26 Novembris 1650 lib. 19 Decretorum pag. 94.*

104. Amplia, etiamsi in Capitulo tractandum sit de concernentibus interesse Episcopi, qui tamen prout et eius Vicarius abstinere debent ab interessentia in illo *in Turritana die 14 Ianuarii 1652 lib. 19 Decretorum pag. 104.*

105. Nam Canonici non tenentur admittere Vicarium Episcopi in Capitulo, donec Episcopus doceat de iure suo in contrarium *in Amerina die 24 Aprilis 1632 lib. 14 Decretorum pag. 603 a tergo.*

106. Imo fungentes Vicarii munere Procuratoris Fiscalis vel Cancellarii Episcopi debent exire de Capitulo, quando agendum est de negotiis et differentiis vertentibus inter ipsum Capitulum et Episcopum *in Pharen. die 28 Aprilis 1674 lib. 28 Decretorum pag. 289.*

107. Unde Concilium Tridentinum in cap. 6 sess. 25 de reformatione vers. *Qui si aliquid* est intelligendum de eo, quod privatim interest Episcopi, etiamsi spectaret ad ipsum tamquam ad Episcopum; secus vero de re spectante ad ipsius officium, iurisdictionem, dignitatem, administrationem et regimen *in Hispalen. mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 75.*

108. Idcirco unum tantum casum excipit, nempe quando Episcopus vult aliquid Canonicis ad deliberandum proponere, nec de re ad suum suorumque commodum spectante agitur *in Mutinen. lib. 2 Decretorum pag. 169.*

109. Canonici vero habere nequeunt Capitula pro tractandis negociis capitularibus tempore, quo in choro recitantur divina officia, nisi in casu necessitatis dumtaxat; proposito enim dubio: – XI. An iidem Canonici integrae Praebendae habere valeant Capitula pro tractandis negociis Capitularibus tempore, quo in choro recitantur divina Officia, vel potius ea debeant habere alio tempore? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, Negative nisi in casu urgentiae tantum, cui alio tempore occurri nequeat – *in Ulixbonen. Orientalis die 5 Decembris 1722.*

110. Idcirco non licet Canonicis aliquando incipere aut respective inceptas prosequi et perficere Congregationes capitulares, non obstante secundo signo campanae iam dato pro servitio chori; his enim in terminis proposito dubio: – XXVIII. An liceat Canonicis aliquando incipere aut respective inceptas prosequi et perficere Congregationes capitulares, non obstante secundo signo campanae iam dato pro servitio chori in casu etc. – Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad vigesimum octavum, Negative – *in Capuana die 17 Decembris 1735.*

111. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Capuana die 28 Aprilis 1736.*

112. Quapropter Episcopus per mulctas pecuniarias prohibere potest, ne Canonici habeant Capitulum tempore, quo celebrantur divina Officia *in Turritana die 2 Iulii 1633 lib. 14 Decretorum pag. 752.*

113. Proposito itaque dubio: – An tempore celebrationis divinorum Officiorum possint Canonici habere Capitulum; et casu, quo non possint, si illud de facto celebrent contra inhibitionem Episcopi, possit contra eosdem procedere ad mulctas et subtractionem fructuum etiam sine Coniudicibus? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Capitulum non esse habendum eo tempore, quo divina Officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur; quod si secus fiat, Canonicos nequaquam luerari distributiones quotidianas pro illis horis, quibus divinis non interfuerunt, et eo casu Episcopum posse sine Coniudicibus contra Canonicos procedere ad subtractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas – *in Oriolen. die 27 Martii 1632.*

§. II.

CAPITULUM QUOAD CURAM ANIMARUM.

1. Verba concessionis, quibus iniungitur alicui, ut curam animarum gerat per se vel per alium seu alios sibi benevisos, videntur esse intelligenda de cura actuali, non de habituali, attenta proprietate verborum, ut dixit Rota in decis. 1334 n. 8 coram Coccino, et decis. 445 n. 10 Recent. part. 5 tom. 2 *in Bononien. die 8 Iulii 1762* §. *Et.*

2. Id eo vel magis vim obtinet attenta qualitate personae, cui cura iniungitur, quoties illa sit Praelatus sive Collegii Caput, cum in exercitio curae animarum repraesentet

ipsum Collegium, ut tradunt Pitonius discept. eccles. 45 n. 4, Rota in Bononien. Parochialis 11 decembris 1716 §. Et sane coram Foscaro *in Bononien. die 3 Iulii 1762* §. *Et.*

3. Hinc ex Tridentina Synodo sess. 7 cap. 7 de reformatione factum quidem est, ut actualis animarum cura in Praelato seu Collegii Capite coalesceret, verum habitualis penes universum Capitulum remansit; si enim curam actualem exercens Capituli utitur sigillo, Canonici per suas quisque vices pro Populo celebrant, decimas lucrantur, funerum et alia parochialia percipiunt emolumenta, ac ei suppeditant, quae necessaria sunt pro obeunda animarum cura, dubio procul demonstratur, merum exercitium curae in eo, habitum vero in Capitulo existere ad tradita per Rotam in Recent. decis 516 part. 18 *in Urbevetana die 30 Augusti 1788* §. *Toti.*

Item *in Verulana Massae communis et Missae pro Populo die 21 Novembris 1829* §. *Animadvertit; in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830.*

4. Quin imo cura habitualis animarum ad Capitulum spectat, si plures Parochiae eidem fuerint unitae ac aliae concurrant circumstantiae, quae illam innuunt, quin obstet, quod Capitulum non nominet Vicarium perpetuum vel amovibilem, emolumenta parochialia non percipiat, nec sacra supellectilia vasa sacra ceras et similia suppeditet *in Urbevetana die 9 Septembris 1786.*

5. Iamvero Episcopus Urbevetanus censuit, non liquere de habituali cura Cathedralis Ecclesiae penes Capitulum, ex eo quod Capitulum non nominaret Vicarium perpetuum seu Archipresbiterum, qui curam animarum exercebat, sed ad ipsius arbitrium Archipresbiteratus conferretur; nec Capitum primitias decimas aliaque emolumenta parochialia perciperet, sed ea integre deferrentur Archipresbitero, nec sacra supellectilia, vasa sacra, ceras et similia suppeditaret Archipresbitero Capitulum, nec demum Canonici ullam exercerent parochialem functionem, quin obstaret, quod iidem de emolumentis funerum participes se esse docerent, cum id trahendum non esset in habitualis curae argumentum, sed tribuendum potius cuidam quasi contractui inter Capitulum et Archipresbiterum, quia vicissim Capitulum cereas candelas in die Purificationis Populo distribuendas suppeditabat. E contra Capitulum unionem protulit usque ab anno 1284 Cathedrali Ecclesiae sub invocatione S. Mariae factam alterius Paraeciae S. Constantii, nec non recentiorem unionem eidem Cathedrali Ecclesiae factam Parochiae S. Salvatoris anno 1743 a tunc temporis Episcopo tamquam Apostolicae Sedis delegato. Exhibuit etiam Positionem litis actae Urbeveteri primum, deinde in S. Rota super iure tumulandi Cadaver bo. me. Praesulis Albicini, inter Cathedralem et Collegiatam Ecclesiam Urbisveteris, cuius inscriptio erat: « Inter ven. Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Urbisveteris ac ven. Capitulum et Canonicos Collegiatae S. Andreae eiusdem Civitatis ». Et demum actum Capitularem adduxit, per quem Canonici duobus Vice-Parochis integram decimam Sacramentalem cesserunt, cuius antea duae tertiae ab iisdem dabantur Capitulo, a quo vicissim decem libras cerae singulis annis recipiebant; et eodem contextu a praestatione dictarum librarum decem cerae recesserunt. Accedebat etiam nominatio Oeconomi seu Presbiterorum, qui interim curam animarum gererent, a Canonicis facta anno 1685 1703 et 1768 per obitum Archipresbiteri; unde dicto anno 1685 Capitulum mandaverat, ut per Canonicum claves Baptisterii et parochiales libri custodirentur.

6. His utrinque perpensis, proposito dubio: « I. An cura habitualis Ecclesiae Cathedralis et Parochialis Urbevetanae spectet ad Capitulum eiusdem Cathedralis in casu etc. », Sacra Congregatio responsum tulit: « Ad primum, Affirmative » *in Urbevetana die 9 Septembris 1786.*

7. Idcirco cum Ecclesia Collegiata coalucrit ex pluribus Parochis, ac primum toti capitulari corpori animarum cura insita fuerit, ex eo quod anno 1599 iam eam per duos Vicarios exerceret, ad ipsum spectat, non vero ad Abbatem, cura habitualis animarum; his enim in terminis proposito dubio: « I. An cura habitualis Parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomaei sit penes Capitulum in casu etc. », Sacra Congregatio responsum dedit: « Ad primum, Affirmative » *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830.*

8. Unde cum satis constet de Parochiarum divisione et actis Parochialibus per Capitulum gestis, cura habitualis animarum totius Civitatis spectat ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae, non vero ad Episcopum *in Andrien. die 11 Septembris 1762 die 23 Aprilis die 26 Novembris 1763 et die 12 Maii 1764.*

9. Siquidem Sacra Congregatio die 10 februarii 1759 declaravit, Ecclesiam Cathedralem Civitatis Andriae esse unicam Parochialem totius Civitatis eiusque Territorii, et esse locum divisioni quoad exercitium curae animarum, nec non divisionem faciendam esse ab Episcopo et approbandam a Sacra Congregatione. Episcopus divisionem perfecit, uti Sacrae Congregationis delegatus: sed illam iuxta mentem Sacrae Congregationis haud expletam fuisse contendit Capitulum. Episcopus vero, ne videretur indebite sibi Parochialem tribuisse curam animarum, petiit subscriptionem particularis dubii super illius pertinentia sustinens, quod Civitas Andriae, in qua tota consistebat Diaecesis, divisas non haberet Parochias, et ideo cura praesumeretur residere penes Episcopum, ut tradit Card. De Luca de Paroch. disc. 18 n. 4. Et revera plura in medium protulit Episcopus, ut eam ostendere posset. Proposito hinc dubio: – An sit approbanda divisio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et subscribatur dubium ab Episcopo porrectum, et omnia simul proponantur – *in Andrien. die 11 Septembris 1762.*

10. Promotor Fiscalis defendit itaque, curam etiam parochialem et immediatam residere penes Episcopum, Presbiteros vero Cathedralis, qui solum anno 1746 insigniti fuerant titulo Canonicorum, esse illius operarios et ministros in exercitio curae,ut in specie de Clero Andriensi advertit Card. De Luca de Miscell. eccles. disc. 32 n. 20; neque avulsam ab eo fuisse hanc curam et translatam in Capitulum, sive commissione canonica, sive consuetudine. Nam ipsi Capitulares conveniebant, ante divisionem Parochiarum unum Episcopum fuisse Parochum totius Diaecesis. Idcirco cum non existeret divisio Parochiarum nec repeti posset ab Epistola Dionysii Papae, uti contenente solum divisionem Parochiarum Urbis, Promotor Fiscalis autumavit, curam ut prius apud Episcopum residere, quin eam Capitulum sibi adscribere posset vigore consuetudinis. Actus enim, qui a Capitulo recensebantur, pertinere dixit ad nudum curae exercitium, in quo Archipresbiter Cathedralis de iure supplere debebat vices Episcopi absentis vel impediti, ita ut in cura animarum Vicarius Episcopi potius, quam Capituli dicendus esset. Capitulum contra sustinuit, curam praesentialem sive immediatam habitu et actu, quae proprie pertinet ad Parochum post sequutam Parochiarum divisionem, ab Episcopo avulsam translatam fuisse in ipsum Capitulum ex commissione canonica sive ex dispositione iuris; et translationem hanc fuisse confirmatam longa plurium seculorum consuetudine. Nam anno 1104 Desidius Episcopus, cum in Civitate Andriae excepisset Presbiteros Villae Trimodii, eis potestatem fecit aedificandi Ecclesiam sub titulo S. Nicolai, et concessit communem animarum curam cum Episcopali, *de consensu* tamen sui Presbiterii. Unde plures Capitulum recensuit actus, quibus id ostendere studuit; nec non plures exhibuit Testes, qui testabantur, Capitulum consuevisse exercere actus parochiales sine participatione Episcopi. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Ecclesiae Cathedralis unicae in Civitate et territorio Andriae Parochialis Parochus sit Episcopus et ad quos effectus, seu potius Capitulum eiusdem Cathedralis? II. An sit approbanda divisio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem quoad omnes effectus, Negative ad secundam. Ad secundum, dilata; et divisionem esse faciendam ab Emo Praefecto – *in Andrien. die 23 Aprilis 1763.*

11. Non acquievit Capitulum primo responso: hinc nova addidit plurium testimonia, qui de antiqua divisione et de eius divisionis traditione a maioribus suis accepta testificabantur. Protulit itidem relationem ad Sacram Congregationem transmissam anno 1590 a Luca Resta Andriensi Episcopo, nec non alteram translationem Episcopi Alexandri Strozza de anno 1628, in quibus asserebatur, fuisse olim Andriae Parochias, sed in praesens curam animarum residere penes Capitulum. Denique duas dedit Apostolicas provisiones

de Archidiaconatu Cathedralis, unam anni 1452 favore Lilli de Melle, alteram biennio post favore Dominici de Monte Peloso, in quarum unaquaque habebatur: – eique cura animarum immineat –, et speciatim mentio fiebat Constitutionis Ioannis Papae XXII, quae incipit: *Inexecrabilis*, cuius Constitutionis mentionem nonnisi in vere Parochialibus soleri opponi contendit. His mature perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, curam animarum habitualem esse penes Capitulum – *in Andrien. die 26 Novembris 1763.*

12. Episcopus maiori conatu ius curae animarum sibi vindicare et Capituli rationes retorquere curavit; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Andrien. die 12 Maii 1764.*

13. Imo cura habitualis animarum est adhuc penes Capitulum Ecclesiae Cathedralis, licet laica potestas curam Parochianorum a Canonico transtulerit in personam Aschipresbiteri primae dignitatis et praeterlapsi fuerint septuaginta circiter anni, quin etiam indicium habitualitatis superesse videatur *in Lauden. Iurium et Emolumentorum parochialium die 7 Iulii 1860.*

14. Siquidem habitualis cura animarum in Cathedrali Laudensi olim penes Capitulum, actualis vero exercebatur a Canonico, qui Praepositi nomen praeseferebat. Res ita se habuit, usque dum civilis potestas sub exitu seculi superioris et subsequentis initio sese desuper hisce in rebus immiscuit. Tunc factum est, ut, translata cura animarum ad primam Capituli dignitatem seu Archipresbiterum, ceperit agi quaestio, utrum Paraeciae habitualitas in Capitulo inesse pergeret. Archipresbiter sustinuit, fuisse illam extinctam, ac septuaginta circiter annos praeterlapsos, quin indicium superesset, quod in Capitulo parochialem habitualitatem ostenderet; non enim Vicarii praesentatio, non applicatio Missae pro Populo, nulla onerum participatio, ac cetera huiusmodi aderant. Unde Archipresbiteratus conferebatur ordinario modo, quo solebant ceterae animarum curae, et primae quaeque Capitulorum Dignitates; adeoque Archipresbiter subdidit, se plena et omnimoda parochiali iurisdictione gaudere, seque Paraeciam suscepisse undequaque liberam prorsusque immunem a cuiuslibet generis dependentia. At ex adverso Capitulum contendit, adhuc se habituali animarum cura potiri, cum eam nunquam renunciaverit nec legitima auctoritas abstulerit, quin civilis potestatis mandata obessent, ex eo quod civilis potestas in rebus ecclesiasticis nihil habet auctoritatis. Imo defendit, nullam penitus vel a civili potestate inductam fuisse mutationem quoad habitualitatem parochialem, sed potius sartam tectamque fuisse servatam; nam exercitium curae animarum dumtaxat determinavit, quod sane cum habitualitate consistere poterat. Nec obesse poterant Bullae, quas Archipresbiter obtinuit, cum absoluta illa libertas et independentia referretur ad exercitium curae, non vero ad eius habitualitatem. Perperam autem memorari praescriptionem dixit, cum deesset titulus, vel si existeret, ille erat iniustus. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An cura habitualis Parochialis Cathedralis Ecclesiae Laudensis sit penes Capitulum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Lauden. Iurium et emolumentorum parochialium die 7 Iulii 1860.*

15. Hinc regulariter ubi Ecclesia, quae erat Parochialis, erigitur in Collegiatam, habitualis cura animarum translata censetur in ipsum Collegium vel Capitulum, ut docet Fagnanus in Cap. *Ex parte* n. 13 de officio Vicarii, aliisque citatis firmavit Rota in Bononien. Parochialis die 4 iunii 1717 coram Gamaches *in Oriolen. Decretorum die 23 Ianuarii 1734* §. *Quantum.*

16. Haec tamen regula locum sibi non vindicat, ubi constet, Summum Pontificem in instituendo Collegio haud quaquam transferre in ipsum voluisse ius ac titulum parochialem, sed in aliam certam personam, quasi subrogatam in locum pristini Rectoris Ecclesiae parochialis; hoc enim casu habitualis cura animarum non residet penes Capitulum, sed is, cui parochiale ministerium commissum est, iure suo illud exercet independenter

a Capitulo, quemadmodum respondit Rota in Recent. decis. 400 part. 18 *in Oriolen. Decretorum die 23 Ianuarii 1734* §. *Haec.*

17. Qua de re quando Ecclesia Parochialis erigitur in Collegiatam, sedulo inspicienda est mens Pontificis, ut dignoscatur, an et quae iura transferre voluerit in Capitulum et in eos, quos ad exercendam curam animarum constituit *in Oriolen. Decretorum die 23 Ianuarii et die 5 Iunii 1734.*

18. Iamvero in Civitate Alone vulgo *Alicante* Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Clemens VIII anno 1590 in Collegiatam erexit. Tres in ea Dignitates et undecim Canonicatus instituit, ex quibus Capitulum constaret. Quatuor praeterea fecit Hebdomadarias Curatas, ut scilicet eas obtinentes quaecumque munia obirent. Istis quatuor Beneficiatis, praeter distributiones pro divinis officiis celebrandis assignatas, adiudicavit etiam Pontifex emolumenta ex ipsa animarum cura eiusque exercitio provenientia. Inter istos quatuor Hebdomadarios et Capitulum haud levis iampridem exarserat contentio: Capitulum quippe putabat, penes se esse titulum parochialem et ius curae habitualis, exercitio proinde solum commisso Hebdomadariis cum dependentia a Capitulo. Ex adverso autem Hebdomadarii existimabant, nihil iuris et potestatis competere Capitulo in iis, qui pertinebant ad parochiale munus, sed in ipsis Hebdomadariis residere et habitu et actu curam animarum independenter prorsus a Capitulo. Episcopus ad tollenda e medio dissidia, quae detrimentum ecclesiasticae disciplinae et Populi offensionem afferebant, primum eosdem monuit, ut controversias amice componerent: deinde, cum utraque pars declarasset, se aequi bonique consulturam quicquid Episcopus ipse statuisset, plura edidit Decreta. Sed nonnullis eorum minime acquiescente Capitulo, res delata est ad Sacram Congregationem.

19. Propositis itaque dubiis: — I. An sustineatur quintum Decretum Episcopi mandans, quod in exequiis generalibus et etiam Regiis, quibus adest Capitulum, totum officium et exactio emolumentorum spectet ad idem Capitulum assignata Curatis portione et oblatione; in aliis vero exequiis, quae etiam generales nuncupantur, quibus intersunt Curati et Clerus dumtaxat, ius designandi horas campanarum sonitum totumque officium spectet ad eosdem Curatos? II. An sustineatur vigesimum Decretum mandans, quod quatuor Beneficiati hebdomadarii sint Curati, in quibus resideat ius parochiale privative quoad Capitulum, cui non competat neque actuale, neque habituale ius et exercitium curae in Ecclesia, neque in districtu Parochiae, quodque eisdem Hebdomadariis non impediatur, quominus se intitulent Curatos proprios? III. An sustineatur vigesimum primum Decretum mandans, quod Curati possint in eorum Capellis seu in aliis existentibus in Ecclesia Collegiata ac in Eremitoriis sitis intra limites Parochiae celebrare Missas et alia officia parochialia tempore ipso, quo recitantur horae canonicae? IV An sustineatur vigesimum quintum Decretum praescribens, quod in locationibus redituum communium venditionibus et oppignorationibus Curati et Clerus concurrere debeant una cum Capitulo tam in praeviis tractatibus, quam in ipsis contractibus? V. An sustineatur vigesimum sextum Decretum mandans, quod admissio residentis supranumerarii aut dotalis fiat cum interventu Curatorum et Cleri, et quod in casu alicuius controversiae seu litis inter Capitulum et Clerum, iste separatim se congregare possit in loco, ubi fuerit ei permissum ab Episcopo, sive ab eius Vicario foraneo, qui eisdem congressibus intersit ac praesideat? VI. An sustineatur vigesimum septimum Decretum mandans, quod Capserius et Collector redituum communium et funeralium exhibere debeant Curato hebdomadario particulam cuiuscumque testamenti ad pias causas, ut disponere possit mortuarium? VII. An sustineatur vigesimum octavum Decretum statuens, quod Capitulum non possit mulctare Curatos ob defectus in functionibus parochialibus, sed tantum ob illos, quos commiserint circa servitium chori et circa officia, quibus Capitulum assistit et praesidet? VIII. An sustineatur nonum Decretum mandans, quod quando defertur Sacrum Viaticum alicui Dignitati seu Canonico per aliquam Dignitatem seu Canonicum Curatus hebdomadarius assistat deferenti, qui in huiusmodi functione habeatur pro Curato? IX. An sustineatur trigesimum secundum Decretum mandans, quod in collationibus habendis de

moralibus quaestionibus praesideat Regens proximum ab eo locum occupet Curatus, reliquae vero sedes sint communes tam Canonicis, quam Ecclesiasticis indiscriminatim? X. An sustineatur trigesimum tertium Decretum mandans, quod in actibus et functionibus, in quibus per antecedentia Decreta cautum est praesidere debere Curatos, isti possint etiam imponere mulctam, quae tamen non excedat unum Regale in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum tertium et quartum, Affirmative. Ad quintum, quoad primam partem, servetur Statutum; quo vero ad secundam partem, Negative prout iacet, sed posse privatim tantum congregari. Ad sextum septimum et octavum, Affirmative. Ad nonum, Negative; et amplius in omnibus. Ad decimum, dilata – *in Oriolen. Decretorum die 23 Ianuarii 1734.*

20. Hebdomadarii validitatem praedicti Decreti trigesimi tertii sustinuerunt: nam Episcopus de iure potest mulctare delinquentes, licet non existat in choro; et hanc facultatem pro recto exercitio functionum ad ipsos Hebdomadarios privative spectantium eisdem ipse commiserat. Contra Capitulum contendit, ad se eiusque Praesidentem privative pertinere ius mulctandi omnes et singulos in quibuscumque functionibus; proindeque in eius praeiudicium non posse idem ius reservari praedictis Curatis hebdomadariis. His utrinque perpensis, reproposito dubio X sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ita tamen, ut mulcta erogetur in usus pios; et amplius – *in Oriolen. Decretorum die 5 Iunii 1734.*

21. Hinc et in Ecclesia S. Pauli Civitatis Verulanae penes Abbatem omnimoda, non vero actualis tantum cura animarum residet; proposito enim dubio: – I. An in Ecclesia S. Pauli omnimoda cura animarum resideat penes Abbatem Parochum, vel actualis tantum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Verulana die 14 Martii 1733.*

22. Idcirco cum Ecclesia Parochialis erecta fuerit in Collegiatam et curae animarum exercitium fuerit annexum primae Dignitati, Sacra Congregatio mirifice omnes dirimit controversias, quae mox ac inde exortae sunt inter Praepositum curam animarum exercente et Canonicos *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

23. Siquidem antiqua Parochialis Ecclesia S. Mariae Pedonis anno 1628 a s. m. Urbano VIII aucta fuit titulo et honore Collegiatae cum una Praepositura, annexum habente exercitium curae animarum, et sex Canonicatibus. Ex reditibus eiusdem Ecclesiae voluit Pontifex sexaginta ducatos annuos auri de Camera assignari Praeposito, praeter emolumenta obventura ex curae animarum exercitio; Praebendam vero singulorum Canonicorum conflari ex viginti quatuor ducatis similibus, ac tandem reliquos proventus in quotidianas distributiones converti. At mox anno 1633 plures subortae fuerunt controversiae inter Praepositum et Canonicos, quibus compromissis in duos arbitros, hi fere in omnibus litem adiudicarunt Praeposito. Deinde cum redintegratae inter Praepositum et Canonicos quaestiones delatae fuerint ad iudicium Curiae Archiepiscopalis, manutentionem ea concessit circa plura Praeposito, circa aliqua vero etiam Canonicis. Demum totius rei cognitio delata est ad Sacram Congregationem.

24. Propositis itaque dubiis: – I. An cura animarum Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Mariae Pedonis sit in totum penes Praepositum, vel potius penes Praepositum sit actualis tantum, habitualis vero penes Capitulum? *Et quatenus Affirmative ad secundam partem.* II. An et ad quem spectet ius eligendi Coadiutorem in exercitio curae, quoties eo opus sit? III. An ius administrandi Ecclesiam et omnes res ad eam spectantes competat soli Praeposito, vel potius Capitulo comprehendenti etiam Praepositum? IV. An ius peragendi functiones, quae propriae Parochiales non sint, et emolumenta ex eis provenientia, spectent ad Praepositum privative, vel ad Canonicos cum Praeposito? V. An Praeposito competant privative quoad Capitulum et Canonicos omnia emolumenta quomodolibet consueta et provenientia, tum ex cura animarum, tum ex eius exercitio, obeundo etiam per eius Coadiutorem seu eius substitutum? VI. An pia Legata Missae Officia pia Defunctis facienda vel annualia tam ante, quam post erectionem Collegiatae relicta et relinquenda Ecclesiae, spectent privative ad Praepositum, vel

potius ad Capitulum, tam quoad administrationem, quam quoad emolumenta? VII. An emolumenta funeraria, comprehensis etiam Officiis provenientia ex tumulatione Cadaverum extraneorum, pertineant ad solum Praepositum, vel potius ponenda sint in Massa capitulari? VIII. An Canonici ad aliquod funus invitati possint collegialiter ei intervenire, etiamsi totidem alii Sacerdotes eidem funeri non interveniant? IX. An Praeposito aut eius Coadiutori competat privative quoad Capitulum facultas concordandi circa ea, quae quodcumque funus respiciunt? X. An cera superextans in funeribus et eorum occasione etiam accensa in Ecclesia et Altaribus spectet privative ad Praepositum, vel ponenda sit in Massa capitulari? XI. An ubi collegialiter interveniunt etiam Officiis Defunctorum intra tres dies post depositionem cadaveris in Ecclesia celebrandis, absente vel impedito Praeposito, dignior ex Canonicis supplere debeat partes Praepositi, excluso eius Coadiutore, et lucretur ceram manualem maiorem et duplicatam eleemosynam? XII. An ad Praepositum et eius Coadiutorem seu Substitutum spectet retentio clavis sacri Ciborii etiam privative quoad Canonicum Sacristam? XIII. An Canonici valeant sine consensu Praepositi audire in Ecclesia Confessiones et administrare Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? XIV. An et cui Canonicus Sacrista debeat reddere rationem administrationis sacrae supellectilis et emolumentorum Sacristiae? XV. An usus eiusdem sacrae supellectilis competat Praeposito et eius Coadiutori independenter a Capitulo et a Canonico Sacrista? XVI. An Praepositus possit prohibere, ne aliquis Sacerdos extra Clerum dictae Ecclesiae ibidem celebret Missam sine illius consensu, et designare sacras vestes et Altaria, in quibus Sacerdotes Missam celebrent, independenter a Capitulo et a Canonico Sacrista? XVII. An licentia celebrandi Missam novam danda sit per Praepositum privative, vel potius a Capitulo, et ad quem spectent candelae in Altari accensae? XVIII. An Praeposito competat ius disponendi de sepulcris constructis et praestandi consensum pro aliorum constructione privative quoad Capitulum? XIX. An et cui immineat onus reparandi Ecclesiam? XX. An huius lites expensae tam factae, quam faciendae solvi debeant ex Massa capitulari in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, spectare ad Praepositum cum approbatione Ordinarii. Ad tertium, in concernentibus curam animarum competere soli Praeposito, in reliquis vero Capitulo una cum Praeposito. Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quintum, Affirmative praeterquam quoad decimas. Ad sextum, spectare ad Praepositum una cum Capitulo. Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad octavum, Affirmative. Ad nonum, Affirmative. Ad decimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad undecimum, Affirmative. Ad duodecimum, Negative; sed duplicem clavem retinendam. Ad decimum tertium, Affirmative de licentia Emi Archiepiscopi, excepta tamen communione Paschali. Ad decimum quartum, servetur Decretum Visitationis anni 1691. Ad decimum quintum, satis provisum in superioribus. Ad decimum sextum, Negative. Ad decimum septimum, Negative; et candelas spectare ad Sacristiam. Ad decimum octavum, spectare ad Capitulum, comprehenso Praeposito. Ad decimum nonum, spectare ad Capitulum, comprehenso Praeposito. Ad vigesimum, Negative – *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

25. Hinc Sacra Congregatio mandavit, servandum esse Laudum iuxta Decreta antiquarum Visitationum a Vicario Generali latum et ab Episcopo confirmatum, in quo declaravit, curam animarum ad Priorem Ecclesiae Collegiatae uti Parochum pertinere *in Montis Falisci die 13 Martii 1706 lib. 56 Decretorum.*

26. Iamvero – in Collegiata Ecclesia Terrae Gradularum cura animarum Priori principaliter incumbit; quatuor autem Canonici Capitulares in eiusdem curae exercitio illum coadiuvare tenentur, prout antiquarum Visitationum Decretis statuitur, et de anno 1698 Vicarius Generalis in arbitrum electus per Laudum a se prolatum et ab Emo Episcopo subsequenter per sententiam confirmatum declaravit. Iterum tamen inter Philippum de Vizis modernum Priorem eosdemque Canoni-

cos circa annum 1701 super dictae curae exercitio contentio renata est, quam dictus Emus Episcopus provisionaliter et sine praeiudicio iurium ambarum Partium ita composuit, ut scilicet alternatim et per turnum duabus hebdomadis a dicto Priore, una vero tantum hebdomada ab unoquoque Canonico eadem cura exerceretur, relicta Partibus facultate adeundi pro decisione Sacram Congregationem, quoties voluissent. Canonici itaque per Sacram Congregationem declarari petierunt, an praememorata Decreta antiquarum Visitationum Laudum Vicarii Generalis de anno 1698 latum et sententia Emi Episcopi, quibus omnibus declaratur, curam animarum ad Priorem uti verum Parochum principaliter pertinere, executioni mandari mereantur, eaque ipsius Emi Episcopi informationem de more expetiit, qui superius exposita adamussim confirmat -. Propositis hinc dubiis: - I. An Laudum Vicarii Generalis confirmatum per sententiam Emi Episcopi in ea parte, in qua declarat, curam animarum ad Priorem uti verum Parochum pertinere, sit servandum? *Et quatenus negative.* II. An et cui cura animarum incumbat? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo; et amplius - *in Montis Falisci Onerum parochialium die 13 Martii 1706 lib. 56 Decretorum.*

27. Quum itaque Clemens XII Ecclesiam parochialem S. Laurentii Oppidi Drepani in Collegiatam erexerit, ac mox Dignitates inter cetera omnimodam etiam animarum curam independenter a Canonicis sibi asserere contenderint, Sacra Congregatio die 12 augusti 1741 propositis dubiis respondit: - Ad Emum Praefectum cum facultatibus Sacrae Congregationis etiam concordandi -. Sedulam dedit operam laudatus Emus Praefectus dirimendis hisce quaestionibus, Decretaque edidit singulis propositis dubiis respondentia: verum indecisa reliquit, iussitque iterum coram S. Congregatione disceptari. Repropositis hinc eisdem dubiis: - I. An cura habitualis spectet ac resideat penes Dignitates, seu potius penes Capitulum? *Et quatenus negative ad primam partem.* II. An in casu remotionis suspensionis aut alterius impedimenti liceat Dignitatibus, seu potius Capitulo eligere Sustitutos pro exercenda actuali cura animarum? III. An decedente aliqua ex dictis Dignitatibus, liceat Capitulo, praevia approbatione Ordinarii, deputare Substitutum pro exercitio dictae curae, donec Dignitas vacans provideatur in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum et tertium, electionem spectare ad Capitulum; et amplius - *in Mazarien. Iurium Capitularium die 12 Ianuarii 1743.*

28. Idcirco cum Capitulum Collegiatae Ecclesiae non amittat ius deputandi Vicarium Curatum amovibilem ad nutum per violentam suppressionem laicae potestatis, vix ea redintegratur a Pontificia auctoritate, ad primaeva iura illico ius huiusmodi exercere potest, licet Episcopus interim alteri tamquam Delegatus Apostolicus omnia et singula iura parochialia ceu Parocho ordinario, non succursali commiserit *in Lucana iurium parochialium die 22 Iunii 1822.*

29. Siquidem Leo X anno 1518, quum adnexa fuerit Collegiatae S. Michaelis in Civitate Lucensi Praepositura SS. Georgei Augustini et Benedicti, privilegium dedit, - ut illius (Praepositurae) Parochianorum animarum cura exerceri per Capellanum seu Presbiterum ad id per dictum Silvestrum Episcopum quoad vixerit, deputatum, et eo vita functo, per Decanum et Capitulum S. Michaelis huiusmodi ad eorum nutum ponendum et amovendum valeat -. Anno 1808, quum a Gallico Gubernio praefatum Canonicorum Collegium sublatum fuisset, tamquam Capellanus amovibilis regebat Paraeciam S. Michaelis Petrus Lumini. Archiepiscopus die 20 iulii respondit laicae Potestati, Paraeciarum collationem nonnisi ad formam Concilii Tridentini ac Bullae S. Pii V fieri posse. Necessarium tamen fuit, ut ad Paraeciam S. Michaelis eligeret praefatum Lumini, cui die 30 augusti tamquam Delegatus Apostolicus commisit omnia et singula iura parochialia nedum praefatae Paraeciae, sed et Paraeciarum Sanctissimi Salvatoris et S. Matthaei, quae eidem iam fuerant unitae, ex eo quod inter Parochos ordinarios, non vero succursales recensetur per laicam potestatem. Anno autem 1818 restituta est Collegiata S. Michaelis, confirmatis ac adprobatis singulis privilegiis a Leone VIII et X vel ge-

neraliter vel specialiter concessis. Unde inter Capitulum ac Petrum Lumini exorta est controversia, utrum Sacerdoti Lumini munus Parochiale per dictam Archiepiscopi deputationem ex precario ac amovibile ad nutum Capituli ordinarium ac perpetuum factum fuerit. Capitulum enim contendit, non potuisse Collegiatam praedicto privilegio per violentam suppressionem expoliari, ac vix fuisse reintegratam ad primaeva iura, illico privilegium revixisse. Petrus Lumini vero sustinuit, Archiepiscopum tamquam Delegatum Apostolicum qualitatem amovibilitatis anno 1808 removisse a Paraecia S. Michaelis, eamque sibi canonice ac perpetuo contulisse, cum omnia iura parochialia ipsi tribuerit absque ulla temporis praefinitione.

30. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Petrus Lumini sit institutus Parochus perpetuus in Paraecia S. Michaelis, ita ut ad nutum Capituli amoveri non possit in casu etc. – Sacra Congregatio respondit: – Negative, et ad mentem – *in Lucana Iurium parochialium die 22 Iunii 1822.*

31. Quin imo, suppressa nulliter Collegiata a laica potestate ac dein a Pontificia Auctoritate restituta, Vicarii perpetui ad pristinum statum et primaevam dependentiam ab eadem Collegiata redire ac bona Capitulo cedere tenentur, etiamsi Bullas institutionis ac praedicta bona a S. Sede obtinuerint, assignata eisdem tamen pro temporis rerumque circumstantiis congrua mercede *in Ariminen. die 16 Aprilis 1825 et die 22 Aprilis 1826.*

32. Siquidem suppressis Paraeciis S. Agathae et S. Michaelis, in quas Oppidum S. Archangeli Ariminensis Diaecesis partiebatur, s. m. Benedictus XIV anno 1741 Ecclesiam tunc Confraternitatis Sanctissimi Rosarii in secularem et insignem Collegiatam Parochialem, commissa animarum cura duobus Vicariis perpetuis cum congrua mercedis assignatione, erexit. Progressu temporis auctis communis massae reditibus, Canonici Vicariis perpetuis stipendium ampliarunt ad annua scuta quinquaginta praeter Paraeciae emolumenta, ex quibus certa tantum ad Ecclesiam pertinebant. Sed inde Collegiatam extinctam declaravit Regnum, quod Italicum nuncuparunt, eiusque bona Fisco addixit, uno in dicta Ecclesia constituto Parocho cum duobus Capellanis, eisque libellis Italicis bis mille pensionis nomine assignatis, quotannis a Gubernio solvendis. Restituto Pontificio regimine, ac exquisitis Capitularium votis, Summus Pontifex Pius VII die 7 septembris 1814 mandavit praesentationem idonei Sacerdotis instituendi in Vicaria perpetua Oppidi S. Michaelis ad formam Bullae erectionis editae a s. m. Benedicto XIV, quam Dataria Apostolica attribuit Presbitero Docci – cum illi forsan annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis –, nec non alteram S. Agatae anno 1819 eadem Dataria Apostolica Presbitero Michaeli Succi, inaudito Capitulo, contulit. Eodem anno iussu Thesaurarii Generalis Administrator bonorum ecclesiasticorum et cameralium, loco superius indicatae pensionis, Rectoribus Parochiarum unitarum S. Archangeli praedium tradidit, ac praeterea quosdam census, qui olim spectabant ad Collegiatam Ecclesiam. Paullo post Conventus debiti publici recognitioni praepositus Collegiatam praedictam esse restituendam, eique bona, quae supererant, tradenda decrevit: quamobrem Canonici aliud praedium aliosque census acceperunt; ac insuper Vicariis perpetuis mandatum fuit, ut ea quoque bona, quae ipsis iam fuerant assignata, in Capitulum transferrent. Eo tempore detrectantibus Vicariis perpetuis, recursum pluries Canonici ad R. P. D. Thesaurarium, ac demum ad Sacram Congregationem interposuerunt, ut Vicarii perpetui Paraeciarum unitarum ad pristinum statum ac dependentiam a Collegiata redire, ac bona ipsis assignata Collegiatae tradere adigerentur. Episcopus Ariminensis retulit, ingentem esse numerum animarum, ac Vicarios ad mendicitatem reduci, si bona restituere deberent. Idcirco censuit, – preces Capituli, saltem viventibus Vicariis, qui nunc animarum curam gerunt, non esse exaudiendas, et alio modo illorum inopiam levandam –. Id enim etiam accedebat, quod iidem absque Capituli nominatione Bullas institutionis obtinuerant; adeoque contra omnes regulas canonicas a respectivo Beneficio spoliari non poterant. Capitulum contra probavit, sibi competere curam habitualem animarum, Conventum debiti publici recognitioni praepositum, visis literis erectionis Pontificiae ac Decreto suppressionis ab illegitima potestate

laica, mandasse redintegrationem ac restitutionem bonorum Collegiatae; idque pariter R. P. D. Thesaurarium subinde praecipisse.

33. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An Vicarii perpetui ad pristinum statum et primaevam dependentiam a Collegiata Sanctissimi Rosarii redire teneantur in casu etc. II. An et quomodo Vicarii perpetui Docci et Succi teneantur cedere Capitulo bona ipsis assignata in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* III. An et quomodo et in qua summa Vicarii perpetui providendi sint de congrua in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative refectis a Capitulo Vicariis expensis meliorationis. Ad tertium, dilata; et ad mentem; mens est, ut scribatur Episcopo, qui transmittat distinctum statum activum et passivum omnium bonorum restitutorum favore Collegiatae, comprehenso fundo a Parochis, ut in secundo dubio, cedendo - *in Ariminen. die 16 Aprilis 1825.*

34. Ariminensis Episcopus statum remisit: ex hoc apparebat, annuum Collegiatae reditum, adiectis scutis 268, quae a Vicariis percipiebantur, esse scutorum 950. 94; exitum vero, comprehensis scutis centum pro Vicariis perpetuis ac scutis nonaginta pro amovibilibus, ad scuta 514 pertingere: ideoque singuli ex novem Canonicis quolibet anno scuta 49 circiter lucrabantur. Vicario S. Agathae imminebat cura animarum 1500, magna ex parte agros incolentium: summa hinc scutorum quinquaginta, ob Sacerdotum deficientiam animarum copiam Pauperum numerum et onera ferenda, teste Episcopo, impar evaserat. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in scutis septuaginta pro unoquoque, attentis peculiaribus circumstantiis, praeter emolumenta stolae ad formam antiquae consuetudinis - *in Ariminen. die 22 Aprilis 1826.*

35. Unde licet Episcopus asserat, plenam animarum curam semper extitisse penes Archipresbiterum, non vero penes Canonicos, cum facultate deputandi Oeconomum in eiusdem absentia vel impedimento, Sacra Congregatio nedum mandavit, coadiuvandas esse probationes quoad exercitium curae animarum, sed et conficiendum esse ab Archiepiscopo processum super probationibus hinc inde, nec non exhibendas provisiones Archipresbiteratus *in Acheruntina seu Matheranen. Curae Animarum die 15 Decembris 1708 et die 7 Decembris 1709 lib. 58 et 59 Decretorum.*

36. Enimvero - post adeptam possessionem Archipresbiteratus Ecclesiae Collegiatae et Parochialis Terrae Ferrandinae vigore Literarum Apostolicarum Sacerdos Eligius de Leonardis, controversiam excitavit cum Capitularibus eiusdem Collegiatae praetendens, curam animarum tum habitualem, tum actualem existere penes Capitulum, nec non cum ipsomet Archiepiscopo super deputatione et approbatione Oeconomi pro exercitio eiusdem curae. Quapropter introducto iudicio in Tribunali A. C. et subinde ab eodem evocata Causa per R. P. Auditorem Sanctissimi, fuit remissa pro definitione ad hanc Sacram Congregationem, a qua exquisita de more informatione eiusdem Archiepiscopi, idem retulit, plenam animarum curam semper extitisse penes Archipresbiteros praedecessores, qui eam actu exercuerunt circa Sacramentorum administrationem aliasque functiones parochiales ad eam pertinentes, neutiquam vero penes Capitulum, nec non Oeconomum, absente vel impedito Archipresbitero, nunquam non fuisse deputatum et approbatum ab Archiepiscopo, uti latius ex eadem relatione in Summario danda -. Propositis interim dubiis: - I. An cura animarum Collegiatae et Parochialis Ecclesiae Ferrandinae sit penes Capitulum eiusdem Ecclesiae non solum habitu, sed etiam actu, vel potius sit penes Archipresbiterum pro tempore dictae Ecclesiae? *Et quatenus penes Archipresbiterum.* II. An idem Archipresbiter possit delegare administrationem Sacramentorum seu eligere Oeconomum pro administratione Sanctissimi Viatici Extremae Unctionis Matrimonii et pro assistentia praestanda Agonizantibus? III. An huiusmodi delegatus seu electus indigeat approbatione Archiepiscopi? IV. An tempore absentiae dicti Archipresbiteri idem delegatus seu electus possit continuare in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, coadiuventur probationes; in reliquis dilata - *in Acheruntina seu Matheranen. Curae Animarum die 15 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

37. Repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Archiepiscopus conficiat processum super probationibus hinc inde quoad exercitium curae animarum ac transmittat, et exhibeantur provisiones Archipresbiteratus – *in Acheruntina seu Matheranen. Curae Animarum die 7 Decembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

38. Alias enim ad Episcopum spectat deputatio Oeconomi Curati etiam in Ecclesia Cathedrali, ubi cura habitualis residet penes Capitulum et actualis exercetur per Archipresbiterum, quin obstet centenaria observantia tribus statibus roborata, cum praesertim ius conferendi Archipresbiteratum huiusmodi eidem Episcopo competat *in Urbevetana die 9 Septembris 1786.*

39. Enimvero Episcopus Urbevetanus censuit, ad se unum pertinere vacante Archipresbiteratu Ecclesiae Cathedralis, cui inerat cura actualis animarum, Oeconomos seu Presbiteros substitutos nominare ad formam Concilii Tridentini sess. 24 cap. 18 de reformatione. Nam si quando etiam ad alium spectat collatio Paraeciae Episcopo competit semper deputatio Oeconomi, multo magis idipsum statuendum erat, quando vacabat Archipresbiteratus, qui ab ipso solo perenniter collatus fuerat et adhuc conferebatur; nec obesse sustinuit contrariam observantiam, exordium sumentem anno 1685 servatum dein anno 1703 ac repetitum anno 1768: centenaria haec enim observantia a tam paucis actibus desumpta infringere non poterat claram adeo Tridentini legem Apostolicasque Constitutiones illam confirmantes, cum Decreta Concilii et Apostolicae Constitutiones ad publicam utilitatem emanatae debeant executioni demandari, non obstante consuetudine et inobservantia centum annorum et ultra, ceu perpendit Pitonius de controv. patron. alleg. 5 n. 21, et dixit Rota in Novarien. Parochialis loci Cisti super bono iure 27 ianuarii 1710 §. Hinc non minus coram Priolo, et Benedictus XIV in sua Instit. 60. Capitulum contra sustinuit, Tridentini Concilii sanctionem in sess. 24 cap. 18 de reformatione eas non comprehendere Paraecias, quae sunt Capitulo unitae, cum nunquam vacare censeantur, manente semper Rectore habituali, etsi deficiat Minister, qui curam exercet; et verba Tridentini, per quae fit illa Oeconomi deputatio, alligata sint conditioni, – si opus fuerit –. Opus autem Oeconomo esse nequit, extante habituali Parocho, qui alium deputare interinum Ministrum potest. Liquet insuper ex toto dicti Capitis contextu, in illis ipsis Paraeciis Oeconomi deputationem praescribi, in quibus postea vel indictio concursus vel Praesentatorum a Patronis examen sancitur; adeoque traduci eam legem ad Archipresbiteratum Urbevetanae Cathedralis non posse, in qua certum erat, nullam fieri praesentationem, nullum indici concursum, ut etiam ex iure esse in Parochialibus Dignitati actu unitis docent Riccius in prax. for. Eccles. decis. 417, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss.5 §. 7 n. 2, Barbosa ad sess. 24 Cap. 18 Concil. Trident. n. 15, et Rota in Recent. decis. 323 n. 8. part. 2. Ad haec accedebat observantia centenaria a tribus solemnibus statibus resultans sub annos 1685 1703 et 1768 publice et palam exaratis suumque effectum consequutis in linea saltem praesumptiva cuiuscumque melioris tituli quaesitum Capitulo ius fuerat deputandi Oeconomum, seu interinos Substitutos, qui vacante Archipresbiteratu curam animarum exercerent.

40. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An sequuto obitu Archipresbiteri, cui inest cura animarum, liceat Capitulo substituere Presbiteros, qui interim curam animarum exerceant, seu potius spectet ad Episcopum deputatio Oeconomi in casu etc. –, Sacra Congregatio, licet declaraverit, ad Capitulum spectare curam habitualem animarum, responsum dedit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Urbevetana die 9 Septembris 1786.*

41. Ceterum licet grave adesse videatur scandalum, non propterea S. Congregatio permittit, ut Collegiata Ecclesia ab Episcopi iurisdictione exempta eidem immediate subiiciatur et cura habitualis animarum secernatur a Praepositura *in Regien. Praepositurae die 18 Septembris 1841.*

42. Enimvero Sixtus IV anno 1480 Collegiatam Ecclesiam Civitatis Regii Lepidi cum exemptione ab Episcopi iurisdictione erexit, quam exemptionem plures Pontifices ad Pium VII in forma specifica confirmarunt ac

solemniter proclamavit Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1836. Episcopus Regiensis autem ad innumera vitanda incommoda postulavit, ut in posterum tam Praepositus, quam Collegiata Episcopi iurisdictioni penitus subessent vel Praepositura, cui inerat iurisdictio et habitualis cura animarum, ad simplicis Beneficii rationem redigeretur. Compatroni Comitissa Cassoli et Ioannes Baptista Cagliari plenum undequaque praebebant assensum, tum ut subiectio Episcopali iurisdictioni, tum ut Paraecialis avulsio decerneretur. Hinc et ipsemet Dux Franciscus IV Atestinus censebat, hoc unum adesse remedium ad dirimenda tot dissidia tot incommoda, quae a Collegiatae erectione ad illa tempora Regienses Antistites divexerant. Advertebatur vero, decere S. Sedem habere huc illuc Ecclesias huiusmodi ab Ordinarii iurisdictione exemptas sibi immediate subiectas; eo enim magis Apostolicae Sedis veluti irradiatio quaedam coruscat et Ecclesiae unitas confovetur. Porro nullum afferebatur grave scandalum aut praeiudicium Ecclesiae inde derivatum, si excideretur illud iam resolutione anni 1836 abrasum; sique timor iurgiorum attendendus foret, iam exemptiones omnes destruendae fuissent, dum potius in promptu est Apostolica ipsa Sedes, quae iurgiis et quaestionibus quibuscumque medelam afferre potest. His itaque perpensis, propositis dubiis: – III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, ut Praepositura et Ecclesia Collegiata S. Nicolai subiiciatur immediate iurisdictioni Episcopi Regiensis in casu etc. IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, ut cura habitualis animarum secernatur a Praepositura in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium et quartum, Negative; et servetur resolutio Sacrae Congregationis diei 30 ianuarii 1836 – *in Regien. Praeposituraе die 18 Septembris 1841.*

43. Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis amittit ius nominandi Parochum, si Summus Pontifex iustis de causis illud abstulit, quin unquam restituerit *in Nicien. Iuris nominandi die 23 Ianuarii 1847.*

44. Siquidem anno 1617 Canonici Ecclesiae Cathedralis Niciensis in Parochum inamovibilem curam animarum Capitulo inhaerentem transtulerunt, sibi Parochi ipsius nominandi iure conceptis verbis reservato. Sed anno 1801 Pius VII Capitulum omnino suppressit ac extinxit: ac ius nominandi Parochos Episcopo detulit. Episcopus Columna vero anno 1803 tamquam exequutor quoad Paraeciam praefatae Cathedralis Ecclesiae – declaravit, Canonicum Curatum pro tempore esse de gremio Capituli, proindeque eiusdem nominationem ad praedictum Capitulum pertinere, ut olim pertinebat –. At anno 1806 cum Parochia Cathedralis suo Pastore viduata fuisset, idem Episcopus Columna, qui triennio ante Decretum eiusmodi exaraverat, Parochiam illam absque ulla Capituli praesentatione libere Mauritio Donandi contulit. Quo tamen e vivis elato, anno 1830 Canonici in eius locum Victorium Baudoinum nominarunt, et Episcopus adprobavit: sed eodem die alias eidem dedit literas, quibus nulla de Capituli patronatu ac de edita per Baudoinum praesentatione mentio facta est. Animadvertebatur insuper, quod Leo XII in conventione cum Rege Sardiniae inita die 14 maii 1828 sanxit: – Ad Episcopos spectet libera Paraeciarum collatio, quibus olim Religiosi Ordines Collegiatae aliaque ecclesiastica instituta, quae cessarunt, potiebantur –. Hinc Episcopus sustinuit, Parochiam S. Reparatae iuripatronatus Capituli Cathedralis amplius non esse obnoxiam: nam Pius VII Capitulum ac omnia eiusdem iura suppressit ac extinxit, ac voluit, ut Parochi per Episcopum nominarentur, quin unquam ius nominandi exin Capitulo restituisset. Nec obesse subdidit Decretum Episcopi Columna, cum exequutor id perficere contra expressam Pontificis mentem non potuerit. Capitulum contra contendit, ius etiam nominandi Parochum cum aliis iuribus ac privilegiis sibi fuisse in genere et in specie restitutum. Proposito tamen dubio: – An et quomodo Parochia S. Reparatae iuripatronatus Capituli Cathedralis adhuc obnoxia sit, seu potius liberae collationis Episcopi facta fuerit in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Nicien. Iuris nominandi die 23 Ianuarii 1847.*

45. Qua de re easdem vices easdemque fere sanctiones subierat Pineroliense Capitulum: quumque Episcopus animarum curam, quae pacifice ante annum 1803 de Capituli iurepatronatus fuerat, ex iudicio Congressus Apo-

stolici Regii, Praepositurae perpetuo univisset, Canonici tuebantur integrum suum ius etiam post unionem peractam remansisse. Proposito vero dubio: – An constet de perpetua unione, ita ut factus sit locus cessationi capitularis nominationis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in omnibus – *in Pinerolien. Unionis die 12 Iulii 1845.*

46. Unde Leo X anno 1513 tres paraecialles Ecclesias, quas inter Paraeciam S. Michaelis de Castelliono univit Collegio Capellanorum Cathedralis Lucensis cum onere deputandi Vicarium perpetuum: sed anno 1808 Collegium a possessione bonorum suorum depulsum fuit. Inde a Summo Pontifice Pio VII reintegratum quidem fuit Collegium, sed mandavit Pontifex, ut omnia ecclesiastica bona, quae recuperari possent, colligerentur per Commissionem ecclesiasticam, unumque simul efformaretur Patrimonium, quo diversarum Ecclesiarum in Lucana ditione existentium necessitatibus provideretur ea ratione ac forma, quae in Apostolicis Literis praescriberetur. Sub anno 1822 idem Pontifex edixit, ut dismembratio fieret ex Archidiaecesi Lucensi novaque erigeretur Massensis Diaecesis. Inter alias Paraecias et illa a S. Michaele de Castilliono nuncupata migravit ad noviter erectam Diaecesim Massensem, dum curam animarum apud eam adhuc gereret Sacerdos Ioseph Pardocchi, a praefato Capellanorum Collegio iam ab anno 1804 Vicarius renunciatus, qui usque ad annum 1835 congruam primum habuit a Demanio, deinde ab ecclesiastica Commissione, quae tamen eodemmet anno 1835 de mandato Gregorii XVI quaedam bona Ecclesiae S. Michaelis Rectori et Operae assignavit. E vivis sublato Pardocchio anno 1847, orta inde quaestio est inter Episcopum Massensem et Collegium Capellanorum, cum ille assereret ad se spectare collationem dictae Paraeciae, Capellani contra sibi ex iure unionis subiectivae et postliminii vindicarent ius nominandi et praesentandi. Promotor Fiscalis vero sustinuit, Pium VII praecepisse, ut ex bonis superextantibus unum efformaretur Patrimonium, quo provideretur expoliatis Ecclesiis, quin ulla haberetur ratio ad pia loca, quibus antea bona dicta spectabant, sed omnes Ecclesiae Monasteria et loca pia acquiescere deberent novae adsignationi seu dotationi singulis faciendae. Idcirco Pontifex non solum non restituit bona Ecclesiae S. Michaelis Capellanorum Universitati, sed imo confirmavit unionis extinctionem antea per usurpatoris operam peractam. Haec omnia pariter confirmavit Gregorius XVI: hinc dicta Paraecia plenariam recuperavit libertatem. His itáque perpensis, proposito dubio: - An Paraecia S. Michaelis de Castelliono sit liberae collationis Episcopi Massensis, seu potius adhuc ius nominandi Vicarium spectet ad Universitatem Capellanorum Lucensium in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Massen. Iuris nominandi die 20 Aprilis 1850.*

47. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Massen. Iuris nominandi die 20 Decembris 1851.*

48. Hinc ad S. Sedem vi concordati anni 1818, non vero ad Capitulum Collegiatae Ecclesiae spectat provisio Archipresbiteratus primae dignitatis, cui cura imminet animarum, quin obstet praetensa unio et concordia cum Archiepiscopo inita *in Tarentina Iuris nominandi die 20 Aprilis 1850 et die 27 Novembris 1852.*

49. Iamvero animarum curam in Collegiali Ecclesia, Sanctissimae Deiparae ab Angelo salutatae sacra, loci Cryptaliae Tarentinae Diaecesis, gerebat prima eiusdem Collegii dignitas Archipresbiteri nomine decorata, quam veluti S. Sedi reservatam pluries Datariam Apostolicam in superioribus vacationibus contulisse Archiepiscopus testabatur. Verumtamen anno 1781 Capitulum sibi competere Archipresbiteri nominationem absque concursu contendit, ob assertam unionem Paraeciae ab immemorabili favore Capituli peractam. Capitulum sibi etiam vindicabat Sacramentorum administrationem emolumentorum funerariorum perceptionem et quid aliud huiusmodi: sed Archiepiscopus concursum indixit, et S. Sedes collationis literas dedit cuidam Ragusa. Omne tamen dissidium composuit amica concordia diei 26 ianuarii 1785 Regio vallata assensu, qua Capitulum tres nominare et Archiepiscopus magis inter eos idoneum eligere

deberet. Ad tramites huiusce conventionis expleta fuit anno 1802 provisio Archipresbiteratus: non ita vero evenit in altera vacatione anni 1811; quippe pervasis a gallico milite regiis et ecclesiasticis iuribus, ab illo dominante fuit provisus Vincentius Maranò, silente Capitulo etiam postquam legitimo instaurato regimine; ac irritam istius possessionem petiit obtinuitque Archiepiscopus a S. Sede sanari per expeditionem Literarum Apostolicarum. Viduata anno 1848 animarum cura, Capitulum veluti iterum expergefactum contendit, locum haud fieri posse concursui ad Paraeciam, quam asserebat sibi ab immemorabili plenario unitam, sed potius servandam fore concordiam anni 1785, quin turbare valeret Capituli ius articulus X Conventionis initae anno 1818 inter S. Sedem et Regem Neapolis, ubi postquam statuta fuerit alternativa mensium provisione Canonicatuum liberae collationis inter Ordinarios et S. Sedem concludebatur: – La prima Dignità (etiam Collegiatarum) sarà sempre di libera collazione della S. Sede –. Hanc enim dispositionem minime complecti Beneficium, de quo agebatur, arguit Capituli Orator, primo quia ibi agebatur de Dignitate tantum, quae primam vocem in conventibus et in choro locum habebat, hic vero res erat de Beneficio Curato, quod principaliter universo Capitulo inhaerebat: deinde sub uno eodemque articulo complectebatur Canonicatus ac Dignitates *di libera collazione*; proinde haud locum sibi vindicabat, ubi de Beneficiis agebatur, quorum iuspatronatus sive ad laicos sive ecclesiasticos pertinebat, quo in casu ad Patroni praesentationem perficienda erat provisio.

50. Advertebatur vero, nullam in casu haberi probationem unionis; imo eam excludi, cum adessent Literae Apostolicae quatuor collationum a S. Sede expletarum, in quibus mentio fiebat etiam concursus. At si extitisset unio subiectiva ac tituli extinctiva, non requirebatur forma concursus, unice praescripta pro veris et propriis Parochialium collationibus. Ad concordiam anni 1785 quod autem spectabat, Episcopus non poterat in servitutem redigere Beneficium, cuius praecedens status liberum illud adstruebat: nec inde Capitulum semper Archipresbiterum nominavit. Agebatur insuper de prima Ecclesiae Collegiatae Dignitate, cui animarum cura imminebat; ideoque S. Sedi reservata ex Regula IV Cancellariae, etiamsi Dignitas adnexam haberet curam animarum, quia Collegialitas et Parochialitas sunt compatibiles in eadem Ecclesia etiam ad effectum reservationis dictae Regulae. Quapropter ad declinandam huiusce dispositionis vim onus Capitulo actori incumbuisset probandi, vel quod Archipresbiteratus non esset prima Collegiatae Dignitas, vel quod decem ducatos non excederet, vel obstarent Concordata, vel demum praetensa Vicaria, quae a Dignitate exercebatur, dignior ipsa Dignitate existeret, ita ut eam vinceret traheretque ad se veluti accessorium. Sed nil horum omnium magis arduum atque factis ac iuri magis repugnans.

51. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo constet de iure Capituli Cryptaliensis nominandi Archipresbiterum, seu potius sit locus liberae collationi in casu? –, S. Congregatio respondit: – Negative ad primam partem; quoad secundam, provisum per Concordatum – *in Tarentina Iuris nominandi die 20 Aprilis 1850.*

52. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Tarentina Iuris nominandi die 27 Novembris 1852.*

53. Sacra Congregatio autem validam quidem censuit conventionem, qua Capitulum aliquam annuam summam adsignavit pro erectione duarum Coadiutoriarum, ut Praepositus Parochus curam animarum recte gerere posset; sed simul declaravit, non competere praefato Capitulo ius eligendi ac removendi unum ex Coadiutoribus *in Praenestina Contributionis die 18 Decembris 1745.*

54. Siquidem Emus Episcopus Praenestinus in sacra Visitatione anni 1742 constare satis censuit de necessitate Coadiutorum, ut Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Andreae Oppidi Paliani recte curam animarum gerere posset. Capitulum itaque formiter obtulit sub protestatione tamen quatuor Canonicorum bona quaedam illi relicta a pio Testatore, quae reditum praestabant quindecim scutorum singulis annis; Praepositus vero, qui curam habebat adnexam Populi universi, adsignavit annua scuta viginti quinque, qui-

bus summis coniunctis, unusquisque Coadiutor annuo scutorum viginti frui poterat compendio. Rebus ita compositis, Populus petiit erectionem duarum Coadiutoriarum; et Sacra Congregatio, audito Emo Episcopo, die 18 maii 1743 rescripsit: – Pro approbatione arbitrio Emi Episcopi, et iuxta conventionem –. At Capitulum obstitit, ex eo quod consensus pridem datus uti illegitimus et informis et nullus revocatus fuerat. Contendit enim, onus inesse Praeposito curam animarum per se ipsum exercendi, adeoque stipendium Coadiutoribus solvi debere e reditibus Parochiae, praesertim cum reditus Parochiae satis ampli essent, eoque stipendio subducto, superesset congrua portio aureorum centum; frustra itaque Capitulum cogi ad bonorum adsignationem, ut Coadiutores haberet Praepositus, quia eis carere poterat, et si nollet carere, sua pecunia, non aliena solvere debebat. Quod si adsignatio illa amplissimis Patribus iusta legitimaque videretur, postulavit Capitulum, ut ei tribueretur facultas eligendi et removendi unum ex Coadiutoribus. Aequum enim esse dixit, ut cuius pecunia erigeretur Beneficium seu Coadiutoria, eius esset praerogativa et eius nominandi ac removendi.

55. Propositis vero dubiis: – I. An adsignatio bonorum capitularium sustineatur in vim conventionis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Andreae Terrae Paliani competat ius deputandi et removendi unum ex Coadiutoribus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Praenestina Contributionis die 18 Decembris 1745.*

56. Quod si supremus Pontifex bona Paraeciae Capitulo univerit cum onere ibi deputandi Vicarium Curatum, constituta eidem congrua sustentatione, Capitulum tenetur praefatum Vicarium eligere ac deputare, licet Episcopus ob praetensum Parochianorum defectum Vicariam extinctam proclamaverit ac bona eiusdem praefato Capitulo addixerit, praefixo tandem termino sex mensium Episcopo pro executione *in Camerinen. Parochialis die 18 Septembris 1777 die 16 Maii 1778 die 15 Ianuarii et die 18 Iunii 1785.*

57. Iamvero Prioratum S. Luciae *di Pelliccione* nuncupatum, cui unita erat Parochialis Ecclesia S. Petri, nullos fines habens in Castro Belfortis Camerinensis Diaecesis, transtulit ac perpetuo univit anno 1515 Capitulo Collegiatae Ecclesiae S. Venantii Civitatis Camerini s. m. Leo X, onere tamen Capitulo adiecto ferendi Prioratus onera et praesertim eligendi Presbiterum idoneum et amovibilem ad nutum Capituli pro exercitio curae animarum. Anno 1592 Camerinensis Antistes mandavit, Vicarium electum ad exercendam dictam animarum curam esse debere perpetuum, eidemque pro eius congrua sustentatione nonnulla bona Prioratus assignavit. Anno 1757 Episcopus decrevit, Capitulum non teneri nec obligatum esse amplius eligere alium Vicarium ob defectum Animarum, cum familiae et Parochiani eidem curae subiecti migraverint; atque mandatum relaxavit de reintegrando ad naturalem possessionem dictorum bonorum favore Capituli. At Parochiani, qui adhuc existebant in Paraecia S. Petri Castri Belfortis, contenderunt, Capitulum teneri eligere Vicarium; Decretum suppressionis Parochiae S. Petri ab Episcopo pronunciatum nullius esse momenti, cum falsa esset suppressionis causa elicita a Parochianorum defectu literaliter expressa in Decreto Episcopi. Nam familiae et Parochiani S. Petri semper extiterunt et adhuc extabant: ac deficiebat etiam solemnitas, quia in eius actu non intercesserat assensus Capituli Cathedralis Ecclesiae, per cuius defectum suppressio reddebatur ipso iure nulla. Adverterunt insuper, Episcopum applicare valide non potuisse dicto Capitulo bona assignata Vicario Curato pro congrua ipsius sustentatione, obsistente Bulla s. m. Pauli III sub datum diei 7 ianuarii 1538, qua Pontifex prohibuit, ne imposterum bona vel Beneficia unirentur Mensae Capitulari S. Venantii Civitatis Camerinensis.

58. His interim perpensis, proposito dubio: – An Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Venantii teneatur nominare Vicarium Curatum S. Petri Terrae Belfortis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem; et mens est, quod requiratur ab Episcopo, ut referat, an in Terra Belfortis vel eius districtu adsint familiae, quae spectarent ad veterem Parochiam S. Petri, quae subinde transierint ad

curam Parochi S. Eustachii – *in Camerinen. Parochialis die 13 Septembris 1777.*

59. Episcopus retulit: – Satis superque exploratum esse, extare adhuc in dicta Terra Familiam Vicomanni modo in tres divisam familias descendentes ab uno communi Patre iam defuncto, qui, vivente ultimo Rectore Paraeciae S. Petri, ad quam is omnino pertinebat, praefatae Paraeciae S. Eustachii sponte se subdidit, quae quidem tres familiae modo in Territorio dictae Terrae commorantur –. Hinc etiam Parochus S. Eustachii ac Priores Communitatis Terrae Belfortis Parochum S. Petri postularunt, tum propter amplitudinem Territorii, tum etiam propter excedentem animarum numerum, in locis praesertim incommodis habitantium. Episcopus rationabile censuit hoc postulatum; – eo namque istud collineat, ut animarum regimini atque saluti provideatur, quarum numerus tantum est, ut etiam propter nimiam Territorii extensionem sufficiens esse non possit ad illarum curam unicus Parochus –. Subdiditque: – Quapropter si praefatam S. Petri Paraeciam restaurandam esse EE. VV. iudicaverint, huic quidem congruam partem alterius Paraeciae S. Eustachii adiungere esset profecto commodum et opportunum; nam absque tali separatione una ex iis redundantem haberet Plebem, altera vero paucissimas personas –. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, iuxta votum Episcopi; et amplius – *in Camerinen. Parochialis die 16 Maii 1778.*

60. Exin Parochiani S. Petri novas detulerunt querelas, quia executio Rescripti Sacrae Congregationis negligebatur; auditoque denuo Episcopo, retulit, sibi constitisse ex nonnullis documentis minus vera in facto subsistere, quae in relatione 1778 exposuerat, et propterea nullas pro nominatione Vicarii Curati molestias Capitulo intulisse. Capitulum hinc pro facultate revidendi Causam instetit. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius; et ad mentem, et mens est, quod Episcopus incumbat omnino diligenti executioni, et subinde referat eidem Sacrae Congregationi – *in Camerinen. Parochialis die 15 Ianuarii 1785.*

61. Rebus sic se habentibus, Parochus S. Eustachii preces Sacrae Congregationi porrexit aiens, se quidem dismembrationi coram Episcopo olim assentitum fuisse, cum in Causae primordiis fuerit requisitus, cito tamen poenituisse, rebus satius elucubratis pensatisque. Et praesertim, quod pensione defecta, qua tunc gravabatur, potis in praesens erat, alium sibi Capellanum habere in Sacramentorum administratione adiutorem. Cum paratus propterea esset sumptu suo adesse Populi spiritualibus necessitatibus, veluti Sacra Congregatio mandaret, inficiabatur, dismembrationi esse locum. Nam Tridentina Synodus in sess. 21 cap. 4 de reformatione mandavit, ut Rectores Sacerdotes sibi adiungerent, quando Populus esset valde numerosus; ut nova erigeretur Parochia, quando nimis existeret locorum distantia sive difficultas. At nunquam mandavit, Populi partem ad aliam in eodem loco sitam Parochiam transferri, ita ut maneret semper distantia eademque itineris difficultas. Contra Populus Belfortis in medium protulit consensum a praefato Parocho praestitum; idcirco sero poenituit, postquam Sacra Congregatio, suum ipsius votum in Episcopi voto amplexa, dismembrationem praecepit. Addidit, finibus Parochiarum nunquam praestitutis ad formam Tridentinae Synodi in sess. 24 cap. 13 de reformatione, cuilibet Parocho subesse familias, huc et illuc per territorium dispersas. Hinc factum est ex Vicariorum S. Petri negligentia, et ex dexteritate nimia Parochorum S. Eustachii, quod, pertinentiis obliteratis confusioneque inducta, Parochus S. Eustachii in partem suam familias fere omnes adduxerit. Reverum sic stante, non esse procedendum cum dismembrationum rigore, sed cum regulis de communi dividundo. Capitulum S. Venantii vero observavit, tres Vicomannorum familias, ab unico Sancte Vicomanni descendentes, Parochiam S. Petri dudum deseruisse, Parochia S. Eustachii in propriam adlecta; non esse hinc amplius in illarum arbitrio positum, ad primam redire. Insuper, etsi familiis regredi licuisset, non tamen ex boni aequive ratione licere, ut novo aliarum animarum onere praegravaretur Parochus S. Petri, et quidem sine emolumento; cumque gratuita exoneratione Parochiae S. Eustachii.

62. His utrinque perpensis, reproposito dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis etiam quoad dismembrationem Paraeciae S. Eustachii in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - In decisis et amplius; et praefigatur Episcopo terminus sex mensium pro executione, et referat - *in Camerinen. Parochialis die 18 Iunii 1785.*

63. Unde cum Capellani Curati antiquitus essent de Capitulo Ecclesiae Cathedralis pluresque Capellas respectu ipsius Capituli filiales cum cura Animarum regerent absque residentia, nequit Episcopus praescribere, ut in illis Sanctissimum Sacramentum asservetur, si loci dignitas deficiat, quin interim iura et onera Capellanorum Sacra Congregatio definire merito censet, nisi prius audiatur Capitulum super deductis, et mandat, ut interim serventur Constitutiones circa electionem Vicarii Capitularis *in Cathacen. Parochialitatis die 29 Novembris 1704 die 10 Ianuarii die 16 Maii die 28 Novembris 1705 et die 2 Octobris 1706 lib. 54 55 et 56 Decretorum.*

64. Siquidem - licet in Civitate Cathacensi, quae plusquam septem mille animabus constat, Cathedralis Ecclesia vera et principalis Parochia ac Matrix dicatur, cui sola quarta funeralis inter eius Capitulum et Episcopum uti primum Parochum dividenda solvatur, decem tamen et octo intra illius ambitum numerantur Capellae respectu ipsius Cathedralis filiales, angustae, ut plurimum, rudes, et incomptae, in quibus, ut memoriae proditum est, et tam modernus, quam antecessores Episcopi in suis relationibus super statu dictae Ecclesiae testatum reliquerunt, nunquam augustissimum Eucharistiae Sacramentum asservari consuevit. Illarum Rectores, qui Capellani nuncupantur, sparsim in Civitate pro eorum libito et commodo, vel in paternis domibus habitant, non habentes aedes propriis Ecclesiis seu Capellaniis contiguas, ubi resideant, solumque diebus Dominicis aliisque de praecepto ad eas celebraturi accedunt, ministrantes de cetero, quoties necessitas postulet, Sacramenta omnia Parochianis Infirmisque etiam Viaticum deferentes, quod tamen vel ex ipsa Cathedrali, vel ab Ecclesia S. Ioannis Baptistae Patrum Carmelitarum Discalceatorum, prout habitatio Infirmi propinquior et commodior esse videtur, opportune desumunt, cum illud in praedictis Capellis suis honorifice, ut decet, et congrue asservari, indeque ad Infirmos ob defectum Associantium pro dignitate deferri non valeat, ut Testes affirmant. Sicuti autem praefati Capellani antiquitus erant de Capitulo, et uti tales etiam inserviebant Choro supradictae Cathedralis Ecclesiae; ita postquam ab ea recesserunt, ut Sacramentorum administrationi in propriis Capellis liberius addicerentur, locum et vocem in Capitulo et choro eiusdem Ecclesiae respective ex conventione retinuerunt; ideoque, contingente Sedis Episcopalis vacatione, ad eligendum Vicarium Capitularem non secus ac ceteri de Capitulo admittuntur. Cum tamen novissime reverendissimus Episcopus, instante Promotore Fiscali in altera ex memoratis Capellis nuncupata S. Mariae de meridie de tempore, quo ab Oeconomo in locum defuncti Capellani suffecto regebatur, non obstante vetustissima et immemorabili contraria observantia, Venerabile asservandum esse decreverit, idemque indulserit Capellano S. Stephani, qui super asservatione similiter Venerabilis in sua Ecclesia preces eidem Episcopo porrexisse supponitur, contendendo ulterius, omnes eosdem Capellanos veluti Parochos ad residendum apud suas Capellas esse omnino cogendos, commotus illico est universus eorumdem Capellanorum coetus, nullitatem praecipue dictorum Decretorum Episcopi opponens et insuper asserens, Ecclesias seu Capellas suas non esse Parochiales, sed Cathedralem Ecclesiam unicam in Civitate Cathacensi esse Parochiam, vel saltem expensas pro continua Venerabilis asservatione alinque emolumenta Parochialia sibi esse subministranda.

65. Hodie igitur dictis etiam Capellanis ad instantiam eiusdem Promotoris Fiscalis, ut haec Sacra Congregatio alias praeceperat, citatis et informantibus, ab EE. VV. declarandum erit: - I. An Decreta nuper facta ab Ordinario Cathacensi super asservatione Sanctissimae Eucharistiae in Ecclesiis S. Mariae de meridie et S. Stephani sustineantur? II. An Parochi seu Capellani Curati teneantur in eorum Ecclesiis asservare Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? *Et quatenus affirmative.* III. Ad quem pro huiusmodi effectu spectet onus subministrandi expensas? IV. An iidem teneantur residere intra limites eorum

Parochiae seu Curae? *Et quatenus affirmative.* V. An et ad quem spectet onus praestandi domos iuxta Parochorum indigentiam decentes? VI. An ipsis competant omnia et singula iura parochialia etiam in praeiudicium Cathedralis? VII. An Praefati Capellani seu Parochi frui debeant in futurum praerogativa habendi vocem in Capitulo in electione Vicarii Capitularis et similibus, prout ad praesens fruuntur? –, Sacra Congregatio respondit: Coadiuventur probationes circa Parochialitatem, et audiatur Capitulum - *in Cathacen. Parochialitatis die 29 Novembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

66. Instante exin ipso Promotore Fiscali Curiae Episcopalis, Sacra Congregatio die 10 ianuarii 1705 intra terminum trium tantum mensium easdem probationes explendas esse declaravit. Nulla tamen nova probatione circa eamdem Parochialitatem quaesita, neque Capitulo Cathedralis monito, Episcopus dubia tunc proposita in eo potissimum, quod ad Parochorum residentiam pertinebat, definiri postulavit, relictis in suspenso sexto et septimo, in quibus dumtaxat interesse Capituli versabatur. Repropositis tamen dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - In decretis sub die 29 novembris 1704, et interim per modum provisionis et sine praeiudicio iurium ambarum Partium, serventur Decreta facta ab Ordinario super asservatione Sanctissimi Sacramenti in Ecclesiis S. Mariae de meridie et S. Stephani – *in Cathacen. Parochialitatis die 16 Maii 1705 lib. 55 Decretorum.*

67. Cumque super praetensa dictarum Ecclesiarum et Capellarum Parochialitate, elapso iam integro fere anno, probationes intra praescriptum terminum faciendae neglectae fuerint, ambo dictarum Capellarum Rectores, constituto concorditer per speciale mandatum Procuratore, adversus praemissam provisionalem resolutionem audientiam obtinere curarunt, novisque etiam documentis demonstrare studuerunt, quod in iisdem suis Capellis Sanctissimum Sacramentum pro dignitate asservari non poterat. Proposito interim dubio: – An sit standum, vel recedendum a decretis sub die 16 maii 1705 quoad asservationem Sanctissimae Eucharistiae in duabus Capellis S. Mariae de meridie et S. Stephani in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et proponatur Causa super meritis in secunda post Reges, et interim Vicarius recognoscat statum praedictarum Ecclesiarum, iuxta instructionem, et referat – *in Cathacen. Parochialitatis et asservationis Sanctissimi Sacramenti die 28 Novembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

68. Hinc – novissime ex allata relatione Vicarii Generalis elicitur, in angulo Ecclesiae S. Stephani vere adesse aquae puteum, ut pariter sunt alii in domibus et Ecclesiis in declivio Civitatis circumiacentibus, ubi terra est minus densa, potius minuentes, quam augentes humiditatem, quodque hic puteus profundis aquae ductibus exiccari, vel solida materia impleri valeat. Alteram vero Capellam S. Mariae de meridie prominere in Civitatis circumferentia versus austrum, expositam ventis ab ortu et occasu de latere, non de fronte, impetusque aquilonares ab oppositis aedificiis frangi, nullamque mirari ruinam, utpote super saxeo montis cacumine constructam, cum quaedam tenuis fixura in summitate angulari unius parietis non videatur defectus fabricae collabentis, sed potius aliqualis commota rima saxi fundamentalis nonnisi post longissimum tempus ulterius progressura. In executionem itaque ultimi Rescripti S. Congregationis iterum sub trutina EE. PP. ponuntur eadem dubia originalia super meritis Causae -. Unde Sacra Congregatio repropositis praefatis dubiis respondit: - Praevio recessu a Decreto provisionali, Sanctissimum asservandum in Ecclesia Cathedrali, donec aliter a Sacra Congregatione provideatur; et in reliquis audiatur Capitulum super deductis in Sacra Congregatione, et interim serventur Constitutiones circa electionem Vicarii Capitularis - *in Cathacen Parochialitatis die 2 Octobris 1706 lib. 56 Decretorum.*

69. Idcirco non permittitur translatio curae animarum Collegiatae Ecclesiae inhaerens ad aliam Capellam, nisi postquam eadem ampliata fuerit, facta tamen Curato Hebdomadario potestate explicandi interim et donec fiat translatio Evangelium in Missa diebus Dominicis et festivis *in Neapolitana Iurium parochialium die 9 et die 30 Augusti 1698 ac die 3 Aprilis 1700 lib. 48 et 50 Decretorum.*

70. Enimvero – anno 1589 Collegiata et Parochialis Ecclesia S. Mariae Maioris Neapolis, cuius cura exerceri consueverat per turnum ab uno ex Presbiteris hebdomadariis, concessa fuit de consensu Abbatis ac totius Collegii eorumdem Hebdomadariorum PP. Congregationis Clericorum Minorum (1). In subsequuto autem Brevi confirmatorio sa. me. Sixti V. sancitum fuit: « Et insuper curam animarum eidem Ecclesiae incumbentem, per unum ex dictis Hebdomadariis ad vitam eligendum, exercendam statuas, nec non ad aliquam ex Capellis in ambitu dictae Ecclesiae existentem ab ipsa Congregatione ad illius libitum post ipsius Ecclesiae possessionem, et quando eidem aptum et commodum fuerit et placuerit, illius tamen sumptibus exornandam, et ad huiusmodi curae exercitium aptandam, eadem auctoritate perpetuo transferas ». Ad formam Praefati Brevis Apostolici confirmatorii intendunt hodie Patres Clerici Minores transferre curam animarum ad Capellam nuncupatam *del Pontano*. Cumque e converso Emus Archiepiscopus, donec fiat huiusmodi translatio, iniunxerit Curato hebdomadario, ut ad mentem Cap. 8 sess. 22 de sacrif. Miss. explicare debeat Populo in Missa Sanctum Evangelium verbumque Dei annunciare, prout generali Edicto praecipitur ceteris aliis Parochis Civitatis Neapolis; hinc iidem Clerici Minores asserentes, huiusmodi munus praedicationis uberius et fructuosius ab ipsis in dicta Ecclesia semper in praeteritum impletum fuisse ac de praesenti impleri, et non modicam ex Parochi evangelizatione eorum divinis Officiis perturbationem inferri posse, recursum interposuerunt ad Sacram Congregationem –, quae propositis dubiis: – I. An sit locus translationi curae animarum Ecclesiae S. Mariae Maioris ad unam ex Capellis in ambitu dictae Ecclesiae existentibus? II. An interim et donec fiat praefata translatio, liceat hebdomadario Curato eiusdem Ecclesiae explicare in Missa Evangelium diebus Dominicis et festivis?–, respondit: – Affirmative ad utrumque, et scribatur Nuncio Apostolico pro executione translationis – *in Neapolitana die 9 Augusti 1698 lib. 48 Decretorum.*

71. Quum a translatione praedicta – se Nuncius abstinuerit ob incapacitatem Capellae, ad quam fieri debebat curae translatio, et in eius subsecuta relatione addiderit, melius fore dictam translationem fieri ad Capellam *dell'Estaurita* Ecclesiae contiguam, sub die 30 eiusdem mensis augusti, Parocho et Hebdomadariis non auditis, altera emanavit resolutio, nempe: « Translationem curae animarum faciendam esse ad Capellam nuncupatam *dell'Estaurita* iuxta modum et formam per Nuncium praescribendam etiam quoad Sacrarium ». Cuius executione dilata ob concessionem novae audientiae dictis Hebdomadariis et Parocho, ideo ad novas eorumdem preces –, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 9 et 30 augusti 1698 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad primum, non esse locum translationi ad Capellam *dell'Estaurita* demandatae sub die 30 augusti, nisi postquam ea fuerit ampliata ad capacitatem duarum Capellarum Sanctissimi Salvatoris et S. Pontani, iuxta obligationem factam a Patribus. Ad secundum, in decisis – *in Neapolitana Iurium Parochialium die 3 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

72. Quod si adsit utilitas ac urgeat necessitas, permittitur suppressio ac unio Ecclesiae parochialis Cathedrali, translatis oneribus et erecto in Cathedrali Altari cum Icone S. Titularis nec non addita Missa in festo eiusdem cum adsistentia totius Capituli *in Fulginaten. Suppressionis et Unionis die 22 Maii 1841.*

73. Enimvero prolapsa maximo terrae motu, quo Fulginium anno 1832 misere concussum fuit, Curionali Aede S. Mariae Magdalenae, postularunt Cathedralis Ecclesiae Canonici, ut, post suspensionem collationis illius Parochiae ad decennium iam obtentam, perpetuo extincta praefata Paraecia, de cuius Ecclesia re-

(1) Ea tamen prae ceteris adiecta lege, – che per l' amministrazione de' santissimi Sagramenti s' abbia da eleggere uno di detta Congregazione o Collegio, il quale sarà il Curato, durante la vita sua; e morendo detto Curato s' abbia da fare da detta Congregazione o Collegio, approbando idoneo da Monsignor Arcivescovo di Napoli. Item, che non si possa movere il Santissimo Sagramento dall'Altare Maggiore di detta Chiesa insino, che averanno unite la Cappella detta del Pontano e la Cappella del Santissimo Salvatore, che sono nell' ingresso di detta Chiesa a spese di detti Padri, che verranno –.

stituenda omnis plane adempta spes erat, Cathedrali uniretur per eiusdem Vicarios Curatos administranda, ut inde quarta dignitas Primiceriatus constitueretur ad Collegii illius splendorem et ad choralium officiorum cultum augendum. Episcopus id pariter impense postulavit aiens, Paraecianos S. Mariae Magdalenae exoptare unionem, cum in ea vicinitate degentes felicius uberiusque subsidium paraeciali procuratione Canonicis data praesto sibi esse lubentes testati sunt. Ducenti et decem ipsi recensebantur, domosque habebant Cathedrali Templo proximas, cuius tria millia et quadringenta viginti Parochianorum numerabantur. Censuit autem Episcopus, si Summo Pontifici placeret Primiceriatus constitutionem, Primicerio onus imponendum esse canendi Sacra tria in defunctorum extinctae Paraeciae levamen, nec non festo die honori S. Mariae Magdalenae conventum edici Collegii universi ad officium et ad Sacrum sollemne. Advertebatur tamen, a Tridentinis Patribus in sess. 21 cap. 8 de reformatione praefinitum fuisse, ut in huiusmodi unionibus exequendis – erigant Episcopi in Ecclesiis – ad quas translata Paraecia est, – Altaria vel Capellas sub eisdem invocationibus cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus Ecclesiis impositis –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus suppressioni Paraeciae S. Mariae Magdalenae eiusque unioni Ecclesiae Cathedrali in casu etc. –, S. Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus, erecto in Cathedrali Altari cum Icone S. Mariae Magdalenae, translatis oneribus et addita celebratione Missae solemnis in festo S. Mariae Magdalenae cum assistentia totius Capituli iuxta votum Episcopi, et per Breve – *in Fulginaten. Suppressionis et Unionis die 22 Maii 1841.*

74. Quum autem Capitulum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Pentimae iam haberet adnexam Ecclesiam parochialem Assumptionis Beatae Mariae Virginis Castri Hyllaris ad quintum ab Urbe lapidem, in qua residere consueverunt tres Canonici alternis vicibus curam animarum exercentes, Sacra Congregatio, iisdem ad residentiam revocatis, proposito dubio: - III. An imposterum pro exercitio curae animarum in dicto Castro Hyllaris deputandus sit Parochus perpetuus ab Ordinario, servata forma Concilii, et an ei dandi sint Coadiutores in casu etc. –, responsum dedit: – Ad tertium, Episcopus procedat prout de iure ad formam Concilii; et interim provideat de Oeconomo expensis, cuius de iure – *in Valven. Residentiae die 25 Ianuarii 1738.*

75. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Valven. Residentiae die 20 Decembris 1738.*

76. Qua de re Capitulum Collegiatae, habens unitam Ecclesiam parochialem distantem duobus circiter milliaribus a Collegiata, tenetur ponere Vicarium cum congrua assignanda arbitrio Ordinarii, et Vicarius tenetur residere die noctuque in eadem Parochiali, etiamsi Capitulum consueverit Sacramenta ministrare Parochianis per Canonicum amovibilem solum diebus festis ad illam accedentem, quin S. Congregatio permittere censuerit, ut unio dissolveretur, ac Parochus cum reservatione iurispatronatus favore eius, qui annua scuta quinquaginta pro congrua praestaret, constitueretur *in Florentina dissolutionis Unionis die 13 Aprilis 1709 lib. 59 Decretorum.*

77. Enimvero – Ecclesiae parochiali S. Mariae de Praetorio nuncupatae, quae a multo tempore unita fertur capitulari mensae Ecclesiae Collegiatae S. Andreae Terrae Emporii, latente adhuc dictae unionis documento, deserviri consuevit quoad animarum curam a Vicario amovibili, qui est unus ex Capitularibus dictae Collegiatae a Capitulo deputatus cum approbatione Ordinarii recepta annua stipe scutorum octo, quae persolvuntur a Capitulo ac desumuntur a sextariis 31 frumenti, quos Emphytheutae primodictae Ecclesiae contribuunt ipsi Capitulo, nec non sextariorum undecim frumenti contributorum a Parochianis. Cumque dictus Vicarius diebus festis de praecepto solitus sit ad praefatam Parochialem accedere, eo quod ob deficientiam congruae sustentationis suam residentiam faciat in praedicta Terra Emporii distante a Parochiali duobus circiter milliaribus, interfluente Arno fluvio, hyberno tempore non leviter extumescente, quin et interclusis per nocturnas horas eiusdem Terrae Ianuis, Populus et Parochiani de Praetorio, qui hodie conflant numerum animarum 128 desiderantes

habere Pastorem suis spiritualibus indigentiis propinquiorem, redegerunt Ecclesiam iam dudum pene excisam in formam decentiorem, concinnata pariter sufficiente habitatione pro Parocho; atque ulterius ad congruam ipsius Parochi sustentationem, qui residentiam erit facturus in saepe dicta Parochiali, Simon de Alexandro vir praedives ac nobilis exhibuit de suis propriis bonis contribuere annua scuta quinquaginta, dummodo tamen eidem ac suis heredibus quibuscumque iuspatronatus in eadem Ecclesia Parochiali reservetur, quod quidem autumat iamdiu habuisse ex gentilitiis suis stemmatibus, quae affixa conspiciuntur in eius ianua et Ara maxima. Hinc iidem Parochiani humillimum habuerunt recursum ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione dissolutionis praetensae unionis et benigna praemissorum approbatione. Archiepiscopus Florentinus desuper informare requisitus omnia praedicta confirmavit, ac non obstante Capituli Collegiatae contradictione, Oratorum precibus annuendum putat, dummodo tamen idem Capitulum nolit per se onus personalis debitae residentiae subire, cum ceteroquin informans maxime commiseretur illarum animarum detrimentum ex absentia Pastoris hactenus exantlatum, earum quamplurimis dudum perfunctis sine Sacramentis et sine assistentia spirituali –.

78. Partibus itaque hinc inde monitis, propositis dubiis: - I. An sit locus dissolutioni unionis in casu etc. II. An admittenda sit dotatio, de qua agitur, cum reservatione iurispatronatus in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Capitulum apponat Vicarium cum assignatione congruae taxandae ab Archiepiscopo, quique Vicarius teneatur residere diu noctuque in Paraecia S. Mariae de Praetorio - *in Florentina Dissolutionis Unionis die 13 Aprilis 1709 lib. 59 Decretorum.*

79. Cura vero animarum privative spectat ad Parochos respectivi Territorii, in quo familiae habent domicilium, non vero ad Ecclesiam Collegiatam et Parochialem, licet asseratur, a centum annis, immo ab immemorabili tempore, quaesitum fuisse Canonicis ius parochiale in omnes Incolas loci, vel saltem in familias, quae a Civitate discesserunt et iura civica illius Civitatis semper retinuerunt; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An cura animarum Casalis Ricinischi, partim degentium in Territorio Civitatis Atinae et partim in altero Terrae Gallinarii, quoad omnes familias spectet privative ad Ecclesiam Collegiatam et Parochialem dictae Civitatis, seu potius ad Ecclesiam dictae Terrae in casu etc. *Et quatenus negative ad utrumque.* II. An eadem cura pertineat ad Ecclesiam dictae Civitatis quoad familias ab eadem oriundas et respective pertineat ad Ecclesiam dictae Terrae privative quoad ab ea oriundas in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative ad utramque partem; et curam animarum spectare privative ad Parochos respectivi Territorii, in quo familiae habent domicilium. Ad secundum, provisum in primo – *in Sorana Iurium Parochialium die 17 Novembris 1753.*

80. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - In decisis, et amplius – *in Sorana Iurium parochialium die 20 Iulii 1754.*

81. Quando autem cura animarum est in Collegiata Ecclesia, regula esse videtur, quod si illa incumbit certae personae, per illam exerceatur: et si imminet toti Capitulo, exerceatur a singulis per vices, ut ad rem Barbosa ad Cap. 7 n. 29 sess. 7 de reformatione *in Camerinen. die 25 Ianuarii 1726* §. *Supposito.*

82. Alii tamen distinguunt, an cura animarum translata sit in Vicarium seu Substitutum privative, vel non privative ad ipsum Collegium sive Capitulum; et in hypothesi, in qua disertis verbis non fuerit translata cura in Substitutum privative quoad Capitulum seu Collegium, docent, eam tunc cumulative ad utrumque pertinere, uti habetur apud Monacellium in form. leg. tom. 4 pag. 55 n. 179 *in Camerinen. die 25 Ianuarii 1726* §. *Supposito.*

83. Demum alii volunt, Collegium non liberari ab onere curae, si Vicarius sit temporalis, secus autem si sit perpetuus, ut Piasec. in prax. Episcop. part. 2 Cap. 3 art. 2 n. 20 *in Camerinen. die 25 Ianuarii 1726* §. *Supposito.*

84. Unde Sacra Congregatio haec omnia rescire merito censet, antequam statuat, cuinam incumbat onus praedicandi diebus saltem

Dominicis et festis solemnibus *in Camerinen. die 9 Februarii 1726.*

85. Siquidem plures erant in Diaecesi Camerinensi Parochiales Ecclesiae, quae fuerunt erectae in Collegiatas, cum onere tamen Capitulis et Canonicis per se vel Substitutum ab Ordinario approbandum exercendi curam animarum. A Capitulis facta fuit praedictis Substitutis modica stipendii assignatio, licet Substituti exercerent curam animarum, Plebem instruerent in fidei rudimentis, infirmos visitarent, morientibus assisterent, et celebrarent Missam pro Populo singulis diebus festivis. Episcopus quum occasione visitationis animadvertisset, non expleri in dictis Parochialibus praeceptum Dominicis et festis de praecepto habendi sermonem ad Populum et ipsum docendi ea, quae sunt necessaria ad salutem, et praedictos Substitutos ab hoc ulteriori onere exemptionem praetendentes deprehendisset, operae pretium esse censuit demandare, ut onus praedictum a Canonicis, cum penes eos esset cura habitualis, alternatim adimpleretur. At Laurentius Pifaro Canonicus Collegiatae Ecclesiae Mathelicae contendit, se haberi debere pro excusato, si praeceptum Episcopi non adimpleret, ex eo quod esset constitutus in aetate annorum sexaginta quatuor, et debilitatem visus pateretur. Episcopus retulit, se id statuisse, ut dispositionem Concilii Romani anno praeterito habiti executioni mandaret; Oratorem revera esse inhabilem, sed in Domino expedire, quod Sacra Congregatio praeciperet, ut oneri inhabiles per alios habiles supplerent, imposita favore habilium substituendorum mulcta ab inhabilibus persolvenda ad instar punctaturae, quae persolvebatur ab eisdem, quando aberant a choro. Proposito interim dubio: – An et quomodo praeceptum Episcopi Camerinensis sit executioni mandandum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata, et pro nova informatione iuxta instructionem (1), firmo interim remanente Episcopi Decreto, et concessa Laurentio Pifaro exceptione a munere praedicandi – *in Camerinen. die 9 Februarii 1726.*

86. Hinc exploratum in iure est, dum erigitur Vicaria perpetua, habitualem curam residere quidem penes Capitulum, sed actualem sive illius exercitium transferri omnimode in Vicarium perpetuum *in Bovinen. Iurium parochialium die 27 Maii 1820* §. *Exploratum* (2).

87. Nam dum Vicarius dicitur habere curam actualem, est habere cum effectu; adeoque nullo modo potest principalis, spreto Vicario, se ingerere in cura animarum, sicut nec Episcopus, invito Rectore, eam potest assumere, ut in terminis docent Abbas in Cap. *Extirpandae* §. Si qui vero n. 15 de praebendis, Monacellius in form. leg. pract. tom. 2; idemque firmavit Rota in Barchinonen. Vicariae die 17 maii 1624 coram Molino *in Bovinen. Iurium parochialium die 27 Maii 1820* §. *Exploratum.*

88. Siquidem promiscuitatem in exercendis iuribus parochialibus et curam animarum semper abhorruit Sacra Congregatio *in Bovinen. Iurium Parochialium die 27 Maii 1820* §. *Post.*

89. Unde Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 7 de reformatione localis Ordinarii iudicio relinquit, ut Parochus aut saltem Vicarius perpetuus curae animarum praeficiatur *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *In aliam.*

90. Nam huiusmodi conciliaris dispositiositionis sententiam eo vel maxime spectare, ut perpetui semper Parochi deputatio fiat, declaratum refert Card. De Luca in disc. 9 adnot. ad S. Concilium Tridentinum: – Concilii sensus clarius a Pii V Constitutionibus comprobatus est, ut perpetuus esse debeat, quatenus ille particularis extra gremium Capituli seu Collegii deputari soleat; ubi vero de ipso Capitulo vel Collegio, tunc destinetur Canonicatus, cui fixa sit ista Vicaria, ut praesertim super huiusmodi perpetuitate per Constitutionem Pii V provisum est in Capi-

(1) Scilicet edoceri praescribitur, an Substituti exercentes curam animarum, eam exerceant cumulative, vel privative quoad ipsum Capitulum, et an in prima institutione fuerit in dictos Substitutos transfusa animarum cura sive eius Capitulo, et demum an iidem Substituti sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 27 die 9 februarii 1726 pag. 11.*

( ) Vital. in Clem. I, n. 18 de excess. Praelat.; Navarr. cons. 21, n. 7 et seqq. de Cler. non resid.; Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 5, §. 3, n. 23 et seqq.; Camp. in divers. iuris Can. rub. 7, cap. 6, n. 14.

tulis Ecclesiarum Urbis, quibus cura incumbat – *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852 §. In aliam.*

91. Id quoque contrariorum ratione firmari nemo ibit inficias, qui paulisper animadvertat, electionem Vicarii Curati temporalis, cuius nomen in Ecclesia est exosum et munus mercenarium, dum potius propriam, quam Ecclesiae utilitatem exoptat, ecclesiasticae disciplinae adversari *in Andrien. die 29 Augusti 1767 §. Magisque.*

Item *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852 §. In aliam.*

92. Idcirco Concilium Tridentinum merito arbitrio Episcopi remittit reductionem Vicariae temporalis in perpetuam, quin officiat contraria pacifica possessio vel quodcumque aliud privilegium vel casus, in quo non liceat perpetuare Parochi officium; nam, ut advertit Barbosa in lib. 3 de iur. eccles. cap. 6 n. 12 – in praedictis casibus, in quibus non est integrum Episcopo Vicarium perpetuum in eo Beneficio constituere, teneri curare, ut bene deserviatur Beneficio, alias poterit eum Vicarium perpetuum instituere, quia privilegium ob eius abusum amittitur – *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852 §. Hac.*

93. Nam expedit iniungi erectionem Vicariae perpetuae, assignata congrua mercede ex reditibus capitularibus, quandoquidem Sacra Congregatio in Narnien. 22 martii 1732 inter Summaria precum rescripsit: – Episcopus procedat ad erectionem Vicariae perpetuae in unaquaque Collegiata ad formam Concilii – *in Cingulana Curae Animarum die 19 Iulii 1732 §. Ceterum.*

94. Idcirco proposito dubio: – X. An quoad curam animarum, quae a duobus Curatis a Capitulo electis absque Vicariatus erectione aut a Canonicis iisdem ex ordine exercetur, necessariis solemnitatibus erigi debeat Vicariatus ad idem curae munus gerendum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum, ab Episcopo curam animarum certae Praebendae vel Dignitati uniendam, vel perpetuam instituendam Vicariam esse – *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664.*

95. Unde si vage Capitularibus immineat cura animarum, Sacra Congregatio mandat, ut de consilio Capituli alicui certae Praebendae iniungatur, vel Vicaria inibi erigatur perpetua, ut subiectus Populus certum Pastorem agnoscat *in Sarnen. Decimarum et Emolumentorum funeralium die 7 Iulii 1731.*

96. Enimvero Canonicus Milonus contendit, curam actualem minime residere penes singulos Canonicos Cathedralis Ecclesiae Sarnensis, cum Sacra Congregatio die 5 maii 1646 literas Episcopo dedisset in haec verba: – Quoad curam animarum Ecclesiae Cathedralis, non probarunt Emi Patres, quod vage Capitularibus immineat; sed mandarunt, alicui certae Praebendae de consilio Capituli iniungi, vel Vicariam inibi erigi perpetuam, ut subiectus Populus certum Pastorem agnoscat –. Plures etiam protulit provisiones a Sede Apostolica factas de Canonicatibus eiusdem Ecclesiae, absque tamen ulla expressione, quod illis immineret Animarum cura. Itemque addidit, consuevisse ab Episcopis deputari Vicarium amovibilem pro exercitio curae Animarum. At contradictores Canonici affirmarunt, non solum residere penes Capitulum curam habitualem, sed et actualem esse penes omnes Canonicos; idque apparere, tum ex sacris Visitationibus, tum ex legibus Synodalibus, tum ex continua observantia. Dixerunt quidem, etiam deputari solere unum vel duos Oeconomos pro exercitio eiusdem curae Animarum; sed ideo hoc fieri, ne deficeret, qui Populi necessitatibus praesto esset eo tempore, quo Canonici in choro divinis Officiis intererant.

97. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An in Ecclesia Cathedrali Sarnensi cura animarum actualis resideat penes omnes et singulos Canonicos? –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Episcopus omnino procedat ad executionem Literarum Sacrae Congregationis anni 1646, auditis etiam Coadiutoribus curae ex Canonicis, et de executione certioret Sacram Congregationem – *in Sarnen. Decimarum et Emolumentorum funeralium die 7 Iulii 1731.*

98. Hinc etiam Pignatellius testatur de praxi Sacrae Congregationis in consult. 209 n. 1 et 2 tom. 4, ubi plures congerit resolutiones, quas inter recenset Aretinam Curae animarum die 8 februarii 1659, qua declaratur, – posse Episcopum curam animarum Capitulo

Ecclesiae Cathedralis incumbentem alicui canonicali Praebendae perpetuo unire, vel Vicariam perpetuam erigere –: et in Sarzanen. Visitationis sub die 24 martii 1668, in qua iussit, dari declarationem; et Pisauren. in qua censuit, – quoad curam animarum Ecclesiae Cathedralis non per amovibilem Vicarium, sed per certum Rectorem regendam et administrandam esse, vel perpetua Vicaria erecta, vel iniuncto alicui Canonicatui onere ipsius curae –, quin referat, in aliquibus casibus etiam contrarium statutum fuisse, nam in illis haud concurrebant rerum adiuncta, quae perpetuitatem Vicarii exigerent *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *De praxi*.

99. Idcirco cum Episcopus perpetuam erexerit Vicariam, nullo in casu eam amovibilem exin facere potest *in Anagnina Vicarii Curati die 21 Iulii 1832 et die 7 Iunii 1834*.

100. Siquidem Capitulum Cathedralis Ecclesiae Anagninae uni ex Canonicis quotannis per ipsum eligendo committebat exercitium curae animarum; sed anno 1734 Episcopus, consentiente Capitulo, ex mandato Sacrae Congregationis perpetuam Vicariam erexit ac univit una cum domo parochiali medietate Beneficii S. Andreae et omnibus iuribus et emolumentis Seminario, reservato praefato Capitulo iure nominandi Presbiterum idoneum toties, quoties sive per decessum sive per cessum vacare contingeret. Nulla hinc ea de re controversia ad annum usque 1830 oborta fuerat: sed exin Promotor Fiscalis Sacram Congregationem adiit, ut facultatem Episcopo concederet nominandi Sacerdotem Seminario non addictum, cum nullus in eo existeret, qui Vicariam acceptare vellet. Huiusmodi precibus die 16 maii 1831 ex audientia Sanctissimi responsum prodiit: – Pro facultate deputandi de consensu Capituli Vicarium Curatum, qui cura animarum exerceat, donec inter Superiores Seminarii aliquis idoneus reperiatur, et notificetur Episcopo administratori –. Nec tamen acquievit Promotor Fiscalis, qui propterea declarationem postulavit, utrum scilicet officium Vicarii in persona nominati esset perpetuum, an amovibile. Nam Episcopus Administrator sustinebat, in casu, quo fabricae instaurandae necessitas Alumnos ac Ministros in Seminario manere non patiebatur, mansurum non esse in officio Vicarii Curati fore Sacerdotem Seminario non addictum, qui antehac eo fungeretur officio; alioquin enim cavendum fuisset de alimentis eidem suppeditandis, cum ex reliquo tenuissimo fructu congruam sibi Vicarius accipere non posset. Totum ergo relinquebatur consilio Episcopi, quomodo scilicet in Parochiarum vacationibus eaedem committuntur Oeconomo, constituta prout facultates ferunt mercede. Capitulum contra contendit, Episcopum non posse amplius immutare naturam Vicariae, postquam illam perpetuam erexerit: ac verba in Decreto erectionis posita, scilicet – per cessum aut decessum – haud esse interpretanda *per cessum* quodammodo e Seminario, sed eo tantum sensu retinenda, quem eadem important verba in Trid. sess. 24 cap. 16, unde desumpta videbantur, ut omnimodam videlicet Vicariae Curatae perpetuitatem ad vitam Rectoris duraturam designarent. His utrique perpensis, proposito dubio: – An officium Vicarii Curati in Cathedrali Ecclesia Anagnina perpetuum sit, seu potius ad nutum amovibile in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Anagnina Vicarii Curati die 21 Iulii 1832*.

101. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis – *in Anagnina Vicarii Curati die 7 Iunii 1834*.

102. Unde quando cura actualis animarum nemini ex Capitularibus adnexa sit, sed ex institutione Pontificia Capitulum libere et licite eam committere valeat uni ex Canonicis aut Presbitero seculari, ne dubium quidem, quod Capitulum cogi possit ad eligendum Capellanum seu Vicarium, soluto ei stipendio ex massa capitulari, qui tamen sive sit de gremio vel extra gremium Capituli approbari debet ab Episcopo *in Cingulana Curae Animarum die 19 Iulii 1732*.

103. Iamvero cum Ecclesiam Cathedralem Cingulanam visitaret Episcopus, comperit, curam Animarum in ea exerceri a Canonico Horatio Bellaspica per Capitulum ad id munus electo, nulla tamen obtenta Ordinarii

approbatione. Tridentinis sanctionibus hoc repugnare ratus Episcopus interdixit eidem Canonico huius muneris administrationem, donec praevio examine renunciaretur idoneus. Ab Episcopi Decreto provocavit Capitulum contendens, licere sibi curam Animarum committere uni ex Canonicis, cui mallet, sine examine et sine approbatione Episcopi; id scilicet deducendo ex Bulla, qua Clemens VII Pontifex Ecclesiam Collegiatam instituit, ubi haec habebantur verba: – Nec non Praeposito et Canonicis praefatis eidem Ecclesiae S. Mariae per unum ex iisdem Canonicis aut alium Presbiterum secularem illius Parochianorum Animarum curam exerceri facere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis perpetuo statuimus et ordinamus –. Consuevit inde a Capitulo deputari vel Canonicus vel alter Sacerdos ad praestanda munia parochialia, stipendio ei soluto de communibus Capituli proventibus, qui etiam ex decimis parochialibus conflabantur. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Praepositus Cathedralis Cinguli habeat annexam Praepositurae curam actualem animarum? *Et quatenus affirmative.* II. An teneatur eam exercere per se ipsum? *Et quatenus negative.* III. An Capitulum cogi possit ad eligendum Capellanum seu Vicarium pro exercitio curae animarum etiam extra gremium Capituli? IV. An merces dicto Capellano sit solvenda a Praeposito, aut ex massa capitulari? V. An Capellanus seu Vicarius ad exercitium curae Animarum deputandus vel de gremio, vel extra gremium Capituli debeat ab Episcopo approbari ad eamdem curam? VI. An talis approbatio Episcopi sit necessaria etiam quando aliquis ex Canonicis velit coadiuvare Praepositum in exercitio curae animarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quintum, Affirmative – *in Cingulana Curae Animarum die 19 Iulii 1732.*

104. Quum autem Capitulum Cathedralis Ecclesiae Narniensis habitualem animarum curam haberet, et actualem per Vicarium ab eodem quotannis eligendum exerceret, Episcopus censuit, Vicarium fore perpetuum ad maiorem Paraeciae utilitatem et iuxta mentem S. Concilii Tridentini; et si Sacra Congregatio perpetuitatem adprobaret, conditiones proposuit a nonnullis Canonicis admissas. Propositis interim dubiis: – I. An sit locus perpetuationi Vicarii Curati, seu potius servanda sit Capitulo consuetudo confirmandi vel amovendi quotannis eumdem Vicarium in casu? *Et quatenus Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* II. An approbandae sint propositae conditiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata – *in Narnien. Curae Animarum die 9 Septembris 1848.*

105. Ubi enim de forma est disserendum, illud in primis inquirendum super expedientia atque utilitate Ecclesiae obventura ab inamovibilitatis conditione prae amovibilitate *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *Ast.*

106. Hinc nulla quandoque ratio suppetere potest, cur ad alteram inducendam formam deveniatur ex finis identitate utroque in casu amovibilitatis ac perpetuitatis concurrente *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *Ast.*

107. Etenim perpetuae Vicariae scopus non alius esse potest, nisi ut praeter animarum salutem, oves certum habeant pastorem, quem agnoscere debeant, et e converso certa sit persona, quae sciat illud onus sibi incumbere, et a qua Episcopus in visitatione, seu alias rationum redditionem de sibi commissis ovibus petere valeat *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *Ast.*

108. At idem sane finis obtineri quandoque potest etiam ex Vicario amovibili *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *Ast.*

109. Hinc eo praesertim in casu non prohibetur, quominus cura animarum possit per Vicarium amovibilem exerceri, quando scilicet agitur de Capitulo, cui cura particulariter incumbit *in Sorana Curae animarum die 3 Iulii 1852* §. *Ast.*

110. Neque iuri incongruum est Vicarii huiusmodi amovibilitas *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852* §. *Adduntur.*

111. Siquidem nullatenus a Tridentina Synodo sess. 7 Cap. 7 excluditur, posse etiam per Vicarium amovibilem animarum curam

exerceri, sed tantum Ordinariis facultatem attribui iuxta circumstantiarum adiuncta et Ecclesiarum utilitatem vel perpetuos, vel amovibiles Parochos assumere *in Narnien. Curae Animarum die 9 Septembris 1848 §. Quod.*

Item *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852 §. Addunt.*

112. Unde tralatitii iuris est, certis in casibus vigore Cap. 7 sess. 7 de reformatione Concilii Tridentini, non posse Episcopum deputare Vicarium perpetuum, praesertim quando a tempore immemorabili unio facta est, et ex tunc constat, Vicarios fuisse ad nutum amovibiles scientibus et consentientibus Ordinariis, et nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum *in Sorana Curae Animarum die 3 Iulii 1852 §. Insuper.*

113. Quum itaque in Ecclesia Collegiata cura actualis animarum a quatuor Mansionariis per turnum exerceretur et Episcopus proprio marte cuncta quatuor seculis laudabiliter invecta ac roborata subverterit, Sacra Congregatio probavit concordiam, qua antiquus rerum ordo redintegrabatur ea inter alias modificatione adiecta, ut loco Mansionariorum quatuor Canonici exercerent per turnum curam animarum, quin, iusta intercedente causa, obesset dispositio Concilii Tridentini in Cap. 4 sess. 21 et cap. 7 sess. 7 de reformatione *in Placentina Concordiae die 30 Maii 1818 et die 12 Iunii 1819.*

114. Hoc enim in casu Paraeciae administratio, per quatuor Canonicos Vicarios peragenda, considerari non debet tamquam promiscuum illud curae exercitium, quod indistincte ab omnibus Canonicis et membris Capituli peragitur, quod reprobari solet a Sacra Congregatione, sed potius considerari debet, tamquam deputatio quatuor Vicariorum, qui etsi Canonicali dignitate praefulgeant, nihilominus integro Capitulo corpori mystico subiiciuntur, apud quem residet cura habitualis *in Placentina Concordiae die 12 Iunii 1819 §. Perpendant.*

115. Enimvero ab anno 1140 quatuor Mansionarii exercebant curam actualem animarum in Collegiata Ecclesia Castri Arquati Placentinae Diaecesis cum omnium plausu: sed anno 1812 Episcopus Fallot de Beaumont cuncta nulliter subvertit. Nam Mansionarias proprio marte suppressit, Capitulum cura etiam habituali privavit, ac reditus Mansionariarum et Archipresbiteralis Praebendae, quae unica erat Collegiatae Ecclesiae dignitas, post obitum Archipresbiteri Croci novae Parochiali adscripsit, Paraeciae Oeconomum atque Administratorem constituit, simulque Parochum nominavit ac instituit, nullo convocato concursu nulloque praehabito examine. Vix autem antiquus rerum ordo redintegratus fuit, Capitulum ad Sacram Congregationem confugit, ut cuncta perperam gesta nulla ac irrita declararentur. Exin tamen concordia inter partes inita fuit die 11 iulii 1816, cuius summa erat, ut cura animarum habitualis penes Capitulum rediret, actualis vero non a quatuor Vicariis ut antea Mansionariis, sed a quatuor Canonicis exerceretur cum magis congrua Praebendarum assignatione, Archipresbiteralis congrua unione Beneficii de Vixoria augeretur, duae tantum Mansionariae restituerentur pro chorali servitio absque ullo onere quoad Paraeciam, utque tandem Antonius Maria Potestà, qui novo Parochi titulo ab Episcopo Fallot fuerat insignitus, quatuorque Mansionariarum reditibus locupletatus, haec omnia Capitulo cederet, modo Archipresbiteralem dignitatem in pristinum reducendam assequeretur. Emus Relator, cunctis concordiae huius capitibus mature expensis, censuit, confirmandam esse concordiam, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo. Nam ea lites abrumpebat, antiquum rerum ordinem in pristinum restituebat, ac utilitatem Ecclesiae afferebat. Siquidem ipsa personarum novatio, quatenus loco Mansionariorum Canonici ad munus Parochiale assumebantur, in evidentem Ecclesiae utilitatem cedebat, cum Canonicalis dignitas maximo in honore haberetur penes Oppidanos Castri Arquati. Nec obesse autumavit dispositionem Concilii Tridentini in cap. 4 sess. 21 de reformatione: difficultas enim haec vim suam obtineret, si longaeva quatuor seculorum observantia non obsisteret. Ab anno enim 1140 ad diem usque 7 aprilis 1812 Mansionarii per turnum Paraeciam administrarunt ea diligentia eaque animi sedulitate, ut eorum prudentiam zelum atque in componendis Parochianorum controversiis dexteritatem tam Incolae, quam

Exteri admirati fuerunt, ceu ex pluribus testimoniis luculenter patebat.

116. Proposito interim dubio: – An concordia, de qua agitur, sit confirmanda, vel infirmanda in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem – *in Placentina Concordiae die 30 Maii 1818.*

117. Mens autem fuit, ut Episcopus, audito Capitulo Mansionariis Antonio Maria et Iosepho Potestà, qui nepos ex fratre Canonicatum dicti Antonii Mariae anno 1812 ab Episcopo, soluta eidem annua pensione, habuerat, nec non Patronis, referret de annuo reditu Archipresbiteratus, singulorum quatuor Canonicatuum in Vicarias cum cura animarum erigendorum, atque Mansionariarum comprehensis incertis, et qui essent iurispatronatus, qui vero liberae collationis; referret ulterius de annuo reditu Beneficii de Vixoria vacantis per obitum Archipresbiteri Croci, et de numero animarum Castri Arquati, ut praeterea narraret, utrum renunciatio Antonii Mariae Potestà Canonicatui peracta fuerit in mense Episcopali, et utrum Ioseph Potestà renunciaverit pensioni librarum mille Parmensis monetae ab Episcopo Fallot de Beaumont decretae, tandem ut Sacram Congregationem instrueret, quare omnia in pristinum reduci nequirent; item, posita concordia, per quos chori servitium exercebitur, et quare exerceri nequiret cura animarum per Curatum aut Vicarium Curatum inamovibilem iuxta Tridentini dispositionem, et quatenus opus esset, per duos Coadiutores Capellanos. Hisce omnibus Placentinus Antistes adamussim respondit; et quoad Vicarium Curatum seu duos Capellanos Curatos censuit quidem melius fore, ut unus esset Parochus, sed subdidit: – Verumtamen cum Capitulum Castri Arquati satis aegre ferat, se privatum iri cura habituali animarum iam a quatuor ferme seculis per simplices Curatos seu Vicarios exercita, nec aliter tranquillitas restitui posset in ista Collegiata, quae aliunde constat morigeris Canonicis et Beneficiatis zelo divini cultus non parum accensis, quam si antiquus rerum ordo redintegretur, cum iis modificationibus, quae ad augendam aliquo modo reverentiam erga exercentes curam animarum et sufficientiorem ipsorum substentationem iam placuerunt in proposita concordia, hanc propterea pacis amator voto meo coadiuvo –. Ad haec id accedebat, quod nisi probarentur quatuor Canonicatus Vicariales erigendi videbatur, attenta Praebendarum tenuitate, non posse aliter suppleri congruae idoneae unius Vicarii perpetui cum duobus Capellanis ob Paraeciae amplitudinem. His igitur perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, iuxta votum Emi Relatoris; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Placentina Concordiae die 12 Iunii 1819.*

118. Examinari tamen et approbari debent ab Ordinario: quandoquidem hoc ordine cura animarum in Civitate Acheruntina inter Capitulares Ecclesiae Cathedralis exercebatur, scilicet si primus Archidiaconus in eadem cura deficeret, Cantor ei succedebat, Cantori Canonicus senior, et sic deinceps gradatim usque ad Canonicum recentiorem. Quaesitum hinc est: – An hoc sit tolerandum, quum Cantor et Canonici non examinentur in ordine ad curam animarum, et possit contingere, ut eam exerceat, qui casuum conscientiae principia ignoret, vel potius in defectu Archidiaconi deceni debeat Substitutus approbatus ab Ordinario iuxta mentem Sacri Concilii? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Singulos Canonicos in casu exercitii curae animarum esse examinandos ac probandos – *in Acheruntina et Matheranen. Visitationis Sacrorum Liminum die 3 Martii 1668.*

119. Qua de re Card. De Luca in adnotationibus ad Sacrum Concilium Tridentinum disc. 9 ad sess. 7 cap. 7 post relatum Tridentinum praescriptum, ut certus Vicarius deputetur in Ecclesiis Cathedralibus Collegiatis seu aliis Ecclesiis, in quibus adnexa est cura animarum, ut ita oves certum habeant Pastorem, quem agnoscere debeant, haec n. 3 et seqq. habet: – Hinc proinde quando contingit, quod occasione relationis, quae fieri solet in Visitatione Liminum, Sacra Congregatio Concilii ad istius notitiam deveniat, ut adhuc in eodem antiquo usu continuetur, quod scilicet exercitium curae sit promiscuum penes omnes de Collegio vel Capitulo, per eam enixe praecipi solet haec

deputatio Vicarii ex eodem Collegio vel extra, prout facti qualitas exigat. Super Vicarii autem unicitate vel pluralitate nihil statutum est, et merito; cum id ex facti qualitate pariter pendeat, an scilicet unus tantum supplere possit, vel potius duo, vel plures requirantur. Quamvis enim Rectorum seu Parochorum pluralitas a iure prohibita sit ob inconveniens, ne una Mulier duos vel plures habeat Viros; attamen id procedit in eo, qui sit verus Rector ac Sponsus Ecclesiae, non autem in huiusmodi Vicariis, qui potius famulorum ac operariorum iure censendi sunt, cum id dictae unicitati non adversetur, eodem modo, quo eidem non adversatur, ut ipsamet cura habitualis sit penes aliquod Capitulum et Collegium constitutum ex pluribus personis, quoniam unicus censetur Parochus repraesentatus ab ipso corpore mistico seu politico, constituente unam personam formalem seu intellectualem, singuli autem non sunt Parochi – *in Placentina Concordiae die 12 Iunii 1819* §. *Attamen.*

120. Peculiaribus vero circumstantiis exultantibus, Sacra Congregatio declaravit, Episcopum erigere debere Vicariam perpetuam pro exercitio curae animarum cum assignatione congruae ducatorum Regni quinquaginta ex massa Capituli Ecclesiae Cathedralis ita tamen, ut, si Praebenda Canonicalis non ascenderet ad valorem quinquaginta ducatorum, posset Episcopus assignare ratam deficientem ex massa communi Capituli *in Acernen. die 5 Maii 1646.*

121. Alias enim Capellanus Curatus participare debet de massa communi a die captae possessionis *in Cassanen. die 3 Aprilis 1756.*

122. Enimvero Sacra Congregatio anno 1591 numerum Sacerdotum Participantium in Receptiva Ecclesia S. Mariae de Castello Civitatis Castrivillarum sine praeiudicio tunc viventium reduxit his verbis: – Verum cum praedicti Sacerdotes ad praedictum numerum praefinitum redacti fuerint, si unus vel plures mori contingerit, mortuorum loco alius vel alii Sacerdotes expectantes et supranumerarii, qui Ecclesiae praedictae in minoribus ac in sacris Ordinibus inservierint, ab eorum origine Parochiani praedictae Paraeciae extiterint dictaeque Ecclesiae Parochiali ab Ordinario adscripti fuerint, quique in Ordine seniores sint, ipso iure ipsoque facto ad portionem vacantem portionesque vacantes admittatur et recipiatur admittantur et recipiantur –. Hoc Decretum confirmavit Summus Pontifex Paulus V, qui unicuique ex viginti Portionariis Sacerdotibus 75 ducatos ex communi massa attribuit. Post hoc Decretum non alii ad locum vacantem admissi fuerunt expectantes sive supranumerarii, quam qui eas haberent qualitates, quas idem praefiniverat Decretum, et usque ad annum 1694 Capellani Curati eiusdem Parochialis Ecclesiae electi fuerunt ex Sacerdotibus Portionariis seu Participantibns, ac duo solum ultimi Capellani extra numerum illorum fuerunt, qui ob id postularunt, ceu asserebatur a Portionariis, ut ad participationem admitterentur. Cum anno 1753 obiisset Capellanus Curatus Caesar Marsico, ad participationem admissus fuit Carmelus Casellius, qui inter expectantes seu supranumerarios et senior erat in ordine et ceteras habebat qualitates in Decreto reductionis praescriptas: sed indicto concursu electoque in Capellanum Antonio Campanella, hic contendere cepit, sibi debitam, non Casellio portionem participationis. Casellius vero sustinuit, non deberi Campanellae participationem, cum neque Parochianus esset neque Sacerdos supranumerarius in ordine senior, sibi vero debitam participationem, quia has habebat qualitates; servandum esse Decretum Sacrae Congregationis, confirmatum auctoritate Pontificia.

123. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capellano Curato ven. Ecclesiae S. Mariae de Castello Civitatis Castrivillarum debeatur participatio massae communis reverendi Cleri dictae Ecclesiae, quamvis non sit Parochianus nec Sacerdos supranumerarius in ordine senior eiusdem Ecclesiae? *Et quatenus affirmative.* II. An ei debeatur a die electi Parochi participatio massae communis, ad quam postremo admissus fuit Carmelus Caselli in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, et amplius. Ad secundum, Affirmative a die captae possessionis; et amplius – *in Cassanen. die 3 Aprilis 1756* (1).

(1) Reliqua habes in verb. *Attentata*, n. 432 ad 435, Tom. II.

124. Hinc erigenda quidem est Vicaria perpetua cum congrua quinquaginta scutorum, sed si massa capitularis huiusmodi onus ferre non valeat, S. Congregatio rem definiendam committit Emo Praefecto iuxta mentem *in Narnien. Curae animarum die 27 Iunii 1733.*

125. Iamvero in Oppido Collis Scipionis binae existebant Collegiatae et Parochiales Ecclesiae, in quibus cura animarum superiori tempore exerceri consueverat ab uno e Canonicis singulis annis electo a Capitulo, ut aiebant per turnum; sed in Constitutionibus capitularibus editis centum et amplius ab illinc annis haec fuerat lata lex: – Item statuimus et ordinamus, quod dicti Canonici et Capitulum debeant eligere unum de dictis Canonicis vel alium probum et idoneum virum Sacerdotem, etiam qui non sit Canonicus, qui habeat curam animarum, arbitrio reverendissimi Episcopi duraturum, et omnia alia faciat iuxta dispositionem Concilii Tridentini –. Cum autem Episcopus exposuisset morem hunc regendi gregis minime consentaneum praescripto Concilii Tridentini, simulque retulisset, Canonicos sic quotannis electos aegre adduci, ut examen subirent, dubitante etiam haud leviter Episcopo de eorum peritia ad id muneris opportuna, Sacra Congregatio die 22 martii 1732 rescripsit: – Episcopus procedat ad erectionem Vicariae perpetuae in unaquaque Collegiata ad formam sacri Concilii Tridentini, auditis interesse habentibus –. Quamobrem Episcopus per Decretum instituit Vicariam perpetuam in unaquaque Ecclesia, assignatis Vicario annuis scutis quinquaginta, quae solvi iussit ex massa capitulari. Reclamarunt Canonici utriusque Capituli exponentes, impares esse vires suorum proventuum sustinendo huic novo oneri annui stipendii persolvendi Vicario. Propositis interim dubiis: – I. An sit exequenda erectio Vicariae perpetuae tam in Ecclesia Collegiata S. Mariae maioris, quam in altera S. Nicolai cum assignatione congruae in annuis scutis quinquaginta Vicario solvendae ex massa capitulari? *Et quatenus negative.* II. Quomodo sit aliter providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Emum Praefectum, iuxta mentem – *in Narnien. Curae animaram die 27 Iunii 1733.*

126. Quum itaque Archiepiscopus Amalfitanus in actu Sacrae Visitationis Decretum ediderit, quo districte mandavit Praeposito Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae ad mare Oppidi Maioris, quod curam animarum obiret, et quidem per se ipsum, ita ut Substitutum aut Coadiutorem assumere nullatenus posset, inconsulta Archiepiscopali Curia, illudque parum liberaliter exceptum fuerit, Sacra Congregatio die 9 iunii 1714 rescripsit, quod interim quo haec controversia definiretur, Archiepiscopus sine praeiudicio ambarum Partium Oeconomum deputaret pro exercenda cura animarum unum ex Canonicis, cum assignatione congruae solvendae a quo de iure. Propositis dein dubiis: – I. An et cui incumbat onus curae animarum Parochialis Ecclesiae S. Mariae Terrae Maioris in casu etc II. An et in qua summa debeatur congrua Oeconomo deputato pro exercitio dictae curae, et a quo sit solvenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, incumbere Praeposito. Ad secundum, deberi a Praeposito congruam in summa taxanda ab Archiepiscopo – *in Amalphitana Oneris Missarum et Curae animarum die 13 Aprilis 1715 lib. 65 Decretorum.*

127. Si vero actualis animarum cura apud Capitulum, non vero penes Praepositum resideat, et Capitulum cogi possit ad eligendum Capellanum seu Vicarium pro exercitio curae animarum, merces Capellano solvenda est ex massa capitulari, non vero a Praeposito; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An merces dicto Capellano sit solvenda a Praeposito, aut ex massa capitulari? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Cingulana Curae animarum die 19 Iulii 1732.*

128. Idcirco cum Canonici teneantur coadiuvare Archipresbiterum in cura animarum ex eo quod iidem de decimis participent, ne dubium quidem, quod huiusmodi Canonici debeant solvere stipendium Capellano Coadiutori in cura animarum *in Nullius Farfen. Decimarum et Deputationis Capellani die 1 Septembris 1691.*

129. Qua de re cum Episcopus Vicariam perpetuam praevio consensu Capituli Cathedralis Anagninae et ex mandato Sacrae Con-

gregationis erexerit, reservato iure nominandi Presbiterum idoneum eidem Capitulo, ac Seminario univerit una cum domo parochiali et medietate Beneficii S. Andreae, proposito dubio: – II. An et quomodo et cuius sumptibus consulendum sit congruae Vicarii Curati in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative sumptibus Seminarii – *in Anagnina Vicarii Curati die 7 Iunii 1834.*

130. Sacra Congregatio autem declaravit, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Perusinae non teneri augere congruam Vicario amovibili Ecclesiae Parochialis, cuius bona eidem Capitulo fuerunt unita, cum abunde constaret, quod is ultra quinquaginta scuta annua libere perciperet; his enim in terminis proposito dubio: – An et in qua summa et quomodo et a quo tempore sit locus augmento congruae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus – *in Perusina Congruae die 16 Ianuarii 1805.*

131. Itaque Clemens VIII in Constitutione *In supremo solio* anno 1599 bis centum ducatos aureos de Camera dismembravit ab Ecclesia Parochiali Oppidi de Nurri in augmentum distributionum Primatialis Capituli Calaritani; et in Constitutione *Creditum nobis* anno 1601 Canonicatum Doctoralem instituit ex dicta Parochiali Ecclesia Nurriensi, demptis centum et quinquaginta ducatis similibus pro eiusdem Parochialis Ecclesiae Rectore, qui tribus Parochis eum in cura animarum coadiuvantibus stipendium solvebat. Clemens XIV in Encyclica diei 21 septembris anni 1769, cuius initium: *Inter multiplices,* et in alia diei 11 Februarii 1771, quae incipit: *Delatum nobis,* quartam redituum partem pro Vicariis perpetuis assignavit. Cum anno 1795 Rector occumberet, Archiepiscopus censuit differre concursum quoad Praebenda Canonicalis vacaret, et Rector Parochialis Nurriensis omnes reditus consequi posset. Hinc Sacerdotem Iosephum Tronchi in Vicarium deputavit cum congrua pensione scutorum quinque pro quolibet mense. Anno fere post Pro-Parochus loco pensionis ducatorum 150 ex Constitutione Clementis VIII assignatae petiit quartam fructuum partem: sed obstitit Canonicus Sisternes de Oblites, qui tum eam Praebendam tenebat, et postulavit, ut saltem haec quarta pars Rectori Nurriensi assignanda subiiceretur pro rata annuae praestationis ducatorum bis centum de Camera favore Capituli solvendae, cum praesertim is esset Vicarius interinus, non vero perpetuus. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit detrahenda quarta pro Vicario Nurriensi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Calaritana die 29 Martii 1806.*

132. Quapropter cum Capitulum Collegiatae Ecclesiae Civitatis Ophidae Asculanae Diaecesis probaverit, Canonicos Curatos congrua gaudere Praebenda, Sacra Congregatio non permisit ipsius augmentum nec per unionem Praebendarum vacantium vel Legati, nec per solutionem decimarum, quas Capitulum percipiebat, onus tamen eidem incumbit construendi Archivium parochiale ac emendi sacras supellectiles; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Canonici Curati congruis gaudeant Praebendis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An ipsis conferendae sint tres aliae Praebendae Canonicales, quae tempore restaurationis Collegiatae vacabant in casu etc. III. An et quomodo illis sit occurrendum ex pio legato Rota in casu etc, IV. An et cui competat ius percipiendi decimas in casu etc. V. An Capitulo, quod actu potitur iure decimandi, onus incumbat supplendi congruam Canonicorum Curatorum in casu etc. VI. An quomodo et a quo tempore sit iisdem Canonicis Curatis occurrendum in casu etc. VIII. An quomodo et a quo Parochia SS. Philippi et Bassi dependeat in casu etc. IX. An et cui incumbat onus construendi Archivium Parochiale ac emendi sacras supellectiles et cuius sumptibus sint omnia manutenenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum et tertium, Negative. Ad quartum, Affirmative favore Capituli. Ad quintum et sextum, Negative. Ad octavum, Affirmative a Collegio Canonicorum ita tamen, ut Parochus sub nomine Vicarii perpetui omnia iura et onera parochialia, in Ecclesia SS. Philippi et Bassi exerceat, servato quoad obsequia Ecclesiae Matrici praestanda voto Episcopi. Ad nonum, Affirmative in omnibus sumptibus Capituli – *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Ianuarii 1838.*

133. Unde si reditus Praebendae Canonicalis sint satis pingues, Canonicus Curatus in mala versans valetudine praetendere non potest liberationem ab onere curae animarum, vel constitutionem Capellani Curati expensis Capituli *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Ianuarii et die 23 Iunii 1838.*

134. Iamvero Ioannes Ciabattoni Canonicus Ecclesiae Collegiatae Civitatis Ophidae S. Vincentii et S. Lazari curam animarum ad Capitulum spectantem exercens, ac apopletico morbo colicisque doloribus confectus nec non sensibus ita laesus, ut dexteri pene lateris usum amiserit, exoravit, ut animarum onere liberaretur; nam ob tenues reditus annuorum scutorum 51 non valebat iustam solvere alimoniam alteri, qui curam animarum pro se sustineret. At Capitulum obstitit, quia morbus revera gravis non erat: et quamvis graviter aegrotaretur, non ideo Capitulum ad impensas sustinendas obligaretur, quae ad sustentationem alterius Vicarii essent necessariae. Duos enim Canonicatus iam Orator recusaverat, quos Episcopus infirmitatibus eius prospiciens ei obtulerat, ut parochiali onere liberaretur. Insuper satis amplo donabatur bonorum censu, quem etiam ex familiae suae bonis auxit, dum unicus suorum heres extitit. Hinc annuorum 400 scutorum summa potiebatur ex variis censibus conflata; et fama non inter pauperes, sed in ditioribus adnumerabatur. Demum Orator Praebenda satis pingui pollebat. His interim perpensis, proposito dubio: – X. An et quomodo sit annuendum precibus Canonici Ciabattoni in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad decimum, dilata; et Episcopus magis praecise referat ex iurata medicorum fide de impotentia et statu valetudinis Oratoris, ac proponat remedia, quibus provideri possit curae animarum – *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Ianuarii 1838.*

135. Duo autem Medici iureiurando firmarunt, non posse Oratorem curam animarum exercere, quum compatibilis ea non esset cum mala eiusdem valetudine. Episcopus necessariam minime censuit deputationem Capellani Curati: et cum non ageretur neque de absoluta impotentia, ut ex Medicorum fide, neque de summa egestate; gaudebat enim Praebenda, cuius annui fructus, deductis oneribus, ad scuta 116. 34. 4 assurgebant, iam patebat remedium, scilicet compellendum esse ad assumptionem Capellani Curati, qui iis oneribus parochialibus, quibus impar erat, satisfaceret, praesertim cum Ophidae stipendio scutorum triginta circiter Capellanus haberi posset. At si hoc non placeret, Canonicus Ciabattoni cedere poterat administrationem Praebendae Capitulo, reservata annua praestatione scutorum 51 favore ipsius, et iniuncto eidem Capitulo onere solvendi stipendium Oeconomi ab Episcopo ad animarum curam deputandi; vel poterat Coadiutorem idoneum cum futura successione a S. Sede impetrare. Non deerant enim Ophidae Sacerdotes ad id munus idonei. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus, iuxta votum Episcopi – *in Asculana Literarum Apostolicarum die 23 Iunii 1838.*

136. Quoties vero necessitas urgeat, locus est augmento stipendii Capellanorum Curatorum ex massa communi, non vero ab Archipresbitero, qui exercet curam animarum, si in actu erectionis Parochialis Ecclesiae in Collegiatam is dimiserit divitem congruam, ut longe minorem a Collegiata consequeretur *in Assisien. Stipendii die 17 Septembris 1796.*

137. Siquidem Parochialis Ecclesia S. Mariae maioris terrae Bictoniae erecta fuit anno 1792 in Collegiatam, ex reditibus parochialibus scutorum 700 circiter et simplicibus quibusdam Beneficiis de iurepatronatus Parochi Communitatis Confraternitatum et Civium; atque institutus in ea fuit Archipresbiteri nomine in primam Dignitatem Parochus Carolus Bassi cum Praebenda scutorum 200 praeter incerta stolae, Canonici decem cum Praebenda scutorum 35 pro quolibet, tresque tandem Presbiteri seculares ad nutum Archipresbiteri amovibiles, quorum singuli cum annuo stipendio scutorum 25 cum in cura animarum adiuvarent. Assignata praeterea fuerunt scuta 30 Aeditimo et Clericis inservientibus, et reliqui superextantes reditus – massae communis desuper conficiendae pro usu distributionum quotidianarum inter pro tempore existentes Archipresbiterum et decem Canonicos praedictos praesentes tantum et divinis Officiis interessentes aequa-

liter dividendi –. Bonorum autem omnium possessio eidem tributa fuit massae, quae ferre etiam deberet onera. Quum Sacerdotes fere omnes Oppidi cooptati fuerint in Collegium Canonicorum et Canonici curam animarum exercere recusaverint, Archipresbiter Sacerdotes exteros in Capellanos assumere debuit, qui tamen cum stipendio scutorum 25 Capellanias recusare imposterum videbantur. Idcirco Archipresbiter petiit augmentum ex massa communi. Quinque ex Canonicis, qui suffragia tulerunt, tres resolverunt, – aequum ac iustum esse, ut ex massa Capituli, non vero ex Archipresbiteri congrua solvatur –. Nam Archipresbiter dimiserat summam scutorum 700, ut minorem a Collegiata consequeretur congruam scutorum 200. Aequum hinc non esse videbatur, ut per augmentum stipendii Capellanorum ulteriorem pateretur reductae congruae reductionem, et in eius odium retorqueretur propria liberalitas. Alii Canonici vero contenderunt, non esse post simplex quatriennium statutum immutandum, cum nec urgeret necessitas, quod Capellani exteri stipendium recusarent scutorum 25, quod non multum a Praebenda distabat Canonicali, nec tenue admodum erat in Oppidulo, si ei adderetur Massarum eleemosyna.

138. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus augmento stipendii Capellanorum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An dictum augmentum debeatur ex massa communi, seu potius ab Archipresbitero in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative quatenus non inveniantur Sacerdotes Oppidani. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Assisien. Stipendii die 17 Septembris 1796.*

139. At Vicarius Curatus tenetur ex Praebenda solvere annuam summam pecuniae Capitulo usque ad debiti extinctionem, si liquide eiusdem debitor evaserit, remanente interim summa pro ipsius decenti tuitione *in Tyburtina die 29 Aprilis 1854.*

140. Siquidem Ioannes Trinch Hispanus usque ab anno 1841 Vicarius Curatus in Tyburtina Cathedrali Ecclesia cum in pluribus, quas in eiusdem Ecclesiae Capitulum egit, litibus cecidisset, expensarum reficiendarum titulo debitor erga praefatum Capitulum in summa scutorum 442. 73 constitutus erat. Cum nihil is in ditione Pontificia possideret, Capitulum sententiam obtinuit a Curia Tyburtina, qua Iudex anno 1852 mandavit, ut Capitulum annua scuta triginta super fructibus Praebendae perciperet usque ad debiti extinctionem, relictis interim Trinchio praeter incerta minora annuis scutatis 104. 09 pro eiusdem decenti tuitione. Appellavit Trinchius ad S. Congregationem; sed cum Capitulum plures adversus eum obtinuisset sententias vim nactas reiiudicatae pluraque expensarum Decreta ab illo reficiendarum, hinc iniuria Trinchius ad S. Congregationem provocavit pro revocanda executiva sententia. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit confirmanda, vel infirmanda sententia Curiae Episcopalis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Tyburtina die 29 Aprilis 1854.*

141. Quum itaque Capitulum Ecclesiae Cathedralis sit unicus Parochus totius Civitatis et Territorii, in praefata Ecclesia, non vero in alia Coadiutrice quoad administrationem Sacramentorum, publicari debent excommunicationes literae monitoriales pro rebus deperditis arbitrio Episcopi; sed denunciationes Matrimoniorum contrahendorum et Clericorum promovendorum in utraque Ecclesia respective *in Andrien. die 24 Ianuarii et die 19 Septembris 1767.*

142. Enimvero in Civitate Andriae Ecclesia Cathedralis erat unica Parochialis, eiusque Capitulum unicus Parochus totius Civitatis et Territorii: Ecclesia S. Nicolai mera erat Coadiutrix in administratione Sacramentorum. Capitulum itaque contendit, in sola Cathedrali publicandas esse excommunicationes, literas monitoriales, ac denunciationes Matrimoniorum, et Clericorum promovendorum ad Ordines. Decere enim hos actus fieri in ea Ecclesia, in qua maior erat frequentia Populi, ut ad omnium notitiam pervenirent: oportere proinde, ut fierent in Ecclesia Cathedrali ob praesumptum ad eam maiorem Populi concursum; difficultate omni id vacare quoad denunciationes Matrimonium, semel ac Cathedralis erat unica Parochialis, nam illas Parochis commisit Tridentina Synodus sess. 24 cap. 1 de reformatione Matrimonii; his enim perennem

addi etiam observantiam. Proposito hinc dubio: – XXII. An in sola Ecclesia Cathedrali unica Parochiali publicari debeant excommunicationes literae monitoriales pro rebus deperditis nec non denunciationes occasione Matrimoniorum contrahendorum et Clericorum promovendorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad vigesimum secundum, Affirmative quoad excommunicationes et literas monitoriales arbitrio Episcopi, in reliquis in utraque Ecclesia respective – *in Andrien. die 24 Ianuarii 1767.*

143. Reproposito dein dubio sub formula: – An quoad vigesimum secundum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad vigesimum secundum, in decisis; et amplius – *in Andrien die 19 Septembris 1767.*

144. Unde Canonicus Vicarius Curatus perpetuus Capituli Ecclesiae Cathedralis, apud quod residet cura habitualis animarum, privative potest ac debet emittere denunciationes Matrimoniales, etiamsi Cantor eiusdem Ecclesiae nomine praefati Capituli agat ac proferat consuetudinem centum quinquaginta annorum circiter, qua hic semper denunciationes emiserit *in Bovinen. Iurium parochialium die 17 Iunii 1820.*

145. Nam inter munera mere parochialia recensentur matrimoniales denunciationes ex Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium resolutione in Firmana 3 iulii 1615 *in Bovinen. Iurium parochialium die 27 maii 1820* §. *Ad.*

146. Siquidem quaestio exorta fuit inter Canonicum Tiberium de Pompa Decanum Curatum Cathedralis Ecclesiae Bovinensis et Canonicum Cantorem Iosephum Santoro super iure faciendi denunciationes ante celebrationem Matrimonii. Quum enim Dignitati Decanatus esset adnexa cura animarum, contendit Decanus iure proprio tamquam Parochus, ad se privative spectare eiusmodi denunciationes facere. Quandoquidem Concilium Tridentinum in Cap. 1 sess. 24 de reformatione Matrimonii statuit, – ut, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Parocho in Ecclesia publice denuncietur –: quod ita interpretantur Doctores, ut scilicet denunciationes fieri debeant vel a Parocho, vel ab alio Sacerdote de eius licentia. Nec obesse dixit Decanus consuetudinem etiam immemorabilem, nec defectum clausulae – non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili –: namque Doctores praesertim Devoti in Prolegomenis ad ius canon. cap. 16, §. 6 tom. 1, Benedictus XIV in Instit. eccles. 60 n. 7, et Pitonius in controv. patron. alleg. 5 per totum docent, nullam contra Tridentinum dari consuetudinem; hinc omnia et singula Decreta Concilii Tridentini, etsi non munita clausula irritanti, praescribi non posse. Quin imo ex libris parochialibus apparere asseruit triplicem denunciationem Matrimonialem anno 1608 emissam fuisse a tunc temporis Decano Curato Damiano De Luca; adeoque eversam fuisse praecedentem consuetudinem, si forte adfuerit favore Cantoris, cum unicus actus sufficeret ad evertendam contrariam consuetudinem. Particulam tamen hanc triplicis denunciationis anni 1608 exhibuit Decanus, quin Parochiali sigillo munita existeret: immo sustinuit quidem, denunciationes factas fuisse per Decanos ad annum usque 1683, sed simul fatebatur, eos ab anno 1684 expoliatos fuisse huiusmodi denunciationum iure. Addidit, Decanum Curatum Ecclesiae Cathedralis Bovinensis esse verum et solum Parochum, qui per concursum et canonicam institutionem assequi Decanatum cum iure perpetuo ac privativo functiones omnes, titulo suo adnexas, ac praesertim munia parochialia exercendi, eumdemque assumere sibi Coadiutores in exercitio curae, iisque de proprio mercedem laboris solvere. Idcirco Capitulum, apud quod erat cura habitualis, sibi reservare non poterat ius istud denunciationum, de qua ceteroquin reservatione nulla existebat probatio, quae tamen numeris omnibus absoluta afferri debuisset, ut legitimus Parochus a suo certo iure detruderetur. Receptum enim est, Canonicos, apud quos residet cura habitualis, non posse se intromittere in cura animarum, invitis Vicariis perpetuis, qui proprie habere dicuntur exercitium curae animarum. Ex opposito contendit Cantor, se iustum titulum habere eiusmodi denunciationes emittendi, cum ageret nomine Capituli, cuius erat radicalis cura animarum, ipsi praeterea favere possessionem centum quinquaginta annorum circiter, ac proinde manutenendum esse in eiusmodi iure ac possessio-

ne. Nam antiquitus penes Capitula Cathedralium Ecclesiarum erat nedum habitualis, sed et actualis cura animarum: unde non deerant exempla, ut alicui Canonico reservaverint Capitula ius denunciationum, ceu reapse apparebat in Cathedrali Ecclesia Marsicensi, ubi denunciationes ab Archidiacono fiebant, et in aliis Neapolitanae ditionis Cathedralibus Ecclesiis ius istud erat penes Primicerios. Insuper ex dispositione Concilii Lateranensis IV in cap. 1 *Cum inhibitio* 3 de clandest. sponsatione §. 1 praescriptum est, – ut, cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbiteros publice proponantur –, quod Decretum non fuit sublatum a Tridentino, sed potius innovatum, ceu pandunt verba sess. 24 de reformatione matrimonii: – Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo –; adeoque praescriptum denunciationum emittendarum a proprio contrahentium Parocho respiciebat potius Parochialium Ecclesiarum Rectores, quam Vicarios perpetuos, qui habituali carent cura animarum. Posito autem hoc titulo, licitam dixit introductam consuetudinem centenariam, sed imo immemorabilem, quin tamen documenta afferret.

147. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An possit et debeat Decanus Curatus Ecclesiae Bovinensis emittere denunciationes matrimoniales, seu potius sit substinenda praxis favore Cantoris in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Bovinen. Iurium parochialium die 17 Iunii 1820.*

148. Compertum hinc est, huiusmodi consuetudinem veluti abusum et corruptelam habendam esse; quandoquidem Tridentina Synodus in sess. 23 cap. 1 de reformatione Matrimonii nec non sess. 25 de reformatione in Decreto de delectu ciborum etc. alia etiam iura munera et officia Parochis decrevit, atque consuetudo, quae adversatur, ut abusus et corruptela haberi debet, estque tollenda, uti statuit Pius IV in sua Bulla, cuius initium: *Principis Apostolorum* 13 Kal. Martii 1565 *in Nullius Sublacen. Iurium Parochialium die 18 Septembris 1824* §. *Ceterum.*

149. Idcirco licet Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Andreae Sublacensis Abbatiae habentes curam habitualem animarum sustinerent, ex consuetudine centenaria ac immemorabili ad Canonicum Sacristam, non ad Archipresbiterum et Primicerium independenter ac perpetuo exercentes curam actualem animarum, spectare ius Matrimoniorum contrahendorum Ordinandorum Excommunicationum et Indulgentiarum denunciationes Populo faciendi, proposito tamen dubio: – III. An et ad quem spectet facere publicationes seu denunciationes Matrimoniorum promovendorum ad sacros Ordines excommunicationum et indulgentiarum in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative ad Archipresbiterum et Primicerium – *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 29 Ianuarii 1825.*

150. Qua de re cum Capitulum Cathedralis Ecclesiae sit unicus Parochus totius Civitatis et Territorii, Presbiteri alterius Ecclesiae Coadiutricis in administratione Sacramentorum nequeunt extra ambitum sibi assignatum agere publicas processiones etiam solemnes et funebres, nisi ex consensu Capituli praeter veniam Episcopi; his enim in terminis proposito dubio: – XIV. An pro dictis processionibus petenda et obtinenda sit licentia non tantum ab Episcopo, sed etiam a Capitulo unico Parocho in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad decimum quartum, Affirmative in omnibus quoad processiones extra ambitum – *in Andrien. die 24 Ianuarii 1767.*

151. Reproposito dein dubio sub formula: – An quoad decimum quartum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum quartum, in decisis; et amplius – *in Andrien. die 19 Septembris 1767.*

152. Unde cum penes Capitulum Collegiatae Ecclesiae esset cura habitualis animarum ac ius baptizandi Pueros ex consuetudine nec non retinendi claves Baptisterii et Olei Sancti ipsum possideret, proposito dubio: – II. An reservatum sit Capitulo ius baptizandi Pueros ac retinendi claves Baptisterii et Olei Sancti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ad formam consuetudinis, dummodo per Abbatem referantur Baptismata in parochialem librum, et eidem Abbati tradatur altera ex clavibus

Olei Sancti – *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830.*

153. Qua de re cum penes Canonicos Collegiatae S. Bartholomaei existeret cura habitualis animarum et ipsi ex consuetudine ius exercendi plures functiones prae Abbate curam actualem exercente possiderent, proposito dubio: – V. An et ad quem spectet ius canendi Missam et vesperas solemnes in diebus Paschatis Resurrectionis Pentecostes Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae Dedicationis Ecclesiae et S. Protectoris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, servetur consuetudo – *in Marsorum Iurium Parochialium die 30 Ianuarii 1830.*

154. Hinc S. Rituum Congregatio pluries decrevit, praecedentiam in funeribus deberi Archipresbitero Parocho ratione stolae, non vero Archidiacono primae Dignitati; alii enim Canonici, ut ait Card. De Luca in disc. 46 n. 5 de Parochis, eiusdem Ecclesiae, penes quam sit cura habitualis, non dicuntur Parochi, neque eorum Beneficia dicuntur Curata; ergo non possunt praetendere ius parochiale – *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 18 Septembris 1824* §. *Quum.*

155. Amplia, etiamsi adsit contraria consuetudo: quum enim ambigi nequeat, actualem curam animarum exercentes veros esse Parochos cum potestate libera gregem sibi respective commissum pascendi, in propatulo esse videtur, huiusmodi observantiam iuri manifesto repugnare, atque idcirco non esse attendendam *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 18 Septembris 1824* §. *Negari.*

156. Idcirco licet Canonici Collegiatae Ecclesiae Sublacensis Abbatiae curam habitualem animarum habentes contenderent, ob consuetudinem centenariam ac etiam immemorabilem ad Canonicum hebdomadarium, non vero ad Archipresbiterum et Primicerium curam actualem perpetuo ac independenter exercentes, spectare ius deferendi stolam in associatione Cadaverum et peragendi officium et absolutionem super cadavera, propositis tamen dubiis: – I. An et ad quem spectet delatio stolae in associatione cadaverum in casu etc. II. An et ad quem spectet cantare Missam peragere officium et absolutionem super cadavera in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus ad Archipresbiterum et Primicerium – *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 29 Ianuarii 1825.*

157. Quod si cura animarum habitualis et actualis sit penes Capitulum ac idem Capitulum valeat deputare duos Capellanos amovibiles pro exercitio praedictae curae, huiusmodi Capellani nequeunt assumere nomen et titulum Curatorum Ecclesiae Cathedralis; his enim in terminis proposito dubio: – III. An iidem Capellani possint assumere nomen et titulum Curatorum dictae Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, esse appellandos Capellanos Curatos – *in Assisien. Curae Animarum die 16 Novembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

158. Hinc cum Praepositus satis ostendere nequeat, quod cura animarum sibi competat independenter a Capitulo, ex eo quod eadem ad utrumque spectet, Canonici Collegiatae Ecclesiae associationi cadaverum Canonicorum interesse valent, si collegialiter incedant, alias ius est Parocho associare eorumdem cadavera, et quoad spolium cerae servari debet consuetudo, sed dictus Praepositus exercere valet per se ipsum functiones parochiales nec non accedere ad Archivium ad formam Constitutionis Benedicti XIII *Maxima vigilantia*, atque libere habere transitum ab aedibus ad Sacrarium *in Placentina Iurium parochialium die 25 Maii 1816 die 25 Ianuarii et die 20 Septembris 1817.*

159. Siquidem Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis, ex conditionibus interpositis in actu translationis Capituli S. Ioannis Evangelistae ad praefatam ecclesiam, ex Decretis sacrarum Visitationum et ex tricenaria observantia demonstrare studuit, sibi competere ius parochialitatis iure proprio et independenter a Capitulo. Hinc Episcopus die 21 iulii 1813 edidit Decretum, quatuor capitibus constans; et in primo capite statuit, – nullum ius competiisse et competere Capitulo dictae Ecclesiae associandi funus Canonicorum defunctorum, minusque super spolio cerae ratione funerum huiusmodi, sed immo ius exclusivum quoad unum et alterum spectare Praeposito uti Parocho Ecclesiae –. Nec obesse videba-

tur transactio anni 1732, cum veram saperet alienationem; idcirco Praepositus absque Beneplacito Apostolico non poterat in damnum successorum cedere ius deputandi Capellanum et dimittere curae emolumenta. Statuit Episcopus in secundo capite, delendam esse inscriptionem appositam supra ostium Sacristiae dictae Ecclesiae, in qua affirmabatur, curam animarum praefatae Ecclesiae esse penes Capitulum. Statuit in tertio capite, disciplinam Ecclesiae incumbere Praeposito uti Capiti Capituli et Parocho, nihilque eo non consulto et annuente innovari aut immutari posse. Nam Praepositus erat Parochus aeque ac prima Capituli Dignitas. Statuit demum in quarto capite Episcopus, Praepositum habere facultatem libere accedendi ad Archivium Ecclesiae – toties, quoties opus fuerit, praemonitis Deputatis, ad Archivium, qui se praestabunt, nulla interposita mora, eique etiam ea documenta tradent, quibus opus habeat ad tuenda iura Ecclesiae et Praeposituae, relicta tamen penes Custodes, donec restituantur, opportuna schedula de recepto, quae eum responsabilem reddet de documentis sic extractis –. Praeter Decretum hoc Episcopus alterum tulit die 21 decembris 1808, in quo concessit Praeposito ius aperiendi ianuam, ut ab aedibus transitum haberet ad Sacrarium et Ecclesiam, – prout reperiebatur tempore obitus Praepositi Ponti – immediati praesentis Galli Dordoni antecessoris. Ius enim istud sibi Praepositus asserebat tum ex conditionibus translationis anni 1562, tum etiam ex iure, quia Parochus habitare debet in domo suae Ecclesiae contigua, quin obesset transactio anni 1732, cum ex defectu Beneplaciti Apostolici irritam reprobaret. E contra Canonici valde insudarunt, ut Episcopi Decreta rescinderentur.

160. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur Decretum Episcopi diei 21 iulii 1813 in casu etc. II. An sustineatur Decretum Episcopi diei 21 decembris 1808 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, quoad primum caput quoad associationem, Negative; et quoad spolium cerae, servetur consuetudo: quoad secundum, Negative; et curam animarum competere Praeposito et Capitulo, et in his terminis inscriptionem esse restituendam: quoad tertium, Negative exceptis functionibus parochialibus, quatenus Praepositus eas per se exerceat: quoad quartum, servetur omnino forma Constitutionis Benedicti XIII *Maxima vigilantia* (1). Ad secundum, Affirtive iuxta modum; nempe ad formam praecedentium concessionum – *in Placentina Iurium parochialium die 25 Maii 1816.*

161. Praepositus Antonius Galli Dordoni impetravit statim novae audientiae beneficium; ac petiit quasdam declarationes, quatenus standum esset in decisis. Unde Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1817 reproposito dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, responsum dedit: – Dentur dubia super declarationibus –. Iamvero Sacra Congregatio die 25 maii 1816 definivit, competere Canonicis ius associandi funera Canonicorum. Postulavit itaque Praepositus declarationem, utrum scilicet Capitulum deberet Collegialiter incedere ad associanda haec funera, et in casu, quo collegialiter non incederet, sive nollet sive nequiret, non posset per Capellanos id exercere, sed ius esset Parocho cadavera Canonicorum associare. Nam Parochus cedere debet locum Capitulo, quoties collegialiter ad funus accedat, quia tunc repraesentat universam Collegiatam Ecclesiam, secus vero quando non incedit collegialiter, sed per Capellanos repraesentatur Capitulum, quia tunc Parochus vincit dignitate repraesentantes et debet illis praecedere. Postulavit etiam Praepositus, ut deleretur modus in responsione ad secundum dubium appositus; simulque petiit declarari, ut Praeposito dandus esset transitus sive exerceret, sive non exerceret curam animarum. Nam ius hoc liquidum patebat ex conditionibus conventis, cum translatio Ecclesiae S. Ioannis facta fuerit ad Ecclesiam S. Michaelis anno 1562, quin obesset transa-

(1) Praedictus Pontifex ita disposuit in praefata Constitutione §. 22: – Ex Archivis non liceat efferre scripturas sine Praelati vel Superioris facultate illas exscribendi, easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi syngrapha receptionis triduano tempore limitata reponatur. Hanc syngraphan scripturas recipiens sua manu in codice ad hoc retinendo in eodem Archivio subscribat, Ordinariis tamen locorum reservata facultate prorogationis temporis, quae moderate concedatur –.

etio anni 1732, quia carebat Beneplacito Apostolico. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 25 maii 1816 in casu etc. *Et quatenus in decisis.* II. An Capitulum debeat collegialiter incedere ad associationem Canonicorum in casu etc. III. An ius sit Parocho cadavera Canonicorum associare, ubi Capitulum vel nolit, vel non possit collegialiter incedere in casu etc. IV. An dandus sit transitus Praeposito ab aedibus ad Ecclesiam sive exerceat, sive non exerceat curam animarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis prout in sequentibus. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Affirmative in omnibus – *in Placentina Iurium parochialium die 20 Septembris 1817.*

162. Qua de re Capitulo curam habitualem animarum habenti, non vero Vicario curam actualem exercenti, danda est manutentio iuris eligendi et removendi Vespillonem, cum in promptu extet consuetudo, ac idem non uni Vicario, sed etiam Ecclesiae et Capitulo inserviat *in Romana Manutentionis die 12 Iunii 1819.*

163. Iamvero Vicarius Curatus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae in Cosmedin, inscio Capitulo, Vespillonem removit. Capitulum autem obstitit et manutentionem petiit: nam Capitulum illi stipendium auxit et habitationem concessit, sive eum ob non adimpletas conditiones ab officii munere dimisit, sive Vicarium perpetuum coegit ad redintegrandum a se eiectum Vespillonem, sive tandem novum Vespillonem nominavit; quam consuetudinem fulciri contendit exemplo ceterarum Urbis Collegiatarum. Addidit, Vicario perpetuo, qui actualem tantum habebat curam animarum, annuam congruam persolvi ex reditibus capitularibus, cum penes Capitulum resideret cura habitualis, quodque ius habebat illum nominandi; ex quibus arguit, Vicarium Curatum recenseri inter Salariatos, cui proinde competere nequibat ius ceteros Salariatos expellendi, ac praesertim Vespillonem, qui etiam in officio lictoris custodis et pulsatoris tintinnabuli inserviebat. Emus Diaconus vero retulit in sua informatione, quod – ea potissimum sistunt in necessitate operam adhibendi earum personarum, quae et obedientiam et diligentiam una cum assiduitate et fidelitate coniungant; si enim secus esset, ut penes reverendissimum Capitulum Vice-Parochus socors forte et incuriosus videretur, prae eorum oscitantia, qui Ecclesiae inserviunt et Paraeciae, ita ne huiusmodi vitio obumbratus appareat, et admittere et dimittere optaret eos, quorum opera satis confidere potest –. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et cuius favore sit danda manutentio iuris eligendi et removendi Vespillonem in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative favore Capituli – *in Romana Manutentionis die 12 Iunii 1819.*

164. Unde Archipresbitero, licet non amplius actualem curam animarum exerceat, non vero Capitulo competit electio Procuratoris Mortuorum, nec non ad eumdem spectat ius praelevandi quotannis ex emolumentis funerum Capitulo obvenientibus annua scuta duo et obulos quinquaginta, si ipsius favore adsit consuetudo et praescriptio *in Terracinen. Iuris eligendi Procuratorem et percipiendi emolumenta funerum die 2 Iulii 1838.*

165. Siquidem duodecim constabat Canonicis Terracinensis Ecclesiae Cathedralis Capitulum, quos inter unica Dignitas Archipresbiteralis, cui ab origine actualis inerat cura animarum. Bonorum redituumque Massa omnibus erat communis, communia et emolumenta quaelibet incerta, quae inter recensebantur nonnulla ratione funerum provenientia, quae inibi audiebant *della Campanella,* quae scilicet pro sono solitae campanae minoris occasione mortis vel exequiarum solvebantur, quaeque exigebantur per Procuratorem dictum Mortuorum, qui electus plerumque constabat ab Archipresbitero, Capitulo praesente, quoties et ceteri Ecclesiae Officiales eligebantur. Anno 1804 animarum cura actualis ab Archipresbiteratu seiuncta est alterique adnexa Praebendae, Archipresbiter tamen, quoties opus fuit, praefatum Procuratorem Mortuorum eligere non destitit, sicuti antea factum fuerat. Ast anno 1836 cum postremo de adlecti Procuratoris Mortuorum gestione gravissimam Massae derivasse perniciem persensissent, factum fuit, ut Canonici de eodem ab commisso officio removendo excogitaverint. At obstitit Archipresbiter Vicario,

qui etiam sustinuit, sibi competere ius praevalendi quotannis ex emolumentis funerum Capitulo obvenientibus annua scuta duo et obulos quinquaginta ad formam consuetudinis et praescriptionis. Capitulum contra consuetudinem et praescriptionem denegare ac removere studuit. Propositis vero dubiis: – I. An cui et quomodo competat ius eligendi Procuratorem Mortuorum in casu? II. An Archipresbitero competat ius praevalendi quotannis ex emolumentis funerum Capitulo obvenientibus annua scuta duo et obulos quinquaginta in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative favore Archipresbiteri iuxta consuetudinem ita tamen, ut confirmari nequeat Procurator, nisi prius reddita ratione. Ad secundum, Affirmative – *in Terracinen. Iuris eligendi Procuratorem et percipiendi emolumenta funerum die 2 Iunii 1838.*

166. At cum penes Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Eustachii resideat cura habitualis animarum et ex concordia et reiudicata Rotali ad ipsum spectent emolumenta funerum praecipua ex parte, eidem, non vero Vicario Curato, competit ius eligendi Sacerdotes pro associatione cadaverum et ius exigendi et concordandi super iisdem emolumentis; his enim in terminis propositis dubiis: – II. An et a quo sit facienda electio Sacerdotum pro associatione funerum et pro exequiis in casu etc. III. An et ad quem spectet exigere et concordare super emolumentis funerum in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative a Capitulo. Ad tertium, Affirmative ad Capitulum - *in Romana Iurium parochialium die 7 Septembris 1805.*

167. Hinc Archiepiscopus Spoletanus in actu S. Visitationis anno 1835 mandavit, ut Canonicus Curatus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Populo gaudere deberet vacationibus a choro, cum distenderetur curis parochialibus, quin computarentur dies illi, nisi vacato servitio occurrerent. Si vero tamquam Parochus, ad associationes defunctorum cum Capitulo, accederet, nedum percipere deberet id, quod sibi competebat, sed ea etiam, quae Capitulum accipiebat. Quoad autem punctaturas praecepit, ut servaretur erectio et Constitutio diei 16 octobris 1730, cuius initium: *Ministerii:* et cum gauderet omnibus honoribus canonicalibus incertis et introitibus communibus, is ferre etiam pro rata teneretur expensas communes pro Ecclesiae manutentione, iuxta laudabilem Ecclesiae Collegiatae consuetudinem. Propositis itaque dubiis: – I. An et quae onera Canonicus Curatus Collegiatae S. Mariae de Populo veluti alii Canonici in choro per turnum teneatur in casu? II. An et quomodo teneatur pro rata ad expensas pro Ecclesiae reparatione et inservientium stipendio in casu? III. An et quomodo teneatur ad solutionem duodecim ducatorum pro comparanda cera ad functiones divinas necessaria in casu? –, S. Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Affirmative ad formam Decreti S. Visitationis - *in Spoletana Servitii chori die 8 Iulii 1854.*

168. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, in decisis; et amplius - *in Spoletana Servitii chori die 28 Martii 1857.*

169. Idcirco inter plures Canonicos Curatos aequa esse debet onerum partitio, cum aeque fructus iisdem aucti fuerint *in S. Miniatis Onerum die 27 Februarii 1858.*

170. Siquidem in Ecclesia Collegiata Oppidi S. Mariae in Monte tres aderant Canonici Curati, qui curam per turnum quoquo anno exercebant: sed praeterito seculo Episcopus Fazzi primum Canonicatum ad Prioratus nomen evexit eique summam paraecialis regiminis contulit, relicto aliis duobus Canonicis onere coadiuvandi dumtaxat Priorem in cura animarum, et congrua iisdem assignata scutorum sexaginta pro unoquoque. Anno autem 1782 ad alterius Paraeciae erectionem deventum est in Ecclesia S. Donati, quae sita erat in inferiori parte Oppidi. Quoad dotationem vero novae Paraeciae S. Donati non una eademque, sed diversa plane sequentibus annis ratio invaluit. Cautum etiam subinde fuit, ut cum primum vacaret Canonicatus sub appellatione S. Caroli, huius reditus, loco illorum tertii Canonicatus primum assignati,

substituerentur pro congrua novae Paraeciae. Quum onera dicti Canonicatus non fideliter adimplerentur, Episcopus Fazzi anno 1821 decrevit, ut satisfactio Missarum (duarum pro qualibet hebdomada) festi Titularis et Anniversarii perficeretur a Parocho S. Donati. At Episcopus Pierrazzi anno 1840, ut aequa magis onerum partitio iniretur, Decretum edidit, quo Parochus S. Donati, excepto onere Missarum hebdomadalium, in reliquo solutus declarabatur a celebratione festi Titularis et Anniversarii, quae eius loco imponebatur duobus Canonicis Curatis S. Mariae in Monte, qui, cum duas ex tribus partibus Canonicatus S. Caroli perciperent, congrua potiebantur non ut antea in scutis 60, sed in scutis 116 pro unoquoque. Episcopus censuit, huiusmodi oneri subiiciendum non esse Canonicum Mori, donec is viveret, cum tempore Decreti iam Canonicatu fruebatur. Proposito hinc dubio: – An et quomodo servandum sit Decretum Episcopi Pierrazzi anni 1840, seu potius ad observantiam revocandum sit Decretum Episcopi Fazzi anni 1821 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem iuxta modum ab Episcopo propositum, Negative ad secundam. – *in S. Miniatis Onerum die 27 Februarii 1858.*

171. Hinc decimae ac emolumenta stolae debent iuxta consuetudinem pro medietate inter Rectorem et Canonicos Collegiatae Ecclesiae nec non omnes pro rata expensas pro divino cultu sustinere tenentur, sed Canonici Rectori subesse tenentur, quin tamen Rector eos mulctare valeat in casu inobedientiae *in Sarnen. Iurium parochialium die 15 Ianuarii 1718.*

172. Enimvero – Ecclesia S. Matthaei, quae simplex Parochialis erat, ab antiquissimo tempore, ut supponitur, in Collegiatam erecta fuit, cuius Rector tres ex quinque partibus decimarum, reliquas autem duas partes quatuor eiusdem Ecclesiae Canonici percipiebant. Instituto autem anno 1628 ex pii Testatoris fundatione quinto Canonicatu, consuetudo obtinuit, ut decimae aliaque omnia stolae emolumenta pro medietate inter Rectorem et Canonicos dividerentur, et ita successivis temporibus usque in praesens servatum fuit, non obstantibus contrariis protestationibus emissis anno 1676 a Rectore tunc temporis Ecclesiae, et anno 1707 a moderno Rectore, qui tres ex quinque partibus decimarum et emolumentorum stolae iuxta antiquam divisionem praetendit, eo quia sine Apostolico Beneplacito haec nova introducta sit divisio, quod tamen ex lapsu temporis praesumi Episcopus insinuat. Praeterea cum anno 1657 Episcopus tunc temporis in S. Visitatione bona hereditaria Ioannis Iacobi Rocco, qui Ecclesiam S. Matthaei instituerat heredem, Praebendis duorum Canonicatuum ratione eorum tenuitatis et cum consensu Canonicorum univerit, hanc unionem nullam esse contendit modernus Rector ex defectu causae et solemnitatis et praecipue consensus Rectoris tunc temporis, quem tamen non desiderari Episcopus in sua relatione asserit; et ulterius addit, antiquos Rectores propria auctoritate et sine consensu Episcopi meliorem partem bonorum hereditariorum Ioannis Gronderii propriae Praebendae incorporasse. Praetendit etiam Rector, ut Canonici pro rata redituum Canonicatuum ad expensas omnes pro utensilibus et fabrica Ecclesiae contribuant, si reditus in hanc causam assignati necessarias expensas non adaequent, sicuti etiam comprobari supplicat eius praetensam praeeminentiam quoad Canonicos in celebratione divinorum Officiorum et exercitio curae animarum, ita ut ipsi potestas sit eos mulctandi –.

173. Quare monito saepius Procuratore Canonicorum, propositis dubiis: – I. An Rectori Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Matthaei Sarni debeantur tres ex quinque partibus decimarum praedialium, vel potius eidem debeatur medietas earumdem in casu etc. II. An et quae portio eidem Rectori debeatur ex emolumentis incertis Parochiae in casu etc. III. An unio seu applicatio bonorum hereditariorum quondam Ioannis Iacobi Rocco facta a Vicario in actu Visitationis die 23 maii 1657 duabus Praebendis duorum Canonicorum sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* IV. An et quae portio fructuum dictorum bonorum debeatur Rectori in casu etc. V. An, quatenus fructus bonorum hereditariorum quondam Canonici Francisci Franzesii applicati pro expensis annuis dictae Ecclesiae non suppetant, obligati sint et pro qua rata tam Rector, quam Canonici supplere et contribuere expensis pa-

ramentorum vasorum candelarum pro Missis conventualibus et pro divino officio et earum, quae dispensantur in die Purificationis Beatae Mariae Virginis, olei pro lampade hostiae et vini pro Missis ac reaptationis Ecclesiae et expurgationis sepulchrorum in casu etc. VI. An Canonici et Beneficiati S. Petri et S. Mariae ad Praesepe debeant propriis expensis providere candelas vinum et hostias pro Missis, quae ab ipsis celebrantur ex eorum obligatione in dicta Ecclesia, vel potius debeant illa subministrare Rector et Capitulum in casu etc. VII. An Canonici quoad chorum ceterasque functiones ecclesiasticas in dicta Ecclesia peragi solitas, et quoad curam animarum teneantur eidem Rectori obedire in casu etc. *Et quatenus affirmative.* VIII. An idem Rector in casu inobedientiae possit eosdem Canonicos mulctare et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, deberi medietatem iuxta solitum. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, provisum. Ad quintum, teneri omnes pro rata. Ad sextum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad septimum, Affirmative prout de iure, et ad formam Constitutionum synodalium. Ad octavum Negative – *in Sarnen. Iurium parochialium die 15 Ianuarii 1718.*

174. Idcirco spolium funerum Episcopi Diaecesani et aliorum Praelatorum aut Principum, quae praesente cadavere celebrantur in Cathedrali, non spectat privative ad Archipresbiterum, sed cumulative cum Capitulo, licet extet conventio, qua id generaliter pro aliis funeribus ad Archipresbiterum spectaret *in Massen. Iurium Parochialium et Spolii die 24 Aprilis 1858.*

175. Iamvero conventio inter Capitulum et Archipresbiterum Ecclesiae Cathedralis Massensis, cui animarum cura actualis imminebat, ita inita erat, ut spolium funerum Cathedralis praesente corpore cederet in exclusivum emolumentum Archipresbiteri; spolium aliorum funerum quorumcumque cederet in emolumentum Capituli cumulative cum Archipresbitero: hinc quaerebatur, an extendenda esset ad speciales casus funerum Episcopi Diaecesani et aliorum Praelatorum aut Principum. Archipresbiter enim contendebat, sibi deberi vi expressae conventionis, cum in ea nulla contineretur exceptio pro funeribus Episcopi aut Praelatorum vel Principum. Capitulum contra sustinebat, conventionem iura dumtaxat et functiones vere parochiales respicere palam esse: atqui hasce inter recenseri non posse funera, de quibus agebantur; haec enim celebrabantur in Cathedrali Ecclesia non quidem ratione parochialitatis, sed ratione Cathedralitatis ob eminentem harum personarum dignitatem iuxta ea, quae docet Samuel in tract. de sepulturis contr. 9 concl. 1 et concl. 12. Hinc res, conventione posthabita, cedebat sub dispositione iuris communis, ex qua privativum ius non competebat Archipresbitero percipiendi emolumenta eorumdem funerum ratione sui officii parochialis, sed de his participare dumtaxat poterat ratione sui officii canonicalis vel dignitatis, qua insignitus erat. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An spolium funerum Episcopi Diaecesani et aliorum Praelatorum aut Principum, quae praesente cadavere celebrantur in Cathedrali, spectet privative ad Archipresbiterum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Massen. Iurium parochialium et Spolii die 24 Aprilis 1858.*

176. Eadem scilicet ratione, qua emolumenta, quae proveniunt occasione tumulationis cadaverum exterorum, qui in Collegiata, quae simul Parochialis sit, sibi sepulturam elegerunt, non pertinent ad Archipresbiterum vel Praepositum uti Parochum, sed in massa communi inter Capitulares distribuenda reponi debent, ceu docet Pitonius in additione ad discept. eccles. 8 n. 18; – quia, inquit, in funeribus exterorum habetur consideratio Ecclesiae uti Collegiatae et tumulantis, non autem uti Parochialis, nec propterea Praepositus uti Parochus seu Vicarius Parochialis aliquod ius sibi privativum asserere potest, sicut habet in funeribus suorum Parochianorum, quia in suis Parochianis habet onus curae et administrationis Sacramentorum, propter quod ius privativum in sepultura et emolumentis, quae ratio cessat in funeribus exterorum, neque habetur ratio parochialitatis, sed solum habetur ratio Ecclesiae Collegiatae uti tumulantis –. Quod obtinet etiam in omnibus aliis emolumentis,

quae proveniunt ex functionibus, quae non sint mere parochiales, ut sunt anniversaria legata pia ac cetera huiusmodi, et ex associatione cadaverum, uti loco citato firmat Pitonius *in Massen. Iurium parochialium et Spolii die 24 Aprilis 1858* §. *Sed.*

177. Hinc Parocho et Capitulo Collegiatae Ecclesiae ad formam concordiae, non vero Episcopo competunt cerei et intorticia, quae absolutis exequiis pro regali celsitudine Mariae Beatricis Massae Carraraeque Ducissae absente Cadavere factis supersunt *in Massen. Pertinentiae die 30 Aprilis 1836.*

178. Enimvero cum Ecclesia parochialis in Massensi Civitate divis Petro et Francisco dicata erecta fuerit ab Urbano VIII in Collegiatam, inita fuit conventio, qua cautum est, quod reliquum omne intorticiorum post exequias aliasque functiones, quibus Capitulum assisteret, exceptis intorticiorum reliquiis, quae circa alicuius cenotaphium existerent, quae Parocho concedebantur, Capitulum inter et Parochum esset in posterum aequa lance dividendum. Quum anno 1829, vita functa regali celsitudine Mariae Beatricis Massae Carraraeque Ducissae, iusta exequiarum solemnia in S. Petri et Francisci Ecclesia persolvenda esse decretum fuit. Ut haec ad Episcopi aures pervenerunt, literas incunctanter dedit Capitulo, queis praetendebat, sibi deberi reliquum intorticiorum ex decisione Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, relata per Gavantum in Enchiridion in verbo *Exequiae* n. 19 in additione. At Parochus et Capitulum obstiterunt, cum id sibi deberi ex conventione praedicta, quae licet non reperiretur, ex continua praxi confirmabatur, quin obstaret praefata decisio Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, cum luculentius diversam rem fuisse evinceretur. Siquidem in Oppido vulgo nuncupato *Specchio degli Urossi* Hydruntinae Diaecesis Baroniam possederat Ioannes Baptista Gallone, qui diem obiit supremum in Terra Trimasci Alexanensis Diaecesis. Post eius funera, Baronis Regalia petiit Hydruntinus Antistes, in cuius Diaecesi ortum ac domicilium habuerat Gallonius, ea tamen sibi deberi autumabat Episcopus Alexanensis, ob Sacramentorum funerumque rationem. Lis acris inter eos exarsit, et Sacrae Episcoporum Congregationi ut dirimeretur ablegata, Lancellotto referente, pro Hydruntino Episcopo prolata est sententia, his verbis, ut penes Gavantum loco citato: – Baronum defunctorum Regalia, quae consistunt in lecto equo pileo ense annulo calcaribus et ocreis deberi Episcopo, in cuius Diaecesi est Baronia, non autem illi, in cuius Diaecesi decessit –; quia ut inquit Iul. Fav. elucubr. var. tom. 1 elucubr. de prisco et recenti funerandi more tit. 2 cap. 3 Regalia ista non Sacramentorum et sepulturae ratione conceduntur, nec locus spectatur, quo quispiam occubuerit, sed praecipue territorium, quo fuerit durante vita versatus ac fixerit domicilium. Ex quibus sane patebat, relatam decisionem haud dirimere quaestionem, Parocho ne et Capitulo, an Episcopo intorticia deberentur, sed ad diversam facti speciem pertinere. Proposito hinc dubio: – An et cui competant cerei et intorticia, quae absolutis exequiis absente cadavere factis supersunt in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative favore Parochi et Capituli ad formam concordiae – *in Massen. Pertinentiae die 30 Aprilis 1836.*

179. Qua de re ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae, cui adhuc inest cura habitualis animarum, spectat ius percipiendi emolumenta funeralia iuxta modum ab Ordinario de bono et aequo statuendum, licet cura animarum per laicam potestatem a Canonico ad primam Capituli dignitatem translata fuerit, et Archipresbiteri sibi huiusmodi emolumenta per lapsum septuaginta circiter annorum, interrupte tamen ac violenter adrogaverint *in Laudem. Iurium et Emolumentorum parochialium die 7 Iulii 1860.*

180. Iamvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Laudensis curam actualem animarum exercens per Canonicum, qui Praepositi nomen praeferebat, in funeribus et exequiis, quibus Canonici capitulariter interesse solerent, parochialia emolumenta sibi quaerebat. Sub exitu autem seculi superioris et subsequentis initio laica potestas curam animarum transtulit in primam Capituli Dignitatem seu Archipresbiterum: hinc agi cepit quaestio, utrum funeralia illa emolumenta ad idem Capitulum, an vero ad Archipresbiterum pertinerent. Archipresbiter enim con-

tendit, sibi nedum habitualem et actualem curam animarum, sed et candelarum et intorticiorum reliquias occasione funerum quomodolibet peractorum competere. Idcirco per lapsum septuaginta circiter annorum sibi huiusmodi emolumenta vindicavit, quin interim Capitulum taxam pro incertis utriusque stolae emolumentis solverit. Capitulum tamen, si quando ad funera invitaretur, suis carebat emolumentis. Ex adverso Capitulum sustinuit, nedum ad se adhuc spectare curam habitualem animarum, sed et funeralia emolumenta. Nam indubium ius eadem percipiendi, quod ad annum usque 1791 viguit, per consuetudinem dici non poterat infirmatum et abrogatum, cum actus legitime praescripti non producerentur. Siquidem Archipresbiteri Pavese et Bollè, si quando candelarum reliquias perceperunt, sibi interrupte per violentiam aut alio modo illegitimo adrogarunt, nunquam tamen assentiente, imo semper reclamante Capitulo. Nullius autem esse ponderis obiectionem persolvendae taxae pro incertis emolumentis dixit: si quid enim hoc nomine Archipresbiter reipsa solverit, certum erat, id non solutum fuisse in specie pro funerum emolumentis in quaestionem adductis, sed generatim pro illis omnibus, quae ipse percipiebat indubio plenoque iure. Episcopus censuit, apprime sibi esse spectandas speciales sui Capituli conditiones (1). His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An et ad quem spectent candelarum et intorticiorum reliquiae in funeribus, quibus Capitulum collegialiter interest in casu? –, Sacra Congregatio cum edixerit, quod adhuc penes Capitulum existeret, cura habitualis animarum, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative favore Capituli iuxta modum ab Ordinario de bono et aequo statuendum, auditis interesse habentibus – *in Lauden. Iurium et Emolumentorum parochialium die 7 Iulii 1860.*

181. Nec absimilem quaestionem Parochus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Patavinae, tum quoad parochialem habitualitatem, tum etiam quoad funeralia emolumenta sub annis 1822 et 1823 ad Sacram Congregationem detulerunt. Episcopus ille *in forza di sovrana disposizione* absolute decreverat, extinctum esse quodlibet ius Capituli, quod ad curam habitualem attinebat. Verum in Bullis Apostolicis pro Episcopo successore expeditis mandatum expresse fuerat, ut, – abrogata et penitus deleta quacumque illegitima immutatione circa parochialitatem nulliter peracta, ex nunc et in posterum habitualis animarum cura maneat penes Capitulum et Canonicos –. Hinc exorta alia quaestio de funerum emolumentis, quae Rescripto ex audientia Sanctissimi diei 8 martii 1823 dirempta sic fuit: – Firma remanente cura habituali penes Capitulum, actualis exerceatur ab Archipresbitero, tributa Episcopo facultate ad praecavenda in posterum dissidia statuendi quoad perceptionem emolumentorum quidquid in Domino magis expedire iudicaverit (2) – *in Lauden. Iurium et Emolumentorum parochialium die 7 Iulii 1860* §. *Denique.*

182. Canonicus autem Curatus pro tempore, non vero Canonicus hebdomadarius,

(1) Hinc ita suam pandit Episcopus sententiam: – 1°. Conserverei intatte tutte le tasse pecuniarie tanto pei funerali capitolari, come pei capitolari officii. Solo che l'Arciprete Parroco vorrei, che in denaro avesse a percepire dai dolenti o committenti quella tassa pecuniaria, che percepirebbe secondo l'uso, che è incorso per un funerale ed officio solenne, che però non fosse capitolare; 2°. che le gestatorie, doppie nei funerali, semplici negli officii, avessero ad essere, come sono di presente di proprietà di ciascun interveniente; 3°. Riducendo quindi lo spoglio della cera a quella intorno all'arca, su gli altari, sulle balaustre ed ai colonnati, questa vorrei, che si avesse a depositare nelle mani del Sindaco capitolare da realizzarsi in danaro e da distribuirsi in parti eguali *super capita* ai Rmi Signori Arciprete e Canonici –.

(2) Paduanus Antistes mandatis obsequens Decreto diei 31 octobris 1828 funeralia emolumenta ita distribuenda censuit: – Gli incerti dipendenti dalla *quarta funerum* comunemente detti di stola nera di tutta la Parrocchia della Cattedrale senza eccezione veruna e per massima comprese altresì le due cure di S. Pietro e di S. Clemente unite alla Parrocchia Cattedrale, i quali incerti si devono riferire alle torcie della bara, siano raccolti e custoditi dal cassone capitolare e divisi nei tempi consueti in tre parti, prededotto però l'uso contemplato dalla parte capitolare 13 aprile 1825 (per alcune ce e specialmente nel giorno de' Morti) una delle quali, ossia il terzo sarà diviso fra i Rmi Canonici e M. R. Custodi, l'altra parte sarà dell'Arciprete Parroco, il quale cesserà di percepire più oltre la quota come Canonico, ed avrà anzi il carico della Messa *pro Populo*, dei bollettini pasquali, ed il peso della spesa per la scritturazione dei registri parrocchiali; l'altra finalmente sarà divisa fra i sei Mansionarii –.

omnibus diebus festis etiam reductis applicare tenetur Missam pro Populo, licet ex consuetudine eam semper Canonicus hebdomadarius applicaverit, quin obstet redituum tenuitas *in Massanen. Reductionis onerum die 14 Decembris 1822.*

183. Enimvero ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae Massanensis spectabat cura animarum, ad quam specialiter deputabatur unus ex Canonicis per triennium cum adsistentia duorum Capellanorum, et Canonicus Curatus ob hoc officium praeter incerta stolae scutata 32 et obulos 28 annuatim percipiebat, quin aliquid Capitulum perciperet ex cura animarum. Non tamen ipse Canonicus Parochus Missam offerebat pro Populo, sed Canonicus hebdomadarius diebus Dominicis ac solemnioribus tantum. Quaerebatur igitur, an concedenda esset dispensatio Missae pro populo diebus festivis, non Dominicis nec solemnioribus celebrandae, et, an pertineret Canonico Curato dictam Missam celebrare, vel alicui ex aliis Canonicis. At Concilium Tridentinum in sess. 23 Cap. 1 de reformatione et Benedictus XIV in Encyclica *Cum semper oblatas* respective statuit ac declaravit, non solum Parochos perpetuam habentes curam animarum, sed et temporaneam seu amovibiles Vicarios Curatos ad id onus teneri, cui per se satisfacere debent omnibus diebus, in quibus Missam audiendi praeceptum Populo incumbat. Hoc autem praeceptum obligat, non obstante redituum defectu, cum ad id teneatur animarum Pastor non causa redituum, sed ratione officii. His igitur perpensis, proposito dubio: – III. An quomodo et a quo debeant celebrari Missae pro Populo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative omnibus diebus festis etiam reductis a Canonico Curato pro tempore – *in Massanen. Reductionis Onerum die 14 Decembris 1822.*

184. Idcirco licet Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Andreae Sublacensis propugnaverint, sibi ex legitima consuetudine competere Missam pro Populo vicissim celebrare, non Archipresbitero et Primicerio, qui curam actualem animarum exercebant, proposito tamen dubio: – V. An et ad quem spectet celebratio Missae pro Populo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – ad quintum, Affirmative in omnibus ad Archipresbiterum et Primicerium – *in Nullius Sublacen. Iurium Parochialium die 29 Ianuarii 1825.*

185. Nam Benedictus XIV in Constitutione *Cum semper oblatas* 19 augusti 1744 obligatos esse declaravit onere applicandi Missam pro Populo non solum Parochos perpetuos, verum etiam Vicarios amovibiles, penes quos actualis animarum cura resideat *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 18 Septembris 1824* §. *Rursus.*

186. Quin imo ita hoc onus personam Parochi, curam actualis habentis, respicit, ut, si Episcopus curam actualem retineat Ecclesiae Cathedralis, et ab ipso Sacrum pro Populo sit peragendum: – Neque, si Episcopus tamquam totius Diaecesis Parochus pro universo grege Missam applicat, idcirco eximi poterit ab applicanda Missa pro Parochianis –, uti admonet Bonacina in quaest. ult. punct. 7, Gavant. Comment. in Rubr. Missalis part. 3 tit. 12 n. 17, Murga de Beneficiis quaest. 2 sect. 2 n. 597 *in Visen. Applicationis Missae pro Populo die 17 Decembris 1803* §. *Ex.*

Item *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 18 Septembris 1824* §. *Rursus.*

187. Etenim si ipse curam parochialem Cathedralis gerit, nedum pro universo grege, sed etiam pro ovibus Paraeciae duo distincta Sacrificia offerre debet; Curati enim, qui eius nomine munia parochialia exercent, cum titulares non sint, sed coadiutores, ad applicationem Missae pro Populo non tenentur, quin obstet contraria consuetudo, per quam Episcopi Visenses, cum exercerent curam actualem totius Civitatis et Territorii per quatuor Coadiutores, nunquam Missam pro Populo applicaverant; his enim in terminis proposito dubio: – An unica Missa pro Populo et a quo sit applicanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative sumptibus Parochi, et ad mentem – *in Visen. Applicationis Missae pro Populo die 17 Decembris 1803.*

188. Idcirco Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae ad mare Oppidi maioris, cui inest cura animarum, praeter Missam Conventualem tenetur diebus festis applicare aliam Missam pro Populo; his enim in terminis proposito dubio: – VII. An Curatus praeter Missam Conventualem celebrandam a

dictis Collegialibus teneatur ipse diebus festis applicare aliam Missam pro Populo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad septimum, Affirmative – *in Amalphitana Oneris Missarum et Curae animarum die 13 Aprilis 1715 lib. 65 Decretorum.*

189. Quin imo Canonicus Parochus praeter Missam Conventualem, quae a Capitulo per turnum quotidie applicatur, tenetur etiam omnibus diebus festis, applicare aliam Missam pro Populo, quin Capitulum teneatur praestare eleemosynam Canonico Parocho; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Capitulum teneatur praestare Canonico Parocho eleemosynam pro applicatione Missae pro Populo? –, Sacra Congregatio cum declaraverit, Canonicum Parochum Ecclesiae Cathedralis Hortanae ultra praedictam Missam Conventualem teneri etiam applicare Missam pro Populo, respondit: – Ad tertium, Affirmative – *in Hortana die 29 Augusti 1744.*

190. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, Negative – *in Hortana die 19 Decembris 1744.*

191. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Hortana die 13 Februarii 1745.*

192. Nec aliter declaravit Sacra Congregatio quoad Archipresbiterum et Primicerium Collegiatae S. Andreae Sublacensis Abbatiae, qui curam actualem animarum exercebant; proposito enim dubio: – VI. An Canonici primae erectionis solvere teneantur eleemosynam Missae pro Populo Parochis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Negative; et Parochos teneri ex officio absque eleemosyna – *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium die 29 Ianuarii 1825.*

193. Unde quoad Canonicos Collegiatae Civitatis Ophidae Asculanae Diaecesis, proposito dubio: – VI. An et cuius sumptibus sit tribuenda eleemosyna Sacerdoti Missam pro Populo celebranti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Negative, cum Missa pro Populo sit onus Parochi – *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Novembris 1830.*

194. Exin Canonici Curati dictae Collegiatae, attenta reditum tenuitate, postularunt augmentum congruae, aut exonerationem Missae pro Populo, vel saltem eiusdem reductionem ad illum numerum, quem antea Capellani Curati perferebant, ad quartam nempe partem pro unoque ex ipsis. Proposito vero dubio: – VII. An Canonicis Curatis annuendum sit quoad Missas parochiales in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Negative; et servetur resolutio Sacrae Congregationis diei 20 novembris 1830 – *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Ianuarii 1838.*

195. Idcirco non possunt Canonici Collegiatae et Parochialis Ecclesiae tempore vacationis Praeposituraе, cui cura actualis animarum imminet, omittere applicationem Missae Parochialis pro Populo, et ideo possunt ab Episcopo cogi prout de iure ad satisfactionem; his enim in terminis propositis dubiis: – IV. An Canonici dictae Collegiatae S. Georgei tempore vacationis Praepositurae potuerint omittere celebrationem et applicationem Missae Parochialis pro Populo? *Et quatenus negative.* V. An et quomodo sint cogendi pro tempore omissionis eamdem Missam pro Populo adimplere seu satisfacere quamprimum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative. Ad quintum, Episcopo prout de iure – *in Siracusana Praepositurae die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

§. III.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM QUOAD IURISDICTIONEM ET POTESTATEM.

1. Sacri Canones decernunt, Capitulum nonnisi ab Universis Canonicis cum Episcopo constitui, ut in Cap. *Capitulum S. Crucis* de rescriptis *in Nicien. Decretorum die 29 Februarii 1744* §. *At.*

Item *in Urbinaten. die 22 Iunii 1805* §. *Tandem; in Praenestina Vocis in Capitulo die 28 Ianuarii 1832* §. *Ex adverso.*

2. Idcirco Canonici etiam secundae et tertiae erectionis unum idemque corpus et Capitulum cum senioribus Canonicis constituunt iuxta ea, quae inter veros et honorarios Canonicos distinguendo tradunt Pontificii Iuris Interpretes ad Cap. *Cum M.* de constitutionibus *in Nicien. Decretorum die 29 Februarii 1744* §. *Primum.*

3. Compertum hinc est, Dignitates non annumerari Canonicis, qui soli Capitulum constituunt, ceu ad rem Fagnanus in Cap. *Nullus* de elect. n. 43, et Rota coram Martin. Andr. decis. 36 n. 4 *in Faventina die 18 Augusti 1764* §. *Propugnat.*

4. Neminem tamen latet, duas receptas esse Dignitatum species; alias, quae in ipso Capitulo sunt ac Canonicos solo gradu praecellunt, de quibus loquitur Concilium Tridentinum in Cap. 3 sess. 21, alias vero a Capitulo prorsus separatas, de quibus idem Tridentinum agit in Cap. 1 sess. 22 de reformatione *in Faventina die 18 Augusti 1764* §. *Propugnat.*

5. Unde Capitulum cuiuslibet Ecclesiae sive Cathedralis, sive Collegiatae ita a solis Canonicis constitui, ut ipsis dumtaxat ius suffragandi in actibus capitularibus vel aliis Capitulo reservatis competat, colligitur ex Textu in Cap. *Novit* de his, quae fiunt a Praelatis, et ex iis, quae tradunt Glossa in Cap. *Cum M.* de constitutionibus verb. receperunt, et in Cap. penult. verb. Assisios de Clericis non residentibus, Butrius in Cap. penult. n. 8, Abbas n. 9, et cum aliis Emus Petra in comment. ad const. 1 divi Leonis Magni sect. 2 n. 9 tom. 1 *in Calaritana Electionis Concionatoris die 5 Iulii 1738* §. *Capitulum.*

6. Verum aeque communiter receptum est, Mansionarios ceterosque Beneficiatos Cathedralis vel Collegiatae Ecclesiae, licet de iure communi non reputandos de gremio Capituli, neque sub eius appellatione comprehensos, iuxta Glossa in Cap. penult. verb. Assisios de Clericis non residentibus, ibique Abbas n. 9, Butrius n. 8, Reiffenstuel in ius can. lib. 3 tit. 11 n. 4; proindeque a ferendo in Capitularibus actibus suffragio arcendos, ad tradita per Barbosam de Canon. et Dignit. cap. 37 n. 17, Card. De Luc. eod. tit. disc. 18 n. 12 et disc. 19 n. 5, quibus consonant Decreta Sacrae Congregationis in Ianuen. Capellaniarum 24 augusti 1680 et 5 iulii 1681, posse nihilominus Capitularibus actibus aliquando interesse, ibique suffragium suum una cum Canonicis proferre, si id iuris sive ex Apostolico indulto, vel Ecclesiae statuto, vel legitima consuetudine, sive ex illius reservatione quoad aliquem actum per Fundatorem facta acquisierint, quemadmodum uno ore docent adducti per Barbosam de Canon. et Dignit. cap. 37 n. 7, Card. Petra in Comment. ad Const. 1 divi Leonis Magni sect. 2 n. 14 tom. 1, et resolvit Sacra Congregatio in Montis Pelusii 6 iunii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 297, in Asten. Statutorum 7 iunii 1688, lib. 38 Decretorum pag. 299, in Fanen. 16 iunii 1731 *in Calaritana Electionis die 5 Iulii 1738* §. *Verum.*

7. Hinc Capitula Cathedralium et Collegiatarum veniunt sub nomine personarum ecclesiasticarum ex cap. 13 sess. 7 de reformatione Sacri Concilii Tridentini *in Aquilana die 24 Iulii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 219.*

8. Capituli autem potestas residet in maiori et saniori illius parte, ceu videre est in toto titulo de his, quae fiunt a maiori parte Capituli *in Tridentina die 17 Ianuarii 1761* §. *Indeque.*

9. Maior hinc pars intelligitur ac est, si

unum suffragium accedat supra dimidium interessentium *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Neque.*

10. Quod itaque in Capitulis statuitur a maiori parte, id pro lege haberi debet, licet alii repugnent, ut ex Cap. 1 de his, quae fiunt a maiori parte Capituli, et Rota in decis. 76 n. 15 coram Ansaldo, et decis. 809 n. 1 coram Buratto *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Neque.*

Item *in Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Post haec.*

11. Nam quum maior pars Canonicorum consenserit, minor pars, quae dissentit, absorbitur ac suffocatur a maiori, quemadmodum tradit Card. De Luca de Benef. disc. 30 n. 8 *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Quantum.*

12. Animadvertendum vero est, maioris partis consensum sufficere, quando aliqua facienda sunt ex necessitate, ut alienationes electiones et huiusmodi, non autem in iis, quae ex mera voluntate fiunt; tunc enim maior pars non sufficit, sed omnes et quidem collegialiter consentire debent, sive scilicet huiusmodi actus competant pluribus uti universis, sive uti singulis, ac eo vel magis si negotium omnes tangit in particulari; hoc enim in casu sese exerit Regula 29 iuris in Cap. *Cum omnes* de constitutionibus in 6, – quod omnes tangit, ab omnibus debet adprobari – *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Contra.*

Item *in Andrien. Electionis et Institutionis die 8 Aprilis 1848* §. *Absentium; in Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Nihilominus* (1).

13. Unde – qui facit legem, potest destruere legem– et maior pars trahit ad se minorem – obtinent, cum agatur de interesse universorum, quo casu maior pars facere et abrogare potest legem; secus vero, si ad singulorum interesse lex respiciat; tunc enim si nonnulli repugnent, nil quaerendum esse amplius videtur, ut lex omnino revocetur, licet optima sit et temporibus accomodata *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Contra.*

14. Id eo vel magis dicendum est, si dissidentes Canonici iustam habent repugnandi causam; ac proinde maior pars non potest facere legem, quae singulorum interesse in discrimen adducit *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Inde.*

15. Capitulum autem non habetur, nisi tres saltem sint Capitulares *in Fulden. die 21 Novembris 1767* §. *Institutis.*

Item *in Urbinaten. die 22 Iunii 1805* §. *Sextum.*

16. Capitulorum autem instituendorum ratio non ea tantummodo fuit, ut Canonici et Capitulares in divinis celebrandis officiis occuparentur, verum etiam ut suo consilio et opera Episcopis in Ecclesiae regimine opem ferrent *in Fulden. die 21 Novembris 1767* §. *Animadvertendum.*

17. Nam ab ipsis Ecclesiae primordiis fuit et Presbiterorum et Diaconorum ordo et coetus, quorum consilio atque opera Episcopi in Ecclesiae regimine uterentur: his porro iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam Canonicos Ecclesiae Cathedralis successisse nemo est, qui ignoret *in Nucerina die 20 Decembris 1817* §. *Ad primum.*

18. Institutis hinc seculorum progressu Cathedralibus Capitulis, Ecclesiae regimini convenire iudicatum est, ut Episcopi in Ecclesiae suae administratione Canonicorum Cathedralium opera et consilio uterentur, imo et in quibusdam ne sine eorum assensu procedere possent *in Fulden. die 21 Novembris 1767* §. *Institutis.*

19. Siquidem Alexander III in Cap. *Novit* de his, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli, hunc in modum scripsit ad Patriarcham Hierosolymitanum: – Novit plenius tuae discretionis prudentia, qualiter tu et Fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput et illi membra esse probantur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti, cum id non sit dubium et honestati tuae et sanctorum Patrum constitutionibus contraire –, ac eadem rursus

(1) Gloss. in Cap. *Cum omnes* de constitutionibus; Barbos. de Canon. et Dignit. Cap. 28, n. 13; Card. Petra in Constit. 1, sess 2, n. 27, tom. 1; Rota in Leodien. Spolii super recessibus Capitularibus 17 martii 1760, §. 5 coram Card. Riminaldo.

eidem rescribit in cap. 4 eod. tit. *in Fulden. die 21 Novembris 1767 §. Institutis.*

20. Hinc etiam Concilium Tridentinum passim mandat Episcopis, ut in negotiis Ecclesiae dirimendis consensum adhibeant vel consilium Capituli; eamque ob causam in sess. 22 cap. 12 de reformatione coetum Canonicorum merito vocari posse ait Ecclesiae Senatum *in Fulden. die 21 Novembris 1767 §. Institutis.*

21. Idcirco Benedictus XIV in lib. 13 cap. 1 §. 5 de Synodo Diaecesana inquit: - Profecto ambigi non potest, quin etiam hodie iure Decretalium Canonici sint consiliarii nati Episcopi, adeo ut non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi et deliberare, inconsulto Capitulo – *in Nucerina die 20 Decembris 1817 §. Haec.*

22. Verum tametsi haec sit Ecclesiae mens, ut Episcopi in Ecclesiarum administratione arduisque negotiis consilio Canonicorum utantur, illud tamen sequi non tenentur, nisi in casibus a iure expressis, quos refert Barbosa in tractatu de Canonicis cap. fin. *in Nucerina die 20 Decembris 1817 §. Ad primum.*

23. Quum itaque Canonici Capituli Cathedralis sint consiliarii nati Episcoporum, nec in iure non extit Capitulum Cathedrale, quod non sit Senatus Episcopi, atque ita non extitit Senatus Episcopi, qui Capitulum Cathedrale non sit *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855 §. Contra.*

24. Compertum hinc est, Canonicis cuiusvis Cathedralis Capituli dupliciter considerari posse: uno modo, quatenus coniuncti et copulati in unum corpus constituant Capitulum seu Collegium; altero modo, in quantum repraesentant Cathedralem Ecclesiam et illius Clerici sunt, iuxta distinctionem, quam tradit Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 42 n. 1 et 2 *in Basileen. seu Solodonen. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855 §. Contra.*

25. Unde Canonici Ecclesiae Cathedralis sunt consiliarii nati Episcopi, in quantum illi Cathedralem Ecclesiam repraesentant, et quod tunc Episcopus sit Canonicorum caput et Canonici sint membra, adeo ut neque Episcopus sine Canonicis, neque Canonici sine Episcopo ardua et difficillima negotia, et ea, quae statum universalem Ecclesiae concernunt, tractare possint: Canonici vero Cathedralis Senatum Episcopi constituere non videntur, in quantum coniuncti et copulati in unum corpus Collegium repraesentant; quo enim in casu Capitulares congregati eorum particularia negotia sine Episcopi consensu tractare valent, cum hoc in casu nec Episcopus partem Capituli efformat *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855 §. Contra.*

26. Quamobrem quamvis septem Solodorenses Canonici non essent Canonici in primo sensu, eo quia Senatum Episcopi non constituebant, revera tamen habendi erant uti Canonici Capitulares in altero sensu, quatenus in unum corpus copulati Collegium repraesentabant et Capituli negocia tractare poterant; his enim in terminis proposito dubio: – I. An omnes ex quibus constat Capitulum Cathedrale Basileense sint Canonici Capitulares, seu potius ii soli, qui senatum Episcopi constituunt, et ceteri sint Canonici honorarii? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855 §. Contra.*

27. Idcirco praefati septem Canonici Solodorenses idem ius condendi statuta Capitularia ac honores cum aliis habere debebant, iis tantum exceptis, quae in Bulla erectionis Leonis XII disponebantur; proposito enim dubio: – II. An septem quoque Solodorenses Canonici ius habent condendi statuta Capitularia et iisdem honoribus insigniis privilegiisque gaudeant, quibus fruuntur Canonici Senatum Episcopi constituentes, ita ut nulla detur inter eos tam in choro, quam in Capitulo et ubique locorum praecedentia, nisi ea, quae ex senio capitulari derivat? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative in omnibus exceptis iis, quae in §§. 6 et 10 Bullae erectionis disponuntur - *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855.*

28. Consilium autem Capituli tantum est requirendum ab Episcopo, non autem sequendum in causis criminalibus Capitularium, licet de arduis non agatur, si speciali aliquo iure se tueri non potest adversus Episcopi iurisdictionem *in Nicien. die 18 Novembris 1628 lib. 13 Decretorum pag. 563.*

29. Nam Concilium Tridentinum in cap. 6 sess. 25 de reformatione sustulit iurisdictionem, quam habebat Capitulum cognoscendi causas criminales eorum, qui Beneficia in Cathedrali obtinent et de Capitulo non sunt *in Dubio die 16 Iulii 1592 Posit. 147.*

30. Similiter Tridentina Synodus expresse sanxit in Cap. 20 sess. 24 de reformatione matrimonii: – Causae matrimoniales et criminales, non Decani Archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur – *in Vigilien. Matrimoni die 25 Maii 1844* §. *Processum.*

31. Unde compertum est, ex iuris dispositione Capitulo ius dumtaxat esse coercendi capellanos Beneficiatos aliosque Ecclesiae servitio addictos intra limites paternae et oeconomicae correctionis circa leves culpas servitium Ecclesiae aut Chori respicientes, levique poena puniendos, ceu Rota in Nuperr. decis. 229 n. 3 tom. 7; idque ipsum de Capitulo Tungrensi iam constabilitum fuisse a S. Rotae auditorio in Leodien. super tertio dubio quoad poenalia 3 iulii 1767 coram Guerra *in Leodien. die 12 Maii 1770* §. *Ad VII.*

32. Idcirco Beneficiati nuncupati Vicarii Collegiatae Tungrensis contenderunt, perperam vim iuris dispositionis ac solemnis rei iudicatae in discrimen revocari. Capitulum vero observavit, sibi competere iurisdictionem in universum Ecclesiae Clerum et praesertim in Vicarios, itidemque posse poenas ac mulctas indicere non solum in vim Archidiaconalis dignitatis, qua pollebat, sed etiam auctoritate generalium Statutorum Ecclesiae Leodiensis, nec non particularium Statutorum Ecclesiae Tungrensis anni 1629, rursus virtute iuramenti obedientiae et subiectionis a Vicariis semper praestiti, ac demum ob immemorabilem observantiam tam iudicialem, ut ex actis annorum 1247 1455 et 1611, quam extraiudicialem, ut ex documentis annorum 1384 1454 1613 et 1629; et revera eo usque in praesens Capitulum, uti Archidiaconali pollens dignitate, Ecclesias visitasse, plurima edixisse de festis de divino cultu de moribus de honestate subditorum, et Tribunal retinuisse pro Causis tam civilibus, quam criminalibus, praesertim Vicariorum. Nec obesse poterat Rotalis decisio in Leodien. super tertio dubio quoad Decreta poenalia die 3 iulii 1767 coram Guerra, quum unica esset decisio nulla Rotali sententia firmata; et insuper Capitulum indefensum fuerit ob ignoratam observantiam tam iudicialem, quam extraiudicialem, et ob non deductam Archidiaconalem dignitatem, qua pollebat. Proposito autem dubio: – VII. An et quae iurisdictio competat Decano et Capitulo in eosdem Vicarios ipsosque corrigere possint ac mulctis pro modo excessuum ac delictorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, dilata; et expectetur exitus Causae in Rota – *in Leodien. die 12 Maii 1770.*

33. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Leodien. die 30 Augusti 1777.*

34. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, in illis Cathedralibus, ubi leviores tantum excessus Canonicorum corrigi per Capitula consueverunt, consuetudinem hanc ad graviora delicta et ad punitionem aliarum personarum minime extendendam, sed huiusmodi consuetudinis limites esse servandos, et nihilominus eiusmodi Capitula Cathedralium nulla exemptione se tueri posse, quin ipsa et earum personae ab Episcopis visitari et corrigi ad praescriptum Sacri Concilii Cap. 4 sess. 6 et cap. 6 sess. 25 de reformatione valeant *in Suessionen. die 16 Septembris 1664.*

35. Hinc in nullius Tudelae seu Tirasonen. die 13 augusti 1729 editum fuit quoddam Decretum, quo inter cetera cautum est, – quod, reprobata consuetudine etsi immemorabili, Capitulum in futurum omnino abstineat ab impositione cuiusdam poenae nuncupatae *Modicarum*, sed tantum iuxta casus mulctare possit Praebendatos poena pecuniaria dumtaxat, nempe duorum vel quatuor et ad summum sex ducatorum, et si casus maiorem exigat poenam, recurrere debeat ad Ordinarium –, ut in lib. 79 Decretorum pag. 399 *in Civitatis Provinciae Compostellanae Iuris mulctandi die 3 Decembris 1735* §. *In.*

36. Idcirco Capitulum Cathedralis Ecclesiae iure pollet puniendi mulctis pecuniariis iuxta casus in summa duorum vel quatuor et ad summum decem ducatorum Capitulares ceterosque Ecclesiae Ministros pro levibus tantum excessibus in choro in Ecclesia et extra

commissis in functionibus ecclesiasticis tantum, in quibus Capitulum procedit sub Cruce, quin appellatio competat in suspensivo, sed in devolutivo dumtaxat; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Capitulo competat ius mulctandi Capitulares ceterosque Ecclesiae Ministros nedum pro levibus, sed etiam pro gravibus excessibus? *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An pro excessibus in choro aula capitulari et Ecclesia dumtaxat, vel etiam extra commissis? III. An mulctis pecuniariis tantum, et in qua summa? IV. An et quomodo a mulcta per Capitulum imposita competat appellatio ad Episcopum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, competere pro levibus et casibus etiam extra chorum et Ecclesiam commissis in functionibus tamen ecclesiasticis tantum, in quibus Capitulum procedit sub Cruce. Ad tertium, Affirmative in mulctis pecuniariis tantum, nempe duorum vel quatuor et ad summum sex ducatorum iuxta casus ita tamen, ut mulcta erogetur in usus pios. Ad quartum, Affirmative ad utrumque effectum; et amplius – *in Civitatis Provinciae Compostellanae Iuris mulctandi die 3 Decembris 1735.*

37. At interim cum transactum fuisset inter Capitulum et Episcopum et post transactionem mortem obiisset Episcopus, novus, qui in illius locum suffectus fuerat Antistes, transactionem illam observare noluit; et S. Congregatio die 28 martii 1744 edixit: – Concordiam anni 1735 non esse servandam, et proponatur dubium in alia Congregatione: « An sit standum, vel recedendum a decisis? » (1). Repropositis itaque dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Quoad tertium, Affirmative pro mulctis pecuniariis tantum usque ad summam ducatorum decem. Quoad quartum, praevio recessu a decisis, in devolutivo tantum – *in Civitaten. Iuris mulctandi die 12 Martii 1746.*

38. Hinc et Archiepiscopus mulctare potest Canonicos etiam sine Adiunctis et licet non adsit in choro, quin iidem eum recusare vel appellationem in suspensivum praetendere valeant; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Archiepiscopus possit mulctare Canonicos in choro etiam in mulcta levi absque consilio Adiunctorum? II. Quatenus Archiepiscopus possit in choro mulctare, an mulcta correspondere debeat distributioni horae, pro qua fit mulcta, an vero possit mulctando excedere dictam quantitatem? III. An Canonici possint ab huiusmodi mulcta in choro appellare et ad quem? IV. An Canonici iusta de causa possint Archiepiscopum recusare in dicta mulcta distributionis faciendae? V. An Archiepiscopus, si non existat in choro, mulctare possit? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Archiepiscopum sine Adiunctis mulctare posse Canonicos in choro. Ad secundum, Archiepiscopum suo arbitrio mulctare posse. Ad tertium, Canonicis ab huiusmodi mulcta non competere appellationem ad effectum suspensivum. Ad quartum, non esse locum recusationi, sed posse competere recursum ad hanc Sacram Congregationem. Ad quintum, Archiepiscopum etiam non existentem in choro mulctare posse, nec non deputare Punctatorem – *in Calaritana die 20 Decembris 1653 lib. 19 Decretorum pag. 295.*

39. Qua de re Capitulum Collegiatae Ecclesiae Oppidi Tungrensis potest mulctare Beneficiatos seu Vicarios per subtractionem quotidianarum distributionum, vel per subtractionem fructuum correspondentium diebus absentiae, quoties abfuerint absque licentia Capituli, quin obsit praetensio huiusmodi Vicariorum, quod poena privationis indicta ab Eugenio IV in absentes per mensem continuum nullimode extendi valeat ad absentes per mensem vel non completum, vel non continuum; proposito enim dubio: – V. An et quae facultas Decano et Capitulo competat in casu absentiae per dictos Vicarios protractae ad mensem vel non completum, vel non continuum, seu quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quintum, competere Capitulo facultatem mulctandi Vicarios absentes absque licentia Capituli, vel per subtractionem fructuum Vicariorum correspondentium diebus absentiae – *in Leodien. die 30 Augusti 1777.*

(1) Totam hanc rerum seriem et speciem Causae huius habes in verb. *Aperitio oris*, n. 73 ad 81.

40. Capitulum vero mulctare nequit Curatos ob defectus commissos in functionibus parochialibus, sed tantum ob illos, quos committunt circa servitium chori et circa officia, in quibus assistit et praesidet Capitulum; hinc et Curati imponere possunt mulctam in actibus et functionibus, in quibus isti praesident ita tamen, ut mulcta erogari debeat in usus pios; his enim in terminis propositis dubiis: – VII. An sustineatur vigesimum octavum Decretum statuens, quod Capitulum non possit mulctare Curatos ob defectus commissos in functionibus parochialibus, sed tantum ob illos, quos commiserint circa servitium chori et circa officia, quibus Capitulum assistit et praesidet? X. An sustineatur trigesimum tertium Decretum mandans, quod in actibus et functionibus, in quibus per antecedentia Decreta cautum est, praesidere debere Curatos, isti possint etiam imponere mulctam, quae tamen non excedat unum Regale? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Affirmative. Ad decimum, dilata – *in Oriolen. Decretorum die 23 Ianuarii 1734.*

41. Reproposito dein dubio decimo sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ita tamen, ut mulctata erogetur in usus pios; et amplius – *in Orolien. Decretorum die 5 Iulii 1734.*

42. Itaque Capitulo competit facultas eligendi Arbitros, qui de causis recusationis cognoscant, non vero Vicario Capitulari et Parti recusanti; ac idipsum locum habet quando dictus Vicarius procedere debet cum Adiunctis *in Calaritana die 8 Iunii 1726.*

43. Siquidem cum in congregatione capitulari Cathedralis Calaritanae orta fuisset controversia inter Ludovicum Maroccu et Michaelem Martinez eiusdem Ecclesiae Canonicos, et Vicarius Capitularis ad effectum procedendi instetisset coram Capitulo pro deputatione Adiuncti, et Capitulum ad eius nominationem devenisset, Canonicus Martinez suspectum allegavit Vicarium Capitularem ex capite inimicitiae et coram integro Capitulo instantiam promovit pro deputatione Arbitrorum, qui de subsistentia propositae recusationis cognosceret, sed excipiente Vicario Capitulari, quod non erat locus praedictae deputationi Arbitrorum, ex quo ipse non iudicabat solus, sed cum Adiunctis, et quod in omnem casum electio Arbitrorum non pertinebat ad Capitulum, sed quod alter ex Arbitris a se et alter a parte recusante erat eligendus, communi utriusque Partis consensu res delata fuit ad Sacram Congregationem. Propositis hinc dubiis: – I. An Vicarius Capitularis recusari possit ex legitima causa? *Et quatenus affirmative.* II. An competat Capitulo facultas deputandi arbitros, qui de causis recusationis cognoscant? III. An idipsum locum habeat, quando Vicarius procedere debeat cum Adiunctis in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative in casu, de quo agitur. Ad tertium, Affirmative – *in Calaritana die 8 Iunii 1726.*

44. Unde Concilium Tridentinum in cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Praeterea* in fine, quo disposuit, Episcopum non minus, quam cum duobus Canonicis providere posse, ita est intelligendum, ut utriusque consensus sit necessarius, licet unum tantum sit votum, alterque eorum potest Episcopi voto accedere *in Dubio ad dictum Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100 pag. 22.*

45. Idcirco iusta de causa licuit ac licet Capitulo Cathedralis Ecclesiae Lauretanae cum approbatione Episcopi variare vel reformare Horarium servitii chori, etiamsi statutum fuerit in Synodo Diaecesana anni 1626, et Canonicus Monti iubilatus cum nonnullis Choralibus zelatoribus adversentur; his enim in terminis proposito dubio: – I. An licuerit et respective liceat in posterum Capitulo Ecclesiae Cathedralis Lauretanae cum approbatione Episcopi variare vel reformare Horarium, seu potius obstet Horarium probatum in Synodo Cardinalis Roma in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et ad mentem: et mens est, quod servetur resolutio Capitularis anni 1774, et si quid erit innovandum, consulatur S. Congregatio – *in Lauretana Honorarii die 8 Iunii 1782.*

46. Unde nedum a Capitulo sunt eligendi Punctatores, non vero ab Archidiacono huiusmodi munus est exercendum, sed et cognitio causae, ob quam iuste quis a choro recedit ad effectum non obtinendi punctationes, spectat ad idem Capitulum, non autem ad Archidiaconum *in Conversanen. Punctaturarum die 4 Decembris 1706 lib. 56 Decretorum.*

47. Enimvero – permoleste ferentes Primicerius Canonici ac ceteri Presbiteri Ecclesiae Cathedralis Conversanensis pravum inibi irrepsisse abusum circa punctaturas absentium a choro, quod nimirum Punctatores minime deligantur quotannis a Capitulo, neque iuramentum praestent de fideliter administrando eorum munus, quodque Archidiaconus sibi assumat pro sua voluntate facultatem faciendi quibuslibet abessendi a choro, dum divina fiunt, non sine gravi divini vultus detrimento et frequentantium praeiudicio, humilem propterea desuper recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem; ac requisita de more Episcopi informatione, hic refert, ab immemorabili servatum fuisse, ut a duobus Sacristis, qui in annos singulos capitulariter eliguntur, absentium puncta publice in eodem choro adnotentur coram Archidiacono, eoque absente, gradatim et successive coram aliis Dignitatibus. Hinc, parte ex adverso pluries monita, propositis dubiis: - I. An Punctatores quolibet anno sint eligendi a Capitulo, vel potius illud munus exercendum sit ab Archidiacono, vel quibus? II. An cognitio causae, ob quam iuste quis a choro recedit, ad effectum non obtinendi punctationes, spectet ad idem Capitulum, vel ad Archidiaconum, vel ad quos? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, eligendos a Capitulo. Ad secundum, spectare ad Capitulum - *in Conversanen. Punctaturarum die 4 Decembris 1706 lib.56 Decretorum.*

48. At nequit Capitulum ullo modo aut praetextu distributiones donare aut remittere absentibus a servitio Ecclesiae *in Neapolitana anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 75.*

49. E contra tenetur Capitulum restituere distributiones et emolumenta retenta Canonico sub asserta praetensione reintegrationis fundi canonicalis ab ipso Canonico faciendae, immo et expensas reficere debet, quas fecit Canonicus in sustentatione litis penes S. Congregationem, ad effectum obtinendi reintegrationem *in Alexandrina Distributionum die 25 Septembris 1694 lib. 44 Decretorum.*

Item *die 27 Augusti 1695 lib. 45 Decretorum.*

50. Capitulum autem potest ex legitima causa concedere licentiam abessendi etiam ultra tres menses a servitio Ecclesiae, si extet consuetudo immemorabilis huiusmodi licentias concedendi a Concilio non sublata *in Dubio ad Cap. 12 ad sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

51. Limita, non tamen ei licet alicui ex Capitularibus licentiam concedere, ut possit abesse ex causis a sacris Canonibus non probatis *in Corduben. anno 1604 lib. 10 Decretorum pag. 81.*

52. Quin imo Capitulo non est sublatum a Concilio ius instituendi, si alias ante Concilium illud eidem legitime competebat *in Lucana lib. 3 Decretorum pag. 97.*

53. Limita, non potest tamen Capitulum instituere aliquem ad Beneficium, nisi prius sit examinatus et approbatus ab Episcopo *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 92.*

54. Qua de re licet Sacra Congregatio annuisset erectioni Collegiatae in designata Ecclesia parochiali, probato mox tamen per Capitulum iure conferendi titulum eiusdem parochialis Ecclesiae, declaravit, ius huiusmodi conferendi obstare erectioni dictae Collegiatae *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatae die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

55. Iamvero - placuit huic Sacrae Congregationi sub diebus 26 ianuarii et 19 iulii anni 1704 instantibus Hominibus Oppidi Pontremuli annuere erectioni Collegiatae insignis in Ecclesia Beatae Mariae Virginis de Populo iam publicis expensis constructa intra limites Parochialis S. Geminiani eiusdem Oppidi, iuxta thema descriptum in folio dictis diebus distributo. Cum autem ad fundandam primam Dignitatem in dicta Collegiata, Praeposituram nuncupandam, esset opus, ut, praevia suppressione tituli collativi dictae Parochialis S. Geminiani, applicarentur eiusdem bona et reditus Praeposito pro tempore, ad quem animarum cura foret transferenda, Capitulum Cathedralis Lunensis Sarzanensis in limine expeditionis indulti se opposuit praefatae suppressioni, excitando praetensionem, quod ius conferendi in eadem Ecclesia S. Geminiani ad ipsum spectaret, nixum quadam sententia Cardinalis Abbanen. Legati a Latere, subinde per speciale Pontificium Diploma confirmata, ac nonnullis praetensis collationum actibus inde sequutis, hinc supplex adeundo hanc Sacram Congregationem audiri petiit. Ideoque suspen-

sa interim expeditione Indulti, fuerunt exarata infrascripta bina dubia in folio Congregationis diei 20 decembris eiusdem anni, sed tunc dilata eorum propositione, fuerunt subsequenter proposita sub die 7 februarii 1705, ubi rescriptum extitit: « Ad Rotam ». In hoc statu praefati Homines Pontremuli recursum habuerunt ad Signaturam Sanctissimi, exorantes, ut, praemissis non obstantibus, Causa remitteretur vel ad aliquam Congregationem particularem, vel rursus ad hanc Sacram Congregationem; et sub die 22 septembris 1705 emanavit Decretum: « Ad S. Congregationem Concilii ». Quare propositis dubiis - I. An constet de iure conferendi? *Et quatenus Affirmative*. II. An illud obstet erectioni Collegiatae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative - *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatae die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

56. Canonici autem sive Cathedralis sive Collegiatae habentes ius conferendi vel eligendi, nunquam eo uti possunt in mensibus Sedi Apostolicae reservatis *in Casalen. mense Septembris 1603 lib. 10 Decretorum pag. 68.*

57. Quum itaque Canonici Cathedralis Ecclesiae Camerinensis contendissent, possessionem Canonico noviter de Canonicatu proviso dandam esse sive a Vicario Generali tamquam Delegato Apostolico, sive ab Episcopo, sive a Capitulo, quatenus illius provisionem obtinuerit ab eorum alterutro, non vero ab Archidiacono et respective Praeposito aliisque Canonicis ordine successivo, proposito dubio: - VI. An Archidiacono et respective Praeposito aliisque Canonicis ordine successivo competat ius admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatuum privative quoad Episcopum eiusque Vicarium Generalem, et quae forma sit servanda in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad sextum, ius admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatuum spectare ad Capitulum iuxta formam hactenus observatam, ut nempe post fidei professionem et iuramentum coram Archidiacono vel etiam altero digniore, eo absente, praestitum, novus Canonicus installetur per duos Canonicos a Capitulo deputandos, nisi alii Exequutores in Literis Apostolicis dati fuerint; et amplius - *in Camerinen. Praeeminentiarum die 7 Aprilis 1781.*

58. Unde Capitulum Cathedralis Ecclesiae removere potest Hebdomadarios, si ius hoc ex immemorabili consuetudine exercuerit *in Isernien. Iuris amovendi Hebdomadarios die 27 Iunii 1857.*

59. Siquidem constabat, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Iserniensis nedum Hebdomadarios perpetuo nominasse, sed in exercitio insuper iuris illos amovendi nunquam versatum non fuisse, huiusmodi amovendi facultatem Episcopis probantibus. Unde nec opus erat de titulo investigationem suscipere, cuius observantia ipsa immemorabilis praesumptionem secum ferebat. Nec obstare videbatur enunciativa, qua Hebdomadarii Beneficiatorum nomine in consistoriali Bulla anni 1852 donabantur, cum ea ab falsa precum narrativa pro insignium indumentorum assequutione repeteretur; quin tamen id officere iuri Capituli potuisset, a quo Hebdomadarii ipsi ab immemorabili deputari consueverunt, et in Collegium recipi cum qualitate amovibilitatis. Proposito hinc dubio: - An constet de iure Capituli removendi Hebdomadarios in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative - *in Isernien. Iuris removendi Hebdomadarios die 27 Iunii 1857.*

60. Si vero Capitulum ipsum urgere censuerit, loco Hebdomadariorum ad nutum amovibilium, erectionem perpetuorum Beneficiorum sub eodem nomine Hebdomadariorum, frustra exin contra eamdem insurgunt; Hebdomadarii tamen Ecclesiae et choro inservire tenentur ad instar Canonicorum *in Castrimaris die 7 Iulii 1736.*

61. Enimvero Episcopus, praevio consensu Canonicorum ac Dignitatum Cathedralis Ecclesiae Castrimaris, quin imo ad ipsorum instantiam, loco Presbiterorum et Hebdomadariorum, qui antea ad eorumdem nutum erant amovibiles, duodecim perpetua Beneficia sub eodem nomine Hebdomadariorum erexit. At exin Canonici et Dignitates contenderunt quod, licet consensus eorumdem intercessisset, attamen erectio utpote non tantum absque citatione eorum, qui hac in re interesse habebant, sed etiam sine Apostolico beneplacito expleta, nullitatis vitio infecta esset; ex eo etiam quod defecisset necessitas vel legitima causa, cum perperam ea fuerit constituta in asserto divini cultus Ecclesiaeque servitii augmentum.

Insuper dicta Beneficia erecta fuerunt ex fructibus et reditibus Capituli etiam pro quotidianis Canonicorum distributionibus assignatis: at nullibi cautum habebatur, reditus Ecclesiarum in quotidianas distributiones erogandos dismembrari posse ad effectum erigendi novos Canonicatus aut Beneficia; quin imo sancitum legebatur, licitum esse Episcopis Beneficia mensae capitulari unire vel etiam aliquem ex Canonicatibus supprimere, ut quotidianae distributiones, si fuerint tenues, augerentur iuxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini in sess. 24 Cap. 15 de reformatione. Demum sustinuerunt praefati Canonici et Dignitates, quod fructus Canonicis et Dignitatibus assignati et in solis distributionibus quotidianis consistentes etiam ante illorum dismembrationem et respective dictorum Hebdomariatuum erectionem ne congruae quidem et necessariae ipsorum sustentationi sufficerent; ideoque ex praedictis fructibus, etiam concurrente necessitate aut legitima causa, praedicta Beneficia valide institui non poterant. Contra Hebdomadarii validitatem erectionis defenderunt, quin tenerentur inservire per mediarias, sed per tertiarias, cum id in actu fundationis fuisset praestitutum, attenta praesertim redituum tenuitate, quos totos in quotidianis distributionibus consistentes ducatos decem pro unoquoque Hebdomadariorum ex numerariis non excedere praetendebant. Canonici vero respondebant, in fundationis instrumento inter cetera cautum fuisse, ut Hebdomadarii subiecti esse deberent novis statutis, quae forte in posterum circa rectum chori Ecclesiaeque servitium conderentur; hinc inferre enim nitebantur, quod, sicuti Hebdomadarii tenerentur Ecclesiae per mediarias inservire, si id a Capitulo statutum fuisset; ita potiori iure praestare obstringebantur, quod a Sacra Congregatione fuerit demandatum. Denique si Hebdomadarii inservirent tantum per mediarias, sequebatur, eosdem licet Canonicis inferiores, quin imo eorum Ministros et servitores, minori prae iisdem Canonicis gravatos fore, quod recto ordini ecclesiasticae hierarchiae parum congruere videbatur.

62. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An erectio assertorum Hebdomariatuum facta in titulum collativum sub reservatione iurispatronatus favore Capituli sustineatur? *Et quatenus Affirmative.* II. An et quomodo teneantur praedicti asserti Hebdomadarii Ecclesiae et choro inservire? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, teneri per mediarias ad instar Canonicorum – *in Castrimaris die 7 Iulii 1736.*

63. Ceterum Sacra Congregatio quandoque amplissimam Eminentissimo Praefecto facultatem tribuit dirimendi controversias inter Dignitates et Canonicos quoad respectiva iura exortas *iu Mazarien. Iurium capitularium die 12 Augusti 1741.*

64. Siquidem vix expleta fuerit erectio Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Laurentii Oppidi Drepani, Cantor et Decanus liberam sibi et absolutam functionum directionem totum Ecclesiae regimen plenam bonorum omnium ad eamdem Ecclesiam spectantium administrationem et demum omnimodam animarum curam independenter a Canonicis asserere inceperunt: sed Canonici recursum habuerunt ad Sacram Congregationem. Propositis itaque dubiis: – I. An ad Capitulum una cum Cantore et Decano spectet ius dirigendi et gubernandi functiones ecclesiasticas, exceptis parochialibus, in Ecclesia Collegiata peragendas, seu potius ad eosdem Cantorem et Decanum privative in casu etc. II. An ad integrum Capitulum spectet ius administrandi omnia et quaecumque bona tam dotalia Parochialis, quam cetera quovis titulo et nomine ad Ecclesiam spectantia et respective exercendi iura spiritualia, nimirum concedendi facultatem Regularibus sive Confraternitatibus ducendi processiones intra limites Parochiae et similia, seu potius ad Cantorem et Decanum in casu etc. III. An ex nunc constituenda sit arca communis mensae capitularis ad asservandos fructus et emolumenta quaecumque etiam parochialia singulis Dignitatibus et Canonicis respective debita in casu etc. IV. An causa horarum canonicarum deponere teneatur in eadem arca mensae capitularis annua scuta sexaginta debita duobus ex Canonicatibus a Petro de Messina fundatis, donec illorum dos transeat in Ecclesiam in casu etc. V. An fructus bonorum subrogatorum in locum dotis relictae pro aliis quatuor Canonicatibus a dicto Petro fundatis

deponi debeant in eadem arca communi ad effectum distribuendi praefatis Canonicis respective in casu etc. VI. An ius distribuendi omnes praedictos fructus suis respective Praebendatis octo Canonicatuum Petri Messina spectet ad Dignitates privative, seu potius ad integrum Capitulum? *Et quatenus negative ad primam partem.* VII. An idem ius distribuendi fructus cuilibet ex dictis sex Canonicis competat Capitulo etiam postquam bona a Petro Messina relicta transiverint in Ecclesiam in casu etc. VIII. An similiter ad idem Capitulum spectet ius distribuendi decem Presbiteris et quatuor Clericis emolumenta ipsis debita super eisdem bonis Petri Messina, seu potius ad duas Dignitates? IX. An in eadem arca communi Capitulari deponenda sit tertia pars fructuum Praebendarum Parochialium et Canonicalium, ut erogentur in distributiones quotidianas? *Et quatenus affirmative.* X. An hoc ipsum servari debeat etiam postquam bona Petri Messina transiverint in Ecclesiam? XI. An ad distributiones ex arca horarum canonicarum solvendas praeter decem Presbiteros et quatuor Clericos a Dignitatibus nominandos admitti possint alii Sacerdotes et Clerici choristae supranumerarii? *Et quatenus negative.* XII. An ad hunc effectum Capitulo praesidere liceat solutionibus dictarum distributionum favore eorumdem faciendis, seu potius solutio praedicta privative facienda sit a Dignitatibus? XIII. An praefati decem Presbiteri et quatuor Clerici choristae debeant dependere et manere subiecti praefatis Dignitatibus tantum, seu potius subiici integro Capitulo? XVII. An praefatis Dignitatibus liceat assumere titulum Parochi et Rectoris Portionarii? XVIII. An Cantori liceat intitulari caput insignis Collegiatae in scripturis tam publicis, quam privatis? XIX. An Dignitates et Canonici teneantur subire onera suis respective Praebendis iniuncta? *Et quatenus affirmative.* XX. An Dignitates ratione Praebendarum Parochialium teneantur post erectionem ad eadem onera, prout ante erectionem erant obligati? XXI. An ad integrum Capitulum spectet ius condendi statuta deputandi et amovendi omnes Officiales ac Ministros nec non assignandi et praestandi salaria et stipendia, seu potius ad Cantorem et Decanum privative? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Emum Praefectum cum facultatibus Sacrae Congregationis etiam concordandi – *in Mazarien. Iurium parochialium die 12 Augusti 1741.*

65. Imo Capitulum potest infra annum concedere dimissorias Arctatis ratione beneficii sive cum cura sive sine cura, aut oneris Ordinem sacrum requirentis *in Mazarien. mense Ianuarii 1587.*

Item *in Asturicen. mense Septembris 1588 lib. 5 Decretorum pag. 190.*

66. Incidit tamen in poenas contentas in cap. 10 sess. 7 de reformatione, si Vicarius concesserit dimissorias aliter, quam in eodem capite praescribitur *in Tarraconen. mense Ianuarii 1590 lib. 6 Decretorum pag. 102.*

67. Unde post annum dare potest licentiam Episcopo extero conferendi Ordinem nedum subditis ipsius Diaecesis vacantis, sed etiam aliis habentibus dimissorias suorum Ordinariorum *in Turritana die 29 Ianuarii 1577 ad Cap. 5 sess. 6 de reformatione Posit. 11.*

68. Insuper Capitulum, proprio Episcopo notorie haeretico, potest concedere dimissorias ad Ordines *in Dubio die 14 Ianuarii 1588 Posit. 16 ad Cap. 10 sess. 7 de reformatione.*

69. Id pariter concedere potest Capitulum, si Episcopus sit per Sedem Apostolicam notorie suspensus, servata tamen dispositione in eis concedendis S. C. Trid. Cap. 10. sess. 7 de reformatione *in Flandriae die 13 Septembris 1653 lib. 19 Decretorum pag. 282 a tergo.*

70. Itaque Capitulum Cathedralis tantum debet consentire in unionibus faciendis ab Episcopo, quoties ex cap. 15 sess. 24 de reformatione requiritur consensus Capituli *in Aretina lib. 2 Decretorum pag. 98.*

71. Capitulum autem non potest creare Examinatores Synodales etiam deficientes vel impeditis illis in synodo electis *in Segobricen. mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum.*

72. Qua de re Canonici Cathedralis Ecclesiae Solodorensis praetendere non possunt, ut Episcopus exquirat consilium totius Capituli, cum eligat Examinatores pro novis ordinandis et pro Confessariis, cum publicet in-

dulgentias, cum ea praescribat, quae ordinationem et regimen cultus divini nec non constitutionem et directionem Seminarii respiciunt, sed servari debent dispositiones Concilii in sess. 23 cap. 3 sess. 21 cap. 9 sess. 24 cap. 12 et sess. 23 cap. 18 de reformatione; proposito enim dubio: - V. An Episcopus teneatur exquirere consilium totius Capituli, cum eliguntur Examinatores pro novis Ordinandis et pro Confessariis, cum publicantur Indulgentiae, cum agitur de ordinatione et regimine cultus divini, et cum res est de constitutione et directione Seminariorum? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quintum, Negative in omnibus; et serventur dispositiones Concilii Tridentini - *in Basileen. seu Solodoren. Statutorum capitularium die 9 Iunii 1855.*

73. Unde Sacra Congregatio declaravit, Capitulum Ecclesiae Cathedralis, de cuius consensu pro rebus Seminarii agendum est iuxta praescriptum cap. 18 sess. 23 Concilii Tridentini, non habere vocem in electione alterius de Clero, ab eodem Clero eligentis *in Bellunen. die 17 Aprilis 1630.*

74. Capitulum enim eligere non potest nisi unum Deputatum, nec iure pollet, inconsulto Episcopo et sine ulla subiectione, rationes administrationis Seminarii recipere, etiamsi consuetudo sibi faveat *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

75. Enimvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Arborensis petiit primo, ut sibi ius esset ambos deputatos, excluso Episcopo, eligere, qui rationes administrationis Seminarii recipere deberent ad normam Concilii Tridentini sess. 23 Cap. 18 §. *Rationes,* in quo perpendendum est, huiusmodi deputationem pro aliis casibus in eodem capite institui, inque iis omnibus declarari unum e deputatis capitularibus eligendum ab Episcopo, alterum a Canonicis; idemque de binis a Clero Deputatis sancitur. Hoc autem loco de Episcopo nullum verbum fit, quamquam e contra perspicue sermo sit de duobus - a Capitulo Deputatis ac totidem a Clero -. Petiit secundo Capitulum, ut ipsi ius esset, inconsulto Episcopo et sine ulla subiectione, rationes ipsas recipere. Capitulum consuetudini innitebatur: Archiepiscopus vero praescriptionem Concilii Tridentini in Cap. 18 sess. 23 servandam esse mandavit. Siquidem Concilium Tridentinum iubet potius rationes ab Episcopo accipi, praesentibus Deputatis; et contra Tridentini dispositionem consuetudinem non admitti passim definitum est, et docet Benedictus XIV Instit. eccles. 60 n. 7, et late Pitonius de controv. patron. alleg. 5. Praeterea Seminarium cum inter loca pia numeretur, sanctioni subiicitur sess. 22 cap. 9, qua ius recipiendi rationum redditiones Episcopo tribuitur. His itaque perpensis, proposito dubio: - IV. An et quomodo sit ius Arborensi Capitulo super Seminarii rationibus excipiendis in casu? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, servetur dispositio Concilii Tridentini sess. 23 cap. 18; et amplius - *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

76. Hinc multo minus Capitulum, e vivis erepto Vicario Generali, absente Episcopo a Regno, potest sua auctoritate alium constituere *in Ecclesien. die 24 Septembris 1639 lib. 16 Decretorum pag. 259.*

77. Quum itaque Concionator ab Episcopo deputatus ad praedicandum in Ecclesia Cathedrali aliisque Ecclesiis in eius ambitu existentibus non teneatur exhibere literas patentales et Capitulo seu eius Decano minime liceat retinere duas claves pulpiti eiusdem Ecclesiae Cathedralis, Episcopus procedere potest per censuras, quoties Decanus et Canonici se opponant *in Urgellen Iuris concionandi die 5 Septembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

78. Siquidem - cum per se vel substitutos suos libere et sine licentia Capituli Episcopus in Ecclesia Cathedrali concionari posse clavesque pulpiti a dicto Capitulo sive eius Decano retineri non debere contendat; Capitulum vero per Concionatorem ab eodem Episcopo selectum literas suae deputationis ipsi Capitulo exhibendas esse et claves praedictas iuxta antiquam capitularem deliberationem apud Capitulum sive eius Decanum asservari consuevisse respondeat, utraque igitur Parte informante EE. VV. sub infrascriptis dubiis res decidenda proponitur: - I. An Concionator deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali aliisque Ecclesiis in eius ambitu existentibus teneatur exhibere literas patentales Capitulo in casu etc. II. An liceat Capitulo seu eius Decano retinere duas claves

pulpiti eiusdem Ecclesiae Cathedralis in casu etc. III. An Episcopus procedere possit per censuras in casu, quo Decanus et Canonici se opponant in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative; et amplius in omnibus – *in Urgellen. Iuris concionandi die 5 Septembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

79. Unde ab Episcopo, non autem a Capitulo Cathedralis Ecclesiae, facienda est convocatio Cleri in loco eidem Episcopo beneviso, ut indigentiis laicorum contribuat, libri tamen collectarum sunt exhibendi Capitulo, in loco pariter Episcopo beneviso, cum praesertim adsit consuetudo favore Episcopi *in Burgen. S. Domnini Convocationis Capituli die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

80. Enimvero – conquesti sunt apud hanc Sacram Congregationem Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Burgi S. Domnini, quod cum de anno 1701 de mandato Sanctissimi D. N. per organum Sacrae Congregationis Immunitatis iniunctum fuerit Episcopo dictae Civitatis, ut cogeret personas omnes ecclesiasticas, quibusdam tamen exceptis, illius Civitatis et Diaecesis contribuere necessariis et extraordinariis indigentiis laicorum, Episcopus praefatus propria auctoritate convocaverit ad hunc effectum Congregationem Cleri dictae Diaecesis in sua aula Episcopali, exindeque absque participatione seu approbatione eiusdem Congregationis devenerit ad repartitionem cum maxima inaequalitate inter Collectatos, ac alias desuper exorbitantias admiserit; cumque idcirco Capitulum requisiverit ab Episcopo libros tam exacti, quam soluti, responsum accepit, non licere eidem Episcopo eos exhibere absque participatione et determinatione Congregationis Cleri. Quae porro cum ipsum Capitulum credat vergere in sui praeiudicium, recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem exorando declarari, ut, nulla praehabita participatione Congregationis Cleri, teneatur Episcopus exhibere ipsi Capitulo praememoratos libros, utque imposterum convocatio et congregatio Cleri fieri debeat ab ipso Capitulo in aula capitulari iuxta praescriptum Statutorum capitularium in Summario exhibendorum. Super praemissis informans Episcopus retulit, convocationem Cleri fuisse factam a suo Vicario Generali in Aula Episcopali, intervenientibus duobus Canonicis deputatis a Capitulo una cum aliis deputatis a Clero, ibique nemine repugnante decretam fuisse collectam, iuxta morem et consuetudinem observatam tam moderno suo tempore, quam alias suorum Praedecessorum, eamque probari inquit ex autenticis documentis extantibus in eius Cancellaria. Taxarum impositarum regulam, subdidit, desumptam fuisse ab aliis similibus, anteactis temporibus, factis, de quibus itidem documenta extare fatetur, servata quoad omnes aequalitate ac retento tenore literarum Sacrae Congregationis Immunitatis. Quo vero ad exhibitionem librorum addidit, Congregationem Cleri obtulisse eos ostendere quibuscumque venientibus, vel apud Thesaurarium, vel in Aula apud ipsam Congregationem, quam, ait, latere hoc ius praetensum a Capitulo, cogendi Clerum ad dandos libros in Camera capitulari sub examine et arbitrio Canonicorum, eo quod tenor Statutorum id non praeseferat, quemadmodum uberius ex eadem relatione danda in Summario –.

81. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An convocatio Cleri sit facienda ab Episcopo, seu potius a Capitulo de licentia Episcopi? II. An coadunatio Cleri fieri debeat in Aula Episcopali alioque loco Episcopo beneviso, seu potius in Aula capitulari? III. An libri collectarum sint exhibendi Capitulo et in quo loco? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, in loco Episcopo beneviso. Ad tertium, Affirmative in loco Episcopo beneviso – *in Burgi S. Domnini Convocationis Capituli die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

82. Qua de re Capitulum ad tramites piae dispositionis ius quidem habet administrandi bona Capellae intra Ecclesiam Cathedralem erectae, sed cum superintendentia Episcopi, nec non Capitulum tenetur reddere rationem Episcopo iuxta decisionem iam editam *in Neritonen. Redditionis Rationis die 1 Martii 1738.*

83. Siquidem Horatius Fortunatus pridem Episcopus Neritonensis cum in lecto infirmus decumberet anno 1707 coram pluribus reliquit legatum Capellae S. Michaelis Archangeli intra Ecclesiam Cathedralem erectae,

cuius exequutionem et administrationem detulit Capitulo eiusdem Cathedralis. At novus Episcopus contendit, praefatam dispositionem non sustineri, proindeque hereditaria eius bona consueto spolio reperiri obnoxia. Congregatio autem particularis ex Pontificio Rescripto Benedicti XIII deputata die 5 maii 1726 mandavit, capitalia relicta a bo. me. Horatio Fortunato et a quondam Horatio Gioccoli esse administranda a Capitulo cum Episcopi superintendentia, et in casu negligentiae Capituli a solo Episcopo investienda. Mandavit insuper, - quod in futurum anno quolibet a Procuratore seu Administratore ratio reddatur Episcopo pro tempore tum impensarum, tum reliquatus; septimo, quod idem Episcopus in casu negligentiae aut dolosae administrationis nedum possit Capitulo terminum praefigere, intra quem debeat novum Procuratorem seu Administratorem constituere, sed etiam per se ipsum Procuratorem seu Administratorem sibi benevisum constituere valeat et teneatur in casu, quo Capitulum administrationi renunciaret, qui Procurator ad dictam redditionem rationis teneatur, ut supra; et ultimo demum, quod eidem Episcopo ratio reddatur praeteritae administrationis tam bonorum relictorum ab Horatio Fortunato Episcopo Neritonensi bo. me., quam relictorum ab Horatio Gioccoli –, Promotor Fiscalis Curiae Neritonensis, exin deprehendens, annuos reditus ex enunciatis bonis provenientes et in beneficium dictae Capellae impendendos per Capitulum cum capitulari Massa misceri atque ita confundi, ut gravissimum eidem Capellae obveniret detrimentum, instetit, ut Capitulum praedictum ad reddendam rationem de dictis reditibus usque ab anno 1725 obstringeretur. Proposito hinc dubio: – An Capitulum Ecclesiae Cathedralis Neritonensis libere administrare valeat reditus Capellae S. Michaelis Archangeli, vel de illis teneatur Episcopo reddere rationem, sive potius an et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis de mense maii 1726 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Bona administranda esse a Capitulo cum superintendentia Episcopi, nec non Capitulum teneri reddere rationem Episcopo iuxta resolutionem editam anno 1726, et standum in decisis in omnibus – *in Neritonen. Redditionis rationis die 1 Martii 1738.*

84. Quum autem Leo X anno 1515 omnes et singulas Ecclesias cum omnibus iuribus et pertinentiis suis perpetuo univerit et incorporaverit Collegiatae Ecclesiae Oppidi Montellae, tributa Capitulo facultate in praefatis Ecclesiis ad nutum ponendi et amovendi Presbiteros seculares, qui in divinis deservirent et curam animarum Parochianorum exercerent, contendit Capitulum, sibi competere ius deputandi dictos Presbiteros ad nutum, et iniuria agere Episcopum, qui veterem ac praescriptam legem labefactari postulabat contra id, quod ipsi decessores Episcopi perpetuo agnoverunt, imo iusserunt fieri; nam cum usus invaluisset deputandi Canonicos, factum fuit, Episcoporum imperio, ut nonnisi Presbiteri secundum unionis legem a Capitulo deputarentur. Proposito hinc dubio: – III. An ad idem Capitulum privative spectet deputare Presbiteros seculares ad nutum amovibiles in dictis Ecclesiis parochialibus sibi unitis? *Et quatenus negative.* IV. An spectet ad Episcopum deputare Vicarios perpetuos in casu etc. –, S. Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, provisum in tertio – *in Nuscana die 14 Apri is 1764.*

85. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nuscana die 24 Novembris 1764.*

86. Quum itaque ad Capitulum Collegiatae Ecclesiae spectet annuatim se conferre ratione matricitatis ad aliam Ecclesiam pro decantanda Missa solemni in die festo S. Titularis, iusta de causa potest differre accessum, quin Ecclesiae Rectores denegare valeant sacra paramenta et alia necessaria pro celebratione Missae et impedire pulsationem campanarum *in Imolen. Iurium parochialium die 20 Decembris 1760.*

87. Iamvero Benedictus XIV anno 1757 concessit Patribus Scholarum Piarum Ecclesiam S. Francisci de Paula, illamque in Parochialem erexit, salvo iure Matricitatis Ecclesiae Collegiatae olim S. Iacobi dein SS. Petronii et Prosperi; atque mandavit celebrari festum solemne S. Francisci de Paula cum interventu Capituli Canonicorum et Cleri praedictae Collegiatae, nec non praecepit, ut – ad Capitulum et Canonicos ipsius Collegia-

tae Ecclesiae spectet annuatim se conferre ad dictam Ecclesiam S. Francisci de Paula, pro decantanda Missa solemni in die festo eiusdem Sancti –. Qua de re contenderunt Capitulares, (octo tamen illorum exceptis, qui promotae liti non assentiri protestati sunt) quod occurrente die festo dicti S. Francisci de Paula in una ex feriis Maioris Hebdomadae sibi liceret differre accessum pro celebranda festivitate ad diem, in qua ab Ecclesia universali fieret officium ipsius Sancti, ut etiam censebat Episcopus; quodque ea occasione nequirent Patres Scholarum Piarum denegare paramenta aliaque necessaria pro Sacrificio Missae et pulsationem campanarum, quae erant accessoria celebrationi festivitatis. Obstiterunt autem Patres Scholarum Piarum, quia dies festus, de quo loquebantur Litterae Apostolicae, non omittebatur in Hebdomada Maiori quoad praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus, licet officium transferretur, ut Decreto generali Sacrae Congregationis Rituum definitum fuerat quoad festum S. Iosephi die 13 septembris 1692 ad relationem sa. me. Clementis XI tunc Causae Ponentis; et de translatione Officii Annunciationis Beatae Mariae Virginis in feriam secundam post Dominicam in Albis extabat aliud eiusdem Sacrae Congregationis Rituum Decretum Urbis et Orbis diei 20 iulii 1748 Ponente Card. Millino. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An occurrente die festo S. Francisci de Paula in una ex feriis Maioris Hebdomadae liceat Capitulo differre accessum ad Ecclesiam eiusdem Sancti ad diem, in qua ab Ecclesia universali fit Officium ipsius Sancti? *Et quatenus affirmative.* II. An Patres Scholarum Piarum possint denegare sacra paramenta et alia necessaria pro celebratione et impedire pulsationem campanarum? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius - *in Imolen. Iurium Parochialium die 20 Decembris 1760.*

88. Hinc circa iura Capituli Collegiatae Ecclesiae et Parochorum Civitatis occasione funerum Sacra Congregatio mandavit, ut observaretur antiquum Laudum ab Archiepiscopo latum *in Senen. Iurium parochialium die 18 Novembris 1730.*

89. Enimvero in Civitate Senarum aderant 23 Parochiae et intra fines Parochiarum S. Christophori et S. Petri ad Ovile sita reperiebatur Ecclesia Beatae Mariae Virginis in Provensano, quae de anno 1638 erecta fuit in Collegiatam a sa. me. Urbano VIII, quae inde passim denominabatur insignis. Inter istam Ecclesiam et Parochias Civitatis plures exortae fuerunt dissensiones super ritu deferendi exponendi ac tumulandi cadavera in eadem Collegiata Ecclesia: hinc de anno 1648 Partes devenerunt ad compromissum in personam bo. me. Ascanii Piccolomini tunc Archiepiscopi, qui, perpensis iuribus utriusque Partis, suum Laudum promulgavit sub die 25 septembris eiusdem anni, in quo ante omnia pronunciavit, quod praedictae Collegiatae concederetur, prout ipse concessit, ius sepeliendi, quod prius nunquam legitime obtinuerat, sine tamen praeiudicio Ecclesiarum Parochialium, ita ut possent Parochi eas omnes explere functiones, quas prius perage-bant ante erectionem in Collegiatam, absque eo quod istius Canonici et Presbiteri se ingererent, nisi in sequentibus casibus et modis, videlicet; primo, quod in casu tumulationis alicuius cadaveris in praedicta Collegiata, si invitentur et interveniant Canonici, incedant uti singuli, omnes vero sub Cruce Parochi, absque eo quod Canonici deferre possint propriam Crucem; secundo, quod toto tempore expositionis cadaveris in dicta Ecclesia stare debeat erecta Crux Parochi, functiones vero Missae cantatae et similium expleantur a Canonico hebdomadario, quoties Canonici intersunt capitulariter, excepto ultimo *vale* dando a proprio Parocho; tertio quod in casu delationis cadaveris ad Ecclesias Regulares, Canonici quatenus interveniant capitulariter praecedant Parocho, uti supra sub Cruce eiusdem Parochi, a quo pariter dabitur ultimum *vale;* quarto tandem, quod in casu delationis cadaveris ad eamdem Collegiatam Ecclesiam cera omniaque alia emolumenta funeralia integre spectent ad Parochum, prout si corpus Defuncti ibi exponi contingat, ut inde ad aliam Ecclesiam deferatur tumulandum, cera, quae accendetur circa feretrum et in Altaribus, integre pariter spectare debeat ad Parochum. Hoc Laudum fuit executioni demandatum usque ad annum 1682,

quo Canonici praefatae Ecclesiae, nulla mentione facta de dicto Laudo, supplicarunt Sacrae Congregationi pro concessione iuris sepeliendi aliorumque iurium ab eo promanantium; et Sacra Congregatio, audito prius et annuente Archiepiscopo, sub die 11 aprilis eiusdem anni 1682 petitam facultatem et ius sepeliendi indulsit, - salva tamen semper quarta funerali favore Parochi -. Huiusmodi Decretum fuit executum ab Ordinario, illique etiam Parochi Civitatis se subscripserunt. Sed cum exinde nova iurgia in casibus particularibus emersissent, Parochi ad amputandas omnes dilationes recursum habuerunt ad Sacram Congregationem, supplicantes pro observatione antiqui Laudi emanati de anno 1648.

90. Proposito hinc dubio: - An Laudum Archiepiscopi latum sub die 25 septembris 1648 sit observandum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et ad Emum Praefectum iuxta mentem (1) - *in Senen. Iurium parochialium die 18 Novembris 1730.*

91. Cum autem contentio inter Praepositum atque Canonicos Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Fidelis et Sodales Confraternitatis iampridem in Ecclesia S. Ioannis in Atrio erectae circa funeribus interessentiam suscitata fuerit, proposito dubio: - VIII. An liceat dictis Praeposito et Canonicis intervenire funeribus eorum, qui elegerunt sepulturam in Ecclesia Confraternitatis? -, S. Congregatio respondit: - Ad octavum, dilata; et proponatur dubium super Matricitate - *in Comen. Administrationis et Iurium parochialium die 27 Iulii 1737.*

92. Itaque Sacra Congregatio quoad iura et praeeminentias, quae spectare deberent Capitulo et Vicario Curato, mandavit, ut servaretur in omnibus votum Emi Relatoris *in Aquilana Praeeminentiarum die 11 Septembris 1728 et die 22 Septembris 1731.*

93. Enimvero Incolae circumstantium Oppidulorum, quae post Amiterni Furconiique excidium succreverant, communi consilio in unum locum et Populum coaluerunt ita tamen, ut singulos novae Civitatis vicos singulis Castris adtribuerint, totidem ferme Ecclesiis plateis fontibus aliisque id genus constitutis, quibus, et in Civitate Aquilana internoscerentur, et cum reliquis, qui Oppidulis adhuc inhaeserant, quodam veluti Coloniae iure ac foedere convenirent. Huc referendum videbatur, quod inter cetera duplex Paganica extiterit, quarum una *ab intra*, altera *ab extra* inde appellata fuerit: de cuius parochiali iure cum anno 1580 apud Sacram Congregationem actum fuerit, censuit Sacra Congregatio, ut Archipresbiter una cum Capitulo, relicta veteri Ecclesia, migrare deberet in aliam intra Civitatem constructam, cui attributi fuerunt reditus Ecclesiae *ab extra.* Anno deinde 1600 tum a Rotae Auditorio, tum a Sacra Congregatione demandata est erectio Vicariae perpetuae cum cura animarum in eadem Ecclesia *ab extra,* idque ab Episcopo executioni rite mandatum fuit speciali Decreto, quo inter alia novo Vicario indulgebatur, ut in Ecclesia *ab extra* et in actibus publicis incedere posset stola ornatus, atque uti Parochus Canonicis aliisque ipsius Ecclesiae Ministris praeferri. Ad huius Decreti normam affirmabant Testes, Vicarios nedum Clero eiusdem Ecclesiae digniori loco praecessisse, sed etiam Canonicis et Archipresbitero Ecclesiae *ab intra,* quoties isti singulatim nec in speciem Collegii ad Ecclesiam *ab extra* accesserint. Haec autem iura sub duobus postremis Vicariis interrupta in pristinum statum vindicavit modernus Vicarius, et quidem adversus Clerum utriusque Ecclesiae; quum praesertim idoneas causas se adferre putaret, ex quibus Decessores aut inviti aut privatarum conventionum obtentu a tuenda sui gradus dignitate paululum deflexerint. Propositis hinc dubiis: - I. An in quibuslibet festis solemnioribus anni possit Vicarius Missam maiorem celebrare in Ecclesia Sanctae Mariae Paganicae *ab extra*, seu potius hoc liceat tam Canonicis et Capellanis *ab extra,* quam Archipresbitero Canonicis et Capellanis Ecclesiae *ab intra* uti singulis, dum sunt praesentes, excluso eodem Vicario in casu etc. II. An in processionibus

(1) Mens autem fuit, - ut, assistente Capitulo Ecclesiae Provenzani in tumulatione cadaveris expositi in Ecclesia, possit idem Capitulum in dicta tumulatione tantum elevare suam Crucem, firma tamen remanente consignatione cerae Parocho iuxta Laudum observandum etiam in ceteris omnibus et per omnia, et hoc dummodo Canonici acquiescant -, *ceu videre est in lib. 80 Decretorum pag. 368.*

funerum rogationum et aliis, quae fiunt in Terra Paganicae possit Vicarius praecedere et deferre stolam, sive potius hoc liceat tam Canonicis et Capellanis *ab extra*, quam Ar-Archipresbitero Canonicis et Capellanis *ab intra* uti singulis, dum sunt praesentes, excluso eodem Vicario in casu etc. III. An functiones benedictionum publicationis indulgentiarum et excommunicationum possit fieri a dicto Vicario, sive potius tam a Canonicis et Capellanis *ab extra*, quam Archipresbitero Canonicis et Capellanis *ab intra* sive uti singulis, sive uti universis, dum sunt praesentes, excluso eodem Vicario in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam – *in Aquilana Praeeminentiarum die 11 Septembris 1728.*

94. Capitulum S. Mariae de Paganica *ab intra* huic resolutioni non acquiescens recessum a decisis contendit, ac alia quinque dubia proposuit discutienda, scilicet: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 11 Septembris 1728? II. An Archipresbiter Canonici et Capellani Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Mariae de Paganica *ab extra* faciant unum et idem corpus cum Vicario Curato et Capellanis Ecclesiae S. Mariae de Paganica *ab intra* tam in functionibus ecclesiasticis, quam in perceptione distributionum aliorumque redituum Massae capitularis; et an unum corpus constituant etiam in perceptione manualium, et an Vicarius sit de gremio? III. An tam Archipresbitero Canonicis et Capellanis *ab intra* uti universis et uti singulis, quam Capellanis *ab extra*, competat praecedentia in choro quoad Vicarium Curatum? IV. An dictus Vicarius Curatus ultra exercitium curae actualis teneatur interesse horis canonicis in dicta Ecclesia *ab extra*, dummodo non fuerit legitime in actuali exercitio curae? *Et quatenus affirmative.* V. An distributiones quotidianae assignatae Vicario Curato in Bulla ipsius deputationis ad instar unius Canonici pro modo servitii per eumdem praestandi in Ecclesia *ab extra* sint taxandae iuxta modum servitii Ecclesiae *ab intra*, seu potius alterius Ecclesiae *ab extra*? VI. An cerae provenientes ex funeralibus et anniversariis celebrandis in Ecclesia *ab extra* et oblationes, quae fiunt in die Commemorationis Mortuorum in pane vino aliisque rebus offerri solitis, spectent ad Capitulum et massam capitularem, sive potius ad Vicarium Curatum? – In Congregatione habita die 10 martii 1731 suspensa fuit decisio, commissumque Card. Belluga, ut rationum in utramque partem momenta perpendere suamque sententiam Sacrae Congregationi aperire dignaretur. Suas partes accurate implevit Emus Belluga; unde repropositis dubiis Sacra Congregatio respondit: – Servetur in omnibus votum Emi Belluga, et amplius – *in Aquilana Praeeminentiarum die 22 Septembris 1731.*

95. Hinc Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Leonis ob rationem curae habitualis et assertam consuetudinem non potest in Ecclesia et Altari S. Luciae concessa Patribus S. Francisci de Paula canere Missas adventitias sibi benevisas, praeterquamquod binas Missas cantatas *in Nullius Castellanae die 29 Augusti 1722 et die 30 Ianuarii 1723.*

96. Enimvero Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Leonis contendit, sibi licere in die festivitatis S. Luciae canere Missas adventitias sibi benevisas in Altari dictae Sanctae, licet erecto in Ecclesia S. Francisci de Paula, et licet ipsi essent inviti; tum quia ratione curae habitualis, quam habebat, omnium animarum sibi permissum erat a tempore immemorabili sacras et parochiales functiones exercere in Ecclesiis sitis in Terra, de qua agebatur; tum quia tam ante concessionem Ecclesiae, de qua res erat, Patribus factam, quam post concessionem, semper fuit in possessione canendi Missas adventitias in Altari S. Luciae die festo eiusdem Sanctae; et tandem quia Ecclesia, de qua agebatur, nulla pollebat exemptione a iurisdictione ordinaria, cum post concessionem, quam nullitate laborare praetendebat, utpote spoliativam et violentam, fuerit pluries ab Ordinariis visitata. Patres e contra sustinuerunt, reperiri in dicto Altari S. Luciae Beneficium quoddam, cuius Capellanus singulis annis et die festivitatis S. Luciae celebrabat, invitatis Presbiteris Terrae S. Leonis, nec se huic refragari, et ulterius admittere, quod alia Missa eodem die et in eodem Altari canere-

tur ad tramites Legati relicti a Sacerdote a Ioanne Francisco Taccono, seque tantummodo obstare praetensioni, quae Capitulum Collegiatae posset eadem die in eodem Altari canere omnes et singulas Missas adventitias sibi benevisas, quum id, invitis Regularibus, in ipsorum Ecclesiis fieri non posset, et quum haec tot Missarum cantatarum multiplicatio esset incompatibilis cum aliis functionibus dicta die in eadem Ecclesia peragendis; nec spolium, nec consuetudinem constare. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Capitulum Ecclesiae S. Leonis Castellanae possit in die festivitatis S. Luciae canere Missas adventitias ei benevisas in Altari eiusdem Sanctae in Ecclesia Patrum S. Francisci de Paula, invitis eisdem Patribus, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, praeterquamquod binas Missas cantatas - *in Nullius Castellanae die 29 Augusti 1722.*

97. Capitulum impetravit novam audientiam; sed reproposito dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Nullius Castellanae die 30 Ianuarii 1723.*

98. Cum autem Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Oppidi Novarum quaedam competeret superioritatis species super ceteras Ecclesias parochiales, propositis dubiis: – IV. An dicti Parochi possint in die Sabbati Sancti pulsare campanas ante signum Collegiatae? V. An in feria sexta Hebdomadae Sanctae possit discooperiri Crux ante Ecclesiam Collegiatam? VI. An competat Ecclesiae Collegiatae ius recipiendi ab Ordinario Oleum Sanctum, illudque privative distribuendi et consignandi Parochis? VII. An ius benedicendi Sponsas et Puerperas spectet privative ad Parochos? VIII. An competat Capitulo Collegiatae Ecclesiae ius convocandi Parochos in propria Ecclesia occasione funerum et processionum? IX. An, occasione processionum seu funerum faciendorum cum interessentia Capituli, teneantur Parochi incedere sub cruce Capituli, seu potius an et sub qua Cruce sit incedendum? X. An, accedente Capitulo dictae Ecclesiae Collegiatae ad funus, debeatur praecedentia Parocho, seu potius Archipresbitero Collegiatae? XIII. An in processionibus solemnibus et Rogationibus possit Capitulum et Archipresbiter ingredi alias Ecclesias, ibique solitas orationes seu functiones peragere? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Affirmative arbitrio tamen Episcopi. Ad septimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad octavum, Negative quoad Parochum Defuncti, Affirmative quoad alios Parochos, qui ad funus invitantur; et quoad omnes quando ad processiones accedunt. Ad nonum, dilata. Ad decimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad decimum tertium, Affirmative – *in Derthonen. Iurium parochialium die 3 Decembris 1718.*

99. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 3 decembris 1718? II. An ius benedicendi Puerperas spectet privative ad Archipresbiterum et Capitulum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Standum esse in decisis quoad quartum quintum sextum octavum et decimum tertium; item quoad septimum in decisis quoad primam partem, et quoad secundam, esse in libertate Puerperarum accedere ad quamcumque Ecclesiam sibi benevisam: quoad nonum, dilata; et Testes examinentur formiter: quoad decimum, in decisis; idest praecedentiam deberi potius Archipresbitero, quam Capitulo – *in Derthonen. Iurium parochialium die 7 Decembris 1720.*

100. Hinc Patres Scholarum Piarum contendentes, quod ipsi constituerent Clerum Ecclesiae Parochialis S. Francisci de Paula olim SS. Mariae et Hilarii, praetenderunt interesse Anniversariis Officiis, quae fiebant in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium ex pia dispositione Ioannis Antonii de Magnapanis, a quo invitabantur quatuor Sacerdotes S. Hilarii et quatuor S. Dominici quatuorque Presbiteri S. Iacobi et quatuor Presbiteri S. Mariae de Lugo: contra Canonici Collegiatae Ecclesiae olim S. Iacobi dein SS. Petronii et Prosperi sustinuerunt, hanc facultatem, uti connumeratam inter iura Ecclesiae SS. Mariae et Hilarii, translatam fuisse cum reliquis iuribus in Ecclesiam Collegiatam. Proposito hinc dubio: – XI. An liceat dicto Curato S. Francisci de Paula accedere ad Officia, quae fiunt in Ecclesia Pa-

trum Conventualium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, spectare ad Collegiatam ius transmittendi octo ex suis Presbiteris ad Officia, de quibus agitur, in Ecclesia Patrum Conventualium; et amplius – *in Imolen. Iurium parochialium die 20 Decembris 1760.*

101. Ius vero accedendi ad Congregationes Locorum Piorum praefatae Parochiae S. Francisci de Paula spectat ad Parochum praefatae Ecclesiae, non autem ad Capitulum, cum in Literis Apostolicis novae erectionis Parochialis S. Francisci de Paula iura relative ad praefata Loca Pia fuisse illi adempta viderentur; proposito itaque dubio: – XXIII. An ius accedendi ad Congregationes dictorum Locorum Piorum spectet ad Deputatum dicti Capituli, secluso eodem Curato, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad vigesimum tertium, spectare ad Parochum – *in Imolen. Iurium parochialium die 20 Decembris 1760.*

102. Capitulum itaque Collegiatae Ecclesiae nequit praetendere ius parochialitatis praeterquam in iis, quae dependent a iure sepeliendi quoad omnes personas a Summo Pontifice in concessione privilegii designatas, quin obstent contraria Decreta, quae Pontificis mentem perperam extendunt *in Ianuen. Iurium parochialium die 14 Decembris 1737.*

102. Siquidem Gregorius XIII annuens precibus heredum et successorum Bandinelli Sauli, qui in exequutionem piae dispositionis eiusdem Bandinelli Ecclesiam conspicuae magnitudinis ceperant construere, dictam Ecclesiam in Collegiatam erexit ac Abbati et Canonicis ius sepulturae omniaque iura parochialia pro omnibus praedictis Canonicis Presbiteris Clericis Ministris et aliis personis dictae Ecclesiae ac Patronis indulsit, sine tamen praeiudicio Parochiae, in qua ipsa Ecclesia fundata fuit. Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae veluti unus eorum, quibus Literarum Apostolicarum executio commissa fuerat, postulante marchione Dominico Maria Ignatio Sauli in iuspatronatus laudatae Ecclesiae successore, anno 1721 declarationem super iuribus parochialibus emisit. Unde Canonici omnia iura parochialia absque ullius contradictione nec non sacrorum Oleorum portionem ab Ecclesia Metropolitana recipere ceperunt, iuxta Rescriptum diei 31 martii 1722 a Card. Laurentio Flisco tunc temporis Ianuensi Archiepiscopo. Quoniam vero anno 1736 Minister a Capitulo Metropolitanae Ecclesiae pro distributione Sacrorum Oleorum deputatus consuetam Baptismalis aquae sacrorumque Oleorum portionem Canonicis saepe dictis Ecclesiae illam requirentibus tradere detrectavit, Vicarius Generalis die 17 aprilis 1736 mandavit, ut dictus Minister portionem aquae Baptismalis et sacrorum Oleorum Curatis dictae Ecclesiae traderet. Canonici et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae appellarunt. Propositis itaque dubiis: – I. An ad formam Bullae Gregorii XIII constet de Parochialitate Ecclesiae S. Mariae de Carignano Civitatis Ianuae in casu etc. II. An et quae iura parochialia et super quibus competant eidem Ecclesiae ad formam dictae Bullae in casu etc. III. An Decretum factum ab Archidiacono Serra sub die 3 februarii 1721 sustineatur in casu etc. IV. An Decreta Curiae Archiepiscopalis Ianuensis pro traditione aquae Baptismalis et Oleorum sanctorum sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative praeterquam in iis, quae dependent a iure sepeliendi. Ad secundum, quoad primam partem provisum in primo, et quoad secundam competere super omnibus personis expresse nominatis in Bulla. Ad tertium et quartum, Negative – *in Ianuen. Iurium parochialium die 14 Decembris 1737.*

104. Hinc si Ecclesiae parochiales Civitatis sint canonice divisae a Cathedrali, nedum ius administrandi Sacramenta Canonicis Beneficiatis ceterisque ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis pertinentibus spectat ad Parochum domicilii, sed et ius associandi funus peragendi ac tumulandi eorum cadavera, nisi adsit sepulcrum pro addictis chori servitio vel sepulchrum maiorum vel illud ipsi elegerint in Cathedrali, requisito tamen Parocho domicilio pro associatione et salva eidem quarta funeris iuxta consuetudinem loci, nec non ad eumdem Parochum domicilii spectat aspersio cadaveris, antequam e domo efferatur atque antiphonae *De profundis* intonatio *in Sancti Miniatis Iurium parochialium die 24 Novembris 1821.*

105. Iamvero Civitatis S. Miniatis Parochi postularunt, ut tecta sartaque servaretur

eorum parochialis iurisdictio adversus Sacerdotem Carolum Nistri Cathedralis Ecclesiae Praepositum itemque Parochum, qui ab anno 1800 occasione funeris Dominici Ansaldi eiusdem Cathedralis Canonici ius suum esse contendit administrandi Sacramenta Canonicis Beneficiatis ceterisque ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis pertinentibus, quamvis in aliena Paraecia suum haberent domicilium, nec non eorumdem cadavera associandi, funus peragendi, et tumulandi ius habere praesumpsit. Asseruerunt Parochi, nunquam Capitulum seu Cathedralis Ecclesiae Praepositum alicuius statuti vigore aut aliqua consuetudine Sacramenta vel Paschali tempore, vel in extremo mortis periculo administrasse iis, qui, etsi Cathedrali Ecclesiae essent adscripti, extra tamen illius Paraeciae fines suum haberent domicilium. Episcopus id adamussim comprobavit; adeoque censuit, nullum ius competere Cathedralis Capitulo circa eorum funera, excepto iure sepeliendi, quando sine electione sepulturae decederent. Deinde distinctas esse Paraecias dixit, nec unquam Capitulum Parochorum iura perturbasse; ac votum decem Canonicorum transmisit, qui Parochis favebant. Nam de iure communi nullus Parochus alterius Parochiae terminos invadere potest: nec Parochus seu Praepositus Cathedralis Ecclesiae privilegium habebat, quin etiam ex consuetudine id sibi vindicare valeret, dum haec etiam favore Parochorum vigebat. Idcirco quum Ecclesiae Paraeciarum per constitutos limites divisae reperirentur ab Cathedrali Ecclesia, dictus Praepositus constitutos sibi limites praetergredi et aliarum Paraeciarum fines invadere nequibat. Qua de re Parochi sustinuerunt, Praepositum Nistri nullimode sibi posse vindicare cadavera Canononicorum aliorumque, nisi illi expresse in Cathedrali sepulturam elegerint, quin in Cathedrali S. Miniatis ulla existeret Canonicorum sepultura, in qua tumulandi essent, non quatenus Cathedrali, sed quia ibi sepulcrum Canonicorum inveniretur. Excluso itaque iure parochialitatis et tumulandi, excludebatur etiam ius associandi tamquam illis accessorium. Quod si Canonici aliique sepeliri deberent in Cathedrali, ad Parochos pertinebat quarta funeraria: et ad eosdem respective spectabat cadaveris aspersio, antequam e domo extrahebatur, nec non antiphonae *De profundis* intonatio.

106. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et cui competat ius administrandi Sacramenta Canonicis Beneficiatis ceterisque ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Miniatensis pertinentibus extra Paraeciam dictae Ecclesiae Cathedralis degentibus in casu etc. II. An et in quo casu Parochus eiusdem Ecclesiae Cathedralis ius habeat associandi funus peragendi et tumulandi Cadavera Canonicorum Beneficiatorum aliorumque, ut supra, licet domicilium habuerint ac Sacramenta receperint sub aliena Paraecia in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An praedictae Paraeciae competat quarta funeraria in casu etc. IV. An in casu, quo Capitulum et Praepositus Cathedralis sive illius Parochus interfuerit associationi cadaverum Canonicorum aliorumque ut supra, extra Paraeciam Cathedralis degentium, aspersio cadaveris, antequam e domo efferatur, et intonatio antiphonae *De profundis* spectet ad Capitulum eiusque Praepositum vel Parochum, seu potius ad Parochum domicilii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative favore Parochi domicilii. Ad secundum, Affirmative quatenus adsit sepulcrum pro addictis chori servitio, vel sepulcrum maiorum, vel illud ipsi in Cathedrali elegerint, requisito tamen Parocho domicilii pro associatione, et salva eidem quarta funeris in quantitate, iuxta consuetudinem loci. Ad tertium, provisum in secundo. Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Sancti Miniatis Iurium parochialium die 24 Novembris 1821.*

107. Qua de re - defuncto in aedibus paternis existentibus intra limites Ecclesiae parochialis S. Mariae spectantis ad PP. Dominicanos Ioanne Baptista Pellegrino Canonico Ecclesiae Cathedralis absque electione sepulturae, Capitulum Cathedralis sub praetextu immemorabilis consuetudinis, illius cadaver irrequisito Parocho asportavit ad eamdem Ecclesiam Cathedralem, ibique peractis funeralibus exequiis ecclesiasticae tradidit sepulturae. Contendentibus autem PP. Dominicanis, totum id nulliter gestum fuisse in praeiudicium Ecclesiae parochialis, adeoque sibi debitam esse restitutionem tam cadaveris,

quam omnium emolumentorum funeralium, habitus fuit hinc inde recursus ad hanc Sacram Congregationem, in qua post auditam Episcopi relationem quaeritur hodie ab EE. VV. Partibus hinc inde informantibus: – I. An Canonico Ecclesiae Cathedralis decumbenti in domo propria et distincta ab aedibus canonicalibus administranda sint Sacramenta a Parocho Ecclesiae Cathedralis, vel potius a Parocho illius habitationis et domicilii? II. An idem Canonicus, nulla facta electione sepulturae, sepeliri debeat in Ecclesia Cathedrali, vel potius in Parochiali? III. An Capitulo sive Parocho Ecclesiae Cathedralis licuerit cadaver praefati Canonici Pellegrini asportare ab illius domo ad eamdem Ecclesiam Cathedralem, Parocho domicilii irrequisito? *Et quatenus negative.* IV. An Cadaver ac omnia emolumenta funeris sint restituenda eidem Parocho domicilii? V. Quatenus licita fuerit tumulatio in Ecclesia Cathedrali, an Parocho domicilii debeatur saltem quarta funeralis? –, Sacra Congregatio respondit: Ad primum, dentur Decreta in Tyburtina et Tolentinaten. (1). Ad secundum, sepeliendum esse in Ecclesia Cathedrali, ubi adest sepulcrum. Ad tertium, Negative irrequisito Parocho. Ad quartum et quintum, deberi quartam Parocho – *in Narnien. Iurium parochialium die 26 Septembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

108. Quapropter facta divisione Paraeciarum Civitatis, Parochus Cathedralis Ecclesiae ius non habet dandi benedictionem circa corpus in domo Defuncti, nec obtinendi praecedentiam in associatione Cadaverum, nec administrandi Sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis, in alienis Parochiis degentibus, nisi probet centenariam vel immemorabilem consuetudinem vel expressum in promptu habeat Apostolicum privilegium *in Eugubina Iurium parochialium die 2 Aprilis 1729.*

109. Nam licet Capitulum Cathedralis Ecclesiae Novariensis praetenderet habere Statutum Capitulare Apostolica Auctoritae Innocentii VIII confirmatum, Sacra Congregatio declaravit, ius administrandi Sacramenta Canonicis infirmis spectare privative ad Parochos respectivi domicilii quoad Capitulum *in Novarien. Iuris administrandi Sacramenta die 17 Septembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

110. Itaque Episcopus Eugubinus anno 1545 ad removenda scandala, quae ob Parochiarum confusionem fuerant in Civitate exorta, easdem ad magis distinctam separationem reduxit, assignando unicuique et praecipue Ecclesiae Cathedrali proprium et distinctum territorium cum certis et determinatis limitibus, ac districte inhibendo, ne ullus Rector alterius Parochiam ingredi praesumeret pro administrandis Sacramentis. Ecclesia tamen Cathedralis seu illius Parochus, vel in vim matricitatis ac superioritatis competentis Ecclesiae Cathedrali tamquam universali Parochiae totius Civitatis et Diaecesis, vel ratione antiquae consuetudinis, semper contendit exercere privative nonnulla iura Parochialia etiam in alienis Parochiis et praecipue dandi benedictionem circa corpus in domo defuncti et obtinendi praecedentiam in associatione cadaverum ad Ecclesias sepelientes, nec non administrandi Sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis, quamvis in alienis Parochiis degentibus. Delata controversia circa primum punctum benedictionis cadaverum et praecedentiae in associatione ad Sacram Congregationem Rituum inter praedictum Parochum Cathedralis et Parochum S. Petri Congregationis Olivetanae, die 5 iulii 1614 Sacra Congregatio ita declaravit: – Non esse probatam consuetudinem, et idcirco terminandam esse Causam secundum ius commune videlicet, quod quando quis in una Parochia moritur et in alia sepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius Parochus, qui stolam deferens a domo Defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpus sepeliendum erit, aliis omnibus praecedere debet; in Ecclesia vero, in qua corpus sepelitur, Officium faciat circa corpus et aliis praecedat Parochus ipsius Ecclesiae; et ita, ut supra, in Civitate Eugubina inter Curatum Ecclesiae Cathedralis et Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum servandum esse censuit et declaravit atque servari mandavit, quibuscumque

(1) Praefata Decreta prostant in verb. *Cadavera*, §. III, n. 65 et 66, Tom. IV.

non obstantibus –. Et hoc Decretum refert etiam Panimolla decis. 1 adnot. 10 n. 18. Examinata subinde in eadem Sacra Congregatione Rituum alia quaestione inter easdem Partes super administratione Sacramentorum Clericis et Praesbiteris infirmis, et pariter contra Parochum Cathedralis sub die 30 septembris 1728 rescriptum fuit, prout adnotatur in Regestris Decretorum eiusdem Congregationis, scilicet – Monachi Olivetani Civitatis Eugubinae supplicarunt definiri, an liceat Canonicis Cathedralis Ecclesiae Eugubinae administrare Sacramenta Presbiteris in eorum Parochia degentibus absque eorum expressa licentia? Item an dicti Canonici possint iure praetendere quartam funeralem pro decedentibus in ipsorum Monachorum Parochia in praeiudicium ipsorum Oratorum? –, et Sacra Congregatio illa respondit: – Negative in omnibus contra Canonicos –.

111. His non obstantibus, continuavit Parochus Cathedralis in hac administratione Sacramentorum Clericis et Sacerdotibus infirmis in alienis Parochiis commorantibus, licet aliquando reclamantibus et aliquando protestantibus reliquis Parochis Civitatis; immo haec privativa administratio Sacramentorum favore dicti Parochi Cathedralis approbata et confirmata fuit in Synodo Eugubina celebrata anno 1632 sequenti Decreto: – Illud etiam Decretum confirmandum et renovandum esse duximus, saepius in Synodis praedecessorum nostrorum evulgatum, nimirum ad solum Ecclesiae Cathedralis Parochum infirmis Clericis aliisque Sacerdotibus secularibus aegrotantibus et in quacumque Parochia existentibus omnium Sacramentorum administrationem spectare et pertinere; quippe quod immemorabilis temporis consuetudine satis superque vallatum et firmatum esse comperimus, quocirca decernimus et statuimus, Parochum praedictum a nemine in praefato suo ministerio molestari posse, si qui vero quicquam in contrarium attentare praesumpserit, poenis arbitratu nostro afficietur –. Anno vero 1694 introducto ex parte Parochorum Civitatis iudicio coram Ordinario adversus hanc privativam administrationem Sacramentorum praetensam a praedicto Parocho Cathedralis, succubuerunt in iudicio manutentionis mediante Decreto, quo idem Ordinarius declaravit, manutenendum esse Parochum Cathedralis in sua quasi possessione administrandi Sacramenta Clericis et Presbiteris infirmis in quacumque Parochia existentibus; devoluta subinde Causa in gradu appellationis ad Sacram Congregationem, ac assumpto examine boni iuris, in Congregatione habita die 12 novembris 1695 rescriptum fuit: – Coadiuventur probationes, ad quem effectum dentur Literae compulsoriales et remissoriales hinc inde, et interim manutenendum Parochum Cathedralis –. Existimarunt autem praefati Parochi, absque ope Literarum compulsorialium et remissorialium eorum bonum ius satis elici posse ex supra dicto Decreto Sacrae Congregationis Rituum mox reperto ac etiam ex aliis probationibus aliunde conquisitis, quae immemorabilem seu centenariam possessionem ex parte Parochi Cathedralis praetensam et constitutiones Synodales evertere valerent.

112. Proposito itaque dubio: – An Parocho Cathedralis Eugubii licitum sit subministrare Sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis et alienis Parochiis commorantibus etiam privative ad proprium Parochum domiciliarium? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et spectare privative ad Parochos domiciliarios; et amplius – *in Eugubina Iurium parochialium die 2 Aprilis 1729.*

113. Unde ex peculiaribus fortasse circumstantiis, vel ex consuetudine contrarium edixit Sacra Congregatio in Derthonen. Iurium parochialium die 3 decembris 1718, ubi proposito dubio: – XV. An Canonicus Ecclesiae Collegiatae habitans in domo sita intra fines alterius Parochiae, ex quo dicta Ecclesia Collegiata caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima infirmitate recipere Sacramenta ab Ecclesia Collegiata, vel potius a Parocho domicilii? –, S. Congregatio respondit: – Ad decimum quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Ianuen. Iurium parochialium die 16 Iunii 1827* §. *Haec.*

114. Quin imo ne dubium quidem vel levissimum, quod eo in casu res esset de consuetudine et privilegio speciali; nam reproposito dicto XV dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 3 de-

cembris 1718? –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad decimum quintum, examinentur Testes formiter; et interim servetur sententia anni 1639 – *in Derthonen. Iurium parochialium die 7 Decembris 1720.*

115. Factum fuit examen Testium; sed reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et exhibeatur Breve Gregorii XV – *in Derthonen. Iurium parochialium die 14 Aprilis 1725.*

116. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et communicentur iura – *in Derthonen. Iurium parochialium die 4 Augusti 1725.*

117. Rursus reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et subdelegetur Iudex in partibus pro recognitione scripturarum; et interim servetur solitum – *in Derthonen. Iurium parochialium die 15 Decembris 1725.*

118. Qua de re si non adsit contraria consuetudo post Tridentinam Synodum, quae in sess. 24 cap. 13 de reformatione praecepit divisionem Paraeciarum, Parocho dumtaxat domicilii nec ulli alii extra necessitatis eventum fas est sacro Oleo aegrotantes iniungere, illisque Sanctissimi Corporis Christi viaticum ministrare: hancque legem ab Ecclesiis quoque Collegiatis et Cathedralibus servandam dixit Sacra Congregatio in Mantuana Iurisdictionis 16 martii 1689, in Tyburtina Iuris administrandi Sacramenta 12 maii 1685 et alibi passim *in Ianuen. Iurium parochialium die 16 Iunii 1827* §. *Haec.*

119. Idcirco ad Parochum domicilii spectat ius ministrandi Sacramenta Canonico Ecclesiae Collegiatae aegrotanti, quin etiam eiusdem cadaver sepeliri debeat in dicta Ecclesia Collegiata, si decedat non electa ibi sepultura nulloque praeditus Maiorum vel Canonicorum sepulcro *in Ianuen. Iurium Parochialium die 21 Iulii 1827.*

120. Enimvero in Oppido Clavarii Ianuensis Ducatus duae erant Paraeciae, altera dicata S. Ioanni Baptistae, altera S. Iacobo Apostolo, quarum prima labente anno 1823 a Summo Pontifice Leone XII in insignem Collegiatam evecta. Cumque rumor incesserit, Canonicos novae Collegiatae sibi asserere ius deferendi Sanctissimum Viaticum Canonicis extra limites Paraeciae S. Ioannis Baptistae lares habentibus eorumque funera in Collegiata Ecclesia explendi et ibi cadavera tumulo condendi, Rector Parochialis Ecclesiae S. Iacobi ad iura sua tuenda iurgiaque facile oritura praecidenda Sacram Congregationem adiit, ut controversias dirimere dignaretur. Nam Canonici sustinebant, ex antiqua Ecclesiae disciplina Clericos perpetuo alicuius Ecclesiae servitio addictos filios et Parochianos eius censeri; adeoque, sepulcro maiorum destitutos nullave sibi electa sepultura, decedentes intra limites alterius Paraeciae, sepeliendos esse in Ecclesia Collegiata, ex eo quod cum ea essent cor unum anima una. Id tamen locum non habere contendit Parochus S. Iacobi post Tridentinam Synodum in sess. 24 cap. 13 de reformatione, quae praecepit Episcopis, ut, distincto Populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignarent, qui eas cognoscere valeret, et a quo solo licite Sacramenta susciperet. Idcirco dubitari non poterat, Parocho domicilii dumtaxat, nec ulli alii extra necessitatis eventum fas esse Sacro oleo aegrotantes sive laicos sive clericos inungere, illisque Sanctissimi Corporis Christi viaticum ministrare. Unde cadavera Canonicorum, nulla electa sepultura, humanda esse defendit in Parochia domicilii, nisi in Collegiata proprium extaret Canonicorum sepulcrum vel familiae sepultura. In facto autem erat, quod in Collegiata Clavarii nullum adesset a Canonicis extructum sepulcrum pro iis, qui erant chori servitio addicti, ac propterea cadavera Canonicorum in Paraecia domicilii erant condenda.

121. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et ad quem spectet ius ministrandi Sacramenta Canonico aegrotanti in casu etc. II. An Canonicus habitans extra Paraeciam Collegiatae, decedens non electa sibi sepultura nulloque praeditus maiorum sepulcro, sepeliri debeat in Ecclesia Collegiata in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad Parochum domicilii. Ad secundum, Negative – *in Ianuen. Iurium Parochialium die 21 Iulii 1827* (1).

(1) Reliqua habes in Verb. *Cadavera*, §. III, Tom. IV.

122. Qua de re quum Capitulo Ecclesiae Collegiatae Oppidi Novarum Diaecesis Derthonensis competeret quaedam superioritatis species super ceteras Ecclesias parochiales, proposito dubio: – XVI. An idem Canonicus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in Ecclesia Collegiata, vel in Parochia domicilii? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum sextum, Affirmative dummodo adsit sepulcrum Canonicorum – *in Derthonen. Iurium parochialium die 3 Decembris 1718.*

123. Reproposito dein dubio sub formula: – An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis die 3 decembris 1718? –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad decimum sextum, in decisis etiam quoad Capellanos et inservientes, dummodo sepultura Canonicorum sit eis communis, vel habeant sepulturam pro se ipsis – *in Derthonen. Iurium parochialium die 7 Decembris 1720.*

124. Nullum autem dubium, quod ad primam Capituli Cathedralis Ecclesiae Dignitatem spectat ministrare Sacramenta Episcopo aegrotanti, quin etiam obstet praetensa contraria consuetudo *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 7 Iunii 1760.*

125. Siquidem Capitulum Ecclesiae Cathedralis Faventinae contendit, Sacramenta Eucharistiae et Extremae Unctionis Episcopo aegrotanti ministranda esse non a Parocho, intra cuius Parochiae limites existit Palatium Episcopale, sed a prima Capituli Dignitate, sive id fiat solemniter, sive private, ut indistincte praescribit Ceremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 38, et explicant Michael Bauldry in manual. sacr. caerem. lib. 2 cap. 38 n. 4, et Frances de Eccles. Cathedr. cap. 17 de sepult. Eccles. Cathedr. n. 244; et clandestine vel ex urgenti necessitate accidisse ait, si quando Parochus eadem Sacramenta Episcopis ministravit, nec ullam efficacem inductam esse consuetudinem contra Capitulum, quod suum ius praeservatum demonstravit per Sacramentorum administrationem factam Episcopis defunctis anno 1710 et 1772. His itaque perpensis, proposito dubio: – VIII. An Capitulo eiusque primae Dignitati competat ius administrandi Episcopo aegrotanti Sacramenta SS. Eucharistiae et Extremae Unctionis, seu potius an et in quibus casibus idem ius competat Parocho S. Terentii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad octavum, servetur Caeremoniale (1) – *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 7 Iunii 1760.*

126. Imo Capitulum potest retinere culcitram sericam, cum qua transportatur cadaver ad Ecclesiam, si legitima extet consuetudo; proposito enim dubio: – V. An retineri possit serica culcitra, cum qua transportatur cadaver, seu sit locus restitutioni? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, salva tamen consuetudine legitime probanda – *in Cotronen. Iuris funerandi die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

127. Nam pannum cadaveri substratum ad funus pertinere, adeoque deberi Ecclesiae, in qua illud tumulari, probant Oldrad. cons. 211 n. 7, Lavor. elucubrat. var. tit. 2 cap. 17 n. 20: de eo itidem funebri stragulo cautum fuit a S. Carolo in Actis Ecclesiae Mediolanensis part. 1 concil. provinc. tit. de funer. et exequiis his verbis: – Si vero nobiles homines auro vel serico vel omnino pretioso pallio uti voluerint, pecunia sua fa-

(1) Iamvero Caeremoniale Episcoporum loc. cit. haec praestituit: – ibi – His verbis et exhortationibus excitatus Episcopus aegrotans, vel quod melius esset sua sponte cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua Confessario diligentissime confiteatur, deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum; et antequam communicet, indutus rocchetto et stola, praesente Sanctissimi Christi corpore, profiteatur catholicam fidem ex formula ab Apostolica Sede praescripta, quam affirmet, se semper inconcussam et firmiter tenuisse et credidisse, seque in ea velle vivere et mori, cum Deo placuerit. Tum maiori, qua poterit devotione et humilitate, sacrum sumat Viaticum, quod illi deferat prima Dignitas, comitante Capitulo et toto Clero Cathedralis Ecclesiae in habitu ecclesiastico et cum candelis accensis; et si fieri potest, Magistratus deferat baldachinum; moneatque Episcopus Sacristam seu Curatum, et, cum tempus erit, Extremae Unctionis Sacramentum sibi administret. et animae commendationem faciat –.

Omnes itaque Doctores conveniunt, spectare ad primam Dignitatem ministrare Sacramenta Episcopo decumbenti, neque suffragari posse contrariam consuetudinem, attenta Caeremonialis clausula, quae irritat contrarias consuetudines: idque etiam decrevit S. Congregatio Rituum in Gerunden. 11 februarii 1702; ubi, licet allegaretur contraria consuetudo, mandavit servari in omnibus Caeremoniale.

ciendum curent, et illi Ecclesiae illico post funus acquisitum sit, et in eius ornamenta convertatur –; et part. 4 Instruct. de funere ducendo §. Si vero propinqui: – Quod si aureum vel sericum aut omnino pretiosum fuerit, ad huiusmodi usum nullo modo in posterum adhibeatur, sed in eiusdem Ecclesiae ornamentum cedat – *in Troiana Funerum die 29 Augusti 1733* §. *Pannum.*

128. At non licet Capitulo Cathedralis exigere maius emolumentum pro associandis cadaveribus eorum, qui repentina, vel violenta morte decedunt, eo quod exigi solet pro eis, qui sibi praeelegerint sepulturam, nec minus ad sui libitum illud taxare *in Murana Funerum die 24 Augusti 1669 lib. 26 Decretorum pag. 283.*

129. Unde quum peteretur committi alicui ex vicinioribus Episcopis, qui taxam pro funeribus praescriberet, ex eo quod ad Archiepiscopum quota pars pecuniarum funerum spectabat, proposito dubio: – An spectata consuetudine, qua Capitulum expensas funerum pro ratione personarum defunctorum taxare solet, sit locus certam et perpetuam taxam pro funeribus quibuscumque praescribendi? –, Sacra Congregatio respondit: – Secundum ea, quae narrantur, non licere Capitulo taxam ad suum libitum facere, et Archiepiscopo iniungendum, ut ipse auditis partibus taxam conficiat, eamque Sacrae Congregationi probandam transmittat – *in Matheranen. Funerum die 13 Novembris 1660.*

130. Nec Capitulum, quamvis non vocatum, potest invitis heredibus lucrandi stipendii causa funeribus interesse *in Matheranen. Funerum die 13 Novembris 1660.*

131. Nam heredes defunctorum non tenentur invitare Capitulum; proposito enim dubio: – I. An heredes defunctorum teneantur invitare Capitulum in exequiis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Cotronen. Iuris funerandi die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

132. Statutum autem Cleri Urbis Romae Pontificia auctoritate confirmatum in cap. 6 §. 30 sic habet: – Nil quoque pro pulsatione campanarum, neque pro culcitra seu panno feretri exigere praesumant –. At in additione autem ita cautum legitur: – Quo vero ad culcitram, curant Parochi retinere pannum feretri et culcitram decentem pro deferendis cadaveribus Defunctorum, et pro illis nihil exigere praesumant; si vero Defunctorum heredes cupiant feretrum vel pannum feretri nobilius seu culcitram meliorem, de iis provideant propriis sumptibus concordandis cum illis, a quibus ea recipiant, quae tamen non cedant lucro Ecclesiae, neque Parochus quidquam ex illis praetendere possit, etiamsi culcitra ponatur subtus vel supra cadaver etiam humi aliove quolibet modo, neque Camerarius Cleri in illorum taxa se ingerat. In funeribus tamen Cardinalium Principum et Ducum heres solvat parochiali Ecclesiae pro culcitra scuta viginti, pro aliis titulatis Praelatis Abbatibus Mitratis et Canonicis trium Basilicarum Patriarchalium scuta decem, pro filiis Principum et Ducum quamvis Primogenitis et aliis Personis, quae exponuntur super catafalco aut lecto funebri, scuta quinque, servata forma divisionis inter Ecclesias parochiales et exponentes supra praescripta. At si in huiusmodi funeribus heres faciat culcitram de proprio, eamque relinquat Ecclesiae, tunc nihil solvere teneatur, sed pretium culcitrae dividatur, ut supra. Si vero illam redimere voluerit, solvat pro qualitate Defuncti summam in praesenti §. expressam – *in Troiana Funerum die 29 Augusti 1733* §. *Ad.*

133. Hinc nec etiam Parochis liceat cogere heredes Defunctorum, ut opertorium feretri a parochiali Ecclesia accipiant, et hoc nomine certam pecuniae summam persolvant, sed libere posse heredes aliud quodlibet adhibere stragulum funebre docent Aloisius Ricci dec. 124 per totum, Lavor. var. elucuburat. tit. 2, cap. 2 n. 220, Samuel de sepult. tract. 1 §. unic. n. 43, Gavant. in manual. Episcop. verb. *Exequiae* n. 15 et 25, Rot. post Antonell. de iur. et oner. cler. dec. 15 n. 11 *in Troiana Funerum die 8 Augusti 1733* §. *Ceterum.*

134. Qua de re solebant pii Sodales in efferendis corporibus tumulandis Sodalitiorum Ecclesiis substernere cadaveribus nigrum pannum, quem huic usui destinatum asservabant ipsa Sodalitia, quorum insigne sive symbolum eidem stragulo intextum erat. Ratione huius funebris opertorii contendit Capitulum Eccle-

siae Cathedralis Troianae, intra cuius Paraeciam Sodalitia illa existebant, solvendos sibi esse ab heredibus demortuorum Sodalium carolenos decem, id quod vocabatur ius pompae. Cumque de vetusto more exigendi eam pecuniae summam constiterit apud acta Curiae Episcopalis, tum ex multorum testimonio, tum etiam ex libris mensae episcopalis, cui quarta pars memorati emolumenti tribui solebat, Episcopus decrevit, Capitulum esse in hac possessione manutenendum. Interposita appellatione, negarunt Sodales, imponi heredibus posse hoc onus, nullo iusto titulo subnixum. Non enim stragulum illud commodabatur a Capitulo, sed proprium erat Sodalitiorum. Et quoad immemorabilem consuetudinem, protulerunt Sodales testimonium aliquot Givium affirmantium, nihil quandoque eo titulo solutum fuisse Capitulo. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Capitulum Ecclesiae Cathedralis possit exigere carolenos decem pro delatione culcitrae seu panni occasione tumulationis Confratrum defunctorum, quatenus eadem seu pannus adhibeatur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Troiana Funerum die 29 Augusti 1753.*

135. Nec potest Capitulum quidquam recipere a Sacerdotibus pro prima Missa *in Ruben. lib. 2 Decretorum pag. 5 a tergo.*

136. Itaque Capitulum nullum ius habet deputandi aliquos Canonicos particulares, qui in Synodo Diaecesana deducant iura Capituli et sedere debeant in loco eminentiori et separato ab ipso Capitulo *in Lycien. Synodi die 10 Ianuarii 1688 lib. 38 Decretorum pag. 11.*

137. Unde iuxta consuetudinem immemorabilem Capitulo Ecclesiae cathedralis competit quidem ius erigendi binas Cruces, alteram ante Mansionarios, et alteram ante ipsos Canonicos in processionibus, quibus intervenit Collegium Parochorum: sed in processionibus, quae fiunt occasione Synodi elevanda est unica tantum Crux Cathedralis *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 7 Iunii 1760.*

138. Iamvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Faventinae contendit, sibi fas esse in processionibus, etiamsi interveniret Collegium Parochorum, binas erigere Cruces, alteram nempe ante Mansionarios et Seminaristas, et alteram ante ipsos Canonicos, iuxta veterem morem et antiquam observantiam, cuius initii memoria non extabat, comprobatam ex Testibus et ex libris capitularibus; nec conqueri posse Parochos de incessu ante hanc Crucem, quasi detraheretur praecedentiae ipsis debitae supra reliquos de Clero, stante protestatione per Capitulum emissa de non recipiendis sub dictorum Mansionariorum et Seminaristarum Cruce aliis Presbiteris, qui non erant de corpore Ecclesiae Cathedralis. Contendit insuper Capitulum praedictum, ius sibi esse duas Cruces erigere in processionibus Synodalibus, sub quarum prima incederet Clerus universus, sub altera vero ipsum Capitulum cum Episcopo, ut factum fuisse constabat in Synodis celebratis anno 1723 et 1748; neque consuetudinem hanc binas erigendi Cruces, quae nullo iure improbatur, quaeque exemplum habebat in Metropolitana Bononiensi, immutandam esse defendit ex adductis per Ursayam discept. eccles. tom. 3 discept. 17 n. 24. His mature perpensis, propositis dubiis: – IX. An Capitulo in processionibus, quibus intervenit Collegium Parochorum, competat ius erigendi binas Cruces, alteram nempe ante Mansionarios et Seminaristas, alteram vero ante ipsos Canonicos in casu etc. X. An in processionibus, quae fiunt occasione Synodi, tam Capitulum, quam Collegium Parochorum incedere debeant sub unica Cruce totius Cleri, seu potius quibus competat ius elevandi propriam Crucem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, Affirmative; et amplius. Ad decimum, Affirmative ad primam partem, et elevandam esse unicam tantum Crucem Cathedralis; et amplius – *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 7 Iunii 1760.*

139. Idcirco attentis specialibus exemptionis privilegiis per Summos Pontifices concessis, Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Agathae Civitatis Cremonensis potest habere semper Crucem propriam erectam in omnibus actionibus et processionibus Synodalibus, praeterquamquod vero in Ecclesia Cathedrali; his enim in terminis proposito dubio: – III. An liceat dicto Capitulo intra Cathedralem et in omnibus actionibus et processionibus Synodalibus habere semper Crucem propriam erectam? –,

Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative intra Ecclesiam Cathedralem – *in Cremonen. Synodi die 5 Aprilis 1732.*

140. Itaque Capitulum Ecclesiae Collegiatae olim S. Iacobi dein SS. Petroni et Prosperi ratione matricitatis in solemni processione potest ingredi in Ecclesiam S. Francisci de Paula et deponere super arcam maiorem Sanctissimum Sacramentum; his enim in terminis proposito dubio: – III. An in solemni processione Sanctissimi Corporis Christi Capitulum possit ingredi in Ecclesiam S. Francisci de Paula et deponere super arcam maiorem Sanctissimum Sacramentum ad modicum tempus in sublevamen Delatoris? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative; et amplius - *in Imolen. Iurium parochialium die 20 Decembris 1760.*

141. Hinc Capitula Collegiatarum Urbis occasione Processionum, quae ducuntur ad Basilicam S. Petri, ingredi debent eamdem Basilicam, et detecto capite salutare Canonicos et Clerum eiusdem Basilicae, e converso Canonici, detecto capite et inclinato corpore sedentes, tenentur ingredientes resalutare, Beneficiati vero et Clerici ac reliqui de choro aliquantulum assurgentes ingredientes resalutare obstringuntur *in Romana Processionum die 22 Aprilis 1679 lib. 30 Decretorum pag. 297 a tergo.*

142. At Capitulo Cathedralis Ecclesiae competere potest ex concordia et consuetudine ius visitandi Diaecesim una cum Archiepiscopo vel eius Delegato, citra tamen actus iurisdictionales ad Archiepiscopum seu Visitatores ab ipso delegatos privative spectantes, sed Canonici ad visitationem explendam a Capitulo deputati sunt ab Archiepiscopo approbandi; et attentis peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus ex gratia speciali indulgentur distributiones tempore visitationis *in Pisana Visitationis die 28 Martii 1835.*

143. Enimvero in Metropolitana Ecclesia Pisana mos invaluit, ut Antistitem in Diaecesi Visitatione obeunda bini Canonici alternatim comitarentur eamque cum ipso absolverent. Quum modernus Archiepiscopus visitationi per se ipsum vacare nequiret, sed alios ad hoc officium deputare deberet, quia oculis erat captus, Capitulum existimavit, hoc etiam in casu suum ius in tuto esse positum, ut duo Canonici adderentur Visitatoribus ab Archipraesule electis et approbatis. De hoc tamen iure anceps haesit Archiepiscopus; utque se omni ambage expediret, negotium detulit ad Sacram Congregationem, a qua responsum habuit die 20 augusti 1831: - Servari dispositionem Concilii Tridentini sess. 24 cap. 3 -. Hoc autem in capite statuitur - ut Visitatores a Capitulo deputandi, ubi Capitulum ius visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur -. Aliud dubium deinde Sacrae Congregationi definiendum proposuit idem Archiepiscopus, num scilicet Canonici, qui eum comitantes in pastorali visitatione chorales eo usque distributiones perceperunt, quippe qui universum in ea re Capitulum repraesentarent, possent easdem obtinere etiam quoties ab Archiepiscopo essent deputati ab eoque tantum approbandi. Responsum editum est die 1 septembris 1832: - Attentis peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus, ex gratia speciali iuxta petita -. Quum autem ex Sacrae Congregationis Decreto Tridentina dispositio sess. 24 cap. 3 executioni foret committenda, probe sensit Antistes, non sine gravi molestia ei consuetudini renunciaturos Canonicos, ex qua perpetuum sibi ius Tridentinae sanctioni nullimode contrarium nactos esse contendebant. Quare, ut omni prorsus discordiae aditus in posterum occluderetur, supplex petiit ab EE. PP., ut, integra manente gratia iam a Canonicis obtenta, dignarentur controversiam super Capituli iure dirimere ac definire, utrum in quolibet rerum statu Canonici visitatores ab Archiepiscopo essent approbandi.

144. Canonici itaque ratione suum ius probare studuerunt; primo ex concordia inita anno 1224 inter Capitulum et Archiepiscopum Vitale, qua Arbitri caverunt: – Capitulum Pisanum habeat et possideat Ecclesias superius positas, quoad ius confirmandi instituendi corrigendi visitandi –. Deinde nonnullas facultates Capitulo tribuerunt, quae ius visitandae Diaecesis illi competens praeseferebant: – Quod Dominus Archiepiscopus requirat Capitulum, et cum eius consilio et assensu ordinationes clericorum solemnes faciat, Ecclesias et Episcopos consecret, electiones Abbatum Priorum Canonico-

rum sive Plebanorum examinet et instituat et destituat Clericos ratione criminum, et Concilium celebret. Capitulum ad praedicta ad eius requisitionem cum ipso conveniat, si commode fieri poterit, vel aliquot pro Capitulo mittat –. Concordia hac oblata Sedi Apostolicae ad novas controversias componendas, anno 1239 Gregorius IX Causae cognitionem demandavit Card. Giuffredo Episcopo Sabinorum, qui inter eos pacis vinculum firmaret. Constabat autem ex Ughellio, Delegatum Apostolicum edidisse sententiam, qua statuit, visitationes Capitulo competere quoad illas Ecclesias, de quibus supra suborta quaestio erat. De ceteris si nihil actum fuit, inde factum existimari debebat, quia de iuris visitandi possessione penes Capitulum permanente ne dubium quidem poterat excitari. Plura protulit exin Capitulum monumenta, quibus consuetudinem immemorabilem evincere curavit. Contra Pisanus Archiepiscopus contendit, in concordia anni 1224 actum tantummodo fuisse de iis Ecclesiis, super quibus controversia excitata fuerat, non vero de universae Diaecesis visitatione, prout declarabat ipsa Arbitrorum sententia, quin praesumi posset, id tacite intelligere voluisse Arbitros. Quin imo explicite prorsus uni Archiepiscopo ius sartum tectumque ab Arbitris assertum fuisse arguit idem Archiepiscopus ex verbis, quibus illi tribuebantur omnia, quae ipsi ex *canonica iustitia* debebantur, – iis tantum scilicet in Sacramentis, in visitatione generali, cum totum Episcopatum visitaverit, et appellatione ad eum interponenda, domino Archiepiscopo dabitur reverentia, et canonica iustitia reservata –. Siquidem reverentia plusquam obedientia sonat atque innuit integram consistere Episcopalem iurisdictionem in re, de qua agebatur, uti docet Rota in decis. 618 coram Olivatio: ex canonica iustitia vero uni Episcopo ius visitandi competere planum est. De consuetudine subinde verba faciens dixit, eam dici non posse immemorabilem, quia eius initium plane constabat: et ipsa asserti iuris possessio pacifica haberi nequibat, quum plures perpessa fuisset contentiones inter Archiepiscopum et Capitulum agitatas. Ea deinde monumenta, quibus adstrui posse haec consuetudo videbatur, ad trutinam revocando animadvertit, nullum ex iis evinci ius positivum. Demum in casu, quo Capitulo huiusmodi ius competeret, sustinuit Archiepiscopus, Canonicos esse ab ipso approbandos pro Diaecesana visitatione ex dispositione Tridentina sess. 24 cap. 3, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque. Hinc dixit, id pariter statuisse Sacram Congregationem apud Gallemart in quadam resolutione diei 30 aprilis 1587. Excitata enim controversia, num approbandi essent ab Episcopo Canonici a Capitulo pro Diaecesis visitatione praeelecti, si Capitulum per se solum visitandi Diaecesim potestate polleret, asseruit, editum fuisse responsum – etiam ubi soli Capitulo absque Episcopo competit facultas visitandi, Canonicos esse ab Episcopo approbandos –: porro ex particula *etiam* haberi argumentum a minus ad maius censuit ex cap. unic. de sede vacant. in 6.

145. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de iure Capituli Metropolitanae Ecclesiae Pisanae visitandi Diaecesim una cum Archiepiscopo vel eius Delegato in casu? *Et quatenus Affirmative.* II. Num Canonici Pisani ad visitationem explendam a Capitulo deputati ab Archiepiscopo primum sint approbandi in casu? *Quatenus vero negative.* III. Num in suo robore consistere debeat gratia choralium distributionum Canonicis visitantibus concessa die prima septembris 1832 in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative citra tamen actus iurisdictionales Archiepiscopo seu Visitatoribus ab ipso delegatis privative spectantes. Ad secundum, Affirmative ad formam capitis 3 sess. 24 Concilii Tridentini. Ad tertium, Affirmative – *in Pisana Visitationis die 28 Martii 1835.*

146. Unde Capitulum et Decanus possunt visitare cumulative cum Episcopo personas sibi subditas et etiam seorsim ab Episcopo, illum tamen non excludendo quoties sua auctoritate uti velit, supposita consuetudine visitandi *in Boscocucen. lib. 1 Decretorum pag. 38.*

147. Qua de re privilegium exemptionis a iurisdictione Episcopi a Summo Pontifice ante Concilium Tridentinum Collegiatae Ecclesiae concessum sustinetur ad formam Concilii Tri-

dentini Cap. 20 sess. 24 de reformatione; unde si Episcopus aliquid gerat praesertim post interpositam appellationem, incidit in attentata, purganda per viam nullitatis *in Iuvenacen. Exemptionis et Institutionis die 24 Novembris 1860 die 22 Iunii 1861 et die 25 Ianuarii 1862.*

148. Siquidem Episcopus Iuvenacensis sustinuit, sibi competere ius dirimendi lites, quae quoad institutionem Beneficiorum iurispatronatus inter Canonicos et Clericos Collegiatae S. Spiritus Civitatis Iuvenacensis agerentur, cum Causae huiusmodi tum ex Cap. 21 de iurepatronatus, tum ex Concilio Tridentino sess. 24 Cap. 20 de reformatione, tum ex Constitutione Benedicti XIV *Ad militantis Ecclesiae,* tum ex articulo 20 Concordatus in Regno Neapolitano editi anno 1818, ad Iudices ecclesiasticos Episcoposque privative spectarent, quin obesset exemptio a iurisdictione Episcopali et immediata subiectio S. Sedi vigore Bullae Bonifacii IX *Cunctis Orbis.* Namque contendit, privilegium Bonifacii IX, ob abusus, qui irrepserant, publicaque scandala, quae redundabant, expresse anno 1769 derogatum extitisse, mediantibus Regiis Epistolis in quaestione orta super Praepositura inter Ciardum et Fanellium; cautumque vicissim, Ecclesiam Collegiatam Sancti Spiritus non secus ac ceteras Diaecesis iurisdictioni Episcopi Iuvenacensis parere. Nec referre, subdidit, literas et privilegii derogationem fuisse auctoritatis laicae, non ecclesiasticae; nam prior Episcopus Orlandius, postea Episcopus Cotenisi immediatus successor, excellentis pietatis atque doctrinae, eas ratas habuere. Censeri profecto non poterat, illos viros tam pios atque doctos eo in negotio mentem Summi Pontificis minime sequutos fuisse, cuius ob locorum propinquitatem et ob triennales ad Sacra Limina relationes super spirituali iurisdictione illius Diaecesis perspectam plenissime habebant voluntatem. Insuper ipse Rex ex Pontificia consensione id explevisse defendit. Exin Pius VII anno 1818 Concordatum exequendo percelebrem Bullam *De utiliori* edidit, qua omnes spirituales iurisdictiones *Nullius* proscripsit: quinque tantum excepit, nempe – Monte Casino, la SSma Trinità della Cava, Monte Vergine, l' Arcipretura di Altamura, il Priorato di S. Nicola di Bari –. Nec derogatione tantum, sed et praescriptione aboletum esse privilegii Bonifacii IX censuit. Nam non spatio tantum quadragenario, sed ferme seculari haec subiectio et relativum imperium inter Collegium et Episcopum verificabatur. Iamvero ab anno 1754 usque in praesens Visitationes in Ecclesia Episcopus peregit. Repetitis Bullis ab anno 1802, poscentibus ut plurimum Canonicis electis, institutiones iure ordinario et auctoritate propria concessit anno 1838, instante pariter Collegio, duos Canonicatus a Donanno fundatos cum eorum Praebendis atque congruis iure ordinario in titulum erexit. Praepositus et Canonici preces obtulerunt Episcopo pro assequendis insignibus choralibus magni pallii et extrachoralibus, quod reapse assequuti sunt. Idem egerunt pro erectione Montis Pietatis. Demum, ceteris missis, vel ipsi Episcopi Edicta et Constitutiones Collegio una cum ceteris subiectis notificarunt, Causas agnoverunt institutionis et Praeposituae, nec non in desides quandoque animadverterunt. Explosa igitur videbatur incompetentia ac exemptio ab iurisdictione Episcopi.

149. Capitulum contra disputavit, Collegium Sancti Spiritus semper fuisse gavisum exemptione passiva a iurisdictione Episcopi, non secus ac Monasteria et Conventus. Istud privilegium, dixit, fuisse tributum fundatori Pavoni Griffi Episcopo Tropiensi remuneratorio titulo ipsius fundationis, cum ferme omnia sua bona cessisset pro hac insigni in sua patria institutione. Et privilegium hoc a Bonifacio IX die 23 Novembris 1397 concessum ex Bulla *Cunctis Orbis,* confirmatum dein fuit a Clemente VII ex Bulla *Cum a vobis petitur,* ex eo quod Episcopi Iuvenacenses nil intentatum relinquebant, ut eorum iurisdictioni Collegium subiiceretur. Accesserunt insuper plures resiudicatae Curiae Barensis et resolutiones Sacrae Congregationis tam EE. et RR., quam Concilii, quae privilegium firmarunt. Nil igitur obstare poterat Decretum Regii Tribunalis, cui nomen *la Corte di S. Chiara,* cum Tribunal laicum haud potuerat interloqui in negotiis Ecclesiae et S. Sedis, ceu relatio Nuntii Apostolici anni 1827 luculenter demonstrabat. Multo minus officere poterat Constitutio *De utiliori,*

cum ea nullatenus respexisset Abbatias Prioratus aut Praeposituras, quae non fuissent Nullius, nempe sine territorio intra septa Diaecesium vel avulso. Agebatur enim de iurisdictione data Praeposito super solis Personis et Ecclesia tantum Collegii ipsius absque territorio et populo vel extra ambitum Diaecesis, ceu patebat ex ipsis verbis Bullae Bonifacii IX: – Nos igitur eidem Pavoni indulgemus Ecclesiam et Collegium huiusmodi fundare, nec non Personas et bona eiusdem Ecclesiae ab omni iurisdictione Episcopi pro tempore existentis eximimus liberamus ac S. Sedi immediate subiicimus, ipseque Praepositus caput et gubernator Capituli, nec non excessus et crimina, quae per huiusmodi personas committuntur pro tempore possit corrigere et alias Episcopalem iurisdictionem in easdem Personas exercere –. Nulla autem praescriptio invocari poterat ab Episcopo: nam deerat bona fides, ex quo Visitationis sententiae aliique actus iurisdictionis Episcopalis coercebantur ad illud temporis, quo memoratum Regium Decretum Tribunalis nuncupati *di S. Chiara* perlatum fuerat, cui Collegium eius imperio subesse debuit. Monuit praeterea, praescriptionem fuisse continuo interruptam; ac ipsos Episcopos agnovisse privilegium exemptionis, concessa Canonicis institutione cum clausula – uti Delegati Sedis Apostolicae, et pro hac vice tantum –. Nec praetereundum addidit, quod exemptionis privilegium, cum secumferret Sedis Apostolicae protectionem, quoscumque actus contrarios nullius roboris et efficaciae reddebat ex recepta conclusione, quod non possent inferiores ita exempti se subiicere Ordinario vel alteri sine consensu Pontificis; quia Superioris interest, ne eius subditi ab alio iudicentur, adeo ut neque renunciatio expressa teneret in praeiudicium privilegii et immediatae iurisdictionis.

150. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de competentia Ordinarii, seu potius de immediata subiectione S. Sedi Apostolicae in casu etc. IV. An constet de attentatis, ita ut sit locus purgationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem ad formam Concilii Tridentini Cap. 20 sess. 24 de reformatione; ad secundam partem, provisum in prima ad effectum, de quo agitur, et amplius. Ad quartum, dilata – *in Iuvenacen. Exemptionis et Institutionis die 24 Novembris 1860.*

151. Reproposito dein dubio sub eadem formula: – II. An constet de attentatis, ita ut sit locus purgationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative per viam nullitatis – *in Iuvenacen. Exemptionis et Institutionis die 22 Iunii 1861.*

152. Demum reproposito dubio sub formula: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Iuvenacen. Exemptionis et Institutionis die 25 Ianuarii 1862.*

153. Idcirco cum constet de exemptione Collegiatae a iurisdictione Episcopi iuxta privilegium a Summo Pontifice concessum, servatis tamen moderationibus a Sacro Concilio decretis, Episcopus eam visitare potest iure delegato et Paraeciam iuxta Decreta Concilii Tridentini sess. 7 et sess. 21 cap. 8, ac eidem visitandi praestanda sunt obsequia ad formam Caeremonialis Romani; hinc Praeposito Collegiatae ius superioritatis competit quoad ea tantum, quae servitium Ecclesiae et bonorum administrationem respiciunt, ac promulgare et exequi valet Literas Apostolicas eidem et Collegiatae datas praevia Episcopi scientia, nec non eidem ius nominandi tantum Presbiterum ad Paraeciam competit, cum examen et adprobationem spectet ad Episcopum, quin ullatenus vero Praepositus dimissorias concedere valeat *in Regien. Exemptionis die 30 Ianuarii 1836 et die 18 Septembris 1841.*

154. Iamvero Episcopus Regiensis Collegiatam Ecclesiam S. Nicolai, non obstante oppositione Praepositi, visitare voluit: unde ab eodem inurbane exceptus rem detulit ad Sacram Congregationem, ut controversia de exemptione a iurisdictione Episcopi dirimeretur. Hinc Praepositus pro viribus exemptionem sustinuit: nam Xistus IV ad preces Familiae de Zobulis praefatam Ecclesiam, cuius iurepatronatus ea pollebat, in Collegiatam erexit, collata per Patronos dote pro octo Canonicis, quibus Praepositus adesset, nec non aedibus extructis Canonicalibus, ubi

Praepositus ceterique Clerici vitam possent ducere caenobiticam cum subiectione Sedi Apostolicae hisce verbis: – Et quod ipsa Ecclesia et ipsius Praepositus Sedi Apostolicae, Canonici vero et Clerici eiusdem Ecclesiae illius Praeposito pro tempore dumtaxat in spiritualibus et temporalibus sint subiecti, et nullus praeter Romanum Pontificem in Praepositum et praeter ipsum Praepositum in Canonicos et Clericos pro tempore existentes ullam iurisdictionem et superioritatem valeant quomodolibet exercere –. Itemque et iuspatronatus tam activum, quam passivum Zobulorum tribuit familiae. Hanc exemptionem iterum sequenti anno probavit firmavitque idem Pontifex, ac inde Alexander VI anno 1465 Iulius III anno 1553 Clemens VIII anno 1600 Paulus V anno 1615 Urbanus VIII anno 1631 et rursus anno 1632 Clemens XI anno 1713 ac novissimis ferme temporibus Pius VII anno 1808 adamussim confirmarunt. Idcirco ex actis Visitationum, quae in Paraecia locum habuere, Regienses Episcopos et Ecclesiam inspexisse vi Apostolicae delegationis et Collegiatam ipsam nulli subiectam esse praeter Romanum Pontificem oppido sane colligebatur. Qua de re centenaria etiam praescriptio luculenter accedebat. Episcopus contra contendit, Pontificem exemptionem indulsisse duabus sub conditionibus, quod scilicet Patroni dotem constituerent et Clerici vitam ducerent caenobiticam. At integram iidem dotem non praestiterunt; et Clerici dein, deserto caenobio, privatas aedes seorsim tenuere. Idcirco conditionibus eiectis, corruit et ipsa exemptio. Quin Praepositus praetendere posset, quod vivendi genus caenobiticum appositum non fuerit quasi conditio, cum ipsa monasticae vitae illius temporis, quo Collegiata fundata fuit, desuetudo ad evidentiam comprobaret, non uti modum, sed tamquam firmam conditionem, appositum fuisse peculiare hoc vivendi genus universali usui contrarium. Quum itaque Regii Praesules frangi tam aperte, quod in fundatione impositum, vidissent, innumeros iurisdictionis actus in Collegiatam elicere factoque eam, quam sibi vindicabant, potestatem exerere non dubitarunt.

155. Hisce tamen minime permotus, ad modum visitationis Episcopi, tum quoad Collegiatam, tum quoad Paraeciam antiquitus in Ecclesia S. Nicolai existentem, transiit Praepositus. Nullo sane iure visitari posse contendit ab Episcopo Collegiatam: non iure ordinario, quia exempta ab eo erat; nec iure Apostolici delegati, quia id per Concilium Tridentinum nequibat generice praescribi, vel saltem obtinere in casu, de quo agebatur, ex eo quod oneroso titulo immunitatem acquisiverat, et in specie habebantur Literae Innocentii XI et Pii VII, quibus conferebatur Praeposito facultas – dictamque Ecclesiam visitandi independenter ab Ordinario et ab alia quacumque iurisdictione tam ecclesiastica, quam seculari –. Ad Paraeciam autem quod spectabat, Parochi nominandi iure Zobulorum familia antiquitus pollebat: unde Paraecialitas cum Collegialitate per confusionem coniuncta erat. Nec aliter dicendum erat quoad Paraeciam S. Thomae, quae cum illa S. Nicolai unita fuerat: nam unio facta perhibebatur non aeque principalis, sed per confusionem, ex eo quod unus idemque Populus, unus idemque Parochus, una eademque Ecclesia efformaretur, veteri etiam S. Thomae nomine sublato, pro quo S. Nicolai titulus remansit. Episcopus vero sustinuit, se iure Tridentino visitare posse Ecclesias etiam quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica. Idcirco ea, qua decebat, reverentia in visitatione is excipi debebat: ac in omnes iurisdictionem exercere poterat, quin Praepositus literas dimissorias concedere, Literas Apostolicas exequi posset. At Praepositus haec omnia sibi vindicavit, tum ex privilegio exemptionis, tum ex observantia; nec non ius Vicarium amovibilem nominandi, cum penes ipsum inesset cura habitualis animarum.

156. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo constet de exemptione Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai a iurisdictione Episcopi in casu etc. *Et quatenus affirmative*. II. An et quomodo competat Episcopo ius visitandi tam super Collegiata, quam super Paraecia in eadem existenti in casu etc. *Et quatenus affirmative super Paraecia*. III. An et quomodo competat Episcopo ius visitationis super Paraecia S. Thomae eidem canonice adiecta in casu etc. *Et quatenus affirmative favore Episcopi quoad visitationem*. IV. An et quae obsequia prae-

standa Episcopo visitationem peragenti in praedicta Collegiata in casu etc. V. An et quomodo Praeposito Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai competat ius superioritatis tam quoad Sacerdotes Clericos aliosque inservientes eidem Collegiatae, quam quoad bona, etiamsi extra limites Collegiatae permaneant in casu etc. VI. An Praeposito Collegiatae competat ius concedendi dimissorias pro Clericis eidem Collegiatae inservientibus tam in casu peregrinationis, quam pro Ordinatione peragenda a quovis Episcopo in casu etc. VII. An Literae Apostolicae datae Praeposito et Collegiatae promulgari et exequi valeant absque venia Episcopi in casu etc. VIII. An competat Praeposito ius nominandi ad Paraeciam Presbiterum iam probatum pro confessionibus excipiendis, vel saltem examinatum et idoneum renunciatum apud Episcopum ab eodem Praeposito delegatum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ex Brevi s. m. Sisti IV, servatis tamen moderationibus a Sacro Concilio Tridentino decretis. Ad secundum, Affirmative iure delegato quoad Collegiatam, quoad Paraeciam vero iuxta Decreta Concilii Tridentini sess. 7 et sess. 21 cap. 8 de reformatione. Ad tertium, provisum in praecedenti. Ad quartum, Affirmative iuxta praescriptum Caeremonialis pro Episcopis visitantibus. Ad quintum, Affirmative quoad ea tantum, quae servitium Ecclesiae et bonorum administrationem respiciunt. Ad sextum, Negative in omnibus. Ad septimum, Affirmative praevia Episcopi scientia. Ad octavum, nominationem tantum spectare ad Praepositum, examen vero et adprobationem spectare ad Episcopum – *in Regien. Exemptionis die 30 Ianuarii 1836.*

157. Episcopus exin institit, ut dicta Praepositura et Ecclesia Collegiata subiiceretur immediate iurisdictioni Episcopi Regiensis; proposito vero dubio: – III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, ut Praepositura et Ecclesia Collegiata S. Nicolai subiiciatur immediate iurisdictioni Episcopi Regiensis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Negative; et servetur resolutio S. Congregationis diei 30 ianuarii 1836 – *in Regien. Praeposituraе die 18 Septembris 1841.*

158. Unde Sacra Congregatio declaravit, Capitula Cathedralium simpliciter exempta non posse literas dimissoriales ad Ordines concedere, Sacerdotes ad sacramentales confessiones excipiendas vel Praedicatores ad sacras conciones habendas examinare seu approbare *in Suessionen. die 16 Septembris 1664.*

159. Quum itaque Capitulum Collegiatae Ecclesiae sit exemptum a iurisdictione quorumcumque Iudicum ordinariorum, iusta occurrente causa, permittitur permutatio iurium inter Decanum praefati Capituli et Archiepiscopum *in Lucana Iurisdictionis die 24 Maii 1823.*

160. Siquidem Ecclesia S. Michaelis in foro Lucensis Civitatis anno 1518 erecta fuit in Collegiatam cum Decano et novem Canonicis, eique Paraecia S. Peregrini coniuncta fuit. Decano pro tempore pluribus Apostolicis Literis Leo X amplissima tribuit privilegia ac praecipue, quod Ecclesia S. Michaelis et eius bona quaecumque, nec non – Canonici Clerici ac personae quaecumque tam in spiritualibus civilibus criminalibus vel mixtis, quam aliis quibuscumque tam ordinaria, quam delegata et mixta auctoritate fungentes – a iurisdictione quorumcumque Iudicum ordinariorum etc. perpetuo eximerentur, ac Decano tantum et Sedi Apostolicae essent subiecti; atque haec concessio a pluribus Pontificibus postea confirmari meruit. Iurisdictionem suam Decanus in Ecclesia S. Michaelis ac in iis, quae eidem unitae erant, exercuit, donec anno 1808 Gallico invecto regimine Collegiata penitus fuit sublata: eodemque tempore Archiepiscopus Lucanus, Apostolica utens auctoritate, Civitatis Paraeciarum numerum debuit imminuere earumque limites denuo praescribere. Contigit inde, ut Paraecia S. Peregrini, quae Collegiatae S. Michaelis erat coniuncta eiusque Decano subiecta, unita fuerit Ecclesiae parochiali et Collegiali SS. Paulini et Donati ordinariae iurisdictionis; et Paraeciae S. Michaelis assignata fuerit Ecclesia Sanctissimi Salvatoris ordinariae pariter iurisdictionis. Cum anno 1818 Collegiata S. Michaelis in pristinum fuerit restituta, Summus Pontifex Pius VII Decano et Canonicis Literas dedit Apostolicas die 15 septembris, quibus privilegia omnia a suis praedecessoribus

eidem Collegiatae tributa amplissime confirmavit. Quamquam eadem maneret adhuc Paraeciarum divisio, quae Gallis eas regiones occupantibus fuit constituta, putarunt tamen Lucanus Archiepiscopus et S. Michaelis Decanus, hanc iurisdictionem suam in S. Peregrini Paraeciam conservare, licet S. Michaelis Paraeciae non amplius coniungeretur, et Paraeciam Sanctissimi Salvatoris, quae adhuc S. Michaelis Ecclesiae coniuncta erat, iurisdictioni ordinariae adhuc esse subiectam. Archiepiscopus hinc et Decanus ad eas declinandas quaestiones, quae a promiscua iurisdictione potuissent oriri, facultatem petierunt iurisdictionem permutandi, ut scilicet Decanus in Paraeciam Sanctissimi Salvatoris iurisdictionem acquireret, Paraecia vero S. Peregrini Archiepiscopi iurisdictioni subesset.

161. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro permutatione iurium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative - *in Lucana Iurisdictionis die 24 Maii 1823.*

162. Capitulum vero proclamare nequit exemptionem a iurisdictione Episcopi, nisi eam luculenter probet *in Arboren. die 18 Iulii 1835.*

163. Siquidem Capitulum Cathedralis Ecclesiae Arborensis exemptionem suam ab Arborensis Praesulis iurisdictione vindicare contendit, eo quod iam ab anno 1486 die 11 Martii Ferdinandus Romanus Arborensis Archiepiscopus illud praecipuum inter Capituli privilegia se agnovisse confessus est, quod ex Capitularibus nemo in criminalibus Causis a solo Episcopo, sed a duobus simul Iudicibus a Canonicorum gremio quotannis eligendis iudicari poterat. Eamdem exemptionem agnovit etiam Summus Pontifex S. Pius V, qui quidem per Apostolicum Breve die 13 februarii 1571 editum Archiepiscopo Hieronymo Barbarà praecepit, ne molestias inferret Capituli libertati habendi comitia legitime indicta, neque absque duobus Adiunctis capitularibus criminaliter contra Canonicos procederetur. Haec dein inhibitio et Archiepiscopo Nietto et alteri del Carretto anno 1750 iterum praescripta fuit. Accedebat libera bonorum administratio nedum eorum, quae capitulari massae, sed et eorum, quae Cathedralis Ecclesiae Sacrario addicta erant. Quin imo plures Romani Pontifices, quos inter S. Pius V Gregorius XIII et Clemens VIII liberam hanc administrationem Capitulo etiam quoad fundos proficiscentes ex spoliis defunctorum Praesulum ac ex reditibus vacantis Cathedrae (qui tunc temporis ad Cathedrales Ecclesias integri pertinere videbantur) tribuisse dicendi erant, dum potestatem Capitulo fecerunt illos erogandi, – pro illarum structura reparatione et manutentione ac etiam ornamentorum et paramentorum emptione –: idque ineonsultis Episcopis, quibus ea in re sese immiscere vetitum erat. Demum invictum exemptionis suae indicium ex eo desumere studuerunt, quod ex vetusta consuetudine Archiepiscopi Arborenses Diaecesanam Visitationem perficerent, duobus eos comitantibus Canonicis, quorum alter ab ipso Capitulo erat eligendus. At haec singula futilibus cavillationibus esse accensenda propugnavit pro viribus Promotor Fiscalis. Nam in primis ex privilegio in Criminalibus Causis concesso non valebat illatio ad omnia privilegia, quae exemptionem ab iurisdictione ordinaria constituunt: imo exceptio in uno in reliquis regulam omnino confirmat. Eiusdem ponderis erat et aliud ex S. Pii V Bulla desumptum argumentum quoad ea praesertim, quae Capituli libertatem habendi comitia respiciebant, qua pollent Capitula etiam Episcopi auctoritati subiecta. Negavit autem Promotor Fiscalis praefatam bonorum libertatem, cum eam Capitulum dependenter ab Ordinario perpetuo exercuisset. Neque epistolas S. Pii V Gregorii XIII et Clementis VIII obstare sustinuit, cum singulis Sardiniae universae Praesulibus vetitum esset, ne in proprios usus fundos proficiscentes ex spoliis defunctorum antecessorum converterent, sed Capitula respectiva eos erogare deberent pro Ecclesiarum manutentione ac reparatione. Negavit insuper consuetudinem visitandi Diaecesim cum duobus Canonicis, quorum alter a Capitulo esset eligendus: ac etiamsi existeret, indulgentiam Praesulum, non vero iura exemptionis, demonstraret.

164. His utrinque perpensis proposito dubio: – IV. An Arborense Capitulum sit a iurisdictione Archiepiscopi exemptum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum Negative; et scribatur Archie-

piscopo ad mentem, facto verbo cum Sanctissimo super omnibus – *in Arboren. die 18 Iulii 1835.*

165. Unde Sacra Congregatio declaravit, Capitula Cathedralium exempta non esse reputanda, nisi privilegio Apostolico aut legitima consuetudine exemptionem suam tueantur *In Suessionen. die 16 Septembris 1664.*

166. Qua de re quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Gerundensis exemptionem a iurisdictione Episcopi et Episcopus eam oppugnaret, proposito dubio: – I. An constet de generali exemptione Capituli a iurisdictione ordinaria Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Gerunden. Exemptionis die 24 Martii 1738.*

167. Idcirco praefatum Capitulum quocumque in casu subiicitur Constitutionibus Synodalibus aliisque legibus per Episcopum latis; proposito enim dubio: – IV. An dictum Capitulum subiiciatur Constitutionibus Synodalibus sive aliis legibus etiam per Edicta panditis ab Episcopis absque illius consilio et assensu, vel potius editis cum eiusdem consilio tantum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: -Ad quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Gerunden. Exemptionis die 19 Decembris 1739.*

168. Unde Sacra Congregatio renuit etiam ex gratia concedere Capitulo Ecclesiae Cathedralis Iuvenacensis exemptionem a iurisdictione Episcopi; proposito enim dubio: – V. An Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae Cathedralis concedenda sit exemptio a iurisdictione moderni Episcopi in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative – *in Iuvenacen. die 30 Martii 1743.*

169. Imo Capitulum licet exemptum observare tenetur Decreta Concilii Provincialis, cui interfuit illius Episcopus; nam de Capitulis exemptis, licet Episcopi eorum subsint Metropolitanis, quaeritur: An, sicut Episcopus exemptus teneatur semel eligere Metropolitanum eiusque Conciliis Provincialibus interesse et Decreta in illis condita observare, idem dicendum sit de Capitulis exemptis, seu potius dicendum sit, an Decreta illius Concilii Provincialis, si interfuerit illorum Episcopus non exemptus, observare debeat? Sanctitas Sua ex sententia Sacrae Congregationis declaravit, ita debere observare – *in Mediolanen. anno 1573 lib. 1 Decretorum pag. 50.*

170. Itaque Capitulum Basilicae S. Petri, cui unita est Abbatia Nullius, non potest concedere Literas dimissorias Clero illius, licet habeat Territorium separatum, nisi in promptu habeat vel obtineat expressum privilegium a Summo Pontifice *in Nullius seu Brictinorien. et Policastren. die 21 Ianuari 1719 et die 24 Augusti 1720.*

171. Enimvero pendebat in Tribunali Rotae controversia inter Episcopum Brictinoriensem ex una et Capitulum Basilicae S. Petri ex altera partibus super puncto, an Abbatia S. Ruffilli, quae erat in Castro Foripompilii, et quae fuit dicto Capitulo unita, Territorium haberet separatum, et an hoc Territorium comprehenderet Castrum praedictum nec non alterum Meldulae. Non erat adhuc haec controversia decisa; sed etiam admisso, quod constaret de Territorio separato, contendit Episcopus Brictinoriensis, quod Capitulum S. Petri concedere non posset dimissorias Clericis Castrorum praedictorum ex Concilio Tridentino Cap. 10 sess. 23 de reformatione. Nec privilegium Capitulum exhibebat, quin et privilegium praesumptum consistens in immemorabili probaverit, et quatenus probavisset, non relevaret, utpote a Tridentino sublatum. Se quoque ad Causam admisit Episcopus Policastrensis, in cuius, uti praetendebatur, Diaecesi existebat alia Abbatia eidem Capitulo S. Petri unita. His itaque perpensis, proposito dubio: – An etiamsi constaret de Territorio separato, possit Capitulum S. Petri concedere dimissorias in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Nullius seu Brictinorien et Policastren. die 21 Ianuarii 1719.*

172. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et quoad indultum supplicet Sanctissimo – *in Nullius seu Brictinorien. et Policastren. die 24 Augusti 1720.*

173. Quin imo nec Capitulum Lateranense, nisi luculenter probet, Oratorium et Sodali-

tium erectum de facto esse in solo Lateranensi, suam exercere iurisdictionem potest in exclusionem iurisdictionis ordinariae respectivi Episcopi *in Terracinen. et Setina Iurisdictionis die 17 Decembris 1808.*

174. Secus enim si ambiguum sit privilegium, semper pro ordinaria Episcopi iurisdictione standum erit *in Terracinen. et Setina Iurisdictionis die 17 Decembris 1808* §. *Episcopus* (1).

175. Siquidem Episcopus Terracinensis suam ordinariam iurisdictionem super Oratorio divis Apostolis Petro et Paulo nuncupato et Sodalitio *de' Battenti*, quod erat in Oppido Sermonetae, defendit ex iuris dispositione, ex qua Episcopo attribuitur ordinaria iurisdictio super omnibus Ecclesiis intra suae Diaecesis fines existentes ex Textu in cap. 7 de officio Ordinarii in 6, atque etiam super Sodalitiis in iisdem Ecclesiis erectis, quemadmodum cavetur in Constitutione Clementis VIII edita anno 1604, cuius initium *Quaecumque*. Idcirco Lateranense Capitulum non ambiguum, sed adeo certum ac expressum privilegium in medium proferre tenebatur, ut vinceret ordinariam iurisdictionem. Hinc non diffitebatur quidem Episcopus, quod Lateranense Capitulum ex privilegiis a Summis Pontificibus concessis exerceret iurisdictionem ordinariam super Oratoriis et Sodalitiis in solo Lateranensi erectis aut existentibus, sed negabat quod haberet privilegium aggregandi Ecclesias et Oratoria aut Sodalitia, quae in solo Lateranensi erecta non sunt. Multum enim interesse contendit inter utrumque privilegium. Hoc sane, quod consistebat in iure aggregandi Sodalitia extra Lateranense solum erecta, quodque a Calisto III concessum asserebatur, revocatum postea fuit a Pio IV in Constitutione anni 1562, cuius initium *Regimini*, ut in Bullar. tom. 4 part. 2 Constit. 67. Alterum vero privilegium exemptionis eorum locorum in solo Lateranensi existentium quamquam revocatum in eadem Constitutione Pii IV, attamen redintegratum fuit a Sixto V in Constitutione, quae incipit: *Si cunctas* data anno 1586, ut in Bullar. tom. 4 part 4 Constit. 2, dummodo tamen Oratoria et Sodalitia in solo erecta essent, quod ante erectionem pertineret ad Capitulum Lateranense, ceu distinguit inter utrumque privilegium Rota coram Emerix iun. decis. 228 n. 5, et coram Lancetta decis. 1385 n. 4. Negavit autem Episcopus, Oratorium *de' Battenti*, de quo controversia erat, aedificatum fuisse in solo Lateranensi. Plura hinc in medium protulit, ut id probare posset. Capitulum Lateranense vero suam derivavit iurisdictionem ex privilegiis sibi impertitis a Summis Pontificibus Bonifacio IX Sixto IV et V atque ex longaeva observantia. Ex illis enim Pontificiis Constitutionibus habebat ordinariam iurisdictionem super Ecclesiis Oratoriis et Sodalitiis in solo Lateranensi erectis, quae ab iurisdictione Ordinarii exempta omnino sunt, quemadmodum tradunt Card. De Luca de iurisdict. disc. 39 n. 2, Rota coram Molines decis. 710 et in Senogallien. Iurisdictionis 9 februarii 1759 §. 2 coram Bussio, et Sacra Congregatio in Meliten. 17 novembris 1703, in Maceraten. 26 aprilis 1727, in Spoletana Capellae 9 septembris 1732. Neque, si Pius IV haec privilegia abrogavit, idcirco Capitulum amisit iurisdictionem super Oratorio et Sodalitio *dei Battenti*, quippe quod erectum longe ante Constitutionem Pii IV privilegiorum abrogatoriam. Nam Sixtus V ea privilegia restituit, ac proinde iurisdictio, quam ante Constitutionem Pii IV exercebat, quaeque hac edita Constitutione infirmata est, iterum auctorante Sixto V convaluit, ceu statuit in non absimili specie S. Rota in allegata Senogallien. coram Bussio. Demonstrare inde contendit Capitulum, Oratorium et Sodalitium *de' Battenti* erectum esse in solo Lateranensi.

176. His utrinque perpensis proposito dubio: – An et de cuius ordinaria iurisdictione constet in Oratorio et Confraternitate *dei Battenti* in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et ad D. Secretarium pro subdelegatione Iudicis in partibus ad effectum verificandi etiam elevata mappa, an constet de identitate hodierni controversi Oratorii cum Capella de Ritiis ac solo annexo concessis Confraternitati a Capitulo S. Mariae Sermonetae per instrumentum anni 1460, auditis partibus, nec non dicto Capitulo S. Ma-

(1) Cap. 7 de Privilegiis; Rot. in Recent. decis. 354, n. 1, part. 19; coram Ansaldo decis. 809, n. 32; et decis. 870, n. 1.

riae Sodalitio et Testibus hinc inde deducendis - *in Terracinen. et Setina Iurisdictionis die 17 Decembris 1808.*

177. Quum autem Capitulum Lateranense probaverit, Ecclesiam ruralem S. Pauli in Territorio Castri S. Mamiliani Abbatiae Ferentilli sitam esse contra Episcopum Spoletanum, qui eam in Territorio Oppidi Strecturae sub sua Diaecesi erectam affirmabat, proposito dubio: - An Ecclesia S. Pauli nuncupata *S. Polo* subiecta sit iurisdictioni reverendissimi Capituli Lateranensis, seu potius Episcopi Spoletani in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Spoletana seu Nullius Ferentilli Iurisdictionis die 16 Iunii 1770.*

178. Hinc quum nullum de facto crimen probatum ad formam Sacrorum Canonum existeret, S.Congregatio censuit, Canonicum deputatum a Capitulo SS. Basilicae Lateranensis in Visitatorem Lateranensem pro tota Diaecesi Camerini non esse removendum ab officio, licet Episcopus allegaverit, dictum officium a Canonico procuratum fuisse, ut se eximeret ab Episcopi iurisdictione, in cuius Curia de pluribus inquisitus reperiebatur, nec non eiusdem imperitiam in materiis ecclesiasticis, cum abusu iurisdictionis in praeiudicium auctoritatis Episcopalis *in Camerinen. praetensae Exemptionis die 25 Ianuarii 1698 lib. 48 Decretorum.*

179. Siquidem - Sacerdos Octavius Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Ginesii ad se eximendum a iurisdictione et correctione Episcopi, in cuius Curia de pluribus delictis reperiebatur inquisitus, obtinuit a Canonicis sacrosanctae Basilicae Lateranensis deputari in Vicarium seu Visitatorem eiusdem Basilicae pro tota Diaecesi Camerinensi. Cumque Episcopus illius remotionem obtinere non potuerit, praevio recursu ad hanc Sacram Congregationem, supplex orat pro eadem remotione nedum ex motivo malae et parum laudatae vitae ipsius Visitatoris, sed etiam propter illius imperitiam in materiis ecclesiasticis, cum non levi abusu sive excessu eius praetensae iurisdictionis, in praeiudicium et contemptum Episcopalis auctoritatis -. Proposito vero dubio: - An dictus Canonicus Honofrius sit removendus ab officio Visitatoris Lateranensis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Camerinen. praetensae Exemptionis die 25 Ianuarii 1698 lib. 48 Decretorum.*

§. IV.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM QUOAD MASSAM FRUCTUUM ET EMOLUMENTORUM.

1. Massa communis primaevis Ecclesiae institutis apprime convenit *in Nullius Trium Fontium Massae capitularis die 4 Februarii 1804* §. *Massa.*

2. Siquidem Ecclesia a primo suo exordio a particularibus semper abhorruit divisionibus: quandoquidem dum, ipso Christo Domino conversante in terris, quasdam cepit habere facultates, quae tum in solis Fidelium voluntariis oblationibus versabantur, istae in loculos coniectae erant; et una singulorum erat Massa, unum erat Aerarium *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Quam.*

Item *in Amerina Massae communis et Alienationis die 25 Ianuarii 1806* §. *De; in Verulana Divisionis Massae Capitularis die 1 Martii 1817* §. *Petitioni.*

3. Haec forma, a Christo praesignata, ab Apostolis eorumque Successoribus adamussim servata fuit quatuor ut minus seculis, et alia nota non erat ecclesiasticarum rerum divisio, ut ex Actibus Apostolorum in cap. II, 44 et 45 habemus: - Omnes, qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat -; et aucto Ecclesiarum numero, harum unicuique suae erant facultates, e quibus Ministrorum substentationi providebatur, et omnia possidebantur communiter, ut ex can. 40 et 41 vulgo Apostolorum, et ex Can. 24 et 25 Concilii Antiocheni seculo IV celebrati, qui a Gratiano referuntur in Caus. 12 quaest. 1 Can. 22 23 et 24 *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Quam.*

Item *in Amerina Massae communis et Alienationis die 25 Ianuarii 1806* §. *De.*

4. Immutato communionis more quoad laicos, ut scribit Stephanus Tomacensis in epistola 160, perduravit quoad Ecclesiasticos; Canonici enim ad instar Regularium vitam in Claustris degebant, et una erat omnium portio una eademque Mensa, proindeque fructus singulorum penes erant Capitulum, bonaque indivisa manebant, ceu videre est apud Miraeum in Diplom. Belg. c. 65; ac perspicui sunt hac de re Canones Conciliorum Aquisgranensium, alterius enim habiti anno 789, alterius vero anno 816, item Concilii Moguntini nec non Turonensis anno 813 coacti *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Quam.*

Item *in Nullius Trium Fontium Massae communis et Alienationis die 25 Ianuarii 1806* §. *De; in Verulana Divisionis Massae capitularis die 1 Martii 1817* §. *Petitioni.*

5. Deserta exin a Canonicis vita communi, ad vitam singularem transierunt; aliquibus sic divisis singula eorum Ecclesiae communiter placuit possidere bona, alii autem aequam pro quolibet maluere divisionem: verum cum ipse transitus ad vitam singularem seorsim contingerit, dissimulante potius, quam probante Ecclesia, ita et haec divisio Mensae capitularis inter Canonicos non aliquo positivo Ecclesiae praecepto inducta fuit vel probata, sed dumtaxat ex ipsiusmet Ecclesiae dissimulatione; igitur bonorum universorum unionem adamavit, non eorumdem divisionem *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Quam.*

6. Qua de re si cum dispositione iuris est procedendum, assistere potius videtur bonorum unioni Regula desumpta ex Cap. 56 de Regulis iuris in 6 statuens: – In re communi meliorem esse conditionem prohibentis divisionem – *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Deserta.*

7. Non desunt autem Doctores, qui tradunt, haud esse necessariam S. Sedis veniam pro ineunda pactione inter Clericos eiusdem Ecclesiae super modo gaudendi fructibus et emolumentis communis Massae *in Alatrina die 23 Decembris 1826* §. *Quamquam.*

Item in *Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Perpendendum.*

8. Nulla enim intercedere videtur abdicatio, aut translatio dominii, vel iurium ab uno corpore in alterum *in Alatrina die 23 Decembris 1826* §. *Quamquam.*

Item *in Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Perpendendum* (1).

9. Hi tamen Doctores a veritate longe aberrant: nam Capitulares nequeunt proprio marte explere divisionem Massae communis, alias divisio nulla ac irrita censetur ac est, etiamsi auctoritas Ordinarii ac lapsus longi temporis et pacifica observantia accesserit, cum praesertim Bulla fundationis obstet *in Alatrina die 28 Aprilis 1827.*

Item *in Verulana Massae communis et Missae pro Populo die 12 Decembris 1829* (2).

10. Qua de re licet divisio bonorum, auctorante Episcopo, facta fuerit, indiget sanatione Apostolica, cui sane locus est, si iusta adsit causa *in Alatrina die 23 Decembris 1826* (3).

11. Nullum enim dubium, quin necessaria sit sanatio divisionis Massae communis per Canonicos nulla intercedente auctoritate factae, quae tamen iusta concurrente causa indulgetur *in Aversana Sanationis et Exequutionis Literarum Apostolicarum die 14 Ianuarii 1860.*

12. Siquidem ex triginta Canonicis, quibus componebatur Cathedrale Capitulum Aversanae Diaeceseos, sex enumerabantur Praebendati ita nuncupati, eo quia praeter quotidianas distributiones, quas uti Canonici Presbiteri e capitulari Massa in frumento percipiebant, separata quoque Praebenda singuli gaudebant. Antiquis maioris Altaris Portionarii ipsi successisse ferebantur, eorumque quatuor, videlicet Decanus Cantor Archidiaconus et Subcantor, impresentiarum Capituli Dignitates constituebant, quibus accedebant Theologus et Poenitentiarius. Praebendarum autem reditus communem Massam olim conficiebant, quam Capituli Procurator in octo

(1) Card. De Luc. de Canon. disc. 30, n. 19; de alien. disc. 54, n. 8; Scarfanton. ad Ceccoper. Iuenbrat. can. lib. 4, tit. 15, n. 64.

(2) Harum Causarum species et resolutiones prostant in verb. *Alienatio*, §. III, n. 529 ad 539, Tom. I.

(3) Speciem et resolutionem Causae huius habes in verb. *Alienatio*, §. III, n. 522 ad 527, Tom. I.

partes dividens, sex attribuebat Praebendatis, reliquasque duas Sacristiae ad tramites Apostolici Brevis Clementis VIII dati sub die 3 ianuarii 1601. Verum Praebendatos inter et Canonicum Thesaurarium Sacristiae Praefectum conventio inita fuit die 15 ianuarii anni 1756, qua communis Massae divisio sancita fuit sic, ut e centum territorii modiis singulis Praebendatis decem, Sacristiae viginti modii (duabus antiquis portionibus respondentes) fuerint tributi, et viginti reliquos adhuc indivisim Capituli Procurator administraret ea lege, ut ex illorum reditibus septuaginta duo ducati Vicario Curato Cathedralis Ecclesiae solverentur et ea, quae superessent, Paraeciae Pauperibus distribuerentur, licet hoc postremum nunquam executioni fuerit demandatum. Hanc autem bonorum divisionem absque ullo ecclesiasticae auctoritatis placito peractam fuisse, quin immo immediatum moderni Episcopi antecessorem vehementer eamdem reprobasse perhibebatur. Modernus hinc Episcopus, conscientiae suae tranquillitati consulens, Sacram Congregationem supplex adiit ac instantissime postulavit, ut praefata conventio de fundorum divisione, inter Canonicos illegitime anno 1756 inita, Apostolico Beneplacito sanaretur.

13. Quoad conventionis sanationem non admodum immorandum erat, cum Capitulares in Episcopi sententiam abire non recusarent. Mirabantur nihilominus, post adeo longum temporis intervallum de communis Massae divisione quaestionem ab Episcopo moveri, cum praesertim ipsi Praebendas iam divisas per Apostolicas Bullas fuerint assecuti, easque in bona fide ad illam diem possederint. Addiderunt immo, sibi quam maxime arridere ad communem Massam restitui, quod tamen effici haud commoda ratione posse una cum Episcopo censebant, quum per ultimum concordatum a Rege utriusque Siciliae cum S. Sede anno 1818 initum Praebendarum divisio in Gubernii actis fuerit inserta, ac vacantium Praebendarum reditus Diaecesanae administrationi subiicerentur. Proposito itaque dubio: – I. An et quomodo concedenda sit sanatio conventionis inter Canonicos initae die 15 ianuarii 1756 in casu?-, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Aversana Sanationis et Exequutionis Literarum Apostolicarum die 14 Ianuarii 1860.*

14. Servanda hinc est Constitutio Pontificia, qua constituitur dos pro duodecim Beneficiatis ex Massa capitulari, non vero resolutio Canonicorum, qua eam subvertere insudant *in Aversana Resolutionis capitularis die 17 Maii 1817.*

15. Enimvero Clemens VIII anno 1597 ad preces Petri Orsini Episcopi Aversani duodecim Beneficia in Cathedrali Ecclesia erexit hisce verbis: - Pro duodecim Clericis sive Presbiteris futuris inibi perpetuis Beneficiatis, qui omnia et singula functiones et onera opportuna et necessaria in dicta Ecclesia Aversana habeant et exerceant et cappam deferant, vocem tamen in praedicto Capitulo minime habeant, Apostolica Auctoritate tenore praesentium perpetuo sine alicuius praeiudicio erigimus et instituimus, illisque sic erectis et institutis pro illorum dote et illa pro tempore obtinentium substentatione, ultra Massam communem incertorum emolumentorum praedictorum, vigintiquinque ducatos similes ex fructibus et reditibus annuis dictae Mensae singulis duodecim Beneficiatis praedictis per Petrum Episcopum, cuius ad hoc expressus accedit assensus, et Successorum dictorum quotannis persolvendis, auctoritate et tenore praesentium perpetuo concedimus et assignamus -. Hinc Episcopi Aversani dictis duodecim Hebdomadariis annuos tercentum ducatos suppeditarunt usque ad annum 1816. Vicarius Capitularis autem inde fatebatur quidem Clementinae Bullae praescriptum etiam quoad ducatorum viginti quinque perceptionem, sed simul contendit, eamdem Bullam, utpote promulgatam absque ullo Capituli assensu et instantia, minime Capitulum idem ulla obligatione devinxisse erga Hebdomadarios, quorum opera pro divinis Officiis ecclesiasticisque caeremoniis haudquaquam egebat. Superaddidit, incerta Ecclesiae emolumenta nequaquam ducatos viginti quinque pro illorum quolibet annuatim exhibere. Enarravit insuper, Hebdomadarios anno 1779 a Romano Pontifice quatuor Beneficiorum collationem obtinuisse, quorum bona alieno aere ducatorum nempe 4500 onerabantur, quod partim extinctum ad ducatos 1600 iam relinqueretur. At Hebdomadarii extrema laboran-

tes aegestate reclamarunt contra Capitulum acriterque demonstrarunt, communem incertorum Ecclesiae emolumentorum congeriem in Capitulari Massa fuisse comprehensam, ideoque ab hac Massa tercentum ducatos a Clementina Bulla praefinitos deducendos esse. Capitulares contra sustinuerunt, novam ineptamque petitionem vetustisque moribus ac quasi possessui Capituli, qui nil unquam persolverat Hebdomadariis, omnino adversari: nihilominus deliberarunt, attribuendos esse iisdem ducatos ducentos sexdecim, hisce sub conditionibns, – I. ut nihil de hoc negocio moliretur, nisi prius venia a Sacra Eminentissimorum Congregatione impetrata; II. ut tabulis publicis profiterentur, se immerito Capitulum litibus vexasse, atque abrenunciarent quibuscumque actibus postulationibus instantiis, ut aiunt, factis apud Regium Tribunal Camerae S. Clarae; III. ut hanc summam non alio titulo ac iure, nisi largitatis nomine ac beneficientia Canonicorum se accepturos testarentur; IV. ut tota ea pecunia distributionis quotidianae locum ac rationem haberet, et hoc modo iis penderetur; V. ut si vel Beneficiorum aliorum annexione vel Episcoporum aequitate imposterum Hebdomadariis redituum accessio fieret, ita ut summa ducatorum quinquaginta pars cuique contingeret, vel si e contrario temporum iniuria, aut novis vectigalibus imperatis, Capitularis Massa non esset in integro apud Canonicos fortuito aliquo casu, vel detrimentum pateretur, ita ut pars, quae Canonico cuique cederet seu quota Canonicalis, ut est in praesentiarum, minueretur, pacta conventa irrita illico fierent, et Capitulares nulla obligatione nulloque iure ad solvendam dictam pecuniam adigerentur –.

16. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit probanda resolutio capitularis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit probandum, seu potius delendum caput secundum eiusdem resolutionis in casu etc. III. An sit probandum, seu potius delendum caput tertium eiusdem resolutionis in casu etc. IV. An sit probandum, seu potius delendum caput quintum eiusdem resolutionis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, servandam esse Constitutionem s. m. Clementis VIII *Sicut Ecclesiarum.* Ad secundum tertium et quartum, provisum in primo – *in Aversana Resolutionis Capitularis die 17 Maii 1817.*

17. Quum itaque supremus Pontifex statuerit modum et rationem, quibus Cathedrali Ecclesiae inservientes admitti debeant ad participationem Massae Capitularis, Episcopus nec in actu S. Visitationis contrarium constituere potest, sed Pontificia Constitutio in omnibus est servanda *in Tarentina Decreti S. Visitationis die 14 Maii 1859.*

18. Iamvero Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Tarentinae, quod pluribus constabat Dignitatibus Canonicis et Mansionariis seu Participantibus et Supranumerariis, curam animarum adnexam habebat in universa frequentissima Civitate exercendam. Quum a remotissimis temporibus omnes indistincte Clerici ad participationem admitterentur, ad varios inde tollendos, qui irrepserant, abusus, tum Episcoporum Decretis, tum Summorum Pontificum Pauli III et Gregorii XIII Constitutionibus, nec non Sacrae Congregationis atque EE. et RR. Congregationis resolutionibus provisum fuit, ut Participantium numerus ad sexaginta cohiberetur, tertia supranumeraria classe constituta adspirantium seu extraparticipantium, ac ut certae denique leges, tam quoad adscriptionis methodum et ascensum ad diversas participationum quotas, quam quoad servitii formam in Ordine quolibet a Clericatu ad Sacerdotium a singulis praestandi constituerentur. Cum inde anno 1858 S. Visitationem in Metropolitana haberet Archiepiscopus, Decretum edidit in tres divisum articulos, in quorum primo Antistes perpendens, quod – Clerus receptitius Metropolitanae debet coadiuvare Capitulo in cura animarum –, mandavit, – ut electio et aggregatio Clericorum pro servitio statutario praestando in Metropolitana ad Capitulum et Clerum pertineat ita tamen, ut electi et aggregati ab Archiepiscopo aut ab eius Vicario mandatum petere teneantur iuxta Bullam Gregorii XIII, ut supradicti ad participationem per antianitatem admittantur, sed praevio examine in Theologia morali et approbatione Archiepiscopi, sub poenis nullitatis ipso facto incurrendae, quod requiritur etiam in aliis ascensis –. In articulo secundo statuit –, ut ser-

vitium statutarium ex hoc tempore sit incipiendum post ordinationem Presbiteratus, alias Alumni, qui in Seminario morantur, illud nequeunt personaliter praestare et frustraneum redditur; nam ab Episcopo revidenda et corrigenda Statuta –. In tertio articulo ita disposuit, – ut omnes extra participantes Clero et Capitulo aggregati interesse debeant ex Decreto Thomae Caracciolo Archiepiscopi Tarentini 12 Septembris 1661 super Statuta Ecclesiae hisce diebus: in Dominicis et festis de praecepto, die cinerum ad Missam, triduo hebdomadae maioris usque ad feriam tertiam post Pascha, Ascensione a primis vesperis, die Corporis Christi a primis vesperis, et per totam octavam ad Missam, ad Vesperas et Completorium tantum, tribus diebus Pentecostes a primis Vesperis, die omnium Defunctorum ad Matutinum et ad Missam, dedicatione Ecclesiae a primis Vesperis, Anniversario consecrationis Archiepiscopi ad Missam, diebus festis nostri protectoris S. Cataldi a primis Vesperis, diebus quibus Archiepiscopus solemniter celebrat, omnibus processionibus generalibus et extraordinariis et in exequiis Defunctorum, in quibus omnia tintinnabula pulsantur. Deficientiae vero eorum Extraparticipantibus signentur in libro a Punctatore sic dicto Clericorum, ut in promotione ad participationem expendantur –.

19. Contra huiusmodi Decretum appellavit Capitulum ad Sacram Congregationem; ac institit, ut nullum ediceretur, cum Brevi Gregorii XIII *Quoniam in Ecclesia,* Constitutioni Pauli III, nec non Decreto seu Declarationi S. Rituum Congregationis adversaretur. Propositis itaque dubiis: – I. An sit confirmandum, vel infirmandum Decretum S. Visitationis quoad examen et approbationem admittendorum ad participationem in casu? II. An sit confirmandum, vel infirmandum Decretum S. Visitationis quoad inchoationem servitii statutarii post susceptum Ordinem Presbiteratus in casu? III. An sit confirmandum, vel infirmandum Decretum S. Visitationis quoad servitium et assistentiam Extraparticipantibus iniunctam in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Decreta esse infirmanda, servata in omnibus Bulla Gregorii XIII – *in Tarentina Decreti S. Visitationis die 14 Maii 1859.*

20. Idcirco si nulla iusta adsit causa, locus est confectioni Massae communis ac omnes fructus et proventus distribui debent ad formam Bullae erectionis, quin ullatenus obstet Statutum capitulare, quo id aliter praescribitur *in Pisauren. Massae communis die 29 Ianuarii et die 31 Maii 1783.*

21. Iamvero anno 1718 Clemens XI parochiale Beneficium Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli in Collegiatam evexit: et quatuor Praebendas ex reditibus hereditatis Sacerdotis Ioannis Rossi, tres ex legato Conradi pro Canonicis instituit, quos omnes quibusdam anni diebus divinum Officium persolvere aliasque sacras functiones in dicta Ecclesia explere praecepit. Quoad redituum partitionem statuit laudatus Pontifex, ut – omnia et singula fructus emolumenta hereditatis primodicti Testatoris, et ex legato hereditatis secundodicti Testatoris provenientia in unam Massam communem congeri debeant, et ex illa ducatis duodecim auri pro quolibet ex quatuor priorum et trium posteriorum Canonicorum pro Praebendis detractis, reliqua omnia ac etiam incerta quaecumque in usum distributionum quotidianarum inter dictos quatuor priores et tres posteriores Canonicatus Praebendas obtinentes ac horis canonicis aliisque divinis officiis interessentes, iuxta providam ordinationem desuper faciendam, dividenda et repartienda cedere et converti debeant –. Quod de Massa communi et distributionibus quotidianis sancitum fuerat, executioni demandatum nunquam extitit. Nam loco distributionum quotidianarum per Capitulare Statutum approbatum ab Episcopo Pisaurensi die 15 septembris dicti anni 1718 subrogatae fuerunt punctaturae a Canonicis e choro absentibus persolvendae. Itaque Canonici de Rubeis bona Canonicatus inter se divisa retinebant, et unusquisque integrum fructum suae portionis percipiebat; Canonici fundationis de Conradis, licet in communi capitalia possiderent, dividebant tamen pro aequali rata illorum fructus, nec ullam partem pro distributionibus relinquebant, sed qui choro non intererant, certam pecuniae summam persolvebant. Morem hunc improbarunt in Sacra Visitatione Episcopi Pisaurenses: novissime autem Terentius Consoli Canonicus fundationis de Ru-

beis postulavit, ut, quae de communi Massa et quotidianis distributionibus in Bulla erectionis praefinita erant, exequerentur. Huic petitioni adhaerere recusarunt, qui Praebendas possidebant institutas a Sacerdote Conradi.

22. Propositis hinc dubiis: – I. An Constitutiones capitulares sint servandae in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli sit locus confectioni Massae communis omnium et singulorum fructuum redituum et proventuum iurium et emolumentorum provenientium tam ex hereditate bo. m. Ioannis Baptistae de Rubeis, quam ex legato bo. me. Petri Conradi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et pro qua rata fructus reditus proventus et emolumenta praedicta etiam incerta cedere debeant in usum distributionum quotidianarum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. An quomodo et inter quos huiusmodi quotidianae distributiones sint dividendae et repartiendae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, providebitur in sequentibus. Ad secundum, Affirmative, et amplius. Ad tertium, Affirmative ad formam Bullae erectionis; et amplius, et ad mentem: et mens est, quod scribatur Episcopo, qui referat, an adsit dos congrua pro fabrica Ecclesiae et expensis Sacrarii. Ad quartum, Affirmative ad formam Bullae erectionis; et amplius – *in Pisauren. Massae communis die 25 Ianuarii 1783.*

23. Episcopus retulit, quod loci Communitas erat obligata propriis sumptibus ad manutentionem fabricae Ecclesiae: et aderat ulterius pro fabrica eiusdem Ecclesiae legatum Ioannis Mariae Rossi anni 1715, ita ut nec Capitulum nec Canonici quidquam contribuere tenerentur. Quo vero ad aliam partem, nec dos nec ullum assignamentum extabat pro expensis Sacrarii; sed quilibet Canonicus ad formam Constitutionum capitularium solvebat in eius ingressu scuta decem ducalia pro una vice tantum et alia scuta decem similiter quolibet anno, quae pro sumptibus inserviebant eiusdem Sacrarii. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad fabricam, satis provisum; quo vero ad expensas Sacristiae, serventur capitula 12 et 13 Statutorum – *in Pisauren. Massae communis die 31 Maii 1783.*

24. Attentis itaque peculiaribus circumstantiis, sanantur quidem alienationes bonorum ad Massam Capitularem spectantium, sed executioni mandari debent ordinationes per Nuncium Apostolicum factae, ut Massa Capitularis reintegrari valeat *in Leodien. die 18 Maii 1743.*

25. Enimvero Card. Bussius anno 1712 Nuncius ad tractum Rheni, auditis duobus Canonicis e Capitulo insignis Collegiatae S. Dionysii Civitatis Leodii ad se deputatis, statuit, ut Capitulum impetrare curaret ab Apostolica Sede confirmationem emphyteutici contractus paullo antea celebrati, atque etiam recuperare fundos Praebendulariorum sub annum 1698 non rite distractos. Plura hinc statuit, ut Ecclesia reintegrari posset, et ne imposterum Canonici Ecclesiae praedia distraherent, vel ne in emphyteusim concederent. Inde duo Ecclesiae Collegiatae S. Dionysii Canonici Celon et Henne conquesti sunt, quod antiqui sui Collegae non modo eorum, quae sancita fuerant a praefato Card. Bussio, observationem neglexissent, verum et opulentam unius Canonici hereditatem Ecclesiae postea delatam aliaque plura ipsius Ecclesiae bona perperam distraxissent. Nuncius, auditis partibus, praecepit quidem, ut imposterum Decreta a Decessore suo edita executioni mandarentur, sed alia obligatione Canonicos perstringendos fore non censuit, propterea quod ex legitimis documentis perspectum habere diceret, haud facile iis decretis antea morem geri potuisse; – id tam propter varios litium anfractus et Praebendarum tenuitatem, quam propter varia infortunia et bellorum calamitates, quae plurimas Ecclesias ac aedes pastorales in territoriis, ubi R. D. Decanus et Capitulum decimas percipiunt, partim deiecerunt, et partim devastarunt, ita ut occasione praemissorum ingentes pecunias consumendas et expendendas esse necessitas expostulaverit –. Haud satis per hanc ordinationem Ecclesiae iuribus consultum putarunt Canonici de Celson et Henne, qui priores idcirco querelas instaurarunt penes Nuncium, ac inde apud Sacram Congregationem. Propositis itaque du-

biis: – I. An sit procedendum ad executionem sententiarum Nunciorum Apostolicorum ad tractum Rheni in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An, attenta inobservantia ordinationum anni 1712 Cl. me. Card. Bussi tunc Nuncii Apostolici ad tractum Rheni, teneantur Canonici de Rossius Scoville Radoux Vanbucte et du Moulin reintegrare Ecclesiam S. Dionysii eiusque Massam Capitularem in casu etc. III. An divisio hereditatis quondam Canonici Milleu sustineatur, seu potius Ecclesia sit a dictis Canonicis reintegranda in casu etc. IV. An constet de dissipationibus et alienationibus bonorum Ecclesiae, ita ut sit locus reintegrationi in casu etc. V. An et quomodo sit providendum in futurum in casu etc. VI. An et ad quorum favorem Ecclesia S. Dionysii etiam quoad expensas iam factas teneatur subministrare sumptus litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Procedendum esse ad executionem sententiarum in iis partibus, quibus demandatur in posterum observantia ordinationum cl. me. Cardinalis Bussi, et Episcopus auctoritate S. Congregationis incumbat ulteriori earum executioni: in reliquis, praevia sanatione alienationum factarum ex peculiaribus circumstantiis, partes acquiescant, facto verbo cum Sanctissimo – *in Leodien. die 18 Maii 1743.*

26. Quapropter si praetensa mala fundorum administratio ac neglecta cultura reapse non extitit, sed omnia ad rectae administrationis regulas exiguntur, nullatenus indulgetur divisio Massae communis, quum praesertim nonnulli ex Capitularibus acriter obstent, licet antea consensum in genere praestiterint *in Monopolitana Divisionis bonorum ac Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855.*

27. Enimvero Capitulum Cathedralis Monopolitanae, quod viginti tribus constabat inter dignitates et Canonicos duodecim Portionariis totidemque Capellanis seu numerariis, praeter Praebendas ac Portiones cuilibet separata administratione attributas, possidebat communem bonorum Massam, quorum reditus in tot Missarum celebrationem, iuxta piorum Benefactorum mentem, impendi debebant. Bona haec communi administrationi subiacebant, cui unus ex Capitularibus biennio quolibet adlectus praeficiebatur, ac Partitarius appellabatur. Experientia autem, uti asserebant, docti Capitulares, huiusmodi administrationis rationem in detrimentum cedere totius Capituli. Siquidem compertum habuere, unius Administratoris curas satis esse non posse manutentioni et culturae, iamdiu pessumdatae, fundorum invigilandae, qui illic siti ac dispersi amplo territorio continebantur, cuius fines ad triginta et amplius milliaria patebant, rem sibi utilem gerere putarunt si fundos Praebendarum ad instar dividerent, totidemque portiones, quot erant participantes constituerent, ac praeterea certum Missarum numerum praefinirent, ut quilibet portionem suam possidere et administrare posset ac determinatum Missarum onus impleret. Huiusmodi consilium propositum in capitularibus comitiis diei 21 novembris 1850 unanimi consensione probatum fuit. At inde nonnulli ex Capitularibus exposuerunt, se malis deceptos artibus in primo capitulari conventu bonorum divisioni assensos fuisse, re autem postea melius perpensa praestitum se revocasse consensum, ac nullum non movisse lapidem, ne inceptum perficeretur, quod non oeconomicae rei capitulari, ut sibi antea videbatur, prodesset, sed valde noceret: hinc demum quamvis huiusmodi consilium in prima capitulari sessione in genere tantum probassent, attamen cum de modo rei componendae in aliis sessionibus postea habitis actum est, nunquam ipsis adversantibus propositiones convenisse. Nulla enim causa dividendi Massam existebat, cum omnia ad recte administrationis regulas exigerentur. Quae enim de mala fundorum administratione ac neglecta cultura ex adverso asserebantur, vel omnino falsa, vel exaggerata, sin minus non plane communis Massae rationi tribuenda esse. Quandoquidem aderat Partitarius ex tribus Participantibus Ordinibus biennio quoquo adlectus, penes quem totius negocii summa erat; aderant duo alii Participantes, quos *Cavalcatori* appellabant, quorum munus erat quolibet anno fundos invisere, ac de eorum statu Capitulum certiorem facere, ut quae erant opus provideret et curaret. Aderant custodes rurales, quibus fundorum manutentio peculiariter commissa erat. Duo quotannis eligebantur Capitulares ad redditionem rationum excipiendam, quibus confectis ac in tabulis accepti et expensi relatis prius Capi-

tulo, deinde Episcopo in actu S. Visitationis approbandae deferebantur. Ceterum compertum erat, deteriorem esse fundorum Praebendalium conditionem, quamvis separata administratione regerentur. Addiderunt, chorali etiam servitio iacturam inferri. Demum cum ageretur de negocio, quod non ad Capitulum et Clerum uti corpus, sed ad universos uti singulos pertinebat, suis non consistere viribus videbatur lex, quae ad singulorum interesse spectabat, nisi universorum consensus et suffragium accederet.

28. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo probanda sit proposita bonorum divisio in casu? II. An et quomodo probanda sit praefinitio numeri Missarum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative in omnibus; et amplius – *in Monopolitana Divisionis bonorum ac Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855.*

29. Qua de re si Testatorum voluntas ac unio Beneficiorum obstet, quibus demandatur distributio fructuum inter praesentes nec non Massa communis, ut solum frequentibus et servientibus reditus distribuantur, nequaquam indulgetur divisio bonorum, licet maior Capituli pars atque Episcopus pro divisione instent *in Narnien. Divisionis die 20 Decembris 1817.*

30. Iamvero Capitulo et Canonicis Ecclesiae S. Nicolai Collis Scipionis praeter peculiares Praebendas erat quoque Massa communis, instituta partim a piis Testatoribus, cui nonnulla bona Capitulo legarunt, ut eorum reditus distribuerentur inter praesentes precibus matutinis, partim ex Decreto R. P. D. Lunelli Caietae Episcopi atque Apostolici Visitatoris. Hic enim anno 1716 expresse mandavit, ut Beneficia omnia ruralibus Ecclesiis addicta Collegiali Ecclesiae aggregarentur, atque redituum et Praebendarum huiusmodi fieret – Massa communis et solum frequentibus et servientibus distribueretur.– Quod Decretum exequutioni mandatum fuit a Praesule Cesio tunc temporis Narniensi Episcopo. Idipsum statuit Apostolicus Visitator quoad bona alia, quae alteri Collegiatae S. Mariae eiusdem loci fuerunt addicta. Quum tamen inde huius Collegiatae Canonici communia ea bona inter sese diviserint, iuniores Canonici S. Nicolai illorum vestigia sequentes satius duxerunt a veteri communione recedere ac bona, quae Massam constituebant, aequis partibus dividere: sed, coacto conventu capitulari, ex octo Canonicis, sex interfuerunt, quorum quatuor, qui Iuniores erant et nondum ad Sacerdotalem dignitatem evecti, pro divisione votum dederunt; Seniores autem acriter pugnarunt contra divisionem, quin obesset, quod maior Capituli pars divisionem probaverit, quia Canonici assentientes erant novissimi et Sacerdotali dignitate carebant, ita ut pluris existimari deberent Seniorum et Sacerdotum consilia, ut plurimum longe prudentiora. Iniustam insuper clamarunt esse Capitularem resolutionem, utpote Decreto Apostolici Visitatoris, Capituli Constitutionibus trium pene seculorum observantiae et ipsis Concilii Tridentini nec non piorum Testatorum legibus repugnantem. Nam ob id ex piorum Testatorum voluntate Massa communis fuerat adaucta, ut frequentiori assistentiae divinis officiis tamquam praemium esse deberet. Iuniores autem Canonici multa protulerunt, ut ostenderent resolutionis capitularis iustitiam, quin obstaret exceptio desumpta tum ex defectu potestatis, tum ex asserto decremento servitii Ecclesiae. Namque Massa communis non fuerat statuta per Bullam Pontificiam, verum pedisseque ad Decreta Visitatoris Apostolici auctoritate Ordinarii mediante Decreto Praesulis Hieronymi Cesii Narniensis Episcopi: hinc merito maior Capituli pars divisionem ob Capituli et Ecclesiae utilitatem decrevit; ac, ea sequuta, remanebant adhuc in Massa Capitulari plura bona, quae commodam non patiebantur divisionem. Episcopus Canonicis iunioribus favit hisce verbis: – Si in actu divisionis per Peritos liquidaretur quantitas fructuum iuxta praesentem statum bonorum quotannis percipienda, ac in divisione cuilibet ex Canonicis imponeretur onus eam contribuendi in Massa communi ad hoc, ut in fine anni una cum reditu bonorum indivisorum aequaliter inter Canonicos iuxta maiorem vel minorem frequentiam in choro fieret distributio –. Hinc putavit Episcopus, – quod distributionum quotidianarum quantitas non solum nullam pateretur diminutionem, verum etiam augeretur –.

31. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus divisioni Massae communis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Narnien. Divisionis die 20 Decembris 1817.*

32. Hinc ex Massa communi non sunt separandi census et assignandi certis fundationibus, et praedia ad Mensam Capitularem, si obstet consuetudo et Decretum Sacrae Congregationis nec non timeatur, ne Capitulum detrimentum capiat *in Gerunden. die 19 Iunii 1802.*

33. Enimvero ab eo tempore, cuius nulla extabat memoria, in Capitulo Cathedralis Gerundensis paullatim coaluit Massa, cuius reditus partim erogabantur in distributiones quotidianas, quae Capitularibus residentibus obveniebant, partim in Anniversaria et Missas: sed reditus huiusmodi, qui in Missas et Anniversaria erogabantur, quique in censibus consistebant, alii pertinebant ad certas fundationes, de quibus constabat unde derivarent et quae onera praeseferrent; alii erant prorsus incerti, et eorum origo adnexaque onera omnino latebant. Hoc certum erat, quod sequioribus temporibus Massa tulit diminutionem: hinc Missae et Anniversaria inadimpleta fuerunt, hinc Capitulares creditores erant nomine distributionum pro mensibus triginta sex. Quare Procuratores Massae anno 1738 deprecati sunt a Sacra Congregatione onerum reductionem, simulque ut constitueretur norma, qua ex Massa et distributiones consequi, et Missae atque Anniversaria celebrari possent. Sacra Congregatio die 22 septembris 1742 rescripsit: – In omnibus iuxta votum Emi Relatoris (1) –. Inde pro temporum conditione cum incommodum videretur inire quotannis fructuum computationem et aestimationem pretii, et ad eius rationem constituere onera, ut statuebatur in capite tertio Voti Emi Belluga; hinc Procuratores Massae postularunt, ut singulis certis conditionibus assignarentur tot census, loco eorum fundorum, qui olim a Procuratoribus Massae comparati fuerant, et eorumdem censuum reditus celebrationi Missarum cederent. Episcopus Gerundensis petitioni favit. Hoc igitur unum quaerebatur, utrum ex Massa communi separandi essent census et assignandi certis fundationibus, ita ut hac expleta separatione census pertinerent ad fundationes, et praedia et possessiones ad Massam Capitularem. Huic separationi obstare tamen videbatur consuetudo, ex qua semper in communi Massa cumulati fuerunt reditus tum ad Capitulum, tum ad fundationes spectantes. Obstabat pariter Decretum Sacrae Congregationis anni 1742, quo probata erat communis Massa et administratio. Tandem ex separatione timendum erat, ne Capitulum detrimentum caperet.

34. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus assignationi censuum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Gerunden. die 19 Iunii 1802.*

35. Unde si Capitulum communem omnium bonorum ac fructuum Massam in distinctas ac separatas portiones dividere suamque unicuique Capitulari assignare censuerit, sed exin ob laesionem a nonnullis passam iterum, maiori praesentium parte annuente, mandavit, conferri in Massam communem portiones omnes, servanda est huiusmodi resolutio capitularis cum restitutione fructuum supra aequalitatem acceptorum, et quoad deteriorationes vel meliorationes bonorum necnon respectiva damna et commoda, Ordinarius pro-

(1) Votum Eminentissimi Bellugae sex constabat capitibus, scilicet primo, – ut quoad reditus certos onera, quae a Fundatoribus imposita sunt, exacte impleantur: quod si ista maiora sint reditibus, tum Episcopus deveniat ad reductionem; secundo, ut non fiant in posterum nova investimenta, nisi accedente Episcopi licentia, aliter nulla sint, et Administratores teneantur de proprio Massam reintegrare; tertio, ut quolibet anno imponatur pretium fructibus, qui inter Praebendatos dividentur, et ad eorum rationem et pretii stabiliti assignentur quoque onera correspondentia; quarto, ut ex reditibus incertis desumatur id, quod Episcopus necessarium iudicabit pro augmento distributionum: ne autem ex hoc detrimentum proveniat animabus Fundatorum, Anniversaria supprimenda erunt, et id quod remanet, detractis distributionibus et extraordinariis expensis, erogetur in celebrationem tot Missarum lectarum ad rationem stipendii manualis; quinto, ut suspendantur Missae, quae ex incertis reditibus celebrandae sunt, donec Praebendati reintegrentur pro eorum creditis, cum exacte onera adimpleverint, licet tantam diminutionem sustinuerint; sexto, ut Missae, quae usque adhuc non sunt celebratae, adimpleantur ad rationem manualis stipendii, exacte quidem si reditus sint certi, et si incerti sint, iuxta numerum ab Episcopo determinandum –.

cedere debet prout de iure *in Bisinianen. die 2 Decembris 1741 et die 2 Iunii 1742.*

36. Iamvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Bisinianensis constabat ex quadraginta Sacerdotibus, quorum aliqui Dignitates, plures Canonici, quidam Parochi, et reliqui simplices Presbiteri participantes nuncupabantur: sub annum 1720 providum esse consilium duxit, communem bonorum omnium ac fructuum Massam, cuius cura et administratio antea consueverat binis Procuratoribus ex coetu Capitularium quolibet anno selectis tradi, in quadraginta distinctas ac separatas portiones dividere suamque unicuique Capitulari assignare; at anno 1728 nonnullis ex iisdem Capitularibus de propria portione longe aliis portionibus inferiore conquerentibus, convocatum fuit Capitulum et iuxta sententiam maioris in eo praesentium partis capta fuit resolutio conferendi iterum in Massam communem portiones omnes, quae denuo deberent in posterum per binos Procuratores capitulares administrari. Non arrisit aliquibus ex dicto Capitularium Collegio, pinguiorem forte portionem possidentibus, recentior haec resolutio, a cuius proinde executione, ob appellationem, quam iidem interiecerunt, oportuit supersedere usque ad annum 1740, quo unus supra viginti ex praedictis quadraginta Capitularibus in eamdem resolutionem convenientes, novo quodam Decreto iterum statuerunt, ut enunciatae portiones in Massam communem conferrentur. Ipsi enim validam iustamque propugnarunt resolutionem anno 1728 captam, primo quia eadem resolutio a maiori Capitularium parte fuerat expleta cum interventu et assistentia Pro-Vicarii Martini; secundo quia eam subinde approbavit Episcopus pluresque alii Capitulares ratam habuerunt; tertio quia conformis erat veteri praedictae Ecclesiae consuetudini ad annum usque 1720 pacifice servatae; et quarto demum quia per eam iustitiae consulebatur, dum laesio plurium Capitularium ex manifesta redituum inaequalitate proveniens submovebatur. Verumtamen reliqui Capitulares obstiterunt. Propositis tamen dubiis: – I. An bona Capituli sint communi nomine administranda, ita ut omnes eorum fructus et proventus poni debeant in communi Massa? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sint dividenda inter Participantes in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Bisinianen. die 2 Decembris 1741.*

37. Huic resolutioni haud acquiescentes Archidiaconus aliique Canonici ex novae audientiae beneficio ad examen bina ea dubia revocari obtinuerunt, quae propterea cum aliis pluribus inter ipsum Capitulum et Archidiaconum ceterosque in hac lite consortes postea excitatis ab EE. PP. decidenda se obtulerunt. Propositis itaque dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. II. An et a quo tempore sint restituendi fructus bonorum, de quibus agitur, supra aequalitatem accepti? III. An constet de deteriorationibus agrorum aliorumque bonorum Capituli? *Et quatenus Affirmative.* IV. An et ad quae damna deteriorantes teneantur? V. An constet de melioriationibus eorumdem bonorum Capituli? *Et quatenus affirmative.* VI. An et ad quorum commodum cedere debeant? VII. An Parochi Ecclesiae Cathedralis Bisinianensis teneantur residere intra confines propriae Parochiae? VIII. An iidem Parochi possint esse de gremio Capituli? *Et quatenus Affirmative.* IX. An Dignitates sint compatibiles cum Parochis? X. An Parochi in Capitulo possint habere vocem activam et passivam? XI. An Dignitatibus solemniter celebrantibus inservire debeant pro-Diacono et Subdiacono? XII. An primae Dignitati competat retentio clavis depositorum et archivii? XIII. An eadem prima Dignitas recognosci debeat tamquam chori Praefectus? XIV. An convocatio Capituli demandari debeat a prima Dignitate privative quoad alios? XV. An Dignitatibus et Canonicis debeantur portiones lucrativae et onerosae? XVI. An Canonicatuum erectio facta de anno 1710 sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, restituendos esse a die hodiernae resolutionis. Ad tertium quartum quintum et sextum ad Ordinarium, qui procedat prout de iure. In reliquis, dilata; et scribatur Episcopo, qui, auditis Partibus, referat cum suo voto – *in Bisinianen. die 2 Iunii 1742.*

38. Idcirco multo magis bona Capituli divisa inter Canonicos et Dignitates possunt reduci in communi, si integrum Capitulum con-

sensum praestet *in Castren. die 12 Iulii 1631.*

Item *in Ostunen. die 13 Septembris 1631 lib. 14 Decretorum pag. 467 et 513.*

39. Amplia, etiamsi Fundator singulas constituerit Praebendas: quoties enim eo pergit Praebendarum ad Massam communem reductio, ut demum divino Ecclesiaeque servitio satius consulatur, magis haec voluntatis declaratio, quam commutatio definitur, ceu ad rem Rota in decis. 14 tit. 22 de legatis et fideicommissis coram Falconerio *in Maceraten. Massae Communis die 28 Maii 1785* §. *Observandum.*

40. Concurrentibus propterea et Patroni postulatione et Mansionariorum Capitulique consensibus et Ordinarii suffragio, indulgetur reductio Praebendarum in Massam communem; his enim in terminis proposito dubio: – An sit annuendum reductioni Praebendarum ad Massam communem in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo – *in Maceraten. Massae communis die 9 Iulii 1785.*

41. Quod si necessitas et utilitas urgeat, indulgetur unio et partitio bonorum aequaliter inter Canonicos, quin tamen unio Capellaniae et reductio Missarum indulgeatur *in Derthonen. die 16 Iunii 1827 et die 11 Martii 1843.*

42. Siquidem Archipresbiter et Canonici Parochialis Ecclesiae Oppidi Bronarum Missarum reductionem et praesentium bonorum novam partitionem fieri efflagitarunt, ut quilibet ex sex Canonicis aequalia subiret onera ac parem perciperet fructuum quantitatem. Episcopus in voto fuit, – ut repetita unio bonorum sex Praebendarum et eorumdem divisio in sex partes aequales tamquam medium commodius et fere unicum pro formatione cuiusque Praebendae indulgeri possit –. Proposito hinc dubio: – I. An et quomodo sit locus unioni et partitioni bonorum in casu etc. III. An et quomodo sit concedenda reductio Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, Negative; diviso aequaliter onere Missarum inter Canonicos – *in Derthonen. die 16 Iunii 1827.*

43. Capitulum inde exposuit, in praefata concessione nonnullos errores facti irrepsisse, ac praesertim quod renunciatus fuerit inter Canonicos D. Petrús Bazini, qui erat Capellanus tantum simplicis Beneficii seu Capellaniae S. Bartholomaei. Postularunt itaque Capitulares, ut Sacra Congregatio declararet, Capellaniam S. Bartholomaei comprehendi non debuisse in Rescripto anni 1827, atque fundum illi assignatum Praebendis Canonicalibus esse servandum, ac propterea ut largiretur Massae Capitulari, quae adhuc tenuis erat, reductis insimul ad unam Missam in singulos menses iis Missarum oneribus, quibus iam gravabatur. Propositis vero dubiis: – I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio sub die 16 iunii 1827 quoad Capellaniam S. Bartholomaei in casu? *Et quatenus ad secundam partem affirmative.* II. An et quomodo sit annuendum precibus Capituli quoad Capellaniae unionem et Missarum reductionem in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Negative in omnibus; et Episcopus curet provideri de novo Rectore Capellaniam ad tramites fundationis – *in Derthonen. die 11 Martii 1843.*

44. Qua de re si divisio et distributio portionum inter Canonicos seniores et iuniores, ex constitutionibus capitularibus et consuetudine inducta, evadat inaequalis, alia iusta ac aequior praescribitur *in Verulana Portionum canonicalium et electionis Cellerarii die 25 Ianuarii et die 19 Decembris 1744.*

45. Enimvero in insigni Collegiata Ecclesia S. Erasmi, quae Verulis est, consuetudo adesse dicebatur, qua portionum distributio ita fiebat: Periti fructus aestimabant singulis annis; Canonicus, qui id muneris habebat, in tot aequales partes fructus a Peritis aestimatos dividebat, factaque divisione, senior Canonicus, inde gradatim omnes, portionem suam eligebant. Hinc orta lis, petentibus Paulinio Cippitellio Fornella aliisque Canonicis iunioribus contra Abbatem aliosque Canonicos seniores, fructus omnes in unam Massam redigi, portiones aequales fieri et sorte atque urna unicuique portionem suam tribui. Nam aestimatio illa fructuum, quae a Peritis fiebat, et peraequatio illa portionum, quae fiebat a Canonico, non respondebat verae qualitati fructuum, qui percipiebantur. Seniores enim Canonici non statim eligebant, sed cum eis lubebat;

hinc erat, ut meliorem semper pinguioremque partem Senior eligeret, atque ita alii gradatim. Nam et Periti quandoque decipiebantur, cum aliud esset maturos fructus aestimare, aliud vero immaturos, et vis tempestatum et furta in causa essent, ut, quae initio et aestimationis tempore aequalis portio videbatur, fieret inde inaequalis, atque hinc iurgia et dissidia inter iuniores senioresque Canonicos, quae non alia ratione componi et comprimi debebant, nisi collatis in unam Massam unumque acervum fructibus omnibus, ut inde aequa fieret inter omnes distributio per sortem, ut docuit Moneta de distributionibus Cap. 1 quaest. 1 n. 10, et Rota in decis. 115 n. 20 part. 6 Recent., et decis. 384 part. 12 n. 20.

46. Propositis itaque dubiis: – I. An sit servanda praetensa consuetudo quoad divisionem et distributionem portionum canonicalium? *Et quatenus negative.* II. An nova sit introducenda methodus, et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, divisionem faciendam esse per Canonicos iuniores iuxta Constitutiones, extractionem vero statim per sortes et ad triennium – *in Verulana Portionum canonicalium et electionis Cellerarii die 25 Ianuarii 1744.*

47. Contra hanc definitionem audiri postularunt Abbas et seniores Canonici. Nam iidem contenderunt, Constitutiones capitulares et longissimam plusquam centenarii temporis consuetudinem, qua portionum canonicalium electio ipsis data erat, abrogari non posse, cum et Martini V nec non Eugenii IV Constitutionibus non obscure pateret, consuetudinem illam probatam et divisioni atque electioni modum et formam praestitutam fuisse, quae et amplius servanda foret, quod omnem respuebat inaequalitatem. Nam ob electionem a Senioribus faciendam diligentes esse debebant iuniores Canonici, et probe cavere sibi, ne partes essent inaequales; at contra portionum inaequalitas metuenda erat, si sorte et urna portiones a singulis acciperentur. His tamen non obstantibus, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 25 Ianuarii 1744 quoad primum et secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Verulana Portionum canonicalium die 19 Decembris 1744.*

48. Hinc valida fuit declarata divisio bonorum facta ab Episcopo inter Canonicos et Portionarios Ecclesiae Collegiatae vigore indulti concessi a S. Congregatione, ut quisque suam ratam bonificare valeret; propositis enim dubiis: – I. An divisio bonorum Ecclesiae Collegiatae loci Galatonae anno 1696 de ordine Sacrae Congregationis fuerit rite et recte facta et uti talis sustineatur? *Et quatenus negative.* II. An sit locus novae divisioni? III. An fructus percepti ab anno 1696 usque ad praesens debeant aequaliter dividi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Divisionem sustineri, et conficiatur instrumentum modis et formis praescriptis in Decreto – *in Neritonen. Beneplaciti die 15 Septembris 1703 lib. 53 Decretorum.*

49. Idcirco indulgetur unio Praebendarum in Massam communem nec non alienatio bonorum, ut acquiratur unus fundus, cum ea sint disiuncta et in frustula divisa atque in solo sterili posita *in Amerina Massae communis et alienationis die 25 Ianuarii 1806.*

50. Iamvero Beneficiati chorales Cathedralis Ecclesiae Amerinae exiguum habebant reditum: et praecipua huius exigui reditus ea erat causa, quod bona, quae pertinebant ad Beneficia, disiuncta erant et in frustula divisa atque in sterili solo posita, ut culturae vel subiici non possent, vel aegre possent ob Colonorum defectum. Postularunt itaque, ut divisas Praebendas in Massam unirent, simulque obtinerent facultatem alienandi omnia bona, ut ex retrahendo pretio unum acquirerent praedium in contiguo territorio Pinnae, cuius nomen *Penna vecchia.* Vicarius Capitularis utrumque valde utile censuit ac ostendit. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo permitti possit unio Praebendarum in Massam communem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit permittenda alienatio in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, attento consensu interesse habentium, Affirmative iuxta votum Vicarii Capitularis. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Vicarii Capitularis, et cum solitis clausulis, dummodo eodem contextu fiant emptio venditio – *in Amerina Massae Communis et Alienationis die 25 Ianuarii 1806.*

51. Qua de re cum in Ecclesia Collegiata duae extent Massae, quarum altera iam ad inopiam redacta pertinet ad Canonicos unius Fundatoris, altera ad alios Canonicos respectivi Fundatoris reditibus mirifice aucta spectat, Sacra Congregatio, attento unanimi omnium Canonicorum assensu nec non Ecclesiae et Populi utilitate, nedum indulget earum iurium et privilegiorum communionem, taxata uniuscuiusque Canonici Praebenda in scutis sexaginta, sed et erectionem Capellaniae translationem Missarum et suspensionem collationis dotium *in Eugubina die 21 Februarii 1835.*

52. Siquidem extabat Eugubii insignis Ecclesia Collegiata sub invocatione S. Christinae unica Dignitate et septem Canonicis constans, quorum quinque una cum Dignitate pertinebant ad Massam *Cristini,* reliqui ad Massam *Triangoli.* Quum Cristiniani Canonici rei suae administrationem prope viderent labefactatam, Canonici vero Triangoli suam viderent mirifice auctam, spesque affulgeret, magis in dies auctum iri; et tam primi, quam secundi magis Ecclesiae et Populi, quam proprii studerent utilitati, hinc fuit quod preces communi unanimique consensu Sacrae Congregationi porrexerint, quibus enixe flagitarunt: 1°. communionem iurium ac privilegiorum, adeo ut utriusque Massae Canonici haberentur eodem modo, ac si essent ab uno eodemque Fundatore instituti; 2°. coniunctionem omnium bonorum utriusque Massae, exceptis legatis Ronconi et Damiani, quae specialiter Priori pro tempore relicta fuerunt; 3°. Praebendarum taxationem ad annua scuta sexaginta, addita sexta parte Priorali Praebendae; 4°. Capellaniae erectionem cum onere Missae circa meridiem celebrandae singulis festis diebus de praecepto, comprehensis etiam iis diebus, quae a s. m. Pio VI ab obligatione audiendi Sacrum immunes factae sunt, coniunctis ad hoc aliquot, quae in Collegiata habebantur, Missarum legatis et Anniversariis sine ulla Sacrificiorum imminutione; 5°. translationem ad Aedem Collegiatam Anniversarii Missarum triginta, quod Ioannes Cristini Patribus Conventualibus legaverat hac sub conditione, ut Missae intra anni curriculum celebrarentur; 6°. tandem suspensionem earum dotium Triangoli et Cristini, quae in Collegiatam reversurae erant; quia Puellae, quibus collatae fuerant, aetatem annorum triginta excesserunt ad hoc, ut in primis aes alienum Massae Cristini persolveretur, et fundus deinde compararetur, cuius reditibus possent iterum dotes a Cristino indictae distribui. Episcopus summopere Canonicorum instantiam commendavit.

53. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Canonicorum S. Christinae quoad iurium ac Massarum communionem et quoad Praebendarum taxationem in casu etc. II. An et quomodo concedenda sit Capellaniae erectio in casu etc. III. An et quomodo concedenda sit Missarum translatio in casu etc. IV. An et quomodo concedenda sit suspensio colationis dotium in casu etc. –, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta petita et iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad tertium, Affirmative celebratis sex Missis in die anniversaria obitus Testatoris. Ad quartum, Affirmative usque ad debiti extinctionem et novi fundi comparationem, reddita quotannis Episcopo ratione, facto in omnibus verbo cum Sanctissimo – *in Eugubina die 21 Februarii 1835.*

54. Quod si iusta non extet causa, nequaquam indulgetur unio Praebendarum Canonicalium in Massam Praebendalem *in Vasionen. die 22 Novembris 1738.*

55. Iamvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Vasionensis, cum quatuor Dignitatibus et sex dumtaxat Canonicis constaret, exposuit, quod tanta esset inaequalitas inter eorum Praebendas, ut una non excederet fructus annuos scutorum decem monetae Galliae, altera septemdecim et altera viginti quinque scutorum dictae monetae ita quod, computatis distributionibus et anniversariorum proventibus et aliis quibuscumque emolumentis, annui reditus non excederent summam 62 scutorum monetae Gallicae, una solum excepta, quae alias quinque in annuo reditu longe excedebat: quod si omnes dictae Ecclesiae Praebendae in Massam communem reducerentur, exinde decori illius Ecclesiae et cultui divino non solum opportune consuleretur, sed et congruae substentationi singulorum provisum foret, quodque proinde capitulariter congregati Canonici inter se statuerunt, ut omnes

Praebendae in contingentibus in futurum earum vacationibus reducerentur conflata ex iisdem omnibus Massa communi, ut sic nulli viventium accederet praeiudicium; Sanctitatem suam exoraverunt, quatenus Ordinario Vasionensi committere et mandare dignaretur, ut, veris existentibus narratis et si sibi expediens videretur, Praebendas praedictas in Massam communem reducerent, cum facultatibus necessariis et opportunis. At Ioannes Baptista de Guiramand, cuius Praebenda annua scuta 160 reddebat, acriter obstitit. Episcopus vero censuit, quod – petita reductio nihil nocet praedicto Canonico de Guiramand, cum reditus suae Praebendae integre percipiet ipse per totam vitam, ut percipere solebat; reductio enim non debet habere locum, nisi post vacationem Praebendarum –. Proposito tamen dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro concessione unionis Praebendarum canonicalium in Massam Praebendalem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et ad mentem – *in Vasionen. die 22 Novembris 1738.*

56. Quapropter, iusta exulante causa, non est locus erectioni Praebendarum in Massam communem, etiamsi maxima inter Canonicos adesse videatur inaequalitas redituum *in Capuana Massae communis die 19 Decembris 1750.*

57. Siquidem Capuanae Metropolitanae Ecclesiae Capitulum quadraginta constabat Canonicis, quorum viginti, ipso etiam numerato Archiepiscopo, in ordine Praesbiterali erant, reliqui viginti in ordine Diaconali. Par omnes Ecclesiae servitium praestabant: impares tamen reditus erant; demptis enim Praebendis Presbiterorum, qui Congregationem octo Canonicorum constituebant, reliquae quaedam mediocres, quaedam tenues erant, unusquisque ex Presbiteris nullam habebat Praebendam. Longe maior erat inter Diaconos inaequalitas, quorum Praebendae, paucis exceptis, tenuissimae erant, et quatuor ex ipsis erant sine Praebenda. Eadem inaequalitas erat in distributionibus communium redituum; nam duae partes Presbiteris, tertia Diaconis praestabantur. Hinc erat, ut, qui nullam habebant Praebendam, nullos haberent reditus. Qua de re vilescebat omnium decor, collatis Canonicatibus Personis ignobilibus, cum nullus esset, qui eos vellet: hinc dissidia perpetua a Diaconis, qui Praebendas inhiabant Presbiterales. Huic malo atque incommodis ut prospiceretur, in Capitulo habito die 1 Martii 1749 statutum fuit, ut una ex universis reditibus fieret Massa communis, aequaliter inter omnes Canonicos distribuenda, servata tamen maiori quadam et congrua proportione distributionis inter Dignitates et Presbiteros, et sine ullo interim viventium detrimento. Canonici Congregationis *degli otto,* licet consensum Massae communi praestitissent, contra eam tamen preces obtulerunt Sacrae Congregationi. Coacto igitur Capitulo die 7 septembris eodem anno 1749, cui affuerunt viginti et octo Canonici, omnes, duobus exceptis, methodum illam probarunt. Vicarius Generalis, qui unus erat Congregationis *degli otto,* obstitit Massae communi pluribus rationibus, quibus seorsim Canonici responderunt.

58. Propositis autem dubiis: – I. An sit locus approbationi Resolutionum capitularium super erectione Praebendarum in Massam communem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An eadem Massa communis sit exequenda iuxta methodum a Capitulo praescriptam, sive alio modo praescribendam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Capuana Massae communis die 19 Decembris 1750.*

59. Unde licet non modo sit inaequalitas Praebendarum cum aequali chori servitio, sed et ab ipsa institutione bona communiter fuerint possessa, non propterea conficienda est Massa communis, quum praesertim et alii Canonicatus inde accesserint cum respectivis ac distinctis Praebendis, nec non maxima Capituli pars confectioni Massae omnino repugnet *in Nullius Trium Fontium Massae capitularis die 4 Februarii 1804.*

60. Enimvero Capitulum Collegiatae Ecclesiae Pontiani constabat Archipresbitero et sex Canonicis, qui originem ducebant ex triplici distinctaque fundatione. Nam Card. Alexander Farnesius anno 1577 Collegiatam erexit cum Archipresbitero et duobus Canonicis Massam communem habentibus, qui tamen sub initio praeteriti seculi, divisa communi Massa, Praebendam sibi constituerunt suo lubitu administrandam. Duo alii Canonicatus accesserunt ex fundatione de Alexandris, iti-

demque duo ex fundatione de Dominis, omnes separatas quoque possidebant Praebendas. Preces inde nomine Capituli oblatae fuerunt S. Congregationi, quibus postulabatur, ut ex singulis Praebendis Massa communis efformaretur, cuius reditus aeque inter omnes Capitulares dispertiretur. Sed Emus Abbas, cui preces delegatae fuere, Capitulum audivit, cuius maxima pars negavit, se preces exhibuisse, et confectioni Massae omnino repugnavit, quia utilior praesumenda erat separata administratio et legitima auctoritate inducta, dum a communi Massa recesserunt veteres Canonici, minime contradicentibus Abbatibus; et quia nova Beneficia erant iurispatronatus et suos habebant ex fundatione peculiares fundos. Nihilominus idem Emus Abbas utilem censuit ac iustam Massam communem, ut omnes Canonici aequale ex eodem unius eiusdem Ecclesiae servitio emolumentum acciperent. - Nam modo aliqui satis pingue obtinent, aliqui vero valde exiguum et labori et necessariis vitae subsidium longe impar consequuntur -. Vicarius Abbatialis narravit, ex divisione evenisse Praebendarum deteriorationem, quia exortis litibus, ut quisque sumptibus parceret, iura Praebendae suae deseruit.

61. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit conficienda Massa communis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Nullius Trium Fontium Massae capitularis die 4 Februarii 1804.*

62. Qua de re etiamsi primis Ecclesiae temporibus constans fuerit apud Ecclesiae Ministros bonorum communio, pluribus tamen ab hinc seculis ab huiusmodi instituto Ecclesia ipsa recessit; nam primis temporibus singularum unio facultatum prorsus erat necessaria, eo quod Canonici claustralem vitam degebant, haec iamdiu evanuit, et quilibet Canonicus ab alio seorsim vitam ducit; hinc unio illa, quae prius requirebatur omnino, inde amplius non proderat *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Etiamsi.*

63. Hinc postea invecta est Praebendarum divisio, quae a Sacro Concilio Tridentino sess. 5 cap. 1 de reformatione non improbatur *in Verulana Divisionis Massae Capitularis die 1 Martii 1817* §. *Petitioni.*

64. Idcirco nunc communis Massae capitularis concedi solet divisio in Praebendas, si adsit Ecclesiae utilitas *in Verulana Divisionis Massae capitularis die 1 Martii 1817* §. *Attamen.*

65. Quin imo etiamsi Fundatorum voluntas et iuris dispositiones obsisterent, ubi tamen de vera necessitate ac evidenti divisionis bonorum utilitate constet, non denegatur Apostolicae sanctionis auctoritas *in Monopolitana Divisionis bonorum ac Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *At.*

66. Quapropter permittitur divisio Massae communis in singulos Canonicos, si agri inter se longe dissiti in uberiorem statum redigi valeant, non indulgetur vero venditio pecoris fundis addicti et frumenti pro satione reservati ad expensas divisionis sustinendas, ac multo minus divisio bonorum ad legatum particulare pertinentium *in Firmana die 11 Iulii 1801 et die 14 Decembris 1805.*

67. Nam firmum in iure est, in quibuslibet Ecclesiae facultatibus eiusdem utilitatem semper spectandam fore, ut apertissime colligitur ex Constitutione S. Leonis Magni in Can. *Sine exceptione* 12 quaest. 2, ex Cap. *Tua* de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli, Cap. 1 de rebus Ecclesiae non alienandis, Clementina 1 eod. tit. *in Firmana die 11 Iulii 1801* §. *Etiamsi.*

68. Siquidem reditus universi Collegiatae Ecclesiae Oppidi Montis Ulmi ab eius institutione anni 1763 in communem congerebantur Massam ac lege fundationis ita dividebantur, ut Archidiaconus, servata proportione centum, Canonicus quilibet quadraginta, viginti Beneficiatus perciperet. At huiusmodi reditus ex quibusdam percipiebantur agris, qui, cum inter se longe dissiti iacerent et natura essent steriles, parvos tenuesque dabant fructus. Nam saepe saepius nonnulli Canonici impensas suppeditare respuebant, quae necessariae videbantur pro praediis in uberiorem statum redigendis. Idcirco huiusmodi bonorum Ecclesiae detrimento consulentes privataeque utilitati prospicientes, singuli Capitulares unanimiter cunctis suffragiis in scriptis datis in hanc devenerunt sententiam, ut S. Sedis potestate omnia rustica Mensae bona inter ipsos dividerentur, ea quantitate unicuique tributa, quae ratae fructuum eousque perceptorum responderet, re-

lictis interim indivisis duobus praediis nec non fructibus ex activis censibus, ut cerae aliisque expensis Sacristiae consulerent. Archiepiscopus censuit, Canonicorum votis indulgendum esse, ut divisa a Peritis praedia per sortes assignarentur, relicta vero pro annuis oneribus satisfaciendis peculiari Massa, ex eo etiam quod praefatae Ecclesiae Constitutiones petitae non adversarentur divisioni. Quoad autem distributiones Archiepiscopus addidit: – Ne istae per novam methodum fortasse imminuantur, vellem, ut si ex bonis, quae non sunt indivisa, non supersint tot fructus, detractis oneribus, qui respondeant iulio uni per singulos dies singulisque Canonicis (in qua summa nunc calculatur quotidie distributio), supplementum praestet aere suo quisque Capitularis, qui in fallentias prolabatur –. Petitae Massae communis divisioni adversari quidem Ecclesiae vetustati eiusque primaevis institutis videbatur, sed in themate omni procul dubio aderat eiusdem Ecclesiae utilitas. Posita enim huiusmodi divisione, consequens erat, ut quilibet Canonicus diligenti cura Praebendae suae praedia administraret.

69. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit locus divisioni Massae communis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, retento in Massa communi aliquo ulteriori fundo, arbitrio et conscientiae eiusdem Archiepiscopi, pro distributionibus quotidianis aliisque expensis – *in Firmana die 11 Iulii 1801.*

70. At quoniam pro explenda divisione necessaria erat impensa scutorum bis centum, et praeterea quatuor centum pro constructione unius alteriusque domus ruralis, postulavit idcirco Capitulum, ut liceret sibi vendere pecus huiusmodi fundis addictum et frumentum pro satione reservatum. Nam facta divisione, quisque Canonicus portionem suam coleret et necessarium pecus et semen compararet. Postulavit etiam Capitulum, ut una cum reliquis fundis Massae communis dividerentur quoque bona, quae pertinebant ad legatum Nobili. Nam Praepositus Stephanus Nobili testamento suo anni 1778 praeceperat, ut ex bonis suis investimentum conficeretur scutorum 3500, cuius fructus erogarentur in stipendium annuum scutorum septuaginta pro manutentione Magistri Capellae, qui organum pulsaret et duos adolescentulos in cantu erudiret, et praeterea scuta quadraginta darentur quotannis Seminario, ut duo Iuvenes instituerentur; et quidquid superesset in capsa deponeretur, ut Capitulum, cum aliqua urgeret necessitas, eo uti ac frui posset. Advertebatur vero, quod si praefata alienatio utilis esset singulis Canonicis, damnosa erat quidem certe Capitulo: et quoad divisionem bonorum legati Nobili, necessaria fuisset commutatio voluntatis Testatoris, qui voluit, ut separatim a Massa administrarentur, nec Canonicorum privatae utilitati, sed urgente necessitate Capitulo dumtaxat destinavit fructus superextantes, post adimpleta legata. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo faciendae sint expensae pro divisione Massae communis et constructione domorum ruralium in casu etc. II. An et quomodo in divisione Massae comprehendi debeant bona spectantia ad legatum Nobili in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative in omnibus – *in Firmana die 14 Decembris 1805.*

71. Qua de re indulgetur divisio Massae communis in Praebendas, si praedia meliorentur, non parum utilitatis obtineat Ecclesia, et iurgia ac dissentiones removeantur, excepta tamen tertia parte bonorum arbitrio Episcopi adsignanda pro Massa distributionum ad formam S. Concilii Tridentini *in Verulana Divisionis Massae capitularis die 29 Martii 1817.*

72. Enimvero ex simplicium Beneficiorum unione et trium Ecclesiarum parochialium redituum applicatione coalescebat Massa capitularis Collegiatae Ecclesiae Oppidi S. Ioannis, quae ex Bulla erectionis communiter administrabatur, et fructus in singulos Canonicos annuatim dispertiebantur. Quum ex octo Canonicis tres essent Animarum curae addicti, idcirco a procurandis communibus negotiis erant exempti; non deerant inter alios quinque, vel impares, vel impotentes, unde continuo in uno vel altero tantum residebat administratio, quae, ut experientia compertum erat, nec laudabilis, nec ipsi Capitulo utilis evadebat. Quare Canonici omnes, sub-

scriptis precibus, postularunt, ut Massa, pro Canonicorum numero, in Praebendas dividerétur. Episcopus petitioni favebat: – Bona enim Massae communis commodam patiuntur divisionem, si tot constituerentur Praebendae singulis administrandae Canonicis, qui propriis impensis vel alieno labore illas excolant, atque uniuscuiusque ex participantium vigilantia praedia meliorentur, non parum utilitatis obtineret Ecclesia, et iurgia ac dissentiones removerentur –. Proposito hinc dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro divisione Massae communis in Praebendas in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, excepta tertia parte bonorum arbitrio Episcopi assignanda pro Massa distributionum ad formam S. Concilii Tridentini - *in Verulana Divisionis Massae capitularis die 29 Martii 1817.*

73. Hinc maior Capituli pars novam melioremque methodum dividendi communes reditus inducere potest, quin obstet Canonici absentis reclamatio, cum publice per affixionem vocatus fuerit ac eiusdem Coadiutor suffragium tulerit *in Signina die 13 septembris 1806.*

74. Enimvero possidebat Capitulum Signiae tria fructuosa latifundia, quae olim Canonici vel integros locabant, vel inter plures dividebant Colonos: sed cum id saepe iurgia inter ipsos afferret, ob neglectam bonorum culturam defraudatosque fructus, hinc iidem, suadente Episcopo, unanimiter novam culturae colligendorumque fructuum methodum statuerunt anno 1784 et 1788; scilicet ut quolibet anno, quo latifundia subiicebantur aratro, certis portionibus inter Canonicos arbitrio sortis dispertirentur hisce impositis conditionibus, ut quisque Canonicus obtentam sorte portionem proprio sumptu coleret vel colono traderet, ut Capituli Ministro, cui ex proprio munere nomen *Quarterino*, repraesentaretur portio dominicalis sive quarta totius messis pars ab illo in horreum Capituli adsportanda, atque statis temporibus aequisque partibus inter universos Canonicos, demptis tamen singulorum punctaturis, dividenda; tandem nec in eam, quam quisque Canonicus sortitus esset portionem, caiquam frumentum turcicum serere liceret. Quod postremum cum procedente tempore contemni cepisset, nova edita resolutione anno 1788, gravius iniunctum fuit Canonicis, ne in secundo culturae anno praeter fabas vel frumentum in acceptis latifundiorum portionibus alias segetes ingerere potuissent, secus si facerent portionem dominicalem fabarum vel frumenti iudicio Peritorum taxandam repraesentare tenerentur. Haec observata iugiter fuerunt ad annum usque 1803, quo die 3 augusti coacto per affixionem Capitulo cautum fuit, ut – ad evitandas fraudes quisque Canonicorum faciat in proprium reducere horreum totum id frumenti aliarumque praemissarum segetum, quod de supradictis terrenorum portionibus recolligeretur, dando tamen Camerario capitulari notulam exactam quantitatis segetum recollectarum ad effectum extrahendi et conficiendi accuratam punctaturam –. Quatuordecim erant Canonici, quibus haec proposita fuit deliberatio, eaque a novem secretis suffragii scita fuit, refragantibus reliquis quinque. Inter Canonicos suffragantes erat Canonicus Aloisius Massari Coadiutor Canonici Laurentii Gentili, sed ipse Laurentius Gentili non aderat. Idcirco nullam edixit resolutionem praedictam, cum ageretur de re, quae singulorum interesse respiciebat; hoc enim in casu ab omnibus approbari debebat. Negavit etiam, quod ex nova lege occurreretur iis incommodis, quae ex veteri provenire dicebantur. Illud etiam accedebat, quod esset contra iuris dispositionem, ut, nova hac servata methodo, communes fructus non amplius in unum acervum coalescerent, sed divisi forent in totidem portiones, quod sane repugnabat iuris dispositioni, quae praescribit, ut fructus Canonicatuum, qui ad communem Mensam pertinent, in Massam conferantur, ut aequa fiat inter omnes distributio. Capitulum contra sustinuit, sibi esse potestatem condendi leges quoad ea, quae regimen respiciunt et administrationem rerum, quae ad universum Capitulum pertinent. Unde veteres etiam leges poterat abrogare et temporibus accommodare; simulque ostendit, quod nova lex meliorem rerum Capituli procurationem induceret. Idcirco validam illam censuit, quae a maiori parte Capituli facta erat, quin obesset absentia Canonici Gentili, quia publice per affixionem vocatus fuerat; ac praesens

extiterat eiusdem Coadiutor, qui vocem ac votum in Capitulo habebat.

75. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit exequenda, seu potius revocanda resolutio capitularis diei 3 augusti 1803 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Signina die 13 Septembris 1806.*

76. Unde si Capitulum illegitime bona Sacrarii possederit ac Missas in Cathedralem transtulerit ad litium et dissidiorum periculum avertendum, Sacra Congregatio probavit conventionem ab Episcopo propositam, nec non translationem Missarum ac absolutionem et condonationem indulsit, quin Episcopus praepedire posset liberam Capituli facultatem eligendi Sacristam, ipsi tamen ius est exigendi ab eo rationem administrationis ad tramites Concilii Tridentini *in Suessana Bonorum die 17 Decembris 1852.*

77. Siquidem anno 1607 suppressa fuit Paraecia S. Matthaei Civitatis Suessanae, eiusque bona – in usum utilitatem et beneficium Sacristiae Cathedralis Ecclesiae conversa sunt, cum onere nihilominus ex fructibus et reditibus supradictis per idoneum Ecclesiae Ministrum Missae Sacrificium in praefata Ecclesia S. Matthaei celebrandi, ac de paramentis et instrumentis ad id necessariis providendi, nec non totam illam quantitatem cerae, quae in dies erit necessaria pro Missis Conventualibus et divinis Officiis in ipsamet Cathedrali Ecclesia celebrandis, et item incensum ad divinum cultum quomodolibet necessarium ac etiam candelas omnes benedicendas in die Purificationis B. Virginis omni anno, Capitularibus ac singulis Ecclesiae Ministris et Clericis aliisque Christifidelibus distribuendas comparandi –. At vero isthaec bona usque ab anno 1633 a Capitulo eiusdem Cathedralis possidebantur, quod in more habuit annuam rependendi Sacrario pensionem quandoque in summa ducatorum viginti supra centum, quandoque in summa ducatorum sexaginta quoad fundum *li prati di S. Matteo;* quo vero ad reliquos duos fundos decem mensuras seu *tomola* frumenti. Insuper Canonici ab anno 1760 Missam in suppressa Paraecia celebrandam, nulla accedente auctoritate, ad Cathedralem transtulerunt, et stipendium a fabrica Ecclesiae perceperunt. Episcopus censuit, nulla ratione ferendam ulterius esse eiusmodi iurium confusionem ac abusionem; cupiens tamen Capituli conditioni, quo melius fieri possit, prospicere, conventionem proposuit (1). Censuit etiam Episcopus, Capitulum non posse nominare Sacristam, nisi eiusdem Episcopi accederet licentia, cui ratio administrationi reddi deberet. Ne dubium autem, quod Capitulum nullo iure potiretur possidendi praefata bona, cum ineluctabilibus documentis resultaret Sacrarii proprietas. Concedenda tamen videbatur absolutio et condonatio quoad praeteritum, cum in bona versaretur fide. Hinc conventio ab Episcopo proposita probanda videbatur, ut dissidiorum et litium periculum averteretur. Probanda pariter videbatur Missarum translatio, cum in praefata Ecclesia S. Matthaei consultum maneret per divina Officia, quae a Sodalitio ibidem procurabatur. Episcopus vero ius quidem habebat quoad redditionem rationis administrationis, sed praepedire non poterat libertatem Capituli eligendi Sacristam.

78. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de legitima Capituli possessione quoad bona Sacrarii in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad praeteritum in casu? III. An et quomodo sit approbanda conventio quoad dicta bona ab Episcopo proposita in casu? IV. An et quomodo sit servanda translatio Missarum ad Cathedralem in casu? V. An sint probandae conditiones ab Episcopo pro-

(1) Scilicet hisce verbis Episcopus Conventionem praedictam proposuit, – che li detti fondi, che ora sono allo stesso Capitolo intestati nella fondiaria continuino a stare come si trovano, e dando alla Sagrestia della Massa non solo li sei lati ducati sessanta per li prati di S. Matteo, ma altresì altri ducati cento dieci all'anno, rimanendo a beneficio del Capitolo stesso li rimanenti ducati cento dieci, con l'espressa condizione, che ove la medesima avesse bisogno di qualche aiuto maggiore per qualche circostanza straordinaria, nimirum solo quando per qualche tempesta o vecchiaia di telari vetri e tetti della Chiesa e Sagrestia avesse.o bisogno di qualche riattazione e rinnovazione, ed in tal caso il detto Capitolo dovrà contribuire ducati sessanta e nulla più nel detto bisogno straordinario, *reservata Episcopo pro tempore inappellabili facultate iudicandi super vera necessitate.* Pel grano poi *censuit,* che si continuassero a dare soli tomola dieci all'anno di grano buono –.

positae quoad Canonici Sacristae electionem ac rationem quotannis eidem Episcopo reddendam in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative in omnibus, iniuncto onere unius Missae cum cantu integro adstante Capitulo. Ad tertium, Affirmative in omnibus. Ad quartum, Affirmative in omnibus. Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ad tramites Concilii Tridentini sess. 22 cap. 9 de reformatione – *in Suessana Bonorum die 17 Decembris 1852.*

79. Ceterum ex centenaria et immemorabili consuetudine Capitulum percipere potest fructus Ecclesiarum parochialium in Diaecesi seu extra Cathedralem vacantium per integrum annum a die vacationis Massae communi applicandos, quoad fructus vero Parochialis, quae infra annum providetur de novo Parocho, Sacra Congregatio mandat, ut scribatur Episcopo pro nova informatione iuxta instructionem *in Illerden. die 25 Ianuarii 1727.*

80. Enimvero Episcopus Illerdensis S. Sedi exposuit, in sua Cathedrali irrepsisse quemdam antiquum abusum, iuxta quem alter ex Canonicis praedictae Ecclesiae, qui nuncupabatur *Vacentero,* locabat maiori oblatori pro integro anno bona et proventus pertinentes ad quamcumque Ecclesiam vacantem, licet celeriter eidem provideretur de idoneo Rectore, et auxilium auctoritatemque Apostolicam imploravit pro dicta prava consuetudiue eliminanda, remissisque a Sanctitate Sua precibus ad Sacram Congregationem, scriptum fuit Episcopo, ut terminum praefigeret Canonicis et Capitulo ad sua iura deducenda. Capitulum exposuit, se percipere fructus Ecclesiarum parochialium vacantium in Diaecesi per annum integrum, si vacatio sequeretur per obitum, et per annum dimidium, si vacatio sequeretur per resignationem ex causa permutationis, se curare adimplementum omnium onerum praedictis Parochialibus annexorum, se etiam nominare personam idoneam ab Episcopo approbandam, quae tempore praedicto animarum curam exerceret, et demum fructus applicari Massae distributionum quotidianarum, de quibus participabant Episcopus Canonici Beneficiati et alii interessentes horis canonicis ita tamen, ut per hoc non augerentur distributiones singulorum, sed tantum reditus praefati deservirent pro manutentione Massae communis praedictae, ne propter illius onera tam ordinaria, quam extraordinaria, iuxta varias temporum ac rerum vicissitudines, diminutionem paterentur. Promotor Fiscalis innitebatur dispositioni Textus in Cap. *Cum vos* de officio Ordinarii. Capitulum e contra innitebatur centenariae et immemorabili consuetudini, pro cuius iustificatione titulos etiam deduxit et contendit, posse alicui competere fructus Ecclesiarum vacantium ex privilegio vel praescripta consuetudine, uti probat Textus in Cap. *Tua nobis* de verborum significatione, in Cap. *Si propter* de rescriptis in sexto, in Cap. *Si praesenti* de officio Ordinarii in sexto.

81. Advertebatur tamen Causae momentum non consistere in antiquo iure Decretalium, quo attento, privilegia percipiendi fructus vacantes Ecclesiarum subsistere videbantur, sed in iure novo Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 17 de reformatione et in Constitutione 104 S. Pii V Bullar. tom. 2, quae fuit innovata a sa. me. Innocentio XII in sua Constitutione 51, in quibus derogatur statutis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Hinc solita maturitate ponderari debebat, an consuetudo vigens pro Capitulo Illerdensi, utpote directa ad commodum particulare Canonicorum, esset sub Decreto conciliari et Constitutionibus Apostolicis praedictis comprehensa, iuxta tradita per Garziam de Benef. part. 8 cap. 1 n. 90, et per Barbosam de Canonicis Cap. 15 n. 19, vel potius esset ab illis exempta, utpote respiciens augmentum cultus divini, iuxta individualiter firmata per Rotam decis. 320 n. 8 coram Mantica, et ex quo non respiciebat Canonicatus et Beneficia sita in ipsa Cathedrali Ecclesia, sed Parochiales, quae erant extra illam. Disputari siquidem poterat, an Piana Constitutio esset restricta ad Canonicatus tantum et Beneficia sita in ipsa Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, in ordine ad quae suspicio simoniae sive avaritiae sibi locum poterat vindicare, iuxta decis. 139 par. 2 divers., in qua favore Portioniariorum Ecclesiae Toletanae responsum fuit, non obstante praedicta Bulla Piana, tum ex quo perceptio respiciebat fructus Beneficii extra Cathedralem et Collegiatam Ecclesiam, tum ex quo perceptio

applicabatur distributionibus et sic manutentioni cultus divini.

82. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capitulo Illerdensi pertineat ius percipiendi fructus Ecclesiarum parochialium de tempore illarum vacationis in casu etc. II. An dictum ius percipiendi pertineat per integrum annum a die vacationis in casu etc. III. An idem ius pertineat etiam ubi infra annum Ecclesia parochialis provisa fuerit de novo Parocho in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative. Ad tertium, dilata; et scribatur Episcopo pro nova informatione iuxta instructionem – *in Illerden. die 25 Ianuarii 1727.*

83. Hinc et Massa capitularis Collegiatae Ecclesiae S. Agricolae communis quidem est inter Canonicos et Beneficiatos, sed administratio eiusdem spectat ad Canonicos, nec non distributio emolumentorum fieri debet iuxta solitum; propositis enim dubiis:– VI. An Massa capitularis sit communis inter Canonicos et Beneficiatos? *Et quatenus affirmative.* VII. An et quomodo communicatio computorum et exhibitio librorum in his, quae respiciunt Massam Capitularem sit facienda Beneficiatis? VIII. An Canonici administratores, qui pro tempore fuerunt ab anno 1720 usque ad annum 1727 restituere teneantur Massae capitulari residua frumenti vulgo Revenant. Bon.? IX. Quibus expensis lis praedictae restitutionis sustineri debeat? X. An reditus fundationum tam particularium pro Canonicis, quam aliarum fundationum pro Missis administrari debeant distincte a reditibus Massae capitularis? XI. An distributio salis fieri debeat Beneficiatis in duabus ex tribus partibus, quae dantur Canonicis, vel potius sint servandae assertae resolutiones capitulares annorum 1641 et 1688 et assertum Decretum Vicarii Generalis desuper emanatum anno 1680? XII. An distributio emolumentorum ex funeribus fieri debeat unicuique Beneficiato pluviali induto in duabus ex tribus partibus, quae dantur Canonico officium facienti? XIII. An Canonicis administratoribus bonificari debeat una salmata pro centenis salmati frumenti nec non honorarium viginti quatuor scutorum primo ex dictis Administratoribus? XIV. An Canonico pulsanti organa praeter distributiones debeatur honorarium, et in qua summa? XIV. An eleemosynae Missarum tam adventitiarum, quam Fundatorum integre dari debeant celebrantibus, vel potius an et quae pars detrahi possit et in quem usum applicanda sit? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Affirmative quoad participationem, Negative quoad administrationem; sed hanc spectare ad solos Canonicos. Ad septimum, Affirmative; et quoad modum provideat Archiepiscopus. Ad octavum, Negative. Ad nonum, provisum in superiori. Ad decimum, Affirmative retentis per eumdem Administratorem distinctis computis. Ad undecimum decimum secundum et decimum tertium, servetur solitum. Ad decimum quartum, dentur Decreta. Ad decimum sextum, dilata; et videatur particulariter – *in Avenionen. die 18 Septembris 1733.*

84. Unde licet Presbiteri participantes ex aequo cum Canonicis onera subeant, non possunt habere nisi simplicem, dum Canonici duplicem habent portionem Massae compositae ex legatis piis, ex eo quod favore Canonicorum adsit immemorabilis consuetudo et asserta concordia, nec non eiusdem Massae administratio ad Canonicos spectat, sed ratio reddenda est Episcopo cum assistentia Deputatorum eligendorum a Presbiteris Communeriae, qui tenentur inservire choro iuxta solitum et assistere Dignitati vel Canonico in vesperis et Benedictus, quin tamen amoveri valeant ad nutum Canonicorum et quin eorumdem numerus sit reducendus – *in Squillacen. Missae Conventualis et Communeriae die 24 Septembris 1712 die 11 Martii 1713 lib. 62 et 63 Decretorum et die 21 Februarii 1728.*

85. Siquidem in Ecclesia Cathedrali Squillacensi praeter reditus et distributiones canonicales quaedam Massa extabat, *Communeria* nuncupata, annuorum ducatorum 1400 provenientium ex piis legatis cum Missarum onere et Anniversariorum, quorum celebratio inter Canonicos et Presbiteros participantes per singulas hebdomadas aequaliter dividebatur. Anno 1684 Presbiteri triceps sibi ipsis inferri praeiudicium contenderunt, tum quia adigebantur ad capitulare onus Missae conventualis, quamvis nullas distributiones perciperent, tum quoque quia cum ex reditibus

Communeriae duplo maius emolumentum Canonicis attribueretur, quamvis Presbiteri non impari graverentur onere, tum denique quia eorumdem proventuum administrationem sibi ipsis Canonici arrogabant. Antequam huiusmodi litigium dirimeret, Sacra Congregatio exhiberi iussit fundationem Communeriae. Huic autem Rescripto obsequi non posse participantes Presbiteri subinde exposuerunt, quum omnibus factis diligentiis eiusmodi fundatio adhuc desideraretur, proptereaque ad comprobandam utcumque eorum intentionem preces supplices addiderunt pro admissione articulorum ac expeditione literarum remissorialium pro recipiendo Testium examine; verum reponentibus Canonicis, eam esse naturam dubii, ut nonnisi per scripturas dilucidari posset, iterum in Sacra Congregatione dilatum fuit responsum. Hinc additum fuit alterum dubium: – An Presbiteris participantibus concedenda sit petita remissoria –. Placuit tamen EE. PP. rescribere sub die 14 aprilis 1685, quod exhiberentur articuli, super quibus petebatur remissoria. Mandatis successive parentes Presbiteri, eorum instantiam perstrinxerunt in quinque articulis, in eisque comprobare intendebant, quod non magis Canonici, quam Presbiteri satisfactioni onerum Communeriae incumbebant, ad quorum implementum aeque pariter a piis Fundatoribus utrique erant vocati, quodque eadem Missarum eleemosyna distribui solebat tam Canonicis, quam Presbiteris, ac tandem quod Communeriae proventus aequaliter inter eos dividi consueverunt: nihilominus Sacra Congregatio iterum resolutionem protraxit. Presbiteris posthac supplicantibus, quod Canonicis iniungeretur affixio notulae introituum Massae communis in loco patenti, eisque autumantibus, quod Capitulum tamquam saepe dictae Communeriae dominus ad illius participationem Sacerdotes vocaverat, ac praetensam notulam pro sui tantum libito retroactis temporibus affigi permiserat; relatis precibus per Summarium sub die 6 martii 1694, EE. PP. censuerunt, – Capitulum non teneri ad affixionem notulae –: cui sane Rescripto non acquiescentibus praememoratis Presbiteris, sub die 20 eiusdem mensis Sacrae Congregationi placuit *in decretis* persistere. Deinde siluit utraque pars: sed Presbiteri participantes dietim magis se se praegravari asserentes, antiquas praetensiones resuscitarunt, ut tandem status huiusmodi Communeriae firmaretur. Ceterum ex documentis noviter adductis procul dubio refundere contenderunt Missae conventualis onus ad solos Canonicos, neque sibi ipsis controverti posse autumarunt aequalem saepedictae Communeriae participationem; quandoquidem ex aequo cum Canonicis eiusdem onera subibant. Subdiderunt praeterea iidem Presbiteri, pro libito Canonicorum, ut autumabant, a participatione amoveri non posse, neque eorum numerum certis finibus esse praescribendum, postremo nonnisi iuxta solitum in servitio Ecclesiae se se praegravandos esse, quas sane Presbiterorum praetensiones Canonici Cathedralis evertere curarunt duplici praesidio innixi, immemorabili nimirum consuetudini, et assertae concordiae initae iam ab anno 1491.

86. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – II. An reditus Massae Communeriae compositae ex legatis piis debeant dividi in tres partes, ita ut duae dividantur inter Canonicos tantum et tertia pars inter alios Presbiteros, vel potius debeat aequaliter dividi inter singulos Canonicos et Presbiteros in casu etc. III. An Capitulares teneantur reddere rationem Presbiteris participantibus in casu etc. IV. An administratio Communeriae spectet ad solos Canonicos privative quoad Presbiteros in casu etc. V. An presbiteri participantes de dicta Massa Communeriae possint ad nutum Canonicorum amoveri in casu etc. VI An et quomodo sit numerus Presbiterorum reducendus in casu etc. VII. An dicti Presbiteri participantes teneantur intervenire choro ceterisque sacris functionibus, sicut Canonici, seu quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, ita ut quilibet Canonicus habeat duplicem portionem et quilibet Presbiter simplicem, exceptis legatis, in quibus alias per Testatores dispositum fuerit. Ad tertium, Negative; sed esse reddendam rationem Episcopo cum assistentia Deputatorum eligendorum a Presbiteris Communeriae, communicatis computis, quatenus per istos petantur. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum et sextum, Negative. Ad septimum, servetur solitum –

in Squillacen. Missae conventualis et Communeriae die 24 Septembris 1712 lib. 62 Decretorum.

87. Verum enim vero Canonici articulos admitti enixe flagitarunt, pro immemorabili consuetudine comprobanda, praesertim quoad eorum liberam administrationem Communeriae; ipsi quoque Presbiteri participantes noviter audiri obtinuerunt super reliquis dubiis pro ipsis Canonicis resolutis. Propositis itaque dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 24 Septembris 1712 in casu etc. II. An petita remissoria sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis in omnibus; et amplius – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Squillacen. Missae Conventualis et Communeriae die 11 Martii 1713 lib. 63 Decretorum.*

88. Cum igitur huiusmodi Presbiteri participantes tenerentur servire choro et ceteris functionibus iuxta solitum, ex hoc responso nova nata est controversia, contendentibus Dignitatibus et Canonicis, Presbiteros teneri ad assistendum Dignitati seu Canonico in Vesperis et ad Benedictus, et Presbiteris excipientibus, se ad id non teneri, cum non participarent de Massa, et reditus suos haberent ex Legatis Benefactorum cum onere celebrandi, et quia obstare ipsis videbatur dispositio Caeremonialis Romani lib. 2 cap. 16, dixerunt, eam non esse applicabilem casui, quia Caeremoniale praescribit, quod parentur duo quatuor vel sex Presbiteri eiusdem Ecclesiae, et non Canonici in dictis functionibus, sed quando in Ecclesia praeter Dignitates et Canonicos reperitur alius ordo Beneficiatorum participans de reditibus Ecclesiae, secus autem quando prout in hypothesi aderant in Ecclesia per accidens simplices Presbiteri, nihil participantes de Massa communi, nec facientes unum corpus cum Canonicis. Proposito vero dubio: – An et quomodo Presbiteri Communeriae teneantur assistere Dignitati vel Canonico in Vesperis et ad Benedictus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Teneri iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2 cap. 3 – *in Squillacen. die 21 Februarii 1728.*

89. Qua de re emolumenta funerum ac pecuniae, quae supersunt in fine anni, aequaliter dividuntur inter Canonicos et Presbiteros participantes Cathedralis Ecclesiae Bituntinae; proposito enim dubio: – III. An quarta funeralis et alia emolumenta funerum ac pecuniae, quae supersunt in fine anni ex reditibus a Procuratoribus exigi solitis, spectent ad Dignitates et Canonicos, seu potius sint aequaliter dividenda inter Canonicos et Presbiteros participantes seu Mansionarios in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative ad secundam partem – *in Bituntina die 26 Septembris 1739.*

90. Hinc huiusmodi emolumenta Capituli Cathedralis Alexanensis sunt distribuenda inter solos praesentes, non vero ad instar distributionum quotidianarum; proposito enim dubio: – VI. An eleemosynae pro Missis cantatis Defunctorum praesente cadavere et pro anniversariis adventitiis distribuendae sint inter solos praesentes, vel potius ad instar distributionum quotidianarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Alexanen. die 1 Septembris 1742.*

91. Unde cum quaestio orta fuerit inter Capitulum et Episcopum quoad reditus bonorum ex pia largitate fidelium obvenientium, num scilicet dividi possent inter Canonicos una cum aliis Massae communis, S. Congregatio mandavit, ut firmaretur status omnium redituum et coadiuvarentur probationes super consuetudine *in Melphicten. die 30 Martii 1743.*

92. Enimvero sacram Visitationem agens Episcopus Bovius suae Cathedralis Ecclesiae Melphictensis anno 1608 cautum illud voluit, ne reditus bonorum, quae ex pia fidelium largitate pro sartis tectis supellectili et ornamentis Ecclesiae servandis obvenerant, quaeque vulgo nuncupabantur *Procura de' Beneficii*, dividi imposterum possent inter Canonicos una cum aliis Massae communis, sed in eos dumtaxat usus, ad quos fuerant destinati, cum scientia et consensu ipsius Episcopi, deberent erogari. Decretum hoc anno 1704 innovavit successor Melphictensis Antistes, dum Cathedralem Ecclesiam visitaret; statuitque praeterea, singulis annis reddendam sibi rationem esse a Procuratoribus praedictorum redituum, pro usque rectius cu-

stodiendis confici debere parvam quamdam capsulam cum duplici clave, quarum altera ab Episcopis pro tempore esset retinenda, altera vero penes Capitulum foret mansura. Quae omnia rursus praecepit modernus Praesul tum anno 1715, quo sacram Cathedralis Ecclesiae Visitationem obivit, tum etiam in Diaecesana Synodo sub anno 1726 celebrata. Hinc plures obortae fuerunt controversiae inter Episcopum et Capitulum. Propositis autem dubiis: – I. An reditus bonorum nuncupatorum *Procura de' Beneficii* impendi et applicari debeant iuxta mentem et voluntatem Benefactorum? *Et quatenus affirmative.* II. An huiusmodi impensa et applicatio fieri debeat a Capitulo independenter ab Episcopo, seu potius cum eius scientia et consensu? III. An reductio Missarum facta ab Episcopo super Missis ordinatis ab Antonio Natali substineatur, seu potius locus sit novae reductioni, et quomodo sit facienda? IV. An et ad quam rationem debeatur eleemosyna Capitulo pro Missis et Anniversariis celebratis et celebrandis? V. An retentio clavium capsulae dictae Procurae Beneficiorum spectet ad Capitulum privative quoad Episcopum, seu potius retinenda sit altera ab Episcopo, et altera a Capitulo? VI. An provisio librorum Sacristiae supellectilis tam sacristiae, quam Ecclesiae et sacrorum paramentorum pro Canonicis interessentibus Pontificalibus nec non reparatio Ecclesiae et restauratio campanae spectent ad Episcopum? *Et quatenus negative ad utrumque.* VII. An et ad quem spectet onus praedictorum omnium? *Et quatenus affirmative ad utrumque.* VIII. An pecunia desuper impensa a Capitulo tam de bursa capitulari, quam de Procura Beneficiorum restituenda sit eidem Capitulo et in qua summa? IX. An et quomodo Capitulum teneatur reddere rationem de omnibus bonis dictae Procurae Beneficiorum? X. An constet de ulla commixtione redituum eorumdem bonorum in Massa capitulari eorumque repartitione inter Capitulares! *Et quatenus affirmative.* XI. An ipsi reditus ita commixti et repartiti repeti modo debeant ex eadem Massa et reintegranda sit de eisdem capsula capitularis eorumdem redituum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et firmetur status redituum tam bonorum nuncupatorum *Procura dei Beneficii*, quam Mensae Episcopalis nec non Mensae Capitularis, et coadiuventur tunc hinc inde probationes super consuetudine – *in Melphicten. die 30 Martii 1743.*

93. Quum itaque Capitulum et Clerus Cathedralis Ecclesiae pro accessu ad processionem stipendium perciperent ac inde istud auctum fuerit, divisio eiusdem facienda est iuxta solitum antiquae repartitionis *in Polymnianen. Divisionis augmenti die 18 Novembris 1752.*

94. Enimvero solebat Capitulum et Clerus Ecclesiae Cathedralis Polymnianensis quatuor anni diebus ad Ecclesiam Abbatialem S. Viti, quae secundo lapide a Civitate distabat, accedere: et Patres Conventuales, ad quos Ecclesia illa pertinebat, stipendium solvebant. Auctum inde fuit praefatum stipendum: hinc lis orta est, quoad divisionem augmenti. Episcopus, tamquam arbiter, censuit, quod sicuti per immemoriale tempus aequaliter divisa fuerant emolumenta duarum priorum processionum et vesperarum, ita dividendum esset aequaliter augmentum eorumdem emolumentorum; et sicut inaequaliter divisum fuerat stipendium tertiae processionis diei 15 iunii, ita divideretur inaequaliter eius stipendium, servata proportione. Non placuit Canonicis hic modus divisionis; sed tamen, coacto die 2 iunii anno 1747 Capitulo, Dignitates et nonnulli Canonici praestiterunt assensum, ceteris dissentientibus. Res itaque ad Sacram Congregationem delata est, contendentibus Canonicis,– divisionem augmenti pro quatuor praerelatis functionibus peragendam esse in maiori parte seu in duplici rata inter omnes Canonicos de gremio, tertia vero portione inter Portionarios et Extranumerarios –. Proposito vero dubio: – An et quomodo peragenda sit divisio seu repartitio augmenti pro accessu ad processiones, de quibus agitur, in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Faciendam esse divisionem augmenti iuxta solitum antiquae repartitionis; et amplius – *in Polymnianen. Divisionis augmenti die 18 Novembris 1752.*

95. Hinc cum Capitulum Ecclesiae Collegiatae SS. Petronii et Prosperi quotannis instar supplicationis ad Ecclesiam S. Rochi occasione festi Titularis solemniter celebran-

di accederet, sed anno 1764 induti dumtaxat rocchetto et superpelliceo intervenissent festumque celebrassent, ac ob id Officiales Sodalesque Nosocomii S. Rochi solitum Capitularibus stipendium rependere renuerint, quod nec cappa magna nec mozzetta nec almutia usi fuerant, Sacra Congregatio mandavit, solvendum esse Capitulo solitum stipendium etiam pro annis praeteritis; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Capitularibus processionaliter sub Cruce accedentibus absque mozzetta cappa magna et almutia respective, sed tantummodo rocchetto et superpelliceo ad Ecclesiam S. Rochi pro divinis peragendis in festo eiusdem Sancti debeatur solitum stipendium? *Et quatenus affirmative.* II. An debeatur dictum stipendium pro annis praeteritis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Affirmative; et amplius - *in Imolen. die 10 Februarii 1770.*

96. Unde quum conventio facta fuerit inter Officiales Hospitalis S. Mariae de Limite, et Parochum S. Mariae et Hilarii dein S. Francisci de Paula, occasione, qua sepulcra in Hospitali condita fuerunt, ut Officiales scuta annua novem Parocho penderent, cumque in unione Collegiatarum SS. Mariae et Hilarii et S. Iacobi inde SS. Petronii et Prosperi Benedictus XIV omnia iura huic transtulerit Ecclesiae S. Iacobi, iurgium exortum est inter Parochum, qui ratione funeris et tumulationis dicta scuta novem praetendebat, et inter Capitulares, qui iure translationis ea sibi vindicabant, annuam scutorum quadraginta pensionem illi tradendo. Sacra Congregatio vero declaravit, praefata scuta novem spectare ad Capitulum; his enim in terminis proposito dubio: – VII. An et ad quos pertineant scuta novem solvenda ab Officialibus Hospitalis S. Mariae de Limite? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, spectare ad Capitulum – *in Imolen. Iurium parochialium die 20 Decembris 1760.*

97. Quum itaque Sacra Congregatio declaraverit, quod ius administrandi Sacramenta infirmo Priori Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli et eidem mortuo funus peragendi spectaret ad Canonicum seniorem Capituli ad confessiones approbatum, non vero ad Parochum viciniorem, mandavit, ut respectiva funeris emolumenta ad Capitulum pertinerent; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et cui debeantur emolumenta funeris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, deberi Capitulo – *in Pisauren. die 25 Ianuarii 1772.*

98. Hinc fructus Praebendae a Praebendato non percepti tempore primi semestris suae residentiae sunt restituendi eidem Praebendato Praebendam renuncianti, non vero partiendi inter alios Praebendatos ad formam Statuti *in Burgen. die 27 Novembris 1779.*

99. Siquidem in Cathedrali Ecclesia Burgensi antiquissimum aderat Statutum speciali confirmatione roboratum a Summis Pontificibus Leone X et Clemente VIII, quo praescriptum fuit, quod quilibet de Canonicatu vel Portionaria noviter provisus dimittere deberet per sex menses suae Praebendae fructus inter alios Canonicos Beneficiatos et Praebendatos partiendos, exceptis distributionibus quotidianis integraliter a novo proviso percipiendis. Duo praeterea considerati fuerunt in eo casus; primus scilicet vacationis Canonicatus per obitum illius Possessoris, et alter nimirum vacationis eiusdem Canonicatus ex causa permutationis vel resignationis. In primo namque casu statutum fuit, quod heredes defuncti Canonici in compensationem seu reintegrationem illorum fructuum Praebendae, quos Canonicus amiserat per semestre tempore primae suae residentiae, quosque Canonici iam inter ipsos distribuerant, illos, exceptis distributionibus quotidianis, percipere deberent per sex menses a die obitus Canonici computandos, ad effectum illos erogandi vel in expensas funeris, vel in dimissionem aeris alieni. In secundo vero casu, nempe vacationis Canonicatus per resignationem aut permutationem, in Statuto praescribebatur: – Verum si Dignitates Canonicatus et Praebendas ac Portiones huiusmodi obtinentes simpliciter vel ex causa permutationis resignarent, aut alio modo ipsis viventibus illos dimitterent, tunc nihil de praemissis fructibus, sed solum illos pro rata temporis eorum possessionis perciperent –. Verens inde Capitulum, an huiusmodi Statutum in hac parte subsisteret, seu potius tamquam simoniacae labis aut sordidae avaritiae su-

spicionem habens revocatum fuerit tum a S. Concilio Tridentino sess. 24 cap. 14 de reformatione, tum a peculiaribus Constitutionibus Summorum Pontificum, nimirum S.Pii V 104 et Innocentii XII 51, preces porrexit Sacrae Congregationi, ut quid iuris foret decerneret. Capitulum sustinuit, huiusmodi Statutum utpote specifice confirmatum a sa. me. Leone X et Clemente VIII, observatumque per plura secula, esse itidem imposterum observandum, non obstantibus dicta sanctione Concilii Tridentini Apostolicisque Constitutionibus sa. me. S. Pii V et Innocentii XII. Archiepiscopus in voto etiam erat, ut Statutum sive consuetudo imposterum observari deberet, ut fuerat eo usque observata.

100. Proposito tamen dubio: – An fructus Praebendae a Praebendato non percepti tempore primi semestris suae residentiae restituendi sint eidem Praebendato Praebendam renuncianti, seu potius sint partiendi inter alios Praebendatos ad formam Statuti in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Burgen. die 27 Novembris 1779.*

101. Unde cum Episcopus postulaverit, an sustineretur consuetudo immemorabilis interessendi choro per novem menses sive continuos sive interpolatos qualibet die pro una tantum hora canonica pro lucrandis fructibus, et an sustineretur consuetudo privandi de dictis reditibus novum Canonicum primo anno suae residentiae, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur eidem Episcopo pro meliori informatione, auditis interesse habentibus *in Asten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Februarii 1781.*

102. Iamvero in Astensi Civitate Capitulum aderat Cathedralis Ecclesiae nec non Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Secundo dicatae. Episcopus in relatione status suae Ecclesiae exposuit: – In utroque Capitulo adsunt quidam speciales reditus Grossae nuncupati, qui ex immemorabili consuetudine aequis portionibus distribui solent tantummodo Canonicis per novem menses sive continuos sive interpolatos Ecclesiae servitium praestantibus. Huiusmodi tamen menses habentur pro completis, etiamsi servitium praedictum diebus eosdem menses constituentibus integre non praestent, itaut si quis qualibet die ipsorum mensium una tantum vice sive unicae horae canonicae intersit, distributiones dictorum redituum lucretur, ac si omnibus horis canonicis quotidie interfuisset, et aequaliter ac alii, qui praedicto Ecclesiae servitio frequentiores fuerunt. Viget insuper in Capitulo huius Ecclesiae Cathedralis consuetudo, ut quilibet novus Canonicus anno primo residentiali, quem novitiatum appellant, Ecclesiae servitium praemisso modo complere debeat, et nihilominus de praefatis Grossae reditibus non participet, ipsique reditus aliis Canonicis participantibus accrescant. Reverenter itaque postulo, an huiusmodi consuetudines licet immemorabiles servandae sint, vel proscribendae ad mentem Tridentini Concilii –. Propositis interim dubiis: – I. An sustineatur consuetudo Canonicorum interessendi per novem menses sive continuos sive interpolatos qualibet die pro una tantum vice, sive una hora canonica pro lucrandis reditibus Grossae nuncupatis in casu etc. II. An sustineatur consuetudo in Capitulo Cathedralis Ecclesiae privandi de dictis reditibus Grossae novum Canonicum primo anno suae residentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et rescribatur Episcopo pro meliori informatione, audito utroque Capitulo – *in Asten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Februarii 1781.*

103. Quum autem Mensa Capituli S. Petri in Vaticano creditum in maiori summa haberet contra Canonicum Aloisium Martorelli, Sacra Congregatio declaravit, locum esse compensationi; his enim in terminis proposito dubio: – An et in qua summa constet de credito Capituli, et quomodo sit locus compensationi in casu etc. –, eadem responsum dedit: – Constare de credito Capituli in maiori summa crediti Martorelli, ideoque esse locum compensationi – *Romana Crediti et Compensationis die 15 Iunii 1816.*

104. Hinc statuarum aliorumque manufactorum operum fragmenta ex marmore in fundo fortuito vel industria reperta non spectant ad Canonicos, sed ex integro pertinent ad Mensam capitularem *in Romana Monumentorum die 28 Ianuarii 1854.*

105. Siquidem volvente anno 1848 villici quidam vulgo *Aquilani* in effodiendo praedio Rmi Capituli S.Ioannis in Laterano *Centocelle*

dicto, ut proximam viam de mandato Comarcae Praesidis reficerent, nonnulla statuarum aliorumque manufactorum operum ex marmore fragmenta casu fortuito reperierunt. Re ad Canonicorum aures delata, sat praesto esse indicii existimarunt, ut excavationes in fundo, ubi praedicta fragmenta inventa fuerunt, propriis impensis exequendas curarent. Eorum sollicitudini sors arrisit: nonnulla enim et quidem magni habita antiqua monumenta reperta sunt, quae una cum prioribus a Gubernii munificentia comparata in ampliorem Lateranensis Musaei ornatum collata fuerunt. Ex hac venditione summa scutorum 1200 retracta est; nimirum scuta 50 ex rebus ab Aquilanis inventis, et scuta 1150 ex iis, quas postmodum invenerunt Canonici, e quibus deductis excavationis impensis, quae ad scuta 80 circiter ascenderunt, scuta 1120 superfuerunt. De pertinentia praedictae summae quum in capitulari sessione actum subinde esset, Canonici in tres sententias abierunt. Senserunt alii, dimidiam partem Canonicis inventionis tempore existentibus tribuendam esse, alteram dimidiam Capitulari Mensae eiusque favore investiendam; alii ex integro ad capitularem Mensam spectare; alii demum ex integro pariter Canonicis ut supra cedere debere, et inter eos distribuendam. In tanta disparitate sententiarum unanimi consilio statuerunt rem Sapientissimo EE. PP. iudicio dirimendam proponere. Proposito itaque dubio: – An et cuius favore constet de pertinentia ex integro vel ex parte summae retractae ex venditione monumentorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative favore Mensae capitularis ex integro – *in Romana Monumentorum die 28 Ianuarii 1854.*

106. Unde Capitulo competit ius exigendi integram quartam piscium partem ad formam donationis et Beneplaciti Apostolici ac dies Sabaoth sunt intelligendi iuxta consuetudinem, quin Capitulum teneantur tradere Literas autographas Pontificias, ut asserventur in Archivio Episcopali, salvo tamen iure Episcopo extrahendi exemplar authenticum *in Gallipolitana die 26 Aprilis 1828.*

107. Siquidem anno 1600 Episcopus Gallipolitanus, attenta summa Capituli Cathedralis egestate, eidem donavit quartam piscium partem, quam Piscatores ob veniam sibi ab Episcopo impertitam diebus festis exercendi piscationem ex vetusta consuetudine Mensae Episcopali solvere tenebantur. Paulus V die 27 aprilis anni 1606 donationem praedictam confirmavit indulgens – quartam partem cuiusdam eleemosynae valoris triginta scutorum monetae Regni Neapolitani per Piscatores illorum partium intuitu licentiae piscandi Dominicis et aliis festivis diebus sibi ordinaria auctoritate concessae –. Huiusmodi donationis atque Apostolici Beneplaciti sensum ita interpretati sunt Canonici, ut integram portionem seu quartam piscium partem, ad Mensam Episcopalem olim spectantem, postea suam fecerint. Usus tamen paullatim inolevit, ut Episcopi, silentibus Canonicis, quartam partem a Piscatoribus perciperent solemnioribus illis diebus, quos *Sabaoth* appellabant. Inde controversia exarsit, quinam essent dies inter festa *Sabaoth* recensendi. Propositis hinc dubiis: – I. An integra quarta pars piscationis spectet ad Capitulum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quinam dicendi sint dies *Sabaoth* in casu etc. III. An Canonici teneantur tradere autographas Literas Pauli V, ut asserventur in Archivio Episcopali in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative; et dies *Sabaoth* esse intelligendos iuxta consuetudinem hucusque servatam. Ad tertium, Negative salvo iure Episcopi extrahendi exemplar authenticum – *in Gallipolitana die 26 Aprilis 1828.*

108. Duplex autem portio legati debetur Archipresbitero simul et Canonico, qui ratione Archipresbiteratus et Canonicatus duplicem habet Praebendam, duplicem vocem in Capitulo, et duplices distributiones *in Spoletana Legati die 19 Maii 1668 lib. 25 Decretorum pag. 598.*

109. Hinc ob pestem, quae Regnum Neapolitanum invaserat, vacarunt septem Canonicatus Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Civitatis Foggiae; novi autem Canonici aegre ferebant adeo tenuem fructuum portionem quotidianis tantum distributionibus assignatam sibi obvenire, reliquos vero pinguiores proventus ab antiquioribus Canonicis percipi, cum tamen communis omnibus esset labor

in divinis officiis obeundis, proposito dubio: – An novis Canonicis debeantur reditus Praebendarum ad suos Canonicatus respective spectantes iuxta id, quod eorum Antecessores obtinebant? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Troiana Participationis die 24 Aprilis 1660.*

110. Exin autem Canonici recentiores declarari postularunt, fructus omnes ad Canonicatus et Dignitates spectantes, sublato iure accrescendi, et in communem Massam redactos, esse aequaliter distribuendos inter omnes Capitularos: Sacra Congregatio respondit, reditus omnes in massam communem esse concervandos, et a die factae instantiae aequaliter inter omnes dividendos *in Troiana die 1 Octobris 1661.*

111. Quum itaque Capitulum Ecclesiae Cathedralis Cotronensis ex Apostolico Brevi Gregorii XVI Massam communem ad enormem Praebendarum disparitatem et iurgiorum causam e medio tollendam obtinuerint, et inter reditus adesset etiam quaedam redituum species singulis Canonicis accrescentium, quos residua, vulgo *superi* vocabant, quae nempe conflabantur ex fructibus Praebendarum vacantium atque ex augmentis, quae in livellis vel pensionibus praediorum contingebant, cumque species haec inter distributiones recenseri non posset, ne dubium quidem, quod huiusmodi proventus percipi deberent ab iis, qui legitime aberant; his enim in terminis proposito dubio: – An fructus Praebendarum vacantium aliaque emolumenta vulgo *superi* debeantur Canonicis Messina et Sculco in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Cotronen. Residuorum die 3 Martii 1855.*

112. Quod si quis ad formam Statutorum sexennalo servitium reapse praestiterit, locus est participationi fructuum Massae capitularis a die expleti servitii, quin obstet, quod Capitulum in actu admissionis censuisset, iustam sibi praesto esse causam ratione morum, ut illum excluderet, cum iuxta Constitutiones id fieri non potuisset, nisi facta prius relatione Episcopo, obtentaque permissione saltem extraiudicialiter; his enim in terminis proposito dubio: – An et a quo tempore sit locus participationi fructuum Massae capitularis seu Praebendae et assignationi fundi favore Sacerdotis Massari, seu potius obstent Statuta in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus ad primam partem a die expleti sexennalis servitii, Negative ad secundam – *in Oritana Participationis die 27 Septembris 1859.*

113. Hinc Sacra Congregatio indulget applicationem legati Missarum ad sublevandam inopiam Canonicorum et Capellanorum ea tamen lege, ut respectivi fundi administrentur una cum Massa Capitulari per computum separatum, et, satisfactis omnibus Missis diebus a Testatore designatis, reditus erogentur in tot Missas ad taxam perpetuae *in Hortana Applicationis die 18 Septembris 1802.*

114. Siquidem Aurelianus Turcarelli iussit erogationem fructuum hereditariorum in tot Missas diebus festis S. Aegidii S. Silvestri et commemoratione Dolorum Beatae Mariae Virginis celebrandas in Ecclesia Cathedrali et S. Silvestri. Quum Canonici Cathedralis Ecclesiae Hortanae inopia premerentur et Capellani ex Beneficiis congruam synodalem non haberent, postularunt applicationem legati Turcarelli ab Episcopo distribuendam inter ipsos Canonicos et Capellanos, qui choro inserviebant. In promptu enim erat necessitas et utilitas Ecclesiae. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro applicatione hereditatis Turcarelli in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta mentem; mens est, quod fundi legati Turcarelli administrentur una cum Massa capitulari per computum separatum, et, satisfactis omnibus Missis diebus a Testatore designatis, superextantes reditus erogentur in tot Missas ad taxam perpetuae a Capitulo et quinque Capellanis aequaliter celebrandas, et ponatur in Tabella – *in Hortana Applicationis die 18 Septembris 1802.*

115. Idcirco si reditus Massae valde tenues evaserint, indulgetur absolutio a praeteritis omissionibus, nec non reducitur praestatio legati, non vero eiusdem commutatio permittitur *in Nursina Commutationis voluntatis et Absolutionis die 8 Augusti 1829.*

116. Siquidem Nicolaus Bernabei anno 1651 heredem ex asse renunciavit Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Oppidi Vissi cum onere distribuendi quotannis pauperibus

incolis die S. Nicolao de Bari sacra eam panis quantitatem, quae summam decem ducatorum aequaret. Ad annum usque 1796 id adamussim expletum fuit: sed postea, ob adversas publicae rei vicissitudines et imminutionem Locorum Montium, huiusmodi largitionis consuetudo obsolevit. Postularunt itaque Canonici absolutionem a praeteritis omissionibus et commutationem legati in tot annua Sacrificia et in Missam de requiem solemniter celebrandam. Nam Praebendae antiquae Massae annua scutata vigintique non excedebant, et aliae Massae communis vix tredecim scutata cum dimidio attingebant, exceptis tamen distributionibus quotidianis, quae pro singulis Canonicis in scutatis quinque aestimabantur. Propositis autem dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative quoad commutationem, reducta tamen distributione panis ad scuta quatuor in singulos annos, iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative celebrato unico Anniversario cum cantu et interventu totius Capituli – *in Nursina Commutationis voluntatis et Absolutionis die 8 Augusti 1829.*

117. Qua de re cum Collegium Canonicorum Ecclesiae Hieracensis adeo patrimonii capitularis tenuitate ob temporum asperitatem potiretur, ut ingenti Missarum trium millium quingentarum septuaginta numero quotannis perlitando impar omnino esset, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc. II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo super praeteritis omissionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pro tertia parte tantum ad quinquennium, docto etc. Ad secundum, Affirmative celebratis Missis triginta et peractis tribus Anniversariis cum assistentia totius Capituli – *in Hieracen. Reductionis et Absolutionis die 23 Novembris 1833.*

118. Hinc cum reditus legati per Testatorem relicti ita imminuti fuerint, ut, deductis ceteris oneribus, vix solemni Sacro sextis feriis cum solemni benedictione absolvendo sint pares, propositis dubiis: – I. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione super praeteritis omissionibus in casu? II. An et quomodo concedenda sit onerum reductio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi, celebratis decem Missis cum cantu et interventu Capituli. Ad secundum, Affirmative erogato, quod superest de legato Pescia, deductis expensis pro functione consuetà in feriis sextis, in celebrationem Missarum ad manualem, capta inscriptione pro securitate Legati pii, facto verbo cum Sanctissimo – *in Ianuen. Absolutionis et Reductionis die 18 Novembris 1837.*

119. Unde Capitulum Cathedralis Ecclesiae Nolanae praeter quotidianum chori servitium plura Missarum et Anniversariorum onera ferre tenebatur: sed temporum antiquitate ac rerum vicissitudine factum erat, ut bona Legatorum cum Mensa capitulari confusa fuerint, proindeque annuus illorum fructus haud valeret inde praefiniri. Illud vero exploratum habebatur, quod ex Mensa Capituli singulis Capitularibus, qui Canonici dicebantur, quotannis obtingebant ducata viginti titulo Praebendae, reliquus autem Mensae reditus inter Canonicos et Numerarios dividebatur, adeo ut, si choro diligenter interessent et cuncta onera Missarum perferrent, lucrarentur ducata quinquaginta. Hinc annuum reditum oneribus, quibus satisfacere obstringebantur, minime parem et congruum existimantes Canonici, reductionem expostularunt tum Missarum, tum Anniversariorum. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo sit locus reductioni Anniversariorum in casu etc. II. An et quomodo sit locus reductioni, seu potius translationi Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi (1), addita tamen unica Missa cum cantu et assistentia

(1) Episcopus autem censuit: – Posto tutto ciò, io sono d' avviso che non si restringa il numero delle Messe, ma che bensì se ne mitighi la ritualità, cosicchè le Messe di Anniversarii cantate si riduchino a Messe piane da celebrarsi da ciascun Canonico privatamente distribuite ad essi tante per ciascuno. Così pure restringersi il numero degli officii a cinquanta condonando gli altri cento sei. Per le Messe piane 370 legate a certa Chiesa e certi Altari ed a certi giorni e nella Cattedrale ed anche fuori di essa, sono benanche di parere che Sua Santità si degni di sciogliere, cosicchè anche queste potrebbero distribuirsi ai Canonici da celebrarle *ubique*, e ciò anche per la mas-

totius Capituli. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam iuxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo – *in Nolana Reductionis Onerum et Translationis die 24 Novembris 1827.*

120. Quum itaque Capitulum Collegiatae Ecclesiae petierit applicationem scutorum bis centum ex tercentum scutatis, quae extabant ob vacationem duarum Capellaniarum, ex eo quod nemo eas propter redituum exiguitatem accipere voluerat, ut augere posset reditus duarum Capellaniarum ab eodem Testatore cum onere inserviendi choro diebus festis institutarum, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi pro integra summa scutorum tercentum, aucto Missarum numero pro intranti quantitate ad eleemosynam obulorum viginti quinque, facto verbo cum Sanctissimo – *in Feretrana die 6 Maii 1843.*

121. Idcirco si reditus capitulares valde decreverint, Sacra Congregatio nedum indulget ad tempus suspensionem aliquorum Canonicatuum et Praebendarum beneficialium nec non reductionem Missarum et servitii choralis, sed et earumdem prorogationem ad effectum conficiendi multiplicum ac reditus augendi *in Civitatis Castellanae Reductionis et Dispensationis die 19 Iulii 1820 die 17 Maii 1828 et die 27 Augusti 1831.*

122. Iamvero Capitulum Collegiatae Ecclesiae Valerani exposuit, reditus capitulares valde decrevisse. Idcirco propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda reductio Canonicatuum et Praebendarum beneficialium in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An ad quod tempus et quomodo sit concedenda suspensio collationis earumdem Praebendarum in casu etc. III. An et quomodo sit locus reductioni servitii choralis in casu etc. IV. An et quomodo sit locus reductioni binae Missae quotidianae ad binam in hebdomada in casu etc. V. An sit concedenda dispensatio erigendi Montem in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 iulii 1820 respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative ad decennium pro duobus Canonicatibus et tribus Beneficiis ad effectum conficiendi multiplicum ex superextantibus reditibus, satisfactis Missarum oneribus, deputato per Episcopum ecclesiastico Administratore, non retardata interim provisione Praepositurae; et notificetur Ministris Datariae. Ad tertium, Affirmative ad decennium ad omnes dies festos etiam reductos cum solitis clausulis. Ad quartum, Affirmative per decennium ad unam Missam tantum quotidianam. Ad quintum, Affirmative ad decennium, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo quoad omnia –. Hinc multiplicum collocarunt Canonici ad integrum annum 1825: postea vero illud intermiserunt, cum annui reditus, ob vilescens rerum pretium, vix pares essent congruae scutatorum triginta singulis Canonicis quolibet anno pendendae. Episcopus censuit: – Arbitror Capituli precibus annuendum ad formam tamen resolutionis Capituli, quam adiungo, ita scilicet ut, suspensa obligatione annui depositi ad totum annum 1830, Canonici pro quolibet ad dictam epocham annua percipiant scutata triginta, et in fine dictae epochae investiatur, favore Capituli et iuxta Rescriptum a Sacra Congregatione anno 1820 editum, quidquid superesse potuerit. Summa resultans ex depositis peractis est scutorum quingentorum septem –. Qua de re Canonici immunitatem ab onere investimenti postularunt. Proposito itaque dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis iuxta modum, nempe iuxta votum Episcopi, qui curet summam scutatorum quingentorum septem statim investiri – *in Civitatis Castellanae Reductionis et Dispensationis die 17 Maii 1828.*

123. Ad exitum inde properante Indulto diei 19 iulii 1820, Canonici preces instaurarunt, quibus nedum easdem, quae anno 1820, sed graviores enarrarunt occurrere causas, ut voti compotes fierent. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda reductio Canonicatuum et Praebendarum beneficialium in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An ad quod tempus et quomodo sit concedenda proro-

sima difficoltà, che s' incontra nel rinvenire Sacerdoti, che celebrino dette Messe vincolate come sopra; come difatti per tale difficoltà vi ha attualmente un notabile attrasso per non essersi trovati Sacerdoti, che si fossero sottoposti a tanti vincoli per la celebrazione delle medesime Messe –.

gatio suspensionis earumdem Praebendarum in casu etc. III. An ad quod tempus et quomodo sit tribuenda prorogatio reductionis servitii choralis in casu etc. IV. An et quomodo sit locus prorogationi reductionis duplicis Missae quotidianae in casu etc. V. An sit concedenda dispensatio erigendi montem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ad aliud decennium ad formam praecedentis; et quidquid superest, multiplico conferatur. Ad tertium quartum et quintum, Affirmative ad decennium ad formam praecedentis; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo quoad omnia – *in Civitatis Castellanae Reductionis et Dispensationis die 27 Augusti 1831.*

124. Unde indulgetur unio Praebendae Archipresbiteralis Massae Capitulari, cum primaeva illius institutioni iuxta Pontificiam Bullam erectionis Collegiatae conformis sit, ac Archipresbiter assensum praebeat *in Senogallien. die 30 Ianuarii 1830.*

125. Enimvero Parochialis Ecclesia sub auspiciis S. Medardi Civitatis Arceviae ad Collegiatae honorem anno 1585 a Sixto V evecta est et ad Capituli dotem constituendam plura Pontifex tribuit bona, quae communem efformarent Mensam, quae integra permansit ad notissimas usque temporum calamitates, quo tempore omnia Collegiatae bona per Fiscum dirempta sunt, annua tantummodo Archipresbitero tamquam animarum curatori adsignata pensione. At reintegrato Pontificio regimine rebusque in antiquum statum restitutis, certa Archipresbitero tradita fuerunt bona, quae annuum offerebant fructum bis centum viginti unius. Nonnullis post annis etiam Canonicorum Collegium revixit, eique reddita sunt bona, quae ex naufragio supererant. Quapropter reditus, qui ante Collegiatae spolium ducto calculo per decennium, ad scutata 9991 pertingere solebant, post eius instaurationem, Archipresbiteri Praebenda minime comprehensa, ab anno 1822 ad annum 1828 summam attigerunt scutatorum 2211, licet Canonicos spes certa teneret, valde maiores in posterum futuros annuos Collegiatae fructus. Canonici itaque postularunt, ut bona Archipresbitero tradita capitulari Massae unirentur, ac omnia iura et onera iuxta primaevam institutionem redintegrarentur. Archipresbiter unioni assensum praebebat, certis tamen adiectis conditionibus, quas inter ut ius haberet, de quo Bulla erectionis silebat, percipiendi scutata septem eroganda in stipem Cantorum vel aliorum choro inservientium, si ob Mansionariorum absentiam extraneos in eorum subsidium advocari contingeret. Episcopus Canonicorum votis favit, cum non modicus splendor Collegiatae accederet, atque eo vel magis quod unio isthaec primaevae illius institutioni iuxta Pontificiam Bullam conformis esset. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit locus unioni bonorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus, iuxta votum Episcopi – *in Senogallien. Mensae capitularis die 30 Ianuarii 1830.*

126. Itaque condonantur quidem Capitulo plures fructus sibi non competentes, sed non dispensatur ab extinctione census passivi ac multo minus ab reintegratione sortis consumptae plurium legatorum nec non Massarum, ex eo quod reintegratio expleri debet facto annuo deposito, locus tamen est absolutioni a censuris, imposita salutari poenitentia *in Anagnina die 21 Februarii 1835.*

127. Enimvero penes Capitulum Cathedralis Anagninae tres numero Massae habebantur: prima, quae proprie Capitularis dicebatur, fundos habebat sibi privatim attributos, ac fere omnia sustinebat onera piorum Legatorum, quae in Ecclesia inhaerebant; altera, quae dicebatur *del quarto,* communis erat cum Episcopali Mensa, attributa sibi habebat latifundia Villae Magnae et Tischi aliaque pauca bona stabilia, fructusque ex ea obvenientes aeque ac insita onera dividebantur in partes quatuor, ex quibus ad tres Capitulum, quarta ad Episcopum pertinebant; tertia a Sacrario nomen habebat, omniaque ad sacrae Aedis conservationem et ornatum divinumque cultum necessaria suppeditabat, haec itidem Capitulo communis erat cum Episcopali Mensa, ac dicebatur Massa *del terzo*, quod ex triplici eius portione duas Capitulum sibi vindicabat, unam Episcopus, reditus eiusdem non excedebant annua scuta circiter tercentum, sumptus vero ferebat ad annua scutata plusquam sex centa, quae in sumptu proinde subsidia petebantur ex Massa *del quarto* proportione servata, quae tri-

plici huius Massae *del quarto* responderet. Superioribus temporibus unaquaeque Massa pro eo, quod necessitas flagitasset, aes alienum contrahere coacta fuit: sed minus recte se gessit Capitulum. Unde Emus Castracane Relator singulis mature perpensis, conclusit: – Quoniam, teste Episcopo, malae fidei simulari Capitulum non potest, obsecundandum putarem tribus prioribus Capituli petitionibus, ipsumque liberandum tum ab onere reintegrandae Arcae capitularis de scutis 660, ad dotes ante 1812 collatas nondumque solutas pertinentibus, tum de summa scutorum 105 collata ex ingressu Canonicorum in Beneficia, postremo de summa 170 ad dotes pertinente post annum 1812 sortitas, ea tamen servata ratione in omnibus, quam Episcopus proponit. Ad quartam petitionem quod attinet, etsi quid ponderis Episcopi difficultas mereatur, attamen fructuum diminutioni, quam timet ipse, consultum esset satis, suscepta a Canonicis obligatione solvendi partem fructuum, quae ex ea diminutione esset defectura. Mihi tamen magis probaretur, ut Capitulum scuta ter centum, hoc est dimidium census interim hereditati de Magistris restitueret, quae habita ratione maioris auctarii, quod generatim in censualibus contractibus et in omnibus pecuniariis creditis percipi nunc solent, starent loco vel totius capitis census de Magistris, vel saltem maioris illius partis, quae res cum Administratoribus illius hereditatis ab Episcopo et Capitulo simul concilianda esset. Postremum est, quod respicit tum annua deposita in summa scutorum triginta, tum huius oneris in solam Tertii Massam translationem. Neutrum horum Capitulo concedendum, sed Episcopi iudicio standum puto –.

128. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capitulo sit condonanda summa scutorum 660 ex dotibus ante annum 1812 collatis et non solutis pertinentibus in casu etc. II. An sit condonanda summa scutorum 105 a novis Canonicis et Beneficiatis in actu possessionis soluta in casu etc. III. An et quomodo Capitulo sit condonanda summa scutorum 170 provenientium ex dotibus collatis post annum 1812 et nondum solutis in casu etc. IV. An et quomodo sit dispensandum Capitulum ab extinctione census passivi de Magistris in casu etc. V. An et quomodo sit providendum reintegrationi sortis consumptae trium Legatorum in casu etc. VI. An et in qua summa et quomodo reintegrandae sint Massae Capituli in casu etc. VII. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris. Ad quartum Negative; et Episcopus administrator curet transactionem cum heredibus de Magistris pro extinctione census. Ad quintum, Affirmative; facto deposito quotannis scutorum quinquaginta usque ad reintegrationem, satisfactis interim oneribus ad formam concessionis, et reddita ratione Episcopo administratori quolibet anno de adimplemento. Ad sextum, Affirmative in summa liquidanda, facto annuo alio deposito scutorum sexaginta pro medietate a Massa capitulari et Quarti, pro altera vero medietate a Massa Tertii, docto. Ad septimum, Affirmative, imposita salutari poenitentia – *in Anagnina die 21 Februarii 1835.*

129. Qua de re si reditus Massae et Praebendarum pro temporum circumstantiis satis non sint pro decenti ac exteriori vivendi ratione Canonicorum, non modo indulgetur ad tempus reductio Missarum, sed et prorogatio et absolutio a praeteritis omissionibus, non vero reductio Anniversariorum nec nova reductio Missarum conventualium pro Benefactoribus; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Missae Canonicalibus Praebendis infixae ad tot reducendae sint, quot celebrari possunt ad eleemosynam carolenorum quinque pro unaquaque in casu? II. An sit locus reductioni Anniversariorum, ita ut eleemosyna ducatorum quinque sit assignanda pro unoquoque Anniversario in casu? III. An sit concedenda nova reductio Missarum conventualium pro Benefactoribus ad medietatem festorum in casu? –, Sacra Congregatio die 17 iunii 1820 respondit: – Dilata in omnibus, et transmittatur status activus et passivus Massae et Praebendarum, et notula distincta onerum Missarum sive cum cantu, sive lectarum –. His itaque impletis, repropositis eisdem dubiis Sacra Congregatio die 16 de-

cembris 1820 respondit: – Ad primum, Affirmative pro reductione ad triennium, nempe celebratis a quolibet Canonico annuis Missis centum. Ad secundum et tertium, Negative –. Quum autem causae necessitatis, expirato triennio, adhuc perseverarent, proposito dubio: – An sit prorogandum Indultum reductionis Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 februarii 1824 responsum tulit: – Affirmative ad aliud triennium ad formam praecedentis –. Inde, eo prorogationis tempore praeterlapso, exposuerunt Capitulares obtinuisse ab Episcopo opportunis facultatibus aucto eamdem Sacrorum imminutionem ulterius protrahi usque ad annum 1837. Deinceps vero per binos subsecutos annos in eadem reductione perseverasse proprio marte, ex errore tamen, quod scilicet facultates Episcopo concessae adhuc perdurarent. In hoc rerum statu postularunt prorogationem ad quinquennium vel quousque necessitatis causae eam urgerent, nec non absolutionem quoad Missas absque Superiori placito omissas annis 1838 et 1839. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo sit proroganda Missarum reductio in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad aliud quinquennium. Ad secundum, Affirmative etiam quoad omissiones usque ad praesentem diem, celebratis tribus Missis cum cantu integro adstante Capitulo, et una Missa lecta ab unoquoque ex Canonicis – *in Thelesina et Cerretana Reductionis et Absolutionis die 23 Novembris 1844.*

130. Unde si reditus Massae imminuti fuerint et adsit bona fides ac impotentia, nedum indulgetur ad tempus reductio Missarum Conventualium, facto interim annuo deposito ad aes alienum dimittendum, sed et eiusdem Indulti prorogatio cum imminutione depositi conceditur ad aliud decennium *in Romana Prorogationis Indulti die 15 Decembris 1804.*

131. Siquidem Beneficiati S. Mariae Transtyberis distinctam a Canonicis Massam habebant: sed reditus ita decreverunt, ut, iis inter octo Beneficiatos divisis, quisque, distributionibus quotidianis comprehensis, percipiebat annua scuta fere quadraginta quinque. Supplicarunt itaque pro indulto applicandi Missas Conventuales diebus feriatis in implementum aliorum onerum Collegii, facta in iisdem simplici commemoratione pro Benefactoribus. Emus Card. Titularis instantiae favit, dummodo firma maneret – servata methodus alternae celebrationis Missae Conventualis, eiusdem applicatio pro Benefactoribus in genere a Beneficiatis facienda ad semel tantum in hebdomada decennio reducatur ea tamen lege, ut quotannis deponere teneantur tum scuta quinquaginta superius recensita, tum alia scuta viginti, quae respondent eleemosynae reductarum Missarum ad hoc, ut, redintegratis prius quatuor Locis Montium distractis, totum subinde aes exolvatur alienum –. Quare Sacra Congregatio die 20 septembris 1794 facultatem tribuit Emo Titulari, – ut enunciatum onus Missae conventualis pro suo arbitrio iuxta superius descriptum eius votum per decennium tantum reducere ac moderari possit ac valeat –. Primo ab impetrato Indulto anno confectum fuit depositum scutorum septuaginta, ut erat praescriptum: sed exin inter varios rerum publicarum casus a deposito omnino cessarunt. Properante ad exitum decennio in Indulto contento, postularunt prorogationem simulque, ut minueretur depositum infra summam scutorum quinquaginta. Nam gravior erat inopia Beneficiatorum ob imminutos fructus Locorum Montium, quos olim exigebat in scutis 140, nec non ob difficultatem exactionis pensionum, quae aegre percipiebantur ex domunculis. Absolvendi pariter esse videbantur a praeterito inadimplemento depositi, cum id non socordiae et malae fidei, sed impotentiae tribuendum videretur.

132. Proposito hinc dubio: – An sit locus prorogationi Indulti 20 septembris 1794 nec non diminutioni depositi et absolutioni quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus; nempe pro prorogatione ad aliud decennium a die expirati indulti; et, praevia absolutione quoad praeteritum, conficiendum esse depositum in annuis scutis quadraginta ad effectum investiendi arbitrio Emi Titularis, cum solitis clausulis – *in Romana Prorogationis Indulti die 15 Decembris 1804.*

133. Ceterum cum reditus Parochialis et Collegiatae Ecclesiae ex dismembratione Pa-

raeciae ita imminuti fuerint, ut ea in ruinam vertere videatur, quandoque Sacra Congregatio rem committit D. Secretario cum Summo Pontifice iuxta mentem *in Reatina Dismembrationis die 2 Iunii 1821 die 15 Septembris 1827 et die 26 Aprilis 1828.*

134. Siquidem cognita fuit necessitas dismembrationis Collium a Parochiali et Collegiata simul Ecclesia Oppidi Alabri: sed Municipes et Patroni exposuerunt, ex facta rurali Paraeciae assignatione decimarum, promanare Matricis Ecclesiae destructionem, ob subtractam congruam tum Archipresbitero, tum Canonicis concuratis, qui iam alibi pinguiores obtinuerunt Paraecias. Proposito interim dubio: – II. An et quomodo sit providendum tenuitati redituum Ecclesiae Collegiatae Alabri in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 Iunii 1821 respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo, qui, transmissa fundatione Collegiatae, referat de qualitate servitii choralis, de statu activo et passivo Paraeciae et Ecclesiae Collegiatae per decennium comprehensis incertis et distributionibus, nec non Beneficii SS. Crucifixi; et proponat, quatenus opus sit, media augendi reditus, salvis tamen decimis et congrua Paraeciae S. Mariae Magdalenae Collium –. Episcopus mandatis obsequutus est: sed statum activum et passivum transmittere non valuit. Hinc reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 15 septembris 1827 responsum dedit: – Dilata, et ad mentem: mens est, ut novus Episcopus referat magis praecise et sollicite super omnibus ad formam praecedentis resolutionis Sacrae Congregationis diei 2 iunii 1821 –. Episcopus itaque distincte retulit, reditus Collegiatae pertingere scuta 132 14, onera vero ad summam scutorum 143. 14 adscendere; reditus Beneficii SS. Crucifixi constituere summam scutorum 79. 71, onera eiusdem pertingere scuta 28. 61; reditus Parochialis Ecclesiae Collium ascendere ad summam scutorum 155. 10, onera ad summam scutorum 32, 80. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad D. Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem – *in Reatina Dismembrationis die 26 Aprilis 1828.*

135. Quod si reditus Praebendae Canonicalis et hereditatis per Testatorem Capitulo relictae sint satis ampli, indulgetur quidem absolutio a praeteritis omissionibus, non vero Missarum reductio; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc. II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione super praeteritis omissionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative celebratis Missis octoginta lectis et una cum cantu, adstante universo Capitulo – *in Montis Regalis Reductionis et Absolutionis die 22 Decembris 1832.*

136. Qua de re Canonici Cathedralis Rubensis postularunt quidem reductionem Missarum capitularem Massam gravantium ex augmento vectigalium, quae ex ducatis 100 in praesens ad ducata 1026. 66 excreverunt, ex invariabili onere, per Regium Statutum imposito quotannis pensitandi ducata 60 singulis Participantibus, ex moderna *cerealium* vilitate, ex tenuitate domorum pensionum, quae etiam saepe ob Inquilinorum inopiam inexigibiles erant, ac tandem ex difficultate debitorum nomina exigendi. Hinc deductis oneribus, quod reliquum erat in tot fundis assignabatur, idest Archidiacono pro ducatis 210, Archipresbitero ac duobus Primicerii pro ducatis 180 pro quolibet, pro ducatis 150 Canonico Poenitentiario, totidemque Canonico Theologo, singulis Canonicis ac Participantibus pro ducatis 110, tandem unicuique ex Inservientibus pro ducatis 60. Advertebatur vero, ex Sacrae Congregationis disciplina pluries congruam fuisse declaratam pro Canonicis portionem, quae triginta vel quadraginta scutatos nummos attingeret ab omni onere puros. Insuper Canonici absolutionem quoque flagitarunt pro iis Sacris, quae nonnulli Canonici vita functi non litata reliquerunt; nec heredes suorum auctorum omissioni supplere ob inopiam valebant, nec se esse huiusmodi omissioni supplere obligatos contenderunt Capitulares, quoniam ea citra eorum culpam contigerit ac Sacrorum stipendia defuncti perceperint. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio in casu etc. II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione super praeteritis Mis-

sarum omissionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Affirmative celebratis sex Missis cum cantu, integro adstante Capitulo – *in Ruben. Reductionis et Absolutionis die 1 Februarii 1840.*

137. Hinc multo minus indulgetur reductio legati Missarum Collegiatae Ecclesiae relicti, cum praesertim reditus Massae Capitularis imminuti fuerint ob malam ac independentem Canonicorum administrationem *in Montis Alti Reductionis Onerum die 11 Iulii 1840.*

138. Siquidem Canonici Collegiatae Ecclesiae Oppidi Castineani de Massa Siliquini ob redituum diminutionem petierunt reductionem bis centum sexaginta trium Missarum ad unum Anniversarium, quas celebrare tenebantur propter hereditatem Collegiatae relictam anno 1774 ab Antonio Mozzetti. At Episcopus autumavit, locum habere non posse praefatam Missarum reductionem ea ratione, quia huiusmodi onera Missarum in casu non derivabant ex bonis ad Massam ipsam capitularem spectantibus, sed ex legato Missarum peculiari ad Ecclesiam distincte pertinenti cum speciali et divisa administratione, ita ut Canonici non haberent, nisi commodum eleemosynae percipiendae ab eorum celebratione; quare huic legato alias iuris censuras aptandas contendit, quae pro reductione Missarum generatim firmantur, scilicet quod ubi pares sunt reditus oneribus reductioni aditus non pateat. Accedebat, saepius ab Sacra Congregatione fuisse constitutum, alia potius onera et ipsum potius chori servitium ordinarie conducere, ut redigantur, potiusquam Missae. Advertebatur tamen, novum non esse, ut etiam Missarum legata ad augendos tenues Canonicorum reditus imminuantur; ac tenues dici ordinarie fructus, qui summam scutorum triginta vel quadraginta non exaequent. Annui vero reditus Canonicorum de Massa Siliquini scutorum 20 ad scutata 13 et obulos 5 redacti erant. At Episcopus subdidit: - Quoniam in gerendis Massae negotiis existimant, se exleges ab Episcopo esse vigore facultatis a Siquilino institutore impertitae administrandi exigendi etc. Diaecesani loci, vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; ita putarem, damnum ex amissione scutorum 908 receptum iure meritoque ab eis, qui erant de gremio, vel a decessorum heredibus rependi debere –. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Canonicorum Massae Siliquini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus – *in Montis Alti Reductionis Onerum die 11 Iulii 1840.*

139. Hinc Massarii uniuscuiusque Capituli seu Cathedralis Ecclesiae ex Constitutione Benedicti XIII, cuius initium *Maxima vigilantia,* tenentur ad Diaecesani libitum inventarium omnium bonorum Ecclesiae sive mobilium, sive immobilium conficere, illique singulis annis de eorum administratione rationem reddere *in Savonen. die 8 Februarii 1744* §. *Duo.*

140. Idcirco Episcopus Savonensis die 22 Februarii 1740 iure ac merito Edictum proposuit, quo praecepit, ut Massarii Ecclesiae Cathedralis sese intra fines sui muneris officiique continerent, et Synodales Constitutiones observarent, quibus cautum erat, ut Massarii singulis annis de eorum administratione rationem redderent, ac repertorium sive inventarium facerent bonorum sive mobilium, sive immobilium Ecclesiae, iuxta Constitutionem Benedicti XIII *Maxima vigilantia,* statuto ob id certo tempore; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Edictum Episcopi publicatum die 22 Februarii 1740 sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit. Ad secundum, Affirmative – *in Savonen. die 29 Februarii 1744.*

§. V.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM QUOAD MUNIA ET OFFICIALES.

1. Quum pendente appellatione privationis Canonicatus permissum non esse videatur Canonico se in actibus Capitularibus ingerere citra vitium attentatorum, nulla videtur electio Officialis facta in Capitulo, cui huiusmodi Canonicus interfuit *in Romana Canonicatus die 3 Decembris 1718* §. *Porro.*

2. Certum tamen est, validam esse electionem Camerarii, licet in actu electionis interfuit Canonicus, qui passus fuerat sententiam privationis Canonicatus ob non residentiam, et adhuc pendebat appellatio; his enim in terminis Promotor Fiscalis contendit quidem, non esse de hac electione habendam rationem, quum, pendente appellatione, non esset eidem permissum se in actibus capitularibus ingerere citra vitium attentatorum, sed Sacra Congregatio, nulla ac irrita declarata sententia privationis Canonicatus, proposito dubio: – II. An electio Camerarii facta in Capitulo habito sub die 29 maii proxime elapsi propter interventum Canonici de Pace sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Romana Canonicatus die 3 Decembris 1718.*

3. Hinc et valida renunciatur electio Archipresbiteri et Parochi Ecclesiae Cathedralis in Camerarium *in Sabinen. Electionis die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

4. Enimvero – iam sub die 23 aprilis ultimo elapsi Canonici Cathedralis Ecclesiae Malleani consilium inierunt super electione Camerarii capitularis, eorumque quatuor suffragium tandem dederunt Canonico Pasqualono, reliqui vero octo in partibus steterunt Archipresbiteri Ioannetti. At protinus nonnulli ex Canonicis autumare ceperunt, quod nulliter prorsus huiusmodi electio expleta fuisset, tum quia mox dictus Archipresbiter, ut perhibetur, sibimet suffragaverit, tum quoque sub obtentu, quod perspectis capitularibus assertis Constitutionibus incompatibile simul reputari debeat Camerarii officium cum Archipresbiteri dignitate in una eademque persona. Hinc inter partes acri suscitato iudicio in ipsius progressu suffraganeus Sabinensis desuper interloquendo, per modum provisionis et sine praeiudicio iurium Partium, eiusmodi munus commisit Canonico Ioannetti Felici Venturae, quousque Causa definitive decerneretur. Ab huiusmodi vero Decreto Archipresbiter Ioannettus provocavit ad Tribunal A. C. ac subinde, delata huiusmodi controversia ad hunc Sacrum Consessum, quam enixe modo retundere conatur praelibatas exceptiones, pluribusque se confovere contendit in munere Camerarii. Idcirco, perspecta Ordinarii relatione in Summario exhibenda, superest, quod EE. VV. non dedignentur pro eorum iustitia et prudentia definire: – I. An electio Archipresbiteri et Parochi Cathedralis Ecclesiae in Camerarium Capituli sustineatur in casu etc. *Et quatenus Negative.* II. An deveniri debeat ad novam electionem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo – *in Sabinen. Electionis die 30 Septembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

5. Nec tenetur Capitulum se abstinere ab eligendo Canonico Hebdomadario et Curato Ecclesiae Cathedralis in officia Capituli secretarii archivii custodis aliorumque similium *in Vicen. Visitationis Sacrorum Liminum die 13 Aprilis 1690.*

6. Hinc neque Canonicus Coadiutus exemptionem ab officio Fabricerii ratione Coadiutoriae praetendere potest; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An electio ad officium Fabricerii in persona domini Canonici Goria sustineatur in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Canonicus Goria sit excusandus ab acceptatione dicti Officii in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An exercere teneatur per se ipsum, vel illud exercere valeat per suum Coadiutorem, aut alium ex Beneficiatis eiusdem Cathedralis, ab ipso substituendum in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Nega-

tive ad primam partem, Affirmative ad secundam, Negative ad tertiam – *in Asten. Officii Fabricerii die 2 Octobris 1721.*

7. At nulla ac irrita est electio in Camerarium Canonici in sacro Subdiaconatus ordine non constituti et a loco residentiae causa studiorum ex indulto absentis, quin etiam huiusmodi Officium exercere valeat simplex ac temporarius Substitutus pro servitio chori *in Sabinen. die 31 Maii 1783.*

8. Siquidem Caesar Sola Clericus Mutinensis Canonicatum Presbiteralem ex praesentatione Ducis Grillo obtinuit in Collegiata Ecclesia Ereti vulgo *Monte Rotondo* cum dispensatione tam super defectu aetatis, quam super residentia causa studiorum, donec Presbiteratum fuisset assecutus, et cum onere substituendi alium Presbiterum, qui pro ipso Choro interveniret hisce verbis: – Nos enim praefato Caesari ad hoc, ut ipse literarum studia per eum incepta prosequi possit et donec Presbiter existat, ut a praefata Collegiata abesse possit, deputato tamen interim Presbitero Seculari idoneo cum congrua, qui pro eodem Caesare apud dictam Collegiatam Ecclesiam personaliter residere et in ea singulis diebus et statis temporibus horas canonicas diurnas et nocturnas ac Missas et alia divina Officia et servitia recitare persolvere et celebrare iisque interesse, ac alias eidem Ecclesiae in divinis deservire teneatur, Apostolica auctoritate praefata tenore praesentium concedimus et indulgemus –. Ponderandum hinc erat, an Indultum hoc protrahi et intelligi etiam posset de exercitio munerum, ita ut a Substituto adimpleri possent. Nam die 31 decembris 1782 Canonicus Sola electus fuerat Camerarius, sed ob eius absentiam substitutus fuit Sacerdos Hilarius Paladini ad subeunda Canonicatus munia ab eo subrogatus. Porro Canonicus Curius Pienezza sustinuit, nullam esse electionem Canonici Sola, qui Subdiaconus non erat, prout necesse fuisset, ut haberet vocem in Capitulo, nec exercere posse Officia Capituli, qui non habebat ius ferendi suffragium; multoque minus exercere posse officium Camerarii, quod personalem residentiam et assistentiam requirebat. Advertit insuper, Substitutum a Canonico Sola esse simplicem Presbiterum, nec inter Capitulares cooptatum; et facultatem substituendi tributam pro servitio chori trahi non posse ad exercenda munera Capituli, cum et ex Collegiatae Statuto tenerentur Capitulares Camerarium eligere de gremio Capituli. Animadvertebatur tamen, quod Doctores inter se disputant, an prohibitio ferendi suffragium in Capitulis indicta Canonicis, qui in sacro Subdiaconatus ordine non sint constituti, praeseferat etiam privationem vocis passivae, ita ut ad nullum officium eligi possint. Alii enim affirmativam, alii negativam tuentur sententiam. Ceterum Sacra Congregatio Visitationis Apostolicae die 3 decembris 1663 decrevit, – hanc prohibitionem habere locum in voce activa dumtaxat, non autem in passiva –. Sacra Congregatio vero in Narnien. die 20 martii 1649 declaravit: – Sacra Congregatio, partibus auditis et rationibus hinc inde deductis mature perpensis, censuit, Canonicos Coadiutores, etiam Coadiutis absentibus, non posse Capitulis interesse, nec in illis votum dare, nec Officium nuncupatum *Anziano della Chiesa* exercere, nisi ista in Literis Apostolicis Coadiutoriae explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur –. Idcirco multo minus praefatus simplex temporarius Substitutus pro servitio chori destinatus promoveri posse videbatur ad Officia canonicalia.

9. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur electio in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Officium Camerarii exerceri possit a Substituto in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Sabinen. die 31 Maii 1783.*

10. Nulla pariter censetur ac est electio Officialium Capituli facta reclamantibus decem ex uno supra viginti Canonicis et suffragium ferre nolentibus, nec non votum suum dante Vicario Generali in sacris non constituto, absente Archiepiscopo *in Hydruntina Electionis Officialium die 11 Aprilis 1699 lib. 49 Decretorum.*

11. Iamvero – congregato iuxta solitum Capitulo Ecclesiae Cathedralis cum interventu Vicarii Generalis ad effectum explendi deputationem Officialium, nempe Syndici duorum Auditorum et Secretarii, Canonicus Horatius Cerra et Franciscus Sancta Barbara exhibuerunt duo procurationis mandata ad eligendum

in eorum personas facta a duobus Canonicis absentibus et commorantibus in Civitate Neapolis. Opposuerunt decem ex viginti uno Canonicis congregatis, praefata mandata absentium extra Provinciam non esse admittenda sub protestatione nullitatis electionis, et alter ex eis protestatus quoque fuit, Vicarium Generalem praesertim in sacris non constitutum, absente Archiepiscopo, non posse suffragium ferre in Capitulo; sed hisce protestationibus non attentis, processum fuit ad electionem, reclamantibus tamen et suffragari nolentibus praefatis decem Canonicis, et per maiora suffragia, computatis iuxta solitum duobus votis Vicarii Generalis, electi fuerunt in Syndicum Canonicus Franciscus Marchio, in Auditores Canonicus Antonius Nocita et Canonicus Horatius Cerra, et subinde viva voce elegerunt in Secretarium Canonicum Mathiam de Papis. Adversus huiusmodi electiones tamquam multipliciter nullas, recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem alii Canonici, qui suffragium dare recusarunt –.

12. Propositis itaque dubiis: – I. An electio Syndici et Auditorum substineatur in casu etc. II. An Vicarius Generalis, absente Archiepiscopo, etiamsi non sit constitutus in sacris, possit interesse et vocem habere in Capitulo? –, Sacra Congregatio respondit: – Ex deductis ad utrumque Negative – *in Hydruntina die 11 Aprilis 1699 lib. 49 Decretorum.*

13. Hinc electio Officialium in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Firmi fieri debet annuatim per secreta suffragia, exclusis ab exercitio Officiorum Praebendatis, et Officia Camerarii et Revisorum computorum cumulari non debent in uno eodemque Canonico; proposito enim dubio: – VIII. An in eadem Collegiata Ecclesia Officia capitularia annuatim sint mutanda seu renovanda in capitulari Congregatione quolibet anno ad id specialiter habenda in casu etc. –, Sacra Congregetio responsum dedit: – Ad octavum, Affirmative ad formam Decreti Visitationis diei 11 maii anni 1781 – *in Firmana die 8 Iunii 1782.*

14. Reproposito dein dubio sub formula: – II. An et quomodo quoad octavum dubium sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit. – Quoad octavum, in decisis iuxta modum; et modus est, quod electio Officialium fiat per secreta suffragia, exclusis ab exercitio Officiorum Praebendatis, et Officia Camerarii et Revisorum computorum tantum in uno eodemque Canonico non cumulentur; et amplius – *in Firmana die 6 Septembris 1783.*

15. Maior autem Capituli pars nequit abrogare consuetudinem eligendi Officiales, diversamque methodum in electionibus eidem substituere *in Alatrina die 17 Iunii 1820.*

16. Enimvero iamdiu vigebat in Cathedrali Ecclesia Alatrina consuetudo singulis annis Capituli Officiales per secreta suffragia eligendi, facta a Canonicorum seniore, quem Decanum dicebant, idoneorum Capitularium Canonicis suffragium laturis propositione. Unde et a quo tempore ortum duxerit haec consuetudo non satis colligi poterat; sed certo videbatur, consuetudinem illam pervetustam fuisse, nec contrariis actibus interruptam. At cum anno 1817 die 18 ianuarii de more capitulariter convenissent Canonici pro illius anni Officialibus eligendis, orta est inter Canonicos contentio circa methodum in electione servandam. Siquidem nonnulli contendebant inducere morem, qui in fere omnibus Capitulis servatur, eligendi per suffragia omnes Canonicos á primo ad postremum, et ita eum praeeligere, qui maiorem votorum favorabilium quantitatem referret; cumque novitatis huius promotor Canonicus Pirri pro ea perorasset, propositum fuit, ut secreta exquirerentur suffragia, quorum septem favorabilia, contraria quinque inventa fuerunt. Contra Capitularem hanc resolutionem statim Canonicus Decanus Franciscus Morra solemnem coram pluribus Canonicis in Sacristiae aedibus protestationem emisit, quam inter acta capitularia relatam, sequuta deinde est contraria protestatio sub die 24 februarii Canonici Pirri. Nam resolutio Capitularis recte expleta videbatur ob consensum maioris Capituli partis. At cum ageretur de actu Capituli voluntario, non necessario, et contra antiquam consuetudinem, videbatur proinde non maioris partis Capituli, sed omnium Canonicorum concordem requiri voluntatem, praesertim cum res esset de damno inferendo iuribus, quibus Canonicus Decanus eousque potitus fuerat. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An resolutio capitularis diei 18

ianuarii 1817 sit approbanda in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Alatrina die 17 Iunii 1820.*

17. Nam consuetudo iure non vilis auctoritas est; imo aliquando eamdem vim habet, quam ius scriptum, ac ut legem legitime constitutam habendam esse tradunt post Textum in Lege *De quibus* 22 ff. de legibus, Cap. 18 de praebendis, Cuiaccius in observ. lib. 10 quaest. 1, et Devoti Inst. can. proleg. cap. 4 §. 50 *in Alatrina die 27 Maii 1820* §. *Porro.*

18. Idcirco exorta controversia in Collegiata Ecclesia S. Erasmi quoad electionem muneris Cellerarii, quo omnes fungi studebant, propositis dubiis: – III. An sit servanda praetensa consuetudo quoad electionem Cellerarii? *Et quatenus negative.* IV. An nova sit introducenda methodus et quomodo?-, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative adiecta poena arbitrio Episcopi contra recusantes sine causa approbanda ab Episcopo. Ad quartum, provisum, in tertio– *in Verulana Portionum canonicalium et electionis Cellerarii die 25 Ianuarii 1744.*

19. Alias vero compertum est, in electione Officialium capitularium, immo et novi Canonici, nullam certamque formam a iure praestitutam esse *in Novarien. Electionis die 5 Iunii 1858* (1).

20. Qua de re quum valida sit confirmatio Officialium unico tantum scrutinio facta per maiorem Capituli partem, nulla renuntiatur cautio coram ipsis vel Capitulo ob praetensam nullitatem electionis haud praestita *in Novarien. Electionis die 5 Iunii 1858.*

21. Siquidem in Novariensis Ecclesiae Capitulo, quod octodecim constabat Canonicis, septem unoquoque biennio vel noviter eligi vel veteres prorogari solebant Officiales ad capitularia negotia gerenda, qui delata munia recusare expresse prohibebantur ex censura §. 33 capitularis Statuti; nec ullum ceteroquin compendium ex eorumdem munerum exercitio sibi sperare poterant. Accidit interea, ut ineunte anno 1857, cum de deligendis vel confirmandis Officialibus res esset, quin nova eorumdem electio singillatim perficeretur, propositum fuerit, ut omnes Officiales, qui anteacto biennio data ipsis munera exercuerunt, unico tantum supponerentur scrutinio, ac confirmati censerentur, quoties maior Capituli pars in eorum favorem consensisset, ceu iam alias factum fuerat anno 1847, et quotidie etiam consimili forma fieri solebat, quoties de Synodalium Examinatorum confirmatione agebatur. Huiusmodi propositioni nemo ex Capitularibus vel leviter restitit: quapropter illico exequutioni demandata, collectisque suffragiis, patuit, undecim ex Capitularibus veterum Officialium confirmationi favisse, septem vero fuisse adversatos. Qua de re eorumdem confirmatio conclamata est. Haec omnia pacifice gesta fuerant. At delatis Officiis per electos ingressis, quatuor Canonici, qui eousque alte siluerant, de electionis nullitate in privatis sermonibus querelas movere ceperunt; et capitularibus comitiis per Capituli Praesidem indictis interesse constantissime recusarunt. Insuper cum ex §. 23 capitularis Statuti fideiussionem quamdam praestare adigerentur Ecclesiae et chori servitio interessendi sex mensium in singulis annis (qua omissa quaedam extraordinaria lucra percipere nequibant) cautionem huiusmodi haud exhibere existimarunt vel coram universo Capitulo legitime congregato, vel saltem coram Syndico et Cancellario capitularibus, ceu in eodem §. cautum erat, eosdem tamquam intrusos ac omni auctoritate destitutos reputantes. Quamdam sed vero declarationem emiserunt die 2 Ianuarii 1858 hisce verbis conceptam: – Nos subscripti Canonici illustrissimis et reverendissimis Decano ceterisque Collegis fideiubemus, prout de more, eorum quorumlibet singulos pro singulis vices suppleturos atque Ecclesiae servitium et chori per sex menses hoc labente anno 1858 praestituros, quam fideiussionem iterum praestare spondemus in comitiis legitime congregatis, quibus Canonicus Decanus praefuerit, uti de iure –.

22. Canonici dissidentes, ut nullitatem electionis evincerent, perpenderunt in primis, ex censura Cap. *Quia propter* de electione vetitum omnino esse plurium una simul electionem conglobatim perficere; ac vetitum

(1) Hostien. in Cap. *In Genesi*, n. 14; Cardin. ibidem n. 3; Abbas in Cap. *Quia propter*, n. 9; et in Cap. *Ecclesia vestra*, n. 3; Rota in decis. 289, n. 20 et 38 Recent. part. 6; et in decis. 210, n. 9, part. 9.

quoque esse in quavis electione perficienda sibimetipsi proprio suffragio favere. Nec obstare dixerunt resolutionem Sacrae Congregationis in Matheranen. et Acheruntina, cum magnum inter huius decisionis casum et speciem, de qua agebatur, discrimen intercederet. Nam in casu Matheranen., post secretum scrutinium facta cuique facultate sibimetipsi adhaerendi, publice ac palam per viam compromissi ad electionem deventum erat. In praesenti specie e converso unum tantum habitum fuit scrutinium et quidem secretum. Praeterea in casu Matheranen. aberat ratio ambitionis, in specie praesenti ambitiose egerunt Officiales, dum non aliorum electioni accedebant, sed sibimetipsis proprio ac secreto suffragio favebant. Nec opponendum pariter censuerunt, ex iure haud prohibitum esse electo quoties electores in id conveniant, sibi ipsi votum dare: namque nemo ex Canonicis propositam methodum vel approbavit vel abnuit, quin obesset, quod in actu electionis protestationem non emiserint, cum postea, detecto defectu, recursum ad Sacram Congregationem interposuissent. Validam subinde sustinuerunt cautionem praestitam, cum nec ullus esset, qui legitime Capitulum congregare posset, vel qui Syndici vel Cancellarii munere fungeretur. E contra vero Praeses capitularis et ceteri Canonici adverterunt in primis, in electione Officialium nullam certamque formam a iure praestitutam esse; formas vero ac solemnitates, de quibus agunt Cap. *Quia propter* et Cap. *Cumana* de electione, tunc tantum servandas esse, cum de Praelatorum ac Dignitatum ecclesiasticarum electione agitur. Nec pariter aliquid peculiare in hisce electionibus perficiendis cautum reperiri in capitularibus Statutis, quod adamussim non fuerit observatum. Haec enim in §. 33 sub titulo de officialibus Capituli deligendis constituunt: – Ad negocia gerenda tum ipsiusmet Capituli, tum aliarum quarumcumque administrationum Capitulo attributarum, Officiales deligantur oportet. Eorumdem Officialium electio multoque magis prorogatio nonnisi per secreta suffragia in aula capitulari habeatur –. Qua de re affirmarunt, liberum omnino fuisse Canonicis Novariensibus in casu, de quo agebatur, unam potius electionis formam seligere: aliqua sed vero forma electa, haud amplius unicuique eorum permissum esse contra proprium factum et contra iam expletam electionem insurgere eiusdemque nullitatem causare. Et in facto erat, quod illam omnes adprobarunt: idcirco in eam post plures menses insurgere non poterant Canonici dissidentes, cum non ageretur de vitio occulto electionis. Quin imo nullum in ea vitium occurrit, cum in Matheranen. et Acheruntina ad electionem processum fuerat per scrutinium, haud vero per compromissum: et agebatur de electione Vicarii Capitularis, adeoque aderat ambitionis ratio, non vero in casu praesenti, ubi de Officiis res erat, quae onus secumferebant. Gratuitum propterea commentum esse addiderunt, quod veteres Officiales sibimetipsis in suffragando favere potuissent. Palam autem esse sustinuerunt illegitimitatem praestitae cautionis, cum nulla subesset causa, cur eam in forma a Statuto praestituta non expleverint.

23. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur electio seu confirmatio Officialium capitularium in casu etc. II. An constet de illegitimitate fideiussionis per Canonicos reclamantes praestitae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in casu, de quo agitur. Ad secundum, Affirmative; absque tamen amissione distributionum decursarum in casu, de quo agitur – *in Novarien. Electionis die 5 Iunii 1858.*

24. Unde Camerarius, destinatus pro administratione partialis hereditatis Capitulo relictae, potest per Canonicos post annum et plures confirmationes iterum ex integro elegi ad idem officium cum uno voto supra medietatem, quin obstet consuetudo, qua Officiales Capituli et signanter Camerarius non confirmentur in idem officium, nisi cum duabus ex tribus partibus votorum *in Senen. Camerariatus die 8 Martii 1698 et die 28 Martii 1699 lib. 48 et 49 Decretorum.*

25. Enimvero – viget in Metropolitana Ecclesia antiqua consuetudo etiam per Decreta capitularia pluries, ut asseritur, confirmata, ut duo Camerarii, qui quolibet anno eligi solent de gremio Capituli, alter nempe ad gerendum et administrandum eiusdem Capituli negotia, alter vero pro administratione hereditatis quondam Canonici Capacci, eligantur

solum ad annum, quodque ad validitatem electionis sufficiat maior pars suffragiorum, pro confirmatione vero post elapsum annum requirantur duae ex tribus partibus votorum. Ad formam istius consuetudinis electus fuerat annis praeteritis Camerarius pro administranda hereditate Capaccia Canonicus Marius Ugurgieri, cui successive pluries confirmato in subsequentibus annis tandem anno praeterito denegata fuit confirmatio ob deficientiam duarum ex tribus partibus suffragiorum. Cum autem Capitulares, omissa via confirmationis, putaverint, posse illum ex integro eligere, prout elegerunt cum solo maiori numero suffragiorum; hinc ceteri dissentientes a Capitulo recesserunt, protestata huiusmodi electionis nullitate, delataque postmodum de Partium consensu controversia ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Archiepiscopus, qui iura utriusque Partis eidem Sacrae Congregationi transmittens, illius iudicio in omnibus se submittit –. Quocirca utraque parte informante, proposito dubio: – An Camerarius et alii Officiales, qui confirmari non possunt in eorum officiis, nisi cum duabus ex tribus partibus votorum, eligi de novo possint ad eadem Officia cum uno voto supra medietatem, ita ut electiones ita factae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative quoad Camerarium hereditatis Capacci – *in Senen. Camerariatus die 8 Martii 1698 lib. 48 Decretorum.*

26. At non acquiescentibus Capitularibus, qui post denegatam confirmationem moderni Camerarii recesserant a Capitulo, protestantes de nullitate novae illius electionis quatenus fieri contigisset, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8 martii anni praeteriti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Senen. Camerariatus die 28 Martii 1699 lib. 49 Decretorum.*

27. Qua de re in electionibus Officialium ad Capitulum et Clerum Cathedralis Ecclesiae Tarentinae spectat eligere Scrutatores nec non urgente necessitate nominare aliquem Officialem infra annum, quin teneatur hoc in casu adhibere Scrutatores, et urna collocanda est in medio aulae capitularis ac numeratio fieri debet per scrutatores; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An in electionibus Officialium quotannis in Congregatione generali sub diebus 27 et 28 iunii fieri consuetis per schedulas spectet ad Archidiaconum eligere Scrutatores sive Extractores schedularum ex urnis, ubi nomina vocalium sunt inscripta, seu potius id spectet ad Capitulum et Clerum pro eius arbitrio in casu etc. II. An urgente necessitate eligendi infra annum unum aut plures Officiales sive Deputatos rerum Capitularium aut subrogandi aliquem in locum Officialium infra annum decedentium, nominatio unius vel plurium privative spectet ad solum Archidiaconum, seu potius ad quem et quomodo in casu etc. III. An in electionibus nominatorum ab Archidiacono, de quibus in secundo dubio, necessario adhiberi debeant Scrutatores ad instar electionum, quae fiunt in Congregatione generali, seu potius relinquendum sit arbitrio Capituli in casu etc. IV. An urnae pro excipiendis suffragiis in omnibus Congregationibus capitularibus sint per Archidiaconum circumducendae ad sedes singulorum Vocalium, seu potius retinendae sint per ipsum in sua sede manentem, vel potius collocandae sint in medio aulae capitularis, et ad quem pertineat ius numerandi suffragia in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: –, Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Negative ad primam partem; et amplius: et quoad secundam, spectare ad Capitulum, prout de iure. Ad tertium, arbitrio Capituli. Ad quartum, urnam esse collocandam in medio aulae capitularis, et numerationem faciendam esse per Scrutatores – *in Tarentina Praeeminentiarum die 1 Augusti 1750.*

28. Capellani vero, exercentes munus Sacristae et Praecentoris, nequeunt praetendere officia ac iura, quae ad ipsos nunquam pertinuerunt *in Cavallicen. die 9 Aprilis 1701 lib. 51 Decretorum.*

29. Siquidem – Ecclesia Parochialis Insulana, quae pridem per unicum Rectorem regi solebat cum coadiutoria duorum Presbiterorum ad sui nutum amovibilium, ab Episcopo Cavallicensi anno 1212 fuit in Collegiatam erecta, cum numero praefixo Canonicorum octo et unius Praepositi ab illis eligendi, ac

libera potestate administrandi omnia bona dictae Ecclesiae, quam quidem erectionem confirmavit sa. me. Honorius III, ac successive occasione controversiarum emanatarum inter Praepositum et Canonicos stabilitae fuerunt Canonicorum Praebendae nec non ordinationes et statuta pro bono regimine et gubernio Ecclesiae eo sane modo, quo relatum fuit in alia Cavallicen. Praepositurae antecedentis Congregationis. Munus Sacristae et Praecentoris, quod antiquitus ipsimet Canonici explebant, a centum circiter annis admissis in eadem Ecclesia ultra Beneficiatos nonnullis Capellanis, eisdem translatum fuit in titulum sine aliqua dignitate et per modum simplicis ministerii, ita ut praefati Capellani usque ad praesens dicto officio fungentes nullum ius habuerint circa actus capitulares, functiones solemnes Ecclesiae, administrationes bonorum, praebendas ac distributiones ad Praepositum et Canonicos de iure spectantes, ut iam deposuerunt Roubin Praecentor Pinet Beneficiatus ac Notarius et Secretarius Capituli; quin immo idem Praepositus et Canonici fuerunt ad exclusionem Sacristiae et Beneficiatorum manutenendi in privativa possessione administrationis, ut constat ex duobus Decretis editis de anno 1657, altero nempe Vicarii Generalis Cavallicensis, et altero Pro-Legati Avenionensis. Insuper Sacra Rituum Congregatio de anno 1573 in Causa vertente inter Canonicos huius Ecclesiae Collegiatae eiusque Sacristiam et Praecentorem super iure faciendi functiones in solemnioribus festivitatibus, absente impedito vel nolente Praeposito, declaravit, functiones ecclesiasticas spectare ad Canonicos digniores ordine successivo. Ac demum ex Decreto facto ab Episcopo Cavallicensi in Visitatione anni 1621 ac sententia Auditoris Emi Card. Legati lata de voto Congregationis Avenionensis, appellatione remota constat, Sacristam fuisse condemnatum ad conservandum vasa et indumenta sacra, subministrandum ceram oleum et alia necessaria, nec non pulsandum campanas pro Missis aliisque divinis Officiis celebrandis, eodemque instante in Congregatione Avenionensi pro assignatione congruae, eam denegatam fuisse apparet ex Decreto edito die 7 octobris 1677, quod una cum aliis supra relatis de subsequenti anno 1679 dictus Sacrista expresse acceptavit.

30. At cum praedicti Sacrista et Praecentor horum omnium immemores plures excitaverint praetensiones et signanter habendi vocem in Capitulo administrandi Anniversariorum bona, officiandi in choro et Altari cum Canonicis, et cum eis aequales obtinendi Praebendas et distributiones quotidianas, hinc duobus reformatis dubiis supplex Praepositus et Capitulum ab EE. VV. resolutionem exposcit -. Propositis itaque dubiis: - I. An ad Sacristam et Praecentorem Ecclesiae Collegiatae Insulanae pertineat ius habendi vocem in Capitulo et administrandi in ea Anniversariorum bona nec non in choro et Altari officiandi cum Canonicis? II. An ad eosdem Sacristam et Praecentorem divinis interessentes cum Canonicis pertineat ius percipiendi in vino tritico et pecunia super fructibus Massae capitularis pares Praebendas et distributiones quotidianas? -, Sacra Congregatio respondit: - Nihil in omnibus - *in Cavallicen. die 9 Aprilis 1701 lib. 51 Decretorum.*

31. Quin imo si contraria obstet observantia, Mansionarii et Clerici chorales ius eligendi et removendi Officiales praetendere nequeunt, licet votum habeant in Capitulis, dum agitur de administratione bonorum vel erogatione pecuniarum ad Massam communem spectantium *in Firmana Vocis in Capitulo die 17 Iunii 1797.*

32. Enimvero Mansionarii et Clerici Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei Murrivallium ponderandum rogarunt, per Camerarium administrari bona Mensae, quorum possessio nedum penes Canonicos, sed apud se etiam erat ex Bulla Xistina erectionis; proindeque illius electionem ad possessores omnes pertinere. Contraria ergo observantia in communi interesse, veluti opposita Xistinae et resolutioni anni 1734, privativum fortasse in eadem re non quaesivit ius ferendi suffragium. At ipsi non probabant, se unquam in ea partem habuisse. Idcirco licet Sacra Congregatio declaraverit, ad Mansionarios et Clericos praedictos pertinere ius interveniendi et votum reddendi in Capitulis, dum agebatur de administratione bonorum vel erogatione pecunia-

rum ad Massam communem spectantium, proposito tamen dubio: – III. An ius eligendi et removendi Officiales privative spectet ad Capitulum absque interventu Mansionariorum et Clericorum choralium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative – *in Firmana Vocis in Capitulo die 17 Iunii 1797.*

33. Unde dum in Ecclesia Cathedrali Biturtina officium Procuratoris generalis Capituli exerceri debet per Mansionarios, non propterea idem servandum est respectu aliorum Officiorum eiusdem Capituli; propositis enim dubiis: - I. An officium Procuratoris generalis debeat semper exerceri per Presbiteros participantes vel Mansionarios seu per Canonicos, vel potius per turnum a prima Dignitate usque ad ultimum Presbiterum in casu etc. II. An idem servandum sit respectu omnium aliorum Officiorum Capituli, ita ut Presbiteri participantes seu Mansionarii ad illa exercenda, sicuti Canonici eligi possint et debeant in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem; in reliquis, Negative. Ad secundum Negative - *in Biturtina die 26 septembris 1739.*

34. Procurator autem Capituli abesse potest a servitio chori pro tempore necessario ad explendum suum officium, non vero per quinque menses iuxta Statuta; proposito enim dubio: – XXIII. An Procurator Capituli possit abesse a servitio chori ex causa sui Officii per quinque menses iuxta praescripta in Statutis ipsius Ecclesiae Cathedralis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad vigesimum tertium, Negative; sed tantum abesse posse pro tempore necessario pro suo officio explendo – *in Acerrarum die 23 Augusti 1727.*

35. Nec dubium vel levissimum, quod Capitulum possit suo iure, absque licentia Episcopi, Secretarium deputare *in Anagnina anno 1606 lib. 11 Decretorum pag. 3.*

36. Electio autem Procuratoris seu Administratoris spoliorum Episcopi praedecessoris fieri debet ab Episcopo cum scientia et consilio Capituli Ecclesiae Cathedralis Iuvenacensis; proposito enim dubio: – III. An et ad quem spectet electio Procuratoris seu Administratoris dictorum spoliorum in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, spectare ad Episcopum cum scientia et consilio Capituli – *in Iuvenacen. Decretorum die 30 Martii 1743.*

37. Itaque Emus Episcopus Senogalliensis, exortis controversiis inter Archipresbiterum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Petri Montis Martiani, ex compromisso Partium anno 1781 inter cetera decrevit, capitulariter eligendos esse minores Ecclesiae Officiales, eorumque stipendium sumendum ex dote Sacrarii, distributis etiam inter ipsos incertis. Licet huiusmodi Decretum accepisset Archipresbiter, eo tamen forsan urgente, tredecim alia Emus Episcopus in Visitatione anni 1784 edidit, quorum secundo tertio et quarto mandavit, quod bina constitui deberent Sacraria, capitulare unum communi Archipresbiteri et Canonicorum sumptu, sub directione Clerici Subsacristae capitulariter eligendi; parochiale alterum unius Archipresbiteri sumptu, sub directione alterius Subsacristae ab ipso eligendi, attributis eidem Archipresbitero emolumentis funerum aliisque incertis. Mandavit insuper, quod capitulariter eligeretur Sacrista, eiusque stipendium pro medietate a Canonicis et Archipresbitero solveretur. At quantum Canonici soliciti erant de capitulari electione Subsacristae aliorumque minorum Officialium Ecclesiae, tantum sibi parcere studebant de illorum stipendio. Interim enim autumarunt, solvendum esse ex provisionali assignamento, de quo in secundo Decreto anni 1781; deindeque pro tertia ab ipsis parte, et pro reliquis duabus ab Archipresbitero, postquam scilicet in fine quindennii exoneratus foret ab annua contributione scutorum 100 pro fabrica Ecclesiae. Eam vero attulerunt huiusce inaequalis praestationis rationem, quod maius Officiales illi servitium praestabant Archipresbitero, ob animarum curam. Minores etiam Officiales respiciebant incerta eorumque divisio. Ea sane praestari solebant in praemium laboris, et ad illos pertinebant, qui incommodum sentiebant. Nedum vero de illorum pertinentia, sed de modo etiam deliberandum ea dividendi, et a quo fieri deberet divisio, quam Canonici iniungendam arbitrabantur Sacristae.

38. His mature perpensis, propositis dubiis: - XI. An et ad quem spectet electio Subsacristarum aliorumque minorum Officialium Ec-

clesiae, et a quo sit illis solvendum stipendium, et quatenus a singulis Capitularibus, in qua rata in casu etc. XII. An incerta, dictis minoribus Officialibus praestari solita a defunctorum heredibus aliisque, inter ipsos a Capitulo dividi debeant, seu potius privative pertineant ad Archipresbiterum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, servetur Decretum Emi Episcopi anni 1784. Ad duodecimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

39. Qua de re Episcopus mandare quidem potest Canonicis Camerariis exhibitionem librorum ad effectum reddendi rationem administrationis absque tamen poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, sed praecipere nequit Administratoribus continuationem oneris eorum munerum durante Visitatione *in Civitatis Castellanae Edicti die 31 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

40. Iamvero – proposito in hac Causa dubio super validitate censurarum ab Episcopo in Canonicos Antonium Samirrimam et Iacobum Ludovicum Paradisum in Congregatione habita die sub 19 iunii proximi praeteriti, eoque resoluto quod stante absolutione iisdem impartita ab ipsomet Episcopo satis fuisset provisum: modo in controversiam venit subsistentia eiusdem Edicti relati in folio praecedenti in quo 1 demandatur, ut coram Episcopo visitatore ratio administrationis ac librorum exhibitio fiat a Canonicis Camerariis Capituli, et si adsint Ministri ad id deputati, a Capitulo iuxta Diaecesanam Synodum pro his computis revidendis, cuius Synodi sumptum de sumpto usque tunc exhibitum fuit; 2 iniungitur Administratoribus continuatio oneris eorum munerum, durante Visitatione. Idque sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda aliisque arbitrariis –. Proposito itaque dubio: – An et in qua parte Edictum substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Substineri praeterquamquod prorogationem Officiorum et suspensionis, et amplius – *in Civitatis Castellanae Edicti die 31 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

41. Hinc et Canonicus Sacrista Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Pedonis tenetur reddere rationem administrationis sacrae supellectilis et emolumentorum ad formam Decreti in Sacra visitatione editi; proposito enim dubio: – XIV. An et cui Canonicus Sacrista debeat reddere rationem administrationis sacrae supellectilis et emolumentorum sacristiae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum quartum, servetur Decretum Visitationis anni 1691 – *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

42. Unde ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae Sarnensis, non vero ad Episcopum, spectat deputatio Procuratoris pro recipienda eleemosyna Missarum celebrandarum in praefata Ecclesia, et quoad eleemosynas Missarum celebrandarum in Capellis pertinentibus ad Societates servari debet solitum; quum enim Episcopus Sarnensis constituisset Procuratorem ad recipiendas eleemosynas Missarum in Cathedrali celebrandarum non a Capitulo, sed a se deputandum, proposito dubio: – IV. An deputatio Procuratoris pro recipienda eleemosyna Missarum celebrandarum in Ecclesia Cathedrali spectet ad Capitulum, vel potius ad Episcopum? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, spectare ad Capitulum; et quoad eleemosynas Missarum celebrandarum in Capellis existentibus in Cathedrali et pertinentibus ad Societates, servetur solitum – *in Sarnen. die 27 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

43. Quum autem Episcopus Iuvenacensis decreverit, quod Procurator Capituli Ecclesiae Cathedralis eligi deberet quotannis per secreta suffragia decima quinta die augusti, obliterato Prioris nomine, quo is antea donari consueverat, neque ullus ex Canonicis, sed alii dumtaxat Presbiteri ex numero Participantium eo Procuratoris munere perfungi possent, uti eousque in more positum fuerat, propositis dubiis: II. An liceat Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Iuvenacensis eligere in Procuratorem unum ex Presbiteris participantibus? III. An idem Procurator legitime electus possit nuncupari Prior, iuxta dispositionem Statuti dictae Ecclesiae Cathedralis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, Negative – *in Iuvenacen. Decretorum die 30 Martii 1743.*

44. Hinc sustinetur Decretum Episcopi in

Sacra Visitatione editum, quo prohibetur, ne Camerarii pro tempore impensam excedant scutorum decem ex reditibus Fabricae, nisi re prius in Capitulo proposita et cum consensu Vicarii Generalis, neque maiorem sub poena restitutionis impendant summam, nisi re prius ad Episcopum delata et licentia in scriptis obtenta *in Asculana die 12 iulii 1788 et die 7 Februarii 1789.*

45. Iamvero duplex Cathedralis Ecclesiae Asculi ut plerisque aliis erat patrimonium, Capituli unum, Fabricae alterum. Cardinalis Bernerius anno 1595 mandavit, ne Camerarii pro tempore impensam excederent scutorum decem ex reditibus Fabricae, nisi – re prius in Capitulo proposita et cum consensu Vicarii Generalis –; neque maiorem sub poena restitutionis impenderent summam, – nisi re prius ad Illm̃um et Rm̃um Dominum delata et licentia in scriptis obtenta –. Decretum hoc editum in Sacra Visitatione consentaneum dixit Promotor Fiscalis dispositioni iuris, quum administratio bonorum Ecclesiae moderari debeat ab Episcopo. Advertebatur tamen, quod huiusmodi Decretum usu ab initio receptum non demonstraretur, longeque ultra quadragenariam neglectum appareret. His mature perpensis, proposito dubio: - III. An sit servandum et exequendum Decretum cl. me. Card. Berneri Episcopi Asculani editum in Sacra Visitatione de anno 1595 in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Affirmative - *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

46. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis a tertio dubio in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad tertium, in decisis; et amplius – *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

47. Imo ipsa Officialium Capituli electio devolvitur ad Episcopum, si Capitulum post sex menses scienter eligere neglexerit *in Fulginaten. die 18 Martii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 423.*

48. Hinc Punctatores sunt eligendi a Capitulo quolibet anno; proposito enim dubio: - I. An Punctatores quolibet anno sint eligendi a Capitulo, vel potius illud munus exercendum sit ab Archidiacono, vel quibus? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, eligendos a Capitulo - *in Conversanen. Punctaturarum die 4 Decembris 1706 lib. 56 Decretorum.*

49. Idcirco licet Capitulo Collegiatae Oppidi Putignani eligere quotannis Expunctatores seu Appunctatores; proposito enim dubio: - VII. An liceat Capitulo eligere quotannis Expunctatores seu Appunctatores? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad septimum, Affirmative dummodo sint de gremio Capituli – *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741.*

50. Unde Capitulum eligere nequit in Punctatorem personam extraneam laicam et coniugatam, sed eligere tenetur unum Clericum de choro, eiusdem tamen arbitrio; quandoquidem Beneficiati seu Vicarii Ecclesiae Collegiatae Tungrensis probarunt, ex litera statuti Tungrensis eligi debuisse unum Clericum de choro, et eo usque semper uni ex Vicariis tale munus collatum fuisse, ac nonnisi in odium tunc personam laicam et coniugatam fuisse electam contra iuris dispositionem, ut ad rem Ceccoperius in lucubr. can. lib. 2 tit. 14 n. 20. Capitulum contra sustinuit, nullo iure nullaque peculiari lege cautum esse, ut alicui ex Vicariis officium Punctatoris committeretur, sed huius electionem libere ad Capitulum spectare, quod Ecclesiae dominus erat plenamque in ea iurisdictionem habebat. Nec obesse consuetudinem eligendi unum ex Vicariis subdidit; probavit enim, in primis hanc variam fuisse arbitrio Capituli, saepiusque alios fuisse deputatos. Addidit etiam, eamdem observantiam mere facultativam quoad Capitulum fuisse; hinc nullum ius Vicariis fuisse quaesitum, nec Capitulum suo arbitrio privatum. His itaque perpensis, proposito dubio: - X. An Punctatoris officium perpetuo conferendum sit alicui ex dictis Vicariis, seu potius liberum sit Decano et Capitulo ad idem quamcumque benevisam personam assumere in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad decimum, eligendum esse unum Clericum de choro, arbitrio Capituli - *in Leodien. die 12 Maii 1770.*

51. Reproposito dein dubio sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad X in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, in decisis; et amplius - *in Leodien. die 30 Augusti 1777.*

52. Episcopus autem alium Punctatorem eligere potest; proposito enim dubio: - XVI. An

electio Punctatoris facta per Archiepiscopum, praeter alium a Capitulo electum, substineatur? -, S. Congregatio respondit: -Ad decimum sextum, Affirmative; et scribatur Archiepiscopo, ut omnes punctaturas reddat uniformes dispositioni S. Concilii Tridentini - *in Salernitana Edictorum die 27 Septembris 1732.*

53. Hinc ad Officiales a Capitulo Cathedralis Ecclesiae Tarentinae electos pertinet ea peragere, quae, urgente necessitate, non facile possunt a Capitulo expediri, sive ad actus ecclesiasticos sive ad oeconomiam sive ad commune bonum vel decentiam spectant, in reliquis recurri debet ad Ordinarium; his enim in terminis proposito dubio: - VIII. An et a quibus dirigi et demandari debeant ea, quae urgente necessitate, non facile possint a Capitulo expediri, sive ad actus ecclesiasticos, sive ad oeconomiam, sive tandem ad commune commodum vel decentiam spectent in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, spectare ad suos respective Officiales a Capitulo destinatos; in reliquis recurrant ad Archiepiscopum - *in Tarentina Praeeminentiarum die 1 Augusti 1750.*

54. At Canonici filiifamilias seu legitimis exceptionibus obnoxii, si fuerint electi a Capitulo ad exercenda munia seu officia, non tenentur praestare cautionem, sed quoad reditus fabricae eam praestare debent; propositis enim dubiis: - VIII. An Oeconomus Ecclesiae, sive sit de gremio Capituli, aut secus, compellendus sit idoneam cautionem praestare, ab Episcopo approbandam in casu etc. IX. An Canonici Filiifamilias seu legitimis exceptionibus obnoxii possint exercecere munia deputationes et officia cuiuscumque generis et speciei spectantia ad Ecclesiam Cathedralem seu eius Sacristiam absque idonea cautione ab Episcopo approbanda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Affirmative. Ad nonum, Affirmative si fuerint a Capitulo electi; et quoad reditus fabricae, provisum in antecedenti – *in Asculana die 12 Iulii 1788.*

55. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis ab octavo et nono dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad octavum et nonum, in decisis; et amplius – *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

56. Itaque in Cathedrali Ecclesia Carpenctoratensi duo inter alios extabant Canonicatus, Poenitentiarii scilicet et Sacristae, quorum uterque Praebendae suae adiunctos habebat Prioratus quosdam sive Beneficia; Poenitentiario quippe adhaerebat Prioratus Ecclesiae parochialis loci Carumbi, ubi ad gerendam animarum curam Vicarius praeficiebatur, Sacristae vero adnexi erant gemini Prioratus, alter Rupis Henrici nuncupatus parochialem Ecclesiam continens Vicarii pariter regimini suppositam, et alter Ecclesiae S. Hippolyti certam quamdam regionem complectens non longe ab Oppido Carumbi dissitam, cuius Incolae decimas persolvebant Canonico Sacristae tamquam eius Ecclesiae Priori. Anno 1633 Episcopus Decretum tulit, quo onus administrandi Sacramenta praedictis Incolis iniungebatur Vicariis loci Carumbi. Propositis itaque dubiis: – I. An Decretum Curiae Episcopalis Carpenctoratensis latum anno 1633 super administratione Sacramentorum Incolis commorantibus in Prioratu S. Hippolyti sit servandum? *Et quatenus negative.* II. An unio, de qua agitur, facta anno 1736 sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An Canonicus Sacrista Ecclesiae Cathedralis Carpenctoratensis Prior S. Hippolyti teneatur providere propriis sumptibus administrationi Sacramentorum dictis Incolis retinendo ibidem Vicarium, qui functiones omnes parochiales adimpleat, seu potius ad huiusmodi onus teneantur propriis sumptibus Prior et Parochus Carumbi Populus vel Episcopus, seu alias quomodo sit providendum in casu etc. IV. An Parocho Clero Magistratui Consulibus Carumbi et Habitatoribus Territorii S. Hippolyti in die festivitatis dicti Sancti processionaliter accedentibus ad eiusdem Sancti Ecclesiam, Prior S. Hippolyti teneatur praestare prandium seu refectionem eadem die, nec non teneatur aliud prandium in loco Carumbi iisdem Parocho Clero Magistratui et Consulibus praestare die Dominica sequenti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem. Ad quartum, Negative; et amplius – *in Carpenctoraten. die 26 Ianuarii 1743.*

57. At enixe postmodum roganti memorato Canonico Sacristae et Priori S. Hippo-

lyti novae audientiae beneficium, repropositis dubiis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis quoad primum et tertium dubium, servandum esse Decretum anni 1633, soluta per Canonicum Sacristam Parocho Carumbi pecuniarum summa expendi solita in prandium seu recreationis, et taxanda per Emum Praefectum; quo vero ad reliqua, in decisis - *in Carpenctoraten. die 24 Augusti 1743.*

58. Post haec Parochus Carumbi aliique litis consortes postularunt, ut Episcopo Cavallicensi mandaretur iurisdictio, quo probari posset, falsum esse Decretum latum anno 1633 aliaque ostendi, quae utilia videbantur ad revocandos EE. PP. in priorem sententiam. Advenit tandem epistola et iudicialis processus factus coram Episcopo; sed repropositis dubiis sub formula: - An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Carpenctoraten. die 8 Iunii 1746.*

§. VI.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM QUOAD ONERA IN GENERE.

1. Concilium Tridentinum in cap. 12 sess. 24 de reformatione statuit: – omnes vero per se et non per Substitutos compellantur obire Officia, et Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire – *in Alatrina die 20 Augusti 1785* §. *Primum.*

2. Hinc ne dubium quidem, quod Capitulares universi Episcopo in Ecclesia Cathedrali pontificalia obeunti assistere et inservire debeant *in Ravennaten. Distributionum quotidianarum die 1 Augusti 1739* §. *At.*

Item *in Brictinorien. Servitiorum die 14 Decembris 1771* §. *A Concilio; in Albanen. Servitii Chori die 23 Martii 1839* §. *Quod si.*

3. Amplia, non solum Canonici, sed etiam Dignitates Ecclesiae Cathedralis Episcopo ibidem pontificalia exercenti inservire tenentur *in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829* §. *Explorati.*

4. Qua de re Sacra Rituum Congregatio quum rogata alias fuisset suum proferre iudicium in quaestiones, quae inter Hispalensem Archiepiscopum et Capitulum versabantur, num scilicet Archiepiscopus non solum quando Sacrum solemni ritu celebrat, sed etiam cum Pontificales alias functiones exercet praeter Dignitates etiam universum Capitulum cogere queat, ut assistat? Sacra Congregatio illa respondit: – Posse Archiepiscopum ex Decreto Concilii Tridentini cap. 12 sess. 24 de reformatione supradictos compellere, ut sibi assistant et inserviant –, ceu refert Scarfantonius ad Ceccoperium in animadvers. ad lib. 3 tit. 7 n. 26 *in Alatrina die 20 Augusti 1785* §. *Hinc.*

5. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, Episcopo Missam Pontificalem et alia Pontificalia celebranti etiam extra Cathedralem Ecclesiam eosdem Canonicos teneri assistere et inservire, qui solent eidem exercenti Pontificalia in Cathedrali assistere et inservire *in Abulen. lib. 3 Decretorum pag 78.*

6. Animadvertendum tamen est, Canonicos teneri quidem assistere Episcopo solemniter celebranti in Ecclesia Cathedrali in Civitate et Suburbiis, secus vero in Diaecesi vel Missam privatam celebranti *in Dubio ad Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

Item *in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 54 a tergo; in Ianuen. die 26 Novembris 1616 et die 6 Octobris 1625 lib. 12 Decretorum pag. 316.*

7. Idcirco Capitulum tenetur dare assistentes Episcopo celebranti pontificaliter in Cathedrali sive extra etiam in suburbiis, non vero privatam Missam celebranti aut concionanti, vel concioni pro suo libito interessenti *in Seguntina mense Octobris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 77.*

8. Quapropter Canonici Cathedralis Ecclesiae Arianensis non tenentur tempore divinorum officiorum praestare assistentiam Episcopo Missam privatam celebranti in Ecclesia Cathedrali, alias punctari debent; propositis enim dubiis: - I. An Canonici etiam

tempore divinorum teneantur assistentiam praestare Episcopo Missam privatam celebranti in Ecclesia Cathedrali? II. An Canonici assistere volentes Episcopo in dicta Missae celebratione tempore, quo divina officia celebrantur, sint punctandi? -, S. Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Arianen. Assistentiae die 17 Maii 1704 lib. 54 Decretorum.*

9. Alias vero etiam S. Rituum Congregatio in Florentina 20 novembris 1628 statuit, - Canonicos Cathedralis non solum teneri, sed etiam cogi posse, ut Episcopo inserviant, quando accedit ad alias Ecclesias extra Cathedralem ad sacras functiones exercendas -; quod clarius quoque fuit, contradicente parte, statutum in Melevitana 21 ianuarii 1741; in responsione enim ad dubium quintum decretum fuit, Canonicos Cathedralis, ab Episcopo invitatos, praecedere debere Canonicos Collegiatae *in Casertana die 2 Augusti 1823* §. *Qui vero.*

10. Idcirco Capitulum Collegiatae Ecclesiae Magdaluni frustra contendit, ius assistendi Episcopo, sacras peragenti functiones in praefata Collegiata et intra praedictae Civitatis ambitum, Canonicis Cathedralis competere non posse, si uti singuli, vel ab Episcopo invitati interessent. Nam licet immemorabilem consuetudinem proferret, quam tamen Canonici Cathedralis denegabant, proposito dubio: - I. An Canonicis Ecclesiae Collegiatae Magdaluni competat ius assistendi Episcopo in sacris functionibus intra ambitum praedictae Civitatis etiam praelative ad Canonicos Ecclesiae Cathedralis, non capitulariter, sed uti singulos cum Episcopo intervenientes, vel ab eodem invitatos in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Negative - *in Casertana die 2 Augusti 1823.*

11. Capitulum Magdaluni beneficium novae audientiae impetravit. Omnis tamen controversia iam erat, utrum Episcopo singulos Canonicos invitare liceret: Canonici enim Cathedralis Casertanae praelationem Magdalunensibus concedebant, si non invitati et singulariter ipsi Collegiatam Magdaluni Ecclesiam adirent; et vicissim Canonici Magdaluni ad Capitulum Cathedralis digniorem locum pertinere non negabant, si eiusdem Cathedralis Canonici ab Episcopo invitati capitulariter intervenirent. Ius suum Collegiatae Canonici a consuetudine desumebant, sed non probabant. Idcirco, actore non probante, reus erat absolvendus. Hinc Episcopi et Capituli Cathedralis Defensor sustinuit, pluries S. Rituum Congregationem declaravisse, in Ecclesiis Parochialibus et Collegiatis assistentiam Episcopo ad Canonicos Cathedralis pertinere, si cum Episcopo sint, non ad Presbiteros vel Canonicos Collegiatae, in qua Episcopus pontificalia exerceat, et praesertim in Brundusina 15 iulii 1617, in Urbevetana 17 Septembris 1639. Idque valere quoque dixit, si Episcopus singulos invitet, ut eadem S. Rituum Congregatio resolvit in Aliphana 9 ianuarii 1743. His itaque perpensis, reproposito dubio sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, in decisis dummodo Canonici Cathedralis accedant ab Episcopo invitati - *in Casertana die 20 Martii 1824.*

12. Unde Canonici tenentur fungi munere Diaconi et Subdiaconi, dum Episcopus pontificalia celebrat *in Mutinen. lib. 1 Decretorum pag. 13.*

Item *in Caesaraugustana lib. 2 Decretorum pag. 242.*

13. Hoc enim munus ii Canonici praesertim ferre tenentur, quorum Canonicatibus annexus est Diaconatus vel Subdiaconatus *in Bituntina mense Martii 1608 lib. 11 Decretorum pag. 29.*

14. Quin imo non habet locum consuetudo, secundum quam Canonici non tenentur inservire in munere Diaconi et Subdiaconi, dum Episcopus pontificaliter celebrat *in Abulen. lib. 3 Decretorum pag. 78.*

15. Quum autem decerni debeat, quinam ex Canonicis teneantur Episcopo pontificaliter celebranti assistere in Officio Diaconi et Subdiaconi, Sacra Congregatio ante omnia mandat, ut Episcopus moneat Capitulares et super eorum iure et rationibus informent, et quidquid hactenus consuetum fuerit Episcopus ostendat *in Nicien. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Augusti 1677.*

16. Idcirco renuentes possunt compelli, illis constituta aliqua poena pecuniaria, vel suspensionis ad tempus, ut illius metu muneri

suo satisfacere cogantur *in Ianuen. mense Iunii 1605 lib. 10 Decretorum pag. 114.*

17. Proposito itaque dubio: I. An omnes retinentes Dignitates Canonicatusque in Cathedrali Ecclesia Episcopo Pontificalia obeunti assistere teneantur, vel maior pars suppetat; et posito quod non: An recusantes mulctari possint. II. An eadem mulcta cogi possint ipsi, ut personaliter actu partes suas tam in Missarum, quam aliorum munerum celebratione expleant ac cogendi sint, ne extra Diaecesim huiusmodi tempore recedant? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, omnes teneri, salvis tamen singulorum legitimis vacationibus. Ad secundum, posse cogi, salvis tamen ut supra singulorum legitimis vacationibus – *in Tudertina anno 1573 lib. 1 Decretorum pag. 110.*

18. Explorati hinc iuris est, licitum esse Episcopo, iuris adhibitis remediis, integrum compellere Capitulum una cum omnibus de Clero Cathedralis, ut sibi assistat, nisi tamen quisquam sit legitima causa impeditus *in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829* §. *Explorati.*

19. Siquidem Concilium Tridentinum in cap. 8 sess. 23 de reformatione statuit: – Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a iure temporibus ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur – *in Alatrina die 20 Augusti 1785* §. *Primam.*

20. Proposito itaque dubio: – IX. An Episcopus ad formam supradictae Conciliaris dispositionis sive ordinationem celebret ad Altare maius ante vel post horarum celebrationem, sive ad aliqua ex Capellis, sive in Sacristia Cathedralis, possit cogere integrum Capitulum et omnes Canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis, et quibus poenis, seu potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus pontificalibus eidem Episcopo ex praescripto Caeremonialis, vel ex consuetudine Ecclesiae assistere debent? –, Sacra Congregatio postquam quinquies rescripsit: – Dilata –, tandem, responsum tulit: – Ad nonum, posse cogi iuris remediis integrum Capitulum una cum omnibus de clero Cathedralis, ut assistat Episcopo solemniter cum cantu Missam Ordinationum ad Altare maius celebranti; et ad mentem: et mens est, quod quando Episcopus velit sacram ordinationem celebrare cum solemni pontificali in cantu debet esse ad Altare maius et cum assistentia Diaconi et Subdiaconi et Capituli et omnium de choro, ut in Sabbato Sancto disponit Caeremoniale Episcoporum, Missa tunc deserviente pro Conventuali; extra hunc casum totum Capitulum non teneri illi assistere, sed sufficere assistentiam et praesentiam duorum saltem Canonicorum – *in Giennen. Celebrationis Ordinum die 19 Iunii 1728.*

21. Quapropter cum Episcopus Alatrinus occasione Visitationis sacrorum Liminum proposuisset quaestionem, an scilicet Episcopo generalem ordinationem in Ecclesia Cathedrali habenti ius esset omnes Canonicos, non obstante alternativae privilegio, cuius vi septem tantummodo per hebdomadam inserviebant, compellere, ut adessent eidem ordinationi, propositis dubiis: – I. An Episcopo Alatrino generalem ordinationem statutis a iure temporibus in Cathedrali Ecclesia habenti Canonici omnes adesse teneantur, non obstante privilegio alternativae? *Et quatenus affirmative.* II. An renuentes coerceri possint poena pecuniaria et spirituali? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et detur Decretum in Giennen. Celebrationis ordinum, et amplius. Ad secundum, Affirmative pro poena pecuniaria tantum arbitrio Episcopi – *in Alatrina die 20 Augusti 1785.*

22. Idcirco saltem aliqui debent Episcopo assistere minores Ordines in Ecclesia Cathedrali conferenti *in Burgen. anno 1581 lib. 3 Decretorum pag. 54 a tergo.*

23. Quin imo proposito dubio: – An Episcopo ex legitima causa ordinationem facienti in Capella sui Palatii teneantur duo Canonici Ecclesiae Cathedralis praebere assistentiam?–, Sacra Congregatio respondit: – Teneri – *in Murana Assistentiae die 28 Ianuarii 1673 lib. 28 Decretorum pag. 18.*

24. Unde Sacra Congregatio indulsit, ut Canonici exercentes curam animarum extra Cathedralem Ecclesiam distributiones perciperent tota quindena paschali, sed exceptis diebus, quibus Episcopus pontificaliter celebraret quoad Missas et Vesperas *in Alben. die 16 Septembris 1826.*

25. Iamvero duo Canonici Cathedralis Ecclesiae curam exercebant animarum extra

Cathedralem. Episcopus anno 1820 assensum Capituli obtinuit, ut iidem duo Parochi distributiones lucrarentur – etiam quando choro non intersunt munia parochialia tota quindena paschali et omnibus diebus festis de praecepto, exceptis tantum illis diebus, quibus Episcopus pontificaliter celebret quoad Missam et Vesperas –. Quum inde concedenda essent Capitulo Statuta, postulavit Episcopus, ut ab Sacra Congregatione approbarentur ac in eadem Statuta referri valerent, quae consentiente Capitulo de praedictis duobus Parochis fuere disposita. Obstitit quidem Capitulum; sed proposito dubio: – An et quomodo precibus Episcopi sit annuendum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro petita exemptione Parochorum iuxta votum Episcopi – *in Alben. Praebendae parochialis die 16 septembris 1826.*

26. Id tamen intelligendum esse videtur, quod minime expediat, ut huiusmodi Parochi adigantur ad assistendum suo Antistiti, dum pontificio ritu Sacrum est facturus, si animarum cura eo tempore impediantur *in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829.* §. *Verumtamen.*

27. Idcirco etiam Archipresbiter et Praepositus curam animarum exercentes in aliis Ecclesiis extra Cathedralem inservire quidem tenentur Episcopo pontificalia in Cathedrali obeunti, dummodo tamen actu non impediantur ab assistentia animarum *in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829.*

28. Siquidem Capitulum Cathedralis Ecclesiae Cuneensis constabat ex tribus Dignitatibus, scilicet Priore Archipresbitero Praeposito, et quindecim Canonicis. Singulis Dignitatibus imminebat animarum cura: hinc Prior animarum curam exercebat in Cathedrali, Archipresbiter in Ecclesia S. Mariae de Plebe, Praepositus in Ecclesia S. Ambrosii. Secundam Dignitatem anno 1616 fundavit Carolus Bonada, quam probavit Clemens XI Apostolicis Literis anni 1703. Episcopus Bruno in Diaecesana Synodo anni 1827 sancivit, ut Dignitates et Canonici omnes functionibus pontificalibus in Cathedrali Ecclesia peragendis interessent. At obstitit Archipresbiter, ne suam Ecclesiam solemnioribus anni festivitatibus derelinqueret. Proposito hinc dubio: – An Archipresbiter et Praepositus teneantur inservire Episcopo pontificalia obeunti in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, dummodo actu non impediantur ab assistentia animarum ad formam fundationis S. M. Clementis XI – *in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829.*

29. Hinc et S. Rituum Congregatio in Ferentina 3 septembris 1661 rogata: – An Episcopus possit compellere Parochos ad praestandam sibi consuetam assistentiam in Missis et Vesperis pontificalibus? –, respondit: – Affirmative; sed addidit: – praecavendum tamen, ne quid detrimenti animarum servitio contingat, quo tempore Parochus Episcopo in divinis famulatur – *in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829* §. *Verumtamen.*

30. Propositis autem dubiis: – I. An Missa Pontificalis non solemnis possit assistentia Canonicorum destitui, ita ut tantummodo in actu conferendi Ordines Canonici ad praestandam Archiepiscopo assistentiam revertantur? II. An pariter Archidiaconus teneatur assistere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Scribatur Archiepiscopo pro praefixione termini Capitulo et Archidiacono ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione – *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 14 Iunii 1747.*

31. Alias Canonici etiam Ecclesiae S. Salvatoris in Cathedralem evectae tenentur assistere Episcopo pontificaliter celebranti, nec non eidem assistere debent tempore, quo eodem pontificalia agente, ipse sermonem habet ad Populum, quin tamen a choro ad libitum discedere valeant; his enim in terminis propositis dubiis: – II. An iidem teneantur assistere Episcopo pontificaliter celebranti? III. An similem assistentiam debeant exhibere tempore, quo eodem Episcopo pontificalia agente, ipse sermonem habet ad Populum, vel potius valeant ad libitum a choro discedere? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Oriolen. die 7 Februarii 1756.*

32. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Oriolen. die 28 Augusti 1756.*

33. Hinc et possessor Canonicatus nuncupati Petrini Ecclesiae Cathedralis Brictinoriensis praeter chori servitium tenetur inservire Episcopo sacram aliquam functionem peragenti in qualibet urbis Ecclesia vel suburbiorum ad tramites fundationis legum, etiamsi in fundatione erectio Capellaniae fuerit demandata, sed Episcopus praevio Capituli consensu in Canonicatum accepto iuramento onera fundationis adimplendi eam erexit, nec non Missas iuxta reductionem Pontificii Brevis anni 1641 celebrare debet; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An quomodo et in quibus functionibus possessor Canonicatus Petrini teneatur praestare servitia Episcopo in casu etc. II. An ratione eiusdem Canonicatus teneatur ad celebrationem Missae quotidianae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus ad formam fundationis. Ad secundum, satis provisum in Brevi Apostolico anni 1641 - *in Brictinorien. Servitiorum die 11 Ianuarii 1772.*

34. Reproposito dein primo dubio sub formula: - An quoad primum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Brictinorien. Servitiorum die 9 Maii 1772.*

35. Assistentes vero Episcopo, pontificalibus vestibus induto, non tenent baculum, pastoralem, nec mitram, cum hoc sit officium Capellanorum, non Canonicorum *in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 54 a tergo.*

36. Unde Canonici accedere debent ad cubiculum Episcopi, quoties ipse pontificaliter cum Cappa descendit ad Ecclesiam Dominicis aliisque festis et solemnibus diebus, ut assistat vel horis canonicis vel Missae Sacrificio, multoque maius si ipse est celebraturus *in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 100.*

Item *in Barchinonen. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 190.*

37. Qua de re Canonici Cathedralis Ecclesiae S. Marci habitu canonicali induti associare debent Episcopum cappa indutum ab aula Palatii ad Ecclesiam, et ab Ecclesia ad aulam; proposito enim dubio: - II. An in accessu reverendissimi Episcopi ad Ecclesiam Cathedralem et in illius recessu versus Palatium Episcopale ipse associari debeat a Canonicis et quomodo? -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative; et Episcopum esse associandum a Canonicis habitu Canonicali indutis ab aula Palatii ad Ecclesiam, et ab Ecclesia ad aulam, dummodo Episcopus sit cappa indutus - *in Sancti Marci die 13 Aprilis 1720* (1).

38. Unde etiam in reditu comitari debent usque ad ostia domus ipsius Episcopi, illo praeeunte *in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 100.*

Item *in Barchinonen. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 190.*

39. Quum autem in Synodo Salernitana habita anno 1580 praescriptum fuisset, ut, Archiepiscopo solemniter celebrante, omnes Dignitates et Canonici esse deberent per mediam horam ante eius accessum ad Ecclesiam dispositi et parati in Sacristia, cumque Episcopus id servandum edixerit, proposito dubio: - VIII. An, Archiepiscopo solemniter celebrante, omnes Dignitates et Canonici esse debeant per mediam horam ante eius accessum ad Ecclesiam dispositi et parati in Sacristia? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, dispositos et paratos esse debere ante accessum Archiepiscopi - *in Salernitana Edictorum die 27 Septembris 1732.*

40. Quoties vero privatim ad Ecclesiam accedit celebraturus, aut quidpiam aliud facturus, nonnulli ex Canonicis debent ad ostium Ecclesiae illum excipere, et in reditu usque ad illud comitari *in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 101.*

Item *in Barchinonen. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 190.*

41. Hinc servari debet caeremoniale Episcoporum dum Episcopus accedit ad Ecclesiam; proposito enim dubio: - X. An Episcopo accedenti ad Ecclesiam Cathedralem pro explenda solemni ordinatione vel pro interessentia divinis Officiis, vel aliis quibuslibet functionibus, sive associetur a toto Capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum Faldistorium seu Genuflexorium in loco, ubi Episcopus functionem facere, seu eidem assistere debet, verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, ut, ante-

(1) Reliqua vide in Verb. *Caeremoniale*, Tom. IV.

quam ad sedem suam accedat, orare possit ad Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, vel saltem loco Faldistorii seu Genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orari possit, seu potius servanda veniat consuetudo praesertim si sit immemorabilis, iuxta quam Episcopo ad Ecclesiam accedenti nec Faldistorium nec Pulvinar parari solet, super quo Episcopus oret, antequam ad locum suum accedat in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad decimum, servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 12 – *in Giennen. Celebrationis Ordinum die 2 Augusti 1727.*

42. Quum itaque Capitulum Ecclesiae Parochialis S. Mariae in Sylvis Oppidi Serrae Capriolae institisset pro resolutione dubii: – II. An idem Clerus teneatur processionaliter cum Cruce et superpelliceis accedere ad ianuas eiusdem Terrae ad recipiendum Episcopum sub baldacchino in actu ineundi Visitationem? –, Sacra Congregatio die 23 martii 1697 respondit: – Non esse solemniter a Capitulo et Clero recipiendum ad ianuas Castri, sed tantum ad fores Ecclesiae, indutum tamen habitu Episcopali –. At reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis super primo dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, servetur Pontificale et Caeremoniale – *in Larinen. Visitationis die 12 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

43. Hinc Capitulum Collegiatae Ecclesiae Magdaluni obedientiam Episcopo per Deputatos praestare tenetur iuxta veterem consuetudinem die 8 maii, quin obstet, quod Episcopus Rogadei statuerit, obedientiam praestandam esse die 29 iunii, qua die idem Episcopus quotannis Magdalunum se conferebat, et quin obstet praetensae Synodi Diaecesanae constitutio, cum omnes respondissent: *Non placet,* et omnino desideraretur Episcopi approbatio seu confirmatio; nam abrogari non poterat antiqua lex immemorabili consuetudine innixa, nec revera fuit abrogata, et Episcopus potest semper et quandocumque tempore Diaecesim visitare. Idcirco his in terminis proposito dubio: – II. An qua die et quomodo quotannis obedientia praestanda sit Episcopo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative die 8 maii per Deputatos – *in Casertana die 2 Augusti 1823.*

44. Reproposito dein dubio sub formula: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in decisis; et amplius – *in Casertana die 20 Martii 1824.*

45. Quin imo Canonici Cathedralis Ecclesiae Acerrarum tenentur per Canonicum Secretarium certiorare Episcopum de Capitulo per eos explendo circa materias concernentes eiusdem Capituli, si Episcopus fruitur Praebenda Canonicali; propositis enim dubiis: – I. An Canonici Ecclesiae Cathedralis Acerrarum teneantur certiorare reverendissimum Episcopum de Capitulo per eos explendo circa materias concernentes interesse eiusdem Capituli? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit certiorandus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative si Episcopus fruitur Praebenda Canonicali. Ad secundum, esse certiorandum per Canonicum Secretarium vel alium Canonicum sub poena nullitatis actus in casu contraventionis – *in Acerrarum die 23 Augusti 1727.*

46. Hinc Sacra Congregatio declaravit, – Canonicos legitime non impeditos tempore Quadragesimae quotidianis concionibus interesse debere, et ideo Episcopum Decretum edere posse, ut Canonicis nunquam liceat praedicto tempore ab Ecclesia abesse, nisi de ipsius, vel eius Vicarii licentia – *in Nicien. die 18 Novembris 1628 lib. 13 Decretorum pag. 563.*

47. Idcirco quum Episcopus Verulanus retulisset, quod Canonici Cathedralis Ecclesiae, decantato Vespere de mane tempore Quadragesimae, ab eadem recederent, nec assisterent concioni, proposito dubio: – III. An tempore Quadragesimae Canonici Cathedralis Ecclesiae teneantur assistere concioni, ita ut permissum esse non debeat, decantato Vespere, ab Ecclesia discedere et concioni non assistere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, detur Decretum in Nicen. anni 1628 – *in Verulana die 21 Ianuarii 1719.*

48. Ceterum pressius Archiepiscopo Urbinatensi interroganti: – An stante consuetudine,

quod Canonici punctentur, nisi assistant concionibus tempore Quadragesimali, expediat eosdem punctare, si non assistant concionibus tempore Adventus et infra annum? –, Sacra Congregatio respondit: – Esse hortandos, non cogendos – *in Urbinaten. die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 452 a tergo.*

49. Quum autem Episcopus Castellanatensis exposuerit, concionibus Adventus vel Quadragesimae tempore non omnes Canonicos intervenire habitu saltem ecclesiastico, sed ut plurimum eos tantum, qui certis diebus vel hebdomadis choro inservire consueverunt, alios non habitu ecclesiastico, sed more secularium concionibus per eadem tempora adesse; hinc supplex quaerit, an id eis permittere debeat? Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem – *in Castellanaten. Residentiae die 7 Iunii 1659.*

50. At ne dubium quidem, quod Episcopus poenis etiam extraordinariis praeter amissionem distributionum coercere valeat chori servitio addictos, ut tempore Adventus et Quadragesimae aliisque solemnibus festis resideant et ad chorum interveniant; nam idem Episcopus Castellanatensis – quaerit, an saltem in Quadragesimae et Adventus tempore vel in aliis solemnibus festis possit antedictum Beneficiatum et quemcumque alium, qui legitimo careat impedimento, remediis extraordinariis aliquarum poenarum praescriptarum cogere, cum alias non curent, quod quidquid residendo et interveniendo est lucri aliis accrescat? –, Sacra Congregatio respondit: – Licere etiam per alias poenas – *in Castellanaten. die 7 Iunii 1659.*

51. Quaerunt interim Doctores, an teneatur horas canonicas quotidie recitare, qui tenuis reditus Beneficium obtineat. Sotus de iust. lib. 10 quaest. 5 art. 3, Tamburinius in lib. 2 Decret. Cap. 5 §. 1 n. 24 negativam sententiam tuentur. Alii tamen sustinent, aliquando in anno ad recitandas horas canonicas obstrictum esse. Non desunt alii, qui sustinent, nullimode teneri, si Beneficio aliqua adnexa sint onera, quos inter Vasquez de Benef. cap. 4 §. 1 dub. 4. Demum Fagnani in Cap. *Conquerente* de cleric. non resid. affirmat, quod Beneficii tenuitas non eximit Beneficiatum a recitatione divini Officii, quemadmodum non excusatur a residentia, ex eo quod reditus Beneficii ad propriae vitae sustentationem non sufficiant, cum arctior sit obligatio recitandi Officium, quam residendi *in Fulden. Visitationis sacrorum Liminum die 3 Augusti 1782* §. *Quaerunt.*

52. Hanc sententiam sequuta est Sacra Congregatio in Caietana; quum enim quidam Clericus obtinuerit Beneficium simplex de iurepatronatus et post adeptam illius possessionem agnoverit annuos illius reditus ad annua ducata quatuor vix pertingere, supplicavit declarari, an ratione tenuitatis reditus teneretur Officium divinum recitare, et Sacra Congregatio respondit: – Oratorem intitulatum in Beneficio teneri Officium divinum recitare, etsi reditus dicti Beneficii sint paucae quantitatis non excedentis scuta quatuor annua, immo etiamsi nullos percipiat fructus – *in Caietana die 6 Aprilis 1647 lib. 18 Decretorum pag. 321.*

53. Qua de re nec contraria obstat consuetudo, quod Canonici participantes tantum de Massa grossa a privata recitatione divini Officii exempti fuerint, si in Ordine sacro non essent constituti; his enim in terminis proposito dubio: – An Canonici Ecclesiarum Collegiatarum S. Crucis Hunfeld et SS. Ioannis Baptistae et Ceciliae Rasdorff in minoribus constituti et participantes tantum de Massa grossa teneantur Officium divinum quotidie recitare in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative - *in Fulden. Visitationis Sacrorum Liminum die 3 Augusti 1782.*

54. Nam Innocentius III in Cap. *Ad nostram* de consuetudine statuit, – quod consuetudo, quae canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti – *in Fulden. Visitationis sacrorum Liminum die 3 Augusti 1782* §. *Haec.*

55. Idcirco multo magis Capitulum Collegiatae Ecclesiae Cassioduni illegitime suppressum ac inde merito restitutum tenetur implere erga alios eadem onera, quae designata habentur in conventione et Bulla erectionis *in Lauretana Praestationis die 22 Maii 1841.*

56. Siquidem Praepositus Ecclesia Beatae Mariae Virginis sideribus receptae nuncupata Cassioduni et Sodales SS. Iacobi et Philippi, collatis consiliis opibusque, praefatam Ecclesiam in Collegiatam evehere curarunt, so-

lemni conventione inita, qua Canonici et Beneficiati plura onera et legata Sodalitio infixa implere tenerentur, reservato Sodalibus iure nominandi Canonicos et Beneficiatos. Hinc anno 1760 Clemens XIII Collegiatam erexit ea conditione, ut dicti Canonici et Beneficiati assumere in se tenerentur omnia onera ad dictam Confraternitatem spectantia ad formam praedictae conventionis. At anno 1810 bona, quae ad Collegiatam pertinebant, in Demanium inciderunt: sed inde restituto Pontificis regimine, bona ad Collegiatam redierunt. Nam Administratores bonorum ecclesiasticorum, qui Maceratae degebant, immiserunt in realem possessionem bonorum Capitulum Cassiodunense. Putavit itaque Sodalitium, per praefatam bonorum restitutionem ad vitam rediisse universa onera nedum quae bonis infixa erant, sed et ea, quae praestanda erant vigore dictae conventionis erga Sodalitatem, iam Antistitis auctoritate in pristinum repositam usque ab anno 1815. Negavit ex adverso Capitulum: nec aliis sese teneri amplius oneribus contendit, quam iis, quae in notula ab Administratoribus ecclesiasticorum bonorum data recensebantur. Propositis vero dubiis: – I. An et quomodo Capitulum Cassiodunense teneatur erga hodiernum Sodalitium ad praestationes, quas hoc postulat in casu? II. An et quomodo idem Capitulum teneatur implemento piorum Legatorum, de quibus in casu? III. An et quomodo constet de iurepatronatus favore hodierni Sodalitii in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, esse standum conventioni diei 14 novembris 1760 et Bullae S. M. Clementis XIII fundationis - *in Lauretana Praestationis die 22 Maii 1841.*

57. Qua de re si Canonici perperam cuncta negligant ac res Collegiatae in praeceps ruant, Sacra Congregatio solicite omnia ad pristinum restituere et componere satagit *in Assisien. die 12 Augusti 1843.*

58. Iamvero Ecclesia Collegiata S. Mariae Oppidi Bictonii illegitime suppressa ac inde restituta in diversa incidit infortunia; adeoque necesse fuit instituere Visitatorem Apostolicum. Post itaque tot discrimina rerum propositis dubiis: – I. An cessare debeat Apostolica visitatio in casu? II. An et quomodo conferendae sint Canonicales Praebendae vacantes in casu? III. An et quomodo constituendi sint Capellani Coadiutores in casu? IV. An et qua poena plectendi sint Canonici, qui choro non interfuerunt in casu? V. An et quomodo cogendus Canonicus Onofri ad restitutionem archivii in casu? VI. An et quomodo redintegrandi sint fructus alienati cum obligatione deponendi ratas in casu? VII. An et quomodo providendum sit celebrationi Missarum inadimpletarum in casu? VIII. An et quomodo agendum sit cum creditoribus et debitoribus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, erogatis scutis 400 in comparationem aeris campani. Ad secundum, Affirmative in omnibus; et quatenus nominatos a Patronis admittere non censuerit Vicarius Apostolicus, iis praefigat terminum ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione. Ad tertium, Affirmative; et esse consulendum Sanctissimo pro suppressione binae Praebendae Canonicalis liberae collationis et erectione utriusque Capellaniae Curatae, conferendae ab Episcopo, praevio examine ad curam animarum, assignatis unicuique Capellano scutis 72½ iuxta votum Emi Relatoris. Ad quartum, Affirmative iuxta sacros Canones et S. Concilium Tridentinum privatione distributionum, et Vicarius Apostolicus acriter moneat huiusmodi negligentes, ut in posterum a similibus se abstineant, impositis Canonico Onofri spiritualibus exercitiis ad quindecim dies. Ad quintum, Affirmative; et esse praefiniendum a Vicario Apostolico terminum Canonico Onofri pro restitutione Archivii, quo elapso, procedat ad gravatorias nec non ad verificationem apertarum corruptionum libri, iuxta votum Emi Relatoris. Ad sextum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris. Ad septimum, Affirmative celebratis per decennium a Capitulo annuis Missis 80 iuxta votum Emi Relatoris, facto verbo cum Sanctissimo. Ad octavum, Affirmative; et Vicarius Apostolicus curet conciliare cum creditoribus et debitoribus, et ad Sacram Congregationem transmittat conciliationes cum documentis ad rem facientibus pro approbatione, sin minus renuentibus praefigat terminum ad deducendum iura sua coram Sacra Congregatione iuxta votum Emi Relatoris - *in Assisien. die 12 Augusti 1843.*

59. Imo si Canonici onera implere immerito renuant, procedi potest ad infligendum suspensionem a divinis ipso facto incurrendam, et si post incursam suspensionem celebraverint, sunt declarandi irregulares et relegandi in conventu Regularium, qui vero in spretum et fraudem legis abfuerint, praefixo termino ad redeundum, procedi debet ad formam Sacrorum Canonum, imposita redeuntibus aliqua salutari poenitentia *in Brictinorien. Collegiatae die 12 Iulii 1817 et die 16 Ianuarii 1819.*

60. Enimvero Collegiata Ecclesia S. Mariae *in Burgo* Oppidi Civitellae cum anno 1798 suppressa fuerit, Canonici servitium chori dereliquerunt, quin Missam ad auroram et meridiem per turnum ad formam Decreti S.Visitationis Episcopi Rossi anni 1745 celebrarent, et quin pro expensis cerae olei sacristiae utensilium reparationum fabricae et stipendii illorum, qui organum et campanas pulsabant, contribuerent, licet pensione fruerentur. Verum restituto ordine, Archipresbiter Civitellae et plures Parochiani institerunt penes Sacram Congregationem, ut praedicti Canonici onera implerent: nam non raro Populus carebat altero Sacro, adeo ut multi praecepta satisfacere non potuerint. Sacra Congregatio die 16 martii 1816 mandavit implementum onerum: sed mandatis, duobus exceptis Canonicis, nullatenus obtemperarunt. Qua de re propositis dubiis: – II. An iidem Canonici teneantur per contributum ad expensas pro Ecclesia iuxta solitum in casu etc. III. An iidem Canonici teneantur per turnum celebrare Missam ad auroram et meridiem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum et tertium, Affirmative – *in Brictinorien. Collegiatae die 12 Iulii 1817.*

61. His tamen non obstantibus, Canonici in pertinacia effrontes perstiterunt, licet Episcopus nihil intentatum reliquisset, ut eos ad debita officia revocaret. Idcirco Episcopus Edictum tulit, quo omnes Sacerdotes, etiam qui Canonicatu non pollebant, cogebantur per turnum praedictam Missam celebrare, indicta poena suspensionis ipso facto incurrendae. At nonnulli ex Canonicis et alii Sacerdotes nedum Episcopi mandatis obedire detrectarunt, sed et post incursam poenam suspensionis publice celebrarunt Missam non sine gravi Populi scandalo; alii in spretum et fraudem legis Oppidum Civitellae deseruerunt. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo sit procedendum contra Canonicos aliosque Presbiteros, qui post incursam suspensionem publice celebrarunt in casu? II. An et quomodo sit procedendum contra alios, qui in fraudem Edicti ab Episcopo lati ab Oppido Civitellae recesserunt in casu? III. An et quomodo sit providendum executioni Rescriptorum Sacrae Congregationi in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse declarandos irregulares, servatis servandis, et relegandos in Conventu Regularium strictioris observantiae ad dispositionem Sacrae Congregationis. Ad secundum, praefixo termino ad redeundum in loco domicilii, procedat contra contumaces ad formam sacrorum Canonum, et imposita redeuntibus aliqua salutari poenitentia arbitrio Episcopi. Ad tertium, ad Emum Praefectum cum Sanctissimo iuxta mentem – *in Brictinorien. Collegiatae die 16 Ianuarii 1819.*

62. Hinc S. Congregatio adprobavit concordiam, quam inierunt Praepositus et Canonici Collegiatae Ecclesiae sub invocatione SS. Apostolorum Petri et Pauli Montis Ulmi, ad praecidendas controversias, quae exarserant circa onera, quae a dicto Praeposito et Capitulum adimpleri deberent; proposito enim dubio: – An et quomodo sit adprobanda concordia in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Emi Relatoris; et Emus Archiepiscopus curet ad eiusdem tramites referri in tabulas articulos transactionis, cum facultatibus necessariis et opportunis pro ipsius approbatione – *in Firmana Concordiae die 23 Novembris 1844.*

63. Canonicus autem antiquior, absentibus Primiceriis ad quos spectat, tenetur incohare officium et potest cogi ab Episcopo *in Adrien. die 8 Maii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 620.*

64. Itaque Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Leonardi Oppidi Campi Bassi tenentur assistere in Officio Diaconi et Subdiaconi Archipresbitero, non vero Presbiteri simplices, nec non Canonici antiquiores in omnibus functionibus tenentur ad formam Statuti anni 1715; propositis enim dubiis: – I. An Archipresbitero teneantur assistere in officio Diaconi et Subdiaconi Presbiteri simplices,

seu potius Canonici? *Et quatenus affirmative.* II. An et in quibus functionibus teneantur Canonici antiquiores? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ad formam Statuti anni 1715; et amplius. Ad secundum, Affirmative ad formam §. 5 cap. 10 eiusdem Statuti – *in Boianen. Praeeminentiarum die 19 Aprilis 1760.*

65. Hinc et Canonici Cathedralis Ecclesiae Tolentinatensis, noviter erecto Archipresbiteratu, tenentur inservire in omnibus functionibus ab ipso peragendis in locum Archidiaconi, prout iuxta consuetudinem Archidiacono inserviunt, quamvis enim nullam habeat iurisdictionem et curam, acceptio tamen huius novae Dignitatis facta est cum omnibus honoribus et praeeminentiis simili Dignitati competentibus; his quippe in terminis proposito dubio: – VIII. An occasione dictarum functionum teneantur Canonici inservire Archipresbitero, prout iuxta consuetudinem inserviunt Archidiacono in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad octavum, Affirmative; et amplius – *in Tolentinaten. die 1 Februarii 1766.*

66. Similiter Canonici Collegiatae S. Mariae Oppidi Civitellae inservire tenentur in munere Diaconi et Subdiaconi Archipresbiteri dignitati diebus solemnioribus celebranti ad formam Constitutionum Abbatis olim commendatarii de Rubeis cui suberat Civitella, licet post confectas praedictas Constitutiones fuerint instituti Mansionarii; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An et quibus diebus solemnioribus celebranti Archipresbitero teneantur inservire Canonici in munere Diaconi et Subdiaconi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative ad formam Constitutionum de Rubeis; et amplius – *in Brictinorien. die 20 Aprilis 1793.*

67. Canonicus Diaconus vero vel Subdiaconus ministrando Missae solemni in ordine suae Praebendae annexo, si est in ordine sacerdotali constitutus non debet communicari, sed potius ipse vel ante vel post Missam solemnem celebrare potest *in Dubio ad Cap. 14 sess. 28 de reformatione Posit. 54.*

Item *in Mediolanen. lib. 1 Decretorum pag. 94.*

68. Unde Canonici ex institutione Accolythi et in ordine sacro constituti tenentur inservire in praedicto ordine Accolythati, nisi eligant ministrare in sacro canonicali *in Novarien. Annexionis Ordinum die 11 Iulii 1692 lib. 43 Decretorum.*

69. Canonici itaque tenentur ministrare seu inservire Coadiutori exercenti munera sui Coadiuti, sicut ipsi Coadiuto inserviunt *in Casalen. Confirmationis statuti die 15 Aprilis 1690 lib. 40 Decretorum.*

70. Insuper tenentur inservire Archidiacono aliisque Dignitatibus et Canonicis solemniter celebrantibus, non solum iis diebus, quibus pontificaliter celebrat Episcopus cum adest, sed quandocumque, nec possunt substituere alium Canonicum, etiamsi sint legitime impediti, nisi accedat consensus saltem tacitus Episcopi, si adsit, eoque absente, maiores Dignitates *in Baren. Functionum die 11 Iulii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 253 a tergo.*

71. Non tamen tenentur inservire cum Pluvialibus in Vesperis et Processionibus, excepta tantum processione Corporis Christi *in Baren. Functionum die 5 Decembris 1682 lib. 32 Decretorum pag. 500.*

72. Hinc licet praeceptum, instantibus Archipresbitero et Canonicis, factum ab Episcopo Canonico de praestando assistentiam dicto Archipresbitero in expositione Venerabilis in sua hebdomada sustineatur, non propterea sustinetur gravis poena in eodem praecepto comminata *in Comen. Distributionum die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

73. Siquidem – usque de anno 1703 b. m. Episcopus Bonesana mox defunctus occasione Visitationis peractae in Ecclesia Collegiata S. Victoriis Oppidi Balernae inter alia Decreta prolata sancivit, ut Canonicus hebdomadarius assistentiam praeberet Archipresbitero impertienti benedictionem cum Venerabili, utque in eiusdem Canonici defectum assisteret alius Canonicus possessione posterior. Subinde de anno 1707 recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem Archipresbiter dictae Collegiatae pro confirmatione et observantia praedictorum Decretorum, et obtinuit eius instantiam remitti ad Episcopum Comensem, ut desuper prout iuris fuerit procederet. Atqui videns Episcopus praememorati Decreti observantiam negligi a Canonico Carolo An-

tonio Buxia, instantibus Archipresbitero et Canonicis eiusdem Collegiatae, sub die 18 februarii dicti anni 1707 praeceptum tulit adversus praefatum Canonicum, quatenus sub 300 aureorum Locis Piis applicandorum poena, et in iuris subsidium excommunicationis aliisque arbitrio infligendis poenis, quoties ad ipsum Canonicum spectaret, memoratam adsistentiam Archipresbitero Venerabilis expositionem facienti ad formam primodicti Decreti praestare deberet. Verum die 23 eiusdem mensis et anni idem Canonicus Buxia adversus dictum praeceptum protestatus fuit coram Episcopo eumque suspectum allegavit, instititque Causam remitti ad Iudicem assertae appellationis interpositae, qua tamen instantia non obstante, Episcopus mandavit procedi ad ulteriora per affixionem ad valvas –. His vero perpensis, propositis dubiis: – I. An praeceptum factum Canonico Buxia de praestando assistentiam Archipresbitero in expositione Venerabilis in sua hebdomada sustineatur in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sustineatur poena comminata in eodem praecepto? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; et esse moderandam ad punctaturam unius diei - *in Comen. Distributionum diei 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

74. Imo Cononicus habens cum Canonicatu Dignitatem tenetur obire etiam munia Canonicatus, dummodo non impediant spectantia ad Dignitatem *in Amalphitana die 28 Augusti 1630 lib. 16 Decretorum pag. 78.*

75. Idcirco gaudentes ex privilegio Apostolico portionibus, quae dividebantur inter Parochos, tenentur observare Decretum Episcopi, quo eos obligat ad praestandum servitium et Cathedrali et Parochiis, nec non ad applicandam Missam parochialem et conventualem pro Populo et Benefactoribus *in Lancianen. Servitii Ecclesiae die 13 Novembris 1694 lib. 44 Decretorum.*

76. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae *del Piano* Oppidi Montellae teneri ad impensam necessariam pro custodienda Sanctissima Eucharistia in Ecclesiis Parochialibus sibi unitis, nec non ad earumdem manutentionem, etiamsi contraria vigeret consuetudo cum animarum praeiudicio, et etiamsi Capitulum sustineret, unionem fuisse extinctivam et unam Ecclesiam parochialem mansisse, quum id potius esset abusus adversus perspicuam censuram iuris et adversus apertissimam literam unionis; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae *del Piano* Oppidi Montellae teneatur ad impensam necessariam pro custodienda Sanctissima Eucharistia in Ecclesiis parochialibus sibi unitis in casu etc. II. An idem Capitulum teneatur ad integram earumdem Ecclesiarum manutentionem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative; et amplius - *in Nuscana die 14 Aprilis 1764.*

77. Repropositis dein dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nuscana die 24 Novembris 1764.*

78. Imo medietas saltem Canonicorum et Beneficiatorum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris Civitatis Ferentini se transferre tenetur ad Ecclesias parochiales sibi adnexas ad effectum inibi, occurrentibus SS. Titularium festivitatibus, primis ac secundis Vesperis et Missae solemni assistendi singulis annis, cum id mandaverit Pius VII 19 iunii 1801 in actu erectionis Collegiatae, cui, assentientibus Parochis, unita fuerunt Beneficia in eorumdem Ecclesiis existentia, quin obstet, quod huiusmodi assistentia contingat diebus pleni servitii in praefata Collegiata; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo Capitulum Collegiatae Ecclesiae eximendum sit ab onere officiaturae in Ecclesiis parochialibus et filialibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative in omnibus - *in Ferentina Oneris die 23 Iunii 1832.*

79. Itaque Capitulum et Canonici cum Praeposito Collegiatae Ecclesiae S. Fidelis tenentur intervenire in solemniter celebrandis aliquibus festivitatibus in Ecclesia S. Ioannis in Atrio, invitis etiam Sodalibus; proposito enim dubio: - III. An Praepositus et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Fidelis teneantur intervenire in solemnizandis festivitatibus Nativitatis S. Ioannis Baptistae eius Decollationis ac S. Ioannis Evangelistae? –, Sacra

Congregatio responsum dedit: – Teneri etiam invitis Confratribus – *in Comen. Administrationis et Iurium parochialium die 27 Iulii 1727.*

80. Qua de re etiam Capitulum et Clerus Cathedralis Ecclesiae Polymniani, attenta consuetudine, tenentur associare brachium S. Viti ad Ecclesiam Abbatialem, ac recipi debent forma decenti; propositis enim dubiis: X. An Capitulum et Clerus Polymniani teneantur tribus anni vicibus processionaliter ire et associare brachium S. Viti ab Ecclesia Cathedrali ad Abbatialem? *Et quatenus affirmative.* XI. Qua pompa debeant in Ecclesia Abbatiali recipi, ibique exponi S. Reliquiae eiusdem brachii S. Viti? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum, Affirmative iuxta solitum. Ad undecimum, debere recipi forma decenti praescribenda per Emum Praefectum – *in Polymnianen. Iuris quaestuandi et Processionum die 30 Aprilis 1746.*

81. Quum itaque Episcopus Sarnensis contendisset, cogi posse Canonicos Cathedralis Ecclesiae ad interessendum processionibus qualibet tertia mensis Dominica peragendis absque stipendio, propositis dubiis: – VI. An debeatur Canonicis certum stipendium pro processionibus, quae fiunt qualibet tertia mensis Dominica? *Et quatenus negative.* VII. An sint cogendi ad interessendum? –, S. Congregatio respondit: – Ad sextum, servetur solitum. Ad septimum, Negative – *in Sarnen. die 27 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

82. Quin imo Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Blasii Montis Miloni tenetur per se ipsum audire confessiones sacramentales, quum antequam praedicta Ecclesia erecta fuisset in Collegiatam Capellani ad nominationem Communitatis huiusmodi onus ferre debebant, nec exinde in actu erectionis illud sublatum fuerit; his quippe in terminis propositis dubiis: – I. An Canonicus Ioseph Sbrilla teneatur ad onus audiendi confessiones in Ecclesia Collegiata S. Blasii Montis Milonis in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An huiusmodi onus adimpleri possit per alium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Maceraten. die 30 Augusti 1766.*

83. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Maceraten. die 14 Februarii 1767.*

84. Unde Canonicus tenetur subire munus Poenitentiarii, si nulla iusta subsit causa, qua excusari valeat *in Ripana Poenitentiariae die 11 Septembris 1706 lib. 56 Decretorum.*

85. Siquidem – in Diaecesana Synodo celebrata de anno 1642 Episcopus Ursinus tunc temporis obsequens dispositioni sacri Concilii Tridentini instituit in Cathedrali Ripana Officium Poenitentiarii, eidem adnexa Praebenda Canonicali, quam possidebat Mancinus, praevio eiusdem consensu, quod quidem Officium eidemmet contulit, qui illud per plures annos obivit, a quo deinde destitisse dicitur. Per obitum autem Mancini, eamdem Praebendam Canonicalem cum expressione annexae Poenitentiariae de anno 1677 obtinuit Ioannes Baptista Buccablanca a S. M. Innocentio XI, quem pariter, ea per aliquot annos administrata, postmodum abstinuisse liquet. Cum autem tum Praedecessor, tum successive modernus Episcopus Ripanus vellent praefatum Buccamblancam cogere ad munus Poenitentiarii subeundum vel per se, vel per substitutum, is adivit hanc Sacram Congregationem humiliter petens declarari, sese ad illud non teneri, iis sub praesuppositis, tum quod Poenitentiariae praedictae non fuerit adhuc assignata aliqua Praebenda ultra Canonicalem, tum quod Praebenda Canonicalis adeo sit tenuis, ut oneribus iniunctis impar reputaretur, tum denique quod praememorata Synodus, in qua munus Poenitentiarii fuit institutum, neutiquam ab hac Sacra Congregatione approbationem obtinuerit. Episcopus vero desuper auditus putat, primum et tertium motivum non subsistere ex contraria iuris dispositione, secundum vero claudicare in facto, cum uniuscuiusque Canonicatus reditus ascendunt ad summam scutorum quinquaginta, assignatis pro qualibet eorum Praebenda sine servitio scutis viginti, ut constare fecit ex transmissa attestatione duorum Canonicorum –. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Buccablanca teneatur subire munus Poenitentiarii in casu etc. –,

Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, et amplius - *in Ripana Poenitentiariae die 11 Septembris 1706 lib. 56 Decretorum.*

86. Quum autem Canonicus Magistralis Ecclesiae Pacensis post erectionem vix semel concionem habuisset, voluit Episcopus, auctoritate Apostolica, in vacatione, ut successores onus per seipsum concionandi sustinerent, cumque quaestio orta fuerit de iurisdictione inter Episcopum et Capitulum super praescribendis diebus concionum, proposito dubio: - II. An et quibus diebus Canonicus magistralis pro tempore teneatur per se ipsum concionari in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, Affirmative ad formam Tabellae, et iuxta votum Nuntii Apostolici (1) - *in Pacen. die 28 Septembris 1765.*

87. At Canonicus concionem habens tempore Adventus et Quadragesimae sive in Cathedrali sive in Diaecesi, si choro non interest, subiacet punctaturis sicut ceteri Canonici absentes *in Adiacen. Punctorum et Celebrationis die 10 Septembris 1678 lib. 30 Decretorum pag. 167 a tergo.*

88. Unde nec possunt Canonici sibi invicem dimittere punctaturas vel remittere; imo Episcopus debet illas punctaturarum portiones, quas sibi invicem remiserunt, in poenam fraudis applicare fabricae Ecclesiae vel alteri pio loco *in Dubio die 27 Aprilis 1581 ad Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

89. Capitulum autem Cathedralis Ecclesiae Cavallicensis tenetur tradere portionem coaequalem aliis Canonicis Operario, qui reparationi et fabricae illius praeerat; proposito enim dubio: - I. An ex Massa, quae de aggregatione nuncupatur, et ex Missarum votivarum tum fundatarum eleemosynis funerariis Mortuariis Anniversariis aliisque obventionibus constituitur, Capitulum et Canonici Operario suam portionem coaequalem aliis Canonicis tradere teneantur? -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, Affirmative - *in Cavallicen. die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

90. Explorati hinc iuris est, Canonicos aequa lance Canonicatus onera perferre debere; ubi enim commune est emolumentum commune etiam onus esse debet, ne alias diverso iure censeantur, qui iidem inter se reputantur *in Signina Missarum die 1 Februarii 1840* §. *Iamvero.*

91. Idcirco Canonicus, possessor Canonicatus fundationis Pescitelli per Abbatem Commendatarium in Ecclesia S. Mariae Novae Terrae Tophiae erecti, tenetur cum aliis Canonicis contribuere expensis cerae et salario Aeditui et Magistri organi, cum admissus fuerit cum honoribus et oneribus antiquorum Canonicorum, haud vero tenetur solvere Sacrario utensilia Missarum celebrandarum ex dispositione praedicti Fundatoris et iuxta legatum de Homine; propositis enim dubiis: - IV. An idem debeat cum aliis Canonicis contribuere expensis cerae ac salarii Aeditui et Magistri organi? *Et quatenus negative.* V. An teneatur solvere Sacristiae utensilia Missarum celebrandarum ex dispositione Sisinii et iuxta legatum Iosephi de Homine? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Affirmative; et amplius. Ad quintum, Negative; et amplius - *in Nullius seu Farfen. die 21 Novembris 1761.*

92. Hinc habentes Canonicatum de iurepatronatus, licet non participent de distributionibus aliorum Canonicorum, tenentur nihilominus pro rata ad expensas pro recolenda festivitate principali et renovatione fontis baptismalis iuxta praescripta a S. Pio V, non obstante, quod eorum Canonicatus fuerint erecti post dictam Constitutionem *in Feretrana Contributionis pro recolenda festivitate die 14 Ianuarii 1696 lib. 46 Decretorum.*

93. Itaque Statuta Ecclesiae Collegiatae Ecclesiae S. Adalberti Civitatis Aquisgranae praecipiebant, ut quilibet Canonicus, cum Canonicatus possessionem assequebatur, ius,

(1) Nuncius Apostolicus haec habuit, *ut in* §. *Nuncius* - ibi - Il Capitolo non suol commettere al Canonico Magistrale, che alcuni panegirici in occasione di canonizzazione de' Santi o translazione de' corpi e reliquie, il che però non è accaduto da trent' anni, ed il Vescovo prescrive quelle prediche o sermoni da farsi dall'accennato Canonico ne' giorni descritti nelle Tabelle eccettuatane però la quadragesima, nella quale il Magistrale dovrebbe predicare due volte, ma senza assegnarseli i giorni: le Tabelle sono come si esprime nel memoriale, ma la seconda termina la Domenica di quinquagesima, e non il giorno della Santissima Concezione -.

quod dicebatur receptionis, persolvere deberet in beneficium fabricae Ecclesiae scuta 36, et haec solutio duplicari etiam solebat, si novus Canonicus resignationem Canonicatus obtineret ab alio, qui iure receptionis non persolverit. Quum deesset Capituli sustentatio, capitularibus comitiis anno 1708 resolutum fuit, ut quicumque in posterum Canonicatus vel Praebendas obtinuisset, praeter dictam praestationem, quam iura ordinaria appellarunt, persolvere etiam teneretur iura extraordinaria, nempe summam bis centum Imperialium in censibus vel bonis stabilibus collocandam, quorum fructus loco quotidianarum distributionum inter inservientes dividerentur; quam resolutionem Nuntius Coloniensis confirmavit ad quinquaginta annos, confirmatam postea ad alios annos quinquaginta. Canonicatum memoratae Ecclesiae favore Guillelmi Iosephi Dubois resignavit Wathor, qui illius resignationem a Canonico Gillard obtinuerat. Quum tamen neuter iura receptionis persolvisset, idcirco Capitulum antequam dictum Dubois ad possessionem Canonicatus admitteret, triplicatam solutionem iurium tam ordinariorum, quam extraordinariorum ab eo postulavit. Nuntius Apostolicus censuit, – Capitulum contentum esse debere de iuribus duplicibus ordinariis et simplicibus extraordinariis –. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sint solvenda emolumenta sive iura tam ordinaria, quam extraordinaria receptionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Nuncii Apostolici – *in Leodien. die 7 Augusti 1773.*

94. Alias novus Canonicus gravari non potest in actu admissionis ad aliquid praestandum, licet antiqua extet consuetudo *in Polignanen. mense Decembris 1584.*

95. Iamvero cum in Capitulo Polignanensi vigeret consuetudo, ut, qui admittendi forent ad fructus ac distributiones eiusdem, deberent convivium parare omnibus Capitularibus aut expensam illius tradere, Sacra Congregatio declaravit, huiusmodi consuetudinem vel potius abusum a Decreto Concilii sess. 24 cap. 14 censeri sublatum *in Polignanen. mense Decembris 1584.*

96. Similiter consuetudo in aliquibus Capitulis Cathedralium inoleverat, quod ab Episcopis in admissione ad possessionem singulis Canonicis unus aureus solveretur, et a Canonicis quarta pars. Quaesitum itaque fuit, utrum dicta consuetudo foret irrita declaranda? Sacra Congregatio respondit, consuetudinem huiusmodi esse sublatam per Concilium in Cap. 14 sess. 24, et per constitutionem S. Pii V (1); ideo non esse tolerandam *in Avenionen. die 25 Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

97. Si vero quod exigitur erogatur in usum fabricae, sustinetur huiusmodi consuetudo; quandoquidem Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Dionysii corrigendo antiquam consuetudinem, qua quilibet Canonicus in admissione sua dabat convivium, statuit, ut loco convivii deinceps solverentur quinquaginta imperiales seu viginti quinque ducata in utilitatem fabricae. Post multos annos petiit declarari, an praedicta ordinatio adversaretur Bullae S. Pii V aut sacri Concilii Tridentini, Sacra Congregatio respondit, praefatam Constitutionem in casu, de quo agitur, non obstare, dummodo vere dicta donaria erogentur in usum fabricae *in Leodien. die 2 Maii 1699* (2).

98. Canonicatus autem ex accessu acquisitus, ex retrocessione, non confectis literis, reputatur de novo acquisitus *in Comen. Ca-*

(1) Siquidem S. Pius V in Constit. *Durum nimis* 1 iulii 1570 Bullar. tom. 4 part. 3 declaravit et ampliavit Cap. 14 sess. 24 Concilii Tridentini decernens, Episcopos incurrere suspensionem ab officio Pontificali, donec absolvantur a Papa, praevia restitutione receptorum; Collegia et Universitates interdictum, non tamen reservatum; singulares personas excommunicationem Papae reservatam; et his poenis ligari tam dantes, quam accipientes. Ampliatum etiam est ab Innocentio XII in Constitutione *Ecclesiae* 22 septembris 1675 Bullar. tom. 9 pag. 412 addente poenas ipso facto absque alia declaratione incurrendas, privationis Dignitatum Canonicatuum Praebendarum aliorumque ecclesiasticorum Beneficiorum; et quoad Regulares, privationem etiam vocis activae et passivae ac graduum munerum et officiorum obtinendorum: prohibente insuper sub dictis poenis Papae reservatis quascumque conventiones etiam iuratas, factas absque auctoritate Apostolica ante provisionem Ecclesiarum seu Monasteriorum, eas irritas declarando. Accessit Constitutio *Pius et misericors* 29 aprilis 1725 Bullar. Rom. tom. II part. 2 pag. 397 Benedicti XIII, qua pro Italia et Insulis adiacentibus de media annata solvenda pro una vice a Parochis Canonicis et Beneficiatis pro fabrica Cathedralis et Collegiatae nonnulla constituuntur.

(2) Reliqua habes in Verb. *Canonicatus* §. V, n. 252 ad finem, Tom. IV.

nonicatus ad cap. 17 sess. 24 de reformatione Posit. 10.

99. At Canonicus semel ab Examinatoribus Urbis examinatus et idoneus repertus cum Canonicatus adeptus est, si eo dimisso Canonicatum alium obtinuerit, non est iterum examinandus *in Fanen. mense Iunii 1592 lib. 2 Decretorum pag. 54.*

100. Hinc semel examinatus et idoneus repertus super Cantu Gregoriano in adeptione Canonicatus, et caeremoniis ecclesiasticis in adeptione Canonicatus supranumerarii, non tenetur subire novum examen super eisdem in adeptione Canonicatus numerarii eiusdem Ecclesiae *in Derthonen. die 16 Iulii 1689 lib. 39 Decretorum pag. 245 a tergo.*

101. At Canonici una vice pro quolibet possunt cogi ab Episcopo in Visitatione ad exhibendas literas patentes suorum ordinum et bullas suorum Canonicatuum et Beneficiorum *in Patavina Visitationis die 25 Ianuarii 1672 lib. 25 Decretorum pag. 292.*

102. Quum vero in Ecclesia Collegiata S. Angeli Civitatis Viterbii existerent Canonici de Massa et Canonici adiuncti, quorum non eadem erat conditio, dum aliqui admissi fuerant cum pacto, quod non tenerentur ad restaurationem Ecclesiae et Fabricae, sed dubium erat, num nomine Fabricae veniret, praeter materialem structuram, omne quod Ecclesiae usui esset, proposito dubio: – An et quomodo Canonici Praebendarii teneantur ad expensas pro manutentione Ecclesiae et Sacristiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Quoad Canonicos Martis non teneri ad expensas pro materiali fabrica tantum, et amplius; in reliquis quoad omnes, dilata; et scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Viterbien. die 26 Novembris 1763.*

103. Qua de re quum Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Euphemiae, exceptis duobus vel pluribus, qui coadiuvant Archipresbiterum in cura animarum, non participent de primitiis eleemosynis sive emolumentis parochialibus, non tenentur praestare ceram capitularem pro exercitio bonae mortis; his enim in terminis proposito dubio: –VI. An, pro functione bonae mortis ad libitum peragenda a Parocho, Canonici teneantur praestare ceram capitularem? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Negative – *in Comen. super dubiis die 26 Iunii 1700 lib. 50 Decretorum.*

104. Similiter Petrum Vescovali, qui Canonicatum possidebat in Ecclesia Collegiata Luniani, ex bonis Ecclesiae ruralis Ramici erectum, ad subministrationem vini pro Missis farinae pro hostiis et olei pro lampade minime teneri declaravit Sacra Congregatio, nec imo infra annum ad celebrationem Sacri in eadem Ecclesia rurali teneri, licet a Capitulo de huiusmodi oneribus fuerit cum suis antecessoribus conventum, sed mutuo consensu partium conventio dein rescissa fuit, quin repetita expresse haberentur in nova Canonicatus erectione; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Canonicatus modo retentus a Petro Vescovali teneatur ad subministrationem vini pro Missis farinae pro hostiis et olei pro lampade? II. An et quoties infra annum idem teneatur ad celebrationem Sacri in Ecclesia rurali Ramici in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative – *in Amerina Onerum Canonicatus die 8 Maii 1762.*

105. Neminem hinc latet, Canonicis onera non esse imponenda, quae vel in fundatione seu erectione, vel ex voluntate hominis imposita fuisse non apparent *in Sutrina Officiaturae die 18 Septembris 1779* §. *Verumtamen.*

106. Idcirco Decretum synodale obligans Canonicos hebdomadarios ad quotidie celebrandas sex Missas, qualiter novum onus eisdem impositum, nullum declaravit Sacra Congregatio *in Alatrina anno 1608 lib. 11 Decretorum pag. 36.*

107. Unde Canonici non tenentur ea ferre onera, quae ex errore et contra tabulas fundationis pertulerunt, licet accesserit consuetudo immemorabilis *in Aesina Onerum die 28 Iulii 1860.*

108. Siquidem Anna Maria Cesarei solemnibus tabulis anno 1744 duas Praebendas Canonicales ea lege fundavit in Collegiata

(1) Scilicet, ut Episcopus activum passivumque statum Collegiatae Ecclesiae et Sacrarii in re, de qua agitur, confici mandet, exprimendo siguanter distinctos annuos reditus pro illarum manutentione assignatos, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 32 die 26 novembris 1763.*

Ecclesia S. Mariae Orationis et Mortis Aesii, ut nec sui heredes neque Canonici a se instituti tenerentur manutenere Altare in ea erigendum: sed insuper, attributo iisdem Canonicis onere praestationis candelarum in Sacri Reliquiarii expositione dumtaxat, addidit, eos aliis oneribus subiici non debere. Ceterum a tempore immemorabili Canonici Casarei suppeditare consueverunt cereos nedum cum sacrae divi Antonii reliquiae exponerentur iuxta piae institutricis praescriptum, verum etiam aliis nonnullis infra annum recurrentibus festivitatibus. At anno 1858 cum dicti Canonici novissent, ex lege institutionis sese non teneri ad suppeditandos cereos, nisi in sacrarum reliquiarum expositione, ab huiusmodi praestatione abstinendum in posterum declararunt. Emus Episcopus vero in actu Visitationis die 2 iunii praefati anni 1858 decrevit, Canonicos Casarei ad praedictum onus teneri iuxta consuetudinem. Nam consuetudo vim legis habere videbatur. Canonici ex adverso sustinuerunt, nullius esse roboris huiusmodi consuetudinem, quae ex errore facti et contra manifestas fundationis tabulas procedebat. Proposito hinc dubio: – An Decretum Curiae Episcopalis sit confirmandum, vel infirmandum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Aesina Onerum die 28 Iulii 1860.*

109. Episcopus vero praescribere non potest, ut in Collegiata Ecclesia Evangelium Dominicae Passionis Dominica Palmarum aliisque Feriis Maioris Hebdomadae canatur illis modo ac forma, quibus canitur in Cathedrali Ecclesia, si contraria extet consuetudo *in Lucana die 2 Iulii 1718.*

110. Siquidem Episcopus Lucanus in actu Visitationis Collegiatae Ecclesiae S. Martini Terrae Petrae Sanctae Decretum fecit quod, in ea caneretur Evangelium Dominicae Passionis Dominica Palmarum aliisque diebus Maioris Hebdomadae illis modo et forma, quibus canebatur in Cathedrali Ecclesia, hoc est quod Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve caneretur a Canonicis et Feria tertia et Feria quarta caneretur a Capellanis, imposita mulcta scutorum decem Locis piis applicanda, et in casu contraventionis poenam apposuit suspensionis a divinis ipso facto incurrendae. Contenderunt Canonici, Decreta haec nullatenus subsistere, quia ab anno 1673, quo erecta fuerat Collegiata, Evangelium Dominicae Passionis fuit fere semper cantatum a Capellanis, et quia aliter unus tantum ex sex Canonicis in choro remaneret. Contra vero advertebatur, quod inferiores Ecclesiae se uniformare debebant in sacris caeremoniis stylo Cathedralis. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Decreta, de quibus agitur, sint exequenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Lucana die 2 Iulii 1718.*

111. Nec possunt Canonici deputari in Vicarios perpetuos Ecclesiarum Parochialium Ecclesiae Cathedrali unitarum *in Campanien. Parochorum die 14 Aprilis 1663 lib. 23 Decretorum pag. 481.*

112. Possunt vero deputari Oeconomi mensae episcopalis vacantis a Capitulo, secus vero Parochialium, nisi ab habente facultatem *in Valentina die 29 Maii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 626.*

113. Deputati autem ab habente facultatem in Oeconomos Parochialium vacantium, nihil possunt ex eis percipere, si curam animarum exercent per Sacerdotes constitutos de consensu et approbatione Ordinarii *in Valentina die 29 Maii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 626.*

114. Nec possunt substitui a Gubernatoribus Civitatum in illorum locum et absentiam *in Alatrina die 16 Martii 1630 lib. 14 Decretorum pag. 259.*

115. Hinc sunt quidem hortandi, ut S. Scripturae lectioni intersint, non tamen possunt compelli, neque poenis neque alia ratione *in Anagnina anno 1606 lib. 11 Decretorum pag. 7.*

Item *in Ripana die 15 Martii 1642 lib. 17 Decretorum pag. 17; in Parmen. mense Augusti 1646 lib. 18 pag. 165.*

116. Nec aliter responsum fuit quoad conferentiam casuum conscientiae *in Ripana anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 73.*

117. Hoc autem intelligendum est, si non habent curam animarum *in Nullius die 26 Aprilis 1636 lib. 15 Decretorum pag. 348.*

Item *in Ripana die 15 Martii 1642 lib. 17 Decretorum pag. 17.*

118. Nam habentes curam animarum, prout et Canonicus Poenitentiarius et Theologus,

possunt cogi ad interessendum dictae conferentiae *in Comen. die 16 Decembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 533.*

119. Canonicus autem quamvis subcollector debet reddere rationem administrationis Ecclesiae coram Episcopo *in Dubio anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 158.*

120. Insuper tenetur Capitulum reddere Episcopo rationem de scripturis ad Dignitatem Episcopalem pertinentibus ac eidem potestatem facere illas describendi *in Oscen. lib. 3 Decretorum pag. 28.*

121. Hinc quum Canonici, absente Archipresbitero vel necessitate urgente, tenerentur vices gerere in cura animarum, celebrantes primam Missam in Aurora tenentur ad formam Decreti Episcopi in Visitatione editi principaliora fidei mysteria edocere; his enim in terminis proposito dubio: – II. An iidem Canonici celebrantes primam Missam in aurora teneantur principaliora fidei mysteria edocere, ita ut substineri debeat Decretum in eadem Visitatione factum ab Episcopo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative – *in Civitatis Castellanae die 25 Septembris 1762.*

122. Tolleranda autem est consuetudo, secundum quam quilibet Canonicus retineat in proprium et particularem usum omnino separatum a ceteris Canonicis et Sacerdotibus calicem et alia paramenta sacerdotalia, licet propria Sacristiae *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 452.*

123. At Canonici Cathedralis Ecclesiae tenentur accedere ad Synodum, et Episcopus contra reluctantes procedere potest ad poenas; proposito enim dubio: – V. An Episcopus possit procedere ad poenas canonicas contra Praepositum et Capitulum ob non accessum ad Synodum? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quintum, Affirmative; et amplius – *in Cremonen. Synodi die 5 Aprilis 1732.*

124. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 5 Aprilis 1732 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Cremonen. Synodi die 29 Augusti 1733.*

125. Itaque Capitula sive Cathedralium sive Collegiatarum sive aliae Communitates ecclesiasticae seculares tenentur observare Decretum de celebratione Missarum de mandato s. m. Urbani VIII a S. Congregatione Concilii editum (1) in acceptandis oneribus perpetuis Missarum, nec non investiendis pecuniis, quae sunt assignatae pro fundo dictorum onerum *in Vicen. Visitationis Sacrorum Liminum die 15 Aprilis 1696 lib. 46 Decretorum.*

126. Hinc Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii Castri Lapidonae ex dispositione Hippolyti Petrucci tenentur celebrare quinque Missas qualibet hebdomada; proposito enim dubio: – An Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii Castri Lapidonae teneantur celebrare quatuor vel quinque Sacrificia per ipsorum quemlibet et qualibet hebdomada in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Teneri ad quinque Missas – *in Firmana Missarum die 10 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

127. Quum autem Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Oppidi S. Ginesii ex dispositione Fundatoris teneatur applicare unam tantum Missam in hebdomada, cogi non potest ad applicandas tres Missas qualibet hebdomada descriptas in quadam antiqua Tabella; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Canonicus Ioseph Antonius Vannarellus teneatur ad applicationem trium Missarum in hebdomada, sive potius ad celebrationem tantum, ut alii Canonici tenentur in casu etc. *Et quatenus teneatur ad applicationem.* II. An sit concedenda earum reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, provisum in primo – *in Camerinen. Celebrationis Missarum die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

128. Attento itaque ultimo elogio Flaminiae Fontibassa nec non respectiva fundatione Canonicatus facta per Franciscum virum

(1) Huiusmodi Decretum relatum habetur in Constitutione *Nuper* 23 decembris 1697 §. 7, ubi iubetur, pecunias et bona mobilia relicta pro Missis perpetuis investiri in bonis immobilibus frugiferis cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; nec non cum expressa Superioris licentia: quin imo in §. 8 praecipitur, ut Superiores caute concedant facultatem pro suscipiendis Missis perpetuis.

in suo testamento in Cathedrali Nepesina, Canonicus tenetur celebrare octo Missas singulis mensibus nec non ferre onera, ad quae lii Canonici tenentur; his enim in terminis proposito dubio: – An et ad quae onera teneatur Canonicus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Teneri ad onera expressa in testamento Francisci et ad onera, ad quae tenentur alii Canonici – *in Nepesina Canonicatus die 4 Februarii 1719.*

129. Similiter Canonici Ecclesiae Beatae Mariae Virginis et SS. Fabiani et Sebastiani de Carignano Civitatis Ianuae tenentur celebrare singulis diebus infra annum Missam in eadem Ecclesia, cum huiusmodi onus a Fundatore Capellaniarum, quae occasione erectionis Collegiatae in Canonicatus fuerant commutatae, originem ducebat; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Abbas et Canonici Ecclesiae Beatae Mariae Virginis et SS. Fabiani et Sebastiani de Carignano Civitatis Ianuae teneantur singulis diebus infra annum celebrare propriam Missam in eadem Ecclesia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Ianuen. die 25 Ianuarii 1727.*

130. Qua de re Canonici Collegiatae Ecclesiae Oppidi Petrae Sanctae celebrantes iuxta legatum Testatoris Ferdinandi de Carolis Missam quotidianam sub ortum solis, eam pro eiusdem anima applicare tenentur, licet dictus Testator, nulla facta mentione de applicatione, Agricolarum et Artificum commoditati consulere voluisse videretur, sed contraria revera existebat praesumptio, cum nihil in contrarium dixerit ac pinguem celebranti eleemosynam reliquerit, concessa tamen reductione habita fructuum ratione aliarumque expensarum pro Missa horis intempestivis et cum valetudinis discrimine celebranda, iuxta Episcopi desiderium; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Canonici Missam celebrantes iuxta legatum Ferdinandi de Carolis teneantur eam applicare pro anima Testatoris? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus reductioni oneris? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative arbitrio Episcopi – *in Lucana applicationis Missae quotidianae die 12 Februarii 1735.*

131. Hinc etiam consuetudinem quoad celebrationem Anniversarii servare tenentur Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Acerrarum; proposito enim dubio: – XI. An dicti Canonici teneantur quolibet mense celebrare Anniversarium pro Benefactoribus, sive potius sit servanda consuetudo? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, servandam esse consuetudinem – *in Acerrarum die 23 Augusti 1727.*

132. Capitulum itaque Collegiatae Ecclesias Civitatis Angriae illegitime suppressum in restauratione vix decimam bonorum partem, quibus antea Collegiata fruebatur, habuit: et in restitutione nulla facta fuit mentio Missarum, quibus bona gravabantur, idcirco inadimpletae extiterunt. Aderant praeterea alia Missarum Legata, quae reducta ab immemorabili apparebant, quin nosceretur, an reductiones legitimae fuissent. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo probanda ac servanda sit reductio onerum Missarum in casu? II. An et quomodo concedenda sit translatio eorumdem onerum respectu diei et Altaris in casu? III. An et quomodo condonandae praeteritae omissiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative prudenti arbitrio Episcopi. Ad tertium, Affirmative celebrata singulis annis unica Missa cum cantu, integro adstante Capitulo, facto super omnibus verbo cum Sanctissimo – *in Nucerina Paganorum Onerum Missarum die 30 Ianuarii 1858.*

133. Similiter possessor Praebendae S. Thomae tenetur celebrare Missam ultimam post nonam feria tertia cuiuslibet hebdomadae, cum id impositum videtur ex Literis Apostolicis, quibus Collegiatam Ecclesiam Civitatis Novae fuit restituta; his enim in terminis proposito dubio: – An et cui incumbat onus celebrandi Missam ultimam post nonam feria tertia cuiuslibet hebdomadae in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative Canonico Iosepho Recchio, qua possessori Praebendae S. Thomae – *in Firmana Celebrationis Missarum die 23 Iunii 1838.*

134. Hinc S. Congregatio sapientissime diremit controversias, quae circa onera Missarum ac cetera huiusmodi exarserunt in Capitulo

Collegiatae Rapaneani; propositis enim dubiis: – I. An Capitulo Collegiatae Rapaneani incumbat onus celebrationis Missarum per hebdomadam pro Canonicatu Carpiceci in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductione in casu? III. An et quod Missarum onus incumbat possessori eiusdem Canonicatus in casu? IV. An praeter duas hebdomadales ad aliud Missarum onus teneatur Capitulum in casu? *Et quatenus negative.* V. An et quomodo providendum sit pro distributione eleemosynae in casu? VI. An et quae summa ex eo quod superest de Praebenda assignata Canonico vel Beneficiato fundationis Carpiceci nondum sacris Ordinibus initiato eroganda sit pro Missarum celebratione in casu? VII. An et quomodo erogandi sint tam in praesens, quam in futurum reditus Canonicatus et Beneficiorum Carpiceci, si quando vacaverint, nec non utriusque Beneficii eiusdem fundationis ab erectione Collegiatae usque nunc vacantium in casu? VIII. An actuales Beneficiorum Carpiceci possessores teneantur ad celebrationem quinque Missarum annuarum in casu? *Et quatenus Affirmative?* IX. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad praeteritas omissiones eorumdem favore in casu? X. An et in quo numero Missae, olim spectantes ad Paraeciam SS. Ioannis et Pauli, celebrandae erunt a Capitulo post peractam unionem omnium bonorum et institutionem choralis servitii quotidiani in casu? XI. An et quot Missas ad praedictam Paraeciam spectantes teneatur Capitulum in praesens celebrare in casu? XII. An et quomodo servanda sit lex fundationis earumdem Missarum quoad destinationem Altaris, seu potius consulendum sit Sanctissimo pro derogatione in casu? XIII. An Capitulum teneatur adimplere in designatis Altaribus onera Missarum olim inhaerentia Paraeciae Beatae Mariae Virginis et S. Severini in casu? *Et quatenus affirmative.* XIV. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro reductione et libera celebratione in casu? XV. An et quomodo teneatur Capitulum ad celebrationem sexaginta Missarum, de quibus mentio fit in Decreto executoriali pag. 234 in casu? XVI. An reductio onerum Missarum perdurare censenda sit in praesens, minime obstante incorporatione favore Massae Capitularis omnium ferme bonorum ad Paraecias et Sodalitia pertinentium in casu? XVII. An Capitulum teneatur ad satisfactionem septuaginta Missarum ad Sodalitium Sanctissimi Rosarii olim pertinentium in casu? *Et quatenus affirmative.* XVIII. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro reductione ad quinquaginta in casu? XIX. An Capitulum teneatur ad officiaturam totius diei in feria quarta Maioris Hebdomadae, vel potius ad vespertinam dumtaxat in casu? XX. An Vespere praecedente solemnes festivitates Capitulum teneatur ad recitationem Completorii et Matutini praeter Vesperas in casu? XXI. An et quomodo officiaturae choralis onus absolvendum sit a Capitulo in Sabbato Sancto in casu? XXII. An Capitulum adimplere debeat onus sex Missarum pio Legato Ranchella olim inhaerens in casu? *Et quatenus Affirmative.* XXIII. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro reductione in casu? XXIV. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad omnes praeteritas omissiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, docto de statu oeconomico Capituli et de necessitate restaurationum, providetur. Ad tertium, Negative in omnibus. Ad quartum Negative. Ad quintum, Affirmative ex Massa capitulari. Ad sextum, Affirmative; et erogandam esse summam scutorum quinque. Ad septimum, quoad duo Beneficia actu vacantia, provisum in Bulla et Decreto exequutoriali; quoad Canonicatum et reliqua duo Beneficia detractis distributionibus, fundos erogandos esse pro medietate in Missarum celebratione, et pro alia medietate in meliorationibus et sacris utensilibus. Ad octavum, Affirmative. Ad nonum, Affirmative celebratis decem Missis a Sacerdote Alici et tribus a Sacerdote Bonifazii. Ad decimum, Affirmative in numero Missarum 54, non comprehensis Missis pro Populo. Ad undecimum, Affirmative pro triginta Missis. Ad decimum secundum, consulendum Sanctissimo pro derogatione. Ad decimum tertium, Affirmative. Ad decimum quartum, quoad reductionem, Negative; quoad liberam celebrationem, prudenti arbitrio Emi Archiepiscopi. Ad decimum quintum, Affir-

mative. Ad decimum sextum, Affirmative usque ad integram et perfectam bonorum recuperationem, iudicio Emi Archiepiscopi verificandam. Ad decimum septimum, Affirmative. Ad decimum octavum, Affirmative. Ad decimum nonum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, comprehensa recitatione Completorii. Ad vigesimum, Affirmative. Ad vigesimum primum, Affirmative; et recitandum esse de sero Completorium, et Matutinum diei sequentis. Ad vigesimum secundum, Affirmative. Ad vigesimum tertium, Negative in omnibus. Ad vigesimum quartum, Affirmative celebratis tribus Missis cum cantu nec non recitatis quinquies Psalmis poenitentialibus, integro adstante Capitulo – *in Firmana Onerum die 18 Decembris 1858.*

135. Canonici autem vi legatorum obligati ad celebrandas Missas cantatas et aliquas lectas pro singulis tenentur eas celebrare in Cathedrali, nec tempore vacationis possunt eas celebrare extra eam *in Adiacen. die 11 Iulii 1671 lib. 27 Decretorum pag. 144.*

136. At non tenentur Canonici Collegiatae S. Mariae Terrae S. Ginesii ad applicationem Missarum in Tabella descriptarum, cum non constet, an dictae Missae habeant huiusmodi onus adnexum; his enim in terminis proposito dubio: – An Canonici teneantur nedum celebrare, verum etiam applicare Missas in Tabella descriptas, quarum applicationis onus non apparet in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Canonicos non teneri ad applicationem Sacrificii – *in Camerinen. celebrationis Missarum die 4 Iunii 1701 lib. 51 Decretorum.*

137. Quum autem Episcopus Amalphitanus in actu Visitationis decreverit, quod in celebrandis Anniversariis omnes Canonici cum Proposito Ecclesiae Collegiatae et Curatae S. Mariae ad Mare Oppidi Maiuri interveniren neque in iis alternativae beneficio frui deberent, proposito dubio: – VIII. An in Anniversariis interesse teneantur Praepositus et ceteri omnes de Capitulo dictae Collegiatae, vel potius illi tantum, qui sunt de hebdomada in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad octavum, dilata; et pro meliori informatione – *in Amalphitana Oneris Missarum et curae animarum die 13 Aprilis 1715 lib. 65 Decretorum.*

138. Hinc quum Ioannes Baptista de Paulis Canonicatum fundaverit in Collegiata Ecclesiae Anguillariae cum onere, ut in hebdomada, qua possessor vacabat a choro, Missam quotidie celebraret, quia in alia hebdomada omnibus diebus Missa applicabatur pro Benefactoribus; cumque Episcopus in Visitatione edixerit, ut in posterum ex numero quindecum Missarum pro anima Testatoris tot minuerentur, quot in hebdomada applicari deberent pro Benefactoribus, proposito dubio: – I. An et quot Missae sint celebrandae quoad futurum in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta Decretum Episcopi. Ad secundum, Affirmative celebrato aliquo Missarum numero arbitrio Episcopi – *in Sutrina Missarum die 22 Novembris 1794.*

139. Itaque propter redituum tenuitatem Canonicatus de iurepatronatus familiae Usimardi erecti in Ecclesia Collensi Sacra Congregatio chori servitium et alia onera reduxerat; sed inde ob eamdem redituum tenuitatem Odoardus Ignatius Zeti petiit, ut Praebenda Canonicalis tamquam simplex Beneficium haberetur, ut Missae reducerentur ad rationem taxae perpetuae, ac demum ut, firma manente reductione choralis servitii facta anno 1769, tenerentur ad interessendum tantum pro temporibus in dicta reductione expressis, quoties tamen adesset in Civitate vel Diaecesi Collensi, cum Florentiae tunc degeret, aliter teneretur ad celebrationem unius Missae ad libitum pro quolibet interessentiae defectu, tribus exceptis diebus Maioris Hebdomadae cum alio sequenti die festo Resurrectionis D. N. Iesu Christi. Proposito vero dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro reductione tantum ad duas Missas in qualibet hebdomada; in reliquis, Negative – *in Collen. die 10 Februarii 1781.*

140. Nam attenta redituum tenuitate, indulgetur etiam Angelo Azzolani Canonico Ecclesiae Collegiatae Valentani reductio oneris Subdiaconalis et Diaconalis ministerii nec non celebrandi ultimam Missam per turnum; his enim in terminis proposito dubio: – An et

quomodo sit locus reductioni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse reducendum onus Subdiaconalis et Diaconalis ministerii nec non celebrandi ultimam Missam per turnum - *in Montis Falisci Reductionis Missarum die 17 Decembris 1791.*

141. Qua de re cum Canonicatuum fundationis Sacerdotis Michaelis Angeli Bronetti Ecclesiae Collegiatae S. Andreae Apostoli Saviliani possessores exoraverint Missarum reductionem, ex eo quod antea reditus ad scuta centum ascendebant, in praesens in scuta annua decem absque eorum culpa decreverant, Sacra Congregatio, attento etiam onere servitii chori ac administrationis Sacramenti Poenitentiae diebus festis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro reductione onerum, arbitrio Emi Archiepiscopi – *in Taurinen. Reductionis die 17 Decembris 1791.*

142. Hinc ob imminutas censuum usuras tenuesque terrularum fructus, reditus duorum Canonicatuum fundationis Marii Savalli in Ecclesia Cathedrali Feretrana vix ex decenni calculo attingebant scuta 52. 32; omnibus vero detractis Missarum Anniversarii et cameralium contributionum oneribus in scutis 14. 68, vix supererant scuta 10. 74, seu scuta 5. 32 pro quolibet. Idcirco Episcopus censuit, Oratores mereri – reductionem petitam, ut vivere possint, saltem eos liberando ab Anniversario celebrando in anno et a duarum Missarum celebratione in hebdomada. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit locus reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi - *in Feretrana Reductionis Onerum die 16 Maii 1795.*

143. Quum igitur Canonici praebendarii Ecclesiae Cathedralis Comaclensis quotidiano servitio adstricti et plurimis Missis gravati, ob redituum tenuitatem, Missarum reductionem ex fundatione postulaverint, proposito dubio: - An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad Praebendas Canonicales, quarum annuus reditus, deductis oneribus, excedit scuta viginti, Negative; in reliquis, Affirmative iuxta modum, nempe reductionem ita faciendam esse, ut pro quolibet Canonico libera remaneant scuta viginti – *in Comaclen. Reductionis Missarum die 13 Iunii 1795.*

144. Hinc Sacra Congregatio die 24 novembris 1827 indulsit Capitulo Cathedralis Ecclesiae Nolanae reductionem Anniversariorum iuxta votum Episcopi, scilicet quod Anniversaria 156, quorum nomine intelligebat illud totidem Missas solemnes cum cantu, ad tot Missas lectas per singulos Canonicos viriliter litandas commutarentur. Officia vero pariter 155, quorum nomine audiebat Nocturnum cum Vesperis Defunctorum, ad 50 reducerentur. At Episcopus ita Sacrae Congregationis resolutionem executus est, ut Anniversaria omnia simul et Officia ad quinquaginta imminuerit, praeter unam Missam cum cantu et adsistentia totius Capituli. Hinc factum est, ut inde Capitulares vel Sacrae Congregationis resolutionem ignorantes, vel eius praescriptum cum exequutorio Antistitis Decreto non concordans sentientes, quum grave adhuc 50 Anniversariorum onus existimarent ob redituum tenuitatem oneribus, quibus obstringuntur, non respondentem, preces semel et iterum dederint haud sane conformes. Demum cognita immutatione totali Anniversariorum ad Missas lectas per Sacram Congregationem concessa; at rati, eam decennalem esse, prorogationem illius ad aliud decennium flagitarunt, immutatis insimul et aliis duodecim Anniversariis exin Capitulo adiectis, vel saltem gratiam reductionis anniversariorum ad 24 ac etiam Officiorum ad 24, quibus Oratorum precibus undequaque Episcopus obsecundabat, attentis Capituli circumstantiis. Nam Capituli reditus adeo exigui erant, ut singuli Canonici non amplius, quam quatuor et nonaginta, Numerarii vero unum et septuaginta ducata annuatim percipiebant. Absolutione forsan indigebant etiam Oratores, quatenus S. Congregationis resolutionem praefati anni 1827 non rite executi fuerint, dum loco Missarum lectarum 156, quinquaginta Anniversaria eousque celebrarunt, in quo eisdem suffragari videbatur bona fides.

145. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu? II. An et quomodo annuendum sit precibus Nolani Capituli super onerum imminutione in casu? –, S. Congregatio respondit: – Ad primum,

Affirmative celebrata unica Missa cum cantu et adsistentia totius Capituli. Ad secundum, Negative; et firmo remanente adimplemento duodecim Anniversariorum cum cantu, esse in perpetuum a Capitulo celebrandas ad formam resolutionis diei 24 novembris 1827 Missas centum quinquaginta sex lectas unamque cum cantu, integro adstante Capitulo, loco Anniversariorum, nec non recitanda esse quinquaginta Officia tantum; et ponatur in Tabella - *in Nolana Reductionis Onerum die 11 Iulii 1840.*

146. Idcirco iusta cum adsit causa, moderantur onera Canonicorum et Beneficiatorum, si praesertim Canonici id quadam veluti cessionis compensatione postulent *in Romana Applicationis die 1 Februarii 1834 et die 29 Aprilis 1837.*

147. Siquidem ex providentia Leonis XII anno 1828 substantia universa Aedis Svevorum ad S. Birgittae perpetuum in modum donata attributaque fuit Capitulo Basilicae S. Mariae Transtyberinae, pluribus tamen impositis oneribus. At inde Canonici supplices extiterunt, ut liberarentur onere assistendi doctrinae christianae et audiendi sacramentales diebus festis per orbem confessiones in praefata Ecclesia S. Birgittae, sed uni tantum ex Canonicis huiusmodi onus subeundi cum annuo stipendio duodecim scutatorum, quum onera haec incompatibilia essent ob exiguum Canonicorum numerum; e contra vero testati sunt, se annua scuta quadraginta sibi viritim ex reditibus dictae Ecclesiae obvenientia perlubenter pro expensis Sacrarii valde indigentis concedere. Emus Titularis precibus favit: sed censuit, uni tantummodo ex Praebendis Canonicalibus memoratum onus audiendi confessiones imponendum, ita ut quivis eiusdem possessor instar Canonici Poenitentiarii singulis saltem diebus festis de praecepto una hora ante Matutini initium in sacro poenitentiae Tribunali omnino sedere deberet, et dum confessiones audiret non secus haberetur, ac si divinis in choro celebrandis adesset. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Canonicorum Basilicae S. Mariae Transtyberim in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Emi Titularis, adaucto stipendio Canonici Confessarii ad scuta viginti quatuor, iniunctaque lege de reddenda eidem Emo Titulari ratione quotannis de Sacrarii administratione, facto verbo cum Sanctissimo – *in Romana Applicationis die 1 Februarii 1834.*

148. Deinde Beneficiati praefatae Basilicae postularunt etiam exonerationem audiendi per orbem fidelium confessiones cum lege tamen tradendi rudimenta fidei, quum huiusmodi onus admodum grave molestumque arbitrarentur. Emus Titularis censuit pariter, designandam esse alteram ex Beneficiatorum Praebendis, cui tantummodo onus excipiendi fidelium confessiones singulis saltem diebus festis incumberet cum annuo stipendio scutatorum duodecim, remunerationis titulo quotannis persolvendo. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Beneficiatorum S. Mariae Transtyberim in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative iuxta votum Emi Titularis, adaucto stipendio Beneficiati confessarii ad scuta decem et octo, facto verbo cum Sanctissimo – *in Romana Applicationis die 29 Aprilis 1837.*

149. Ceterum S. Congregatio onerum reductionem denegare consuevit, quoties onera libere accepto fuerunt habita, nec deinde proventus imminutionem sunt passi *in Florentina Reductionis Onerum die 2 Augusti 1823* §. *Quoties.*

Item *in Pistorien. Reductionis Onerum die 17 Februarii 1838* §. *Verumtamen.*

150. Idcirco Canonicus Aloisius Corsini, qui libere accepit Canonicatum ab germana Episcopi Toli fundatum cum dote annuorum scutorum 75. 83, quin huiusmodi proventus passi fuerint imminutionem, reductionem onerum praetendere nequivit; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo concedenda sit onerum reductio in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus, et amplius - *in Pistorien. Reductionis Onerum die 24 Martii 1838.*

151. Unde Capitulum praetendere non potest reductionem onerum, licet media sortis pars perierit, si ex contractu ita onera in perpetuum assumpserit, ut nunquam reductionem petere posset *in Urbanien. Contractus die 10 Aprilis 1802.*

152. Siquidem stipulatum fuit anno 1759 instrumentum inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae Urbaniae et Alexandrum Matarozzi,

quo septem ex undecim Canonicis, capitularibus indictis comitiis, scuta romana 266. 66. 3 recipientes, perpetuum usque ad finem mundi in se assumpserunt onus, praevia Episcopi licentia, celebrandae festivitatis S. Romualdi iuxta volitas a Matarotio conditiones, quas inter quod Capitulum investire posset dictam summam pecuniae favore Massae capitularis, quodque nunquam praetendere valeret augmentum dotis vel onerum reductionem, si in totum vel in parte praefata pecunia deperiret. Capitulum binos hinc census ex recepta in fundum pecunia emit: sed inde cum restituta fuisset sors unius census in tot papyraceis syngraphis paullo ante earum deperitionem, perempta extitit media sortis pars et medietas fructuum periit. Petiit itaque Capitulum reductionem onerum, eo vel maxime quia fundus erat taxativus et ipsius cum Massa capitulari coniunctio effectum non habuerat. Quin imo in facto posita laesione, ad aequitatis et iustitiae lancem contractus erat reducendus; quin pactum de non petenda reductione obesset, cum huiusmodi pacta velut contraria Decreto Urbani VIII de celebratione Missarum in praeiudicium Ecclesiae et successorum pro non adiecta haberi deberent. At fratres Matarozzi acriter obstiterunt, ex eo quod perpetuum onus, praevia Episcopi licentia, Capitulum assumpsit; quae tamen venia licet defuisset, contractus adhuc subsisteret, cum Urbani VIII Decreto adiecta non esset clausula irritans, quin obesset praetensa laesio, quia ea procul abfuit de tempore contractus. Inde Canonicorum vitio et culpae verterunt deperitionem fundi, quem censibus reiectis decebat magis comparari in bonis stabilibus fructiferis, ut cautum est in citato Decreto Urbani VIII sub §. 6. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus executioni contractus, seu potius reductioni onerum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Urbanen. Contractus die 10 Aprilis 1802.*

153. Nulla propterea fieri potest legati reductio iuxta conventionem, cui superaccesserit Ordinarii approbatio, qua statutum fuit, nullam imposterum esse faciendam reductionem, tametsi reditus imminuerentur *in Albinganen. Reductionis die 3 Iulii 1819.*

154. Iamvero fratres Castaldi die 21 novembris 1660 solemni instrumento bona quaedam donarunt Capitulo Collegiatae Oppidi Tobiae, et Capitulum in correspectivitatem sese perpetuo devinxit, ut quotidie duae celebrarentur Missae lectae, ut in qualibet feria sexta Missa conventualis celebraretur, ut in pervigilio omnium Sanctorum solemne Anniversarium exolveretur, ut qualibet die absolutis horis divini Officii recitaretur ab omnibus Canonicis Psalmus *De profundis.* Diminutis sequenti aevo reditibus, die 19 iulii 1749 novum stipulatum est instrumentum, in quo conventum est, ut ex duabus Missis lectis quotidianis quinque tantum in quolibet mense celebrarentur, ut vice Missae conventualis in qualibet feria sexta una tantum celebraretur Missa *de requiem* in singulis mensibus, atque firma remanerent cetera onera adiecto pacto, ut nulla imposterum facienda esset reductio, etiamsi reditus minuerentur. Episcopus in actu Visitationis die 13 iulii eiusdem anni, servatis servandis, conventionem approbavit et confirmavit. At anno 1803, imminutis reditibus, Vicarius Capitularis onera reduxit ad annuum Anniversarium. Marchio Nicolaus Lercari vero tamquam Patronus et heres Castaldi enixe obstitit. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit servanda reductio onerum a Vicario Capitulari facta in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et Legatum Castaldi esse adimplendum ad formam instrumenti transactionis et Decreti S. Visitationis, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Albinganen. Reductionis die 3 Iulii 1819.*

155. Concilium autem Tridentinum in Cap. 6 sess. 23 de reformatione nihil disponit de privilegio quoad Canonicos, sed illud reliquit in illis terminis, in quibus erat ante Concilium *in Dubio ad dictum Cap. 6 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

156. Hinc quum Archiepiscopus Salernitanus plura edixerit servanda potissimum a Canonicis Metropolitani Collegii, propositis dubiis: – II. An Dignitates et Canonici praedicti cogi possint ad incedendum in habitu talari usque ad occasum solis, excepta occasione eundi ad loca ruralia? *Et quatenus affirmative.* III. An adversus Dignitates et Canonicos praedictos in casu inobedientiae

procedendum etiam per inquisitionem? IV. An prohibitio facta de non incedendo noctis tempore sine lumine substineatur? –, S. Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, ad mentem (1). Ad quartum, Affirmative post secundam horam noctis – *in Salernitana Edictorum die 27 Septembris 1732.*

157. Qua de re eadem quoque Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in Monopolitana die 1 octobris 1728 approbavit Edictum Episcopi, quo admonebantur Ecclesiastici, ut post secundam noctis horam se domi continerent; vel si qua gravis necessitas aliter postularet, lumine adhibito, per vias incederent, et clericali veste uterentur, proposita poena carceris post triduum *in Salernitana Edictorum die 27 Septembris 1732* §. *Ad quartum*.

§. VII.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM SEDE EPISCOPALI VACANTE.

1. Compertissimi iuris est, Capitulum, Sede vacante, succedere in ordinariam Episcopi iurisdictionem, uti habetur in Cap. *His, qui*, et in Cap. *Cum olim* de maioritate et obedientia *in Dubium Visitationis die 13 Septembris 1721* §. *Ab.*

2. Qua de re Capitulum et Vicarius Capitularis Ecclesiae Cathedralis Calaguritanae visitare potest, Sede vacante, Ecclesiam collegiatam *della Rotonda* Oppidi Lucronii, quin obsit, quod anno 1727 praefata Collegiata a s. m. Benedicto XIII obtinuerit indultum insignitatis – cum omnibus et singulis privilegiis exemptionibus libertatibus et immunitatibus, quibus aliae Collegiatae insignes Regnorum Hispaniarum de iure usu consuetudine privilegio (non tamen particulari) aut quomodolibet utebantur potiebantur et gaudebant, nec non quod eadem Ecclesia illiusque Decanus ac ceteri omnes visitari deberent –, iuxta dispositionem Concilii Tridentini sess. 6 cap. 4 de reformatione, visitatione nempe particulari pro tempore existentem Episcopum Calaguritanum, prout Episcopi per se ipsos Ecclesias Cathedrales et Collegiatas visitare tenentur et debent ad formam praedicti Concilii Tridentini; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Capitulo Cathedralis Ecclesiae Calaguritanae, Sede vacante, eiusque Vicario Capitulari competat ius visitandi Ecclesiam S. Mariae *della Rotonda* eiusque Dignitates Canonicos et Presbiteros in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative, et amplius – *in Calaguritana Iuris visitandi die 30 Septembris 1730.*

3. Unde Sacra Congregatio censuit, Capitulum post lapsum annum a die ultimae visitationis per Episcopum factae, non expectato triennio, posse, Sede Episcopali vacante, loca, quae Episcopus vivens visitare posset *in Pampilonen. die 13 Aprilis 1630.*

4. Nam eadem S. Congregatio declaravit, quoad visitandi facultatem Tridentinum Concilium hac in re nihil novi iuris induxisse, sed reliquisse in illis terminis, in quibus id erat ante Concilium *in Taurinen. die 2 Iulii 1592.*

5. Ceterum Capitulum tunc, Sede vacante, potest visitare Diaecesim, quando lapsus est annus a postrema Antistitis praedefuncti visitatione, nec de proximo Ecclesia est de Pastore providenda; in ipsa vero Visitatione circa famulatum equitatum et alia huiusmodi forma Concilii Tridentini in Cap. 3 sess. 24 de reformatione est praecise observanda *in Limana die 10 Maii 1629.*

6. Idcirco Sacra Congregatio respondit, secundum ea, quae proponuntur, Sede Episcopali vacante, Capitulum post lapsum annum a die ultimae visitationis per Episcopum factae posse Clerum Provinciae Guipuezcott, tempore triennii non expectato, visitare *in Pampilonen. die 3 Februarii et die 10 Decembris 1629.*

7. Animadvertendum hinc est, facultatem

(1) Scilicet, ut Episcopus prius semel atque iterum moneat Dignitates et Canonicos; si id non sufficiat, procedat ex officio et per inquisitionem ita tamen, ut processus fiat sine emolumentis Curiae Episcopalis, et omnes punctaturas reddat conformes dispositioni Sacri Concilii, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 28 die 27 septembris 1732.*

visitandi in Capitulo seu Vicario Capitulari admittendam, si duo simul concurrant, scilicet lapsum anni a postrema Antistitis praedefuncti visitatione, et Ecclesiam non esse de proximo providendam; cumque id ut plurimum pendeat a voluntate Summi Pontificis, Sacra Congregatio aliquando merito respondit, agendum esse cum eodem, antequam aliquid decerneret, uti resolutum fuit die 17 octobris 1600, quaerebatur enim: – An Capitulum, Sede vacante, posset visitare Civitatem et Diaecesim, et visum fuit illustrissimis Patribus, non expedire, ut Capitulum habeat huiusmodi facultatem, quae ei forte competit iuxta graviorem Doctorum opinionem, ideo antequam aliquid decernatur agendum esse cum Sanctissimo – *in Dubium Visitationis die 13 Septembris 1721* §. *Nonnulli*.

8. Id insuper animadvertendum est, quod Capitulum ante Concilium Tridentinum poterat, mortuo Episcopo, non devenire ad electionem Vicarii, sed per se ipsum iurisdictionem exercere: ea hinc, quae dicta sunt de facultate Capituli quoad Visitationem Civitatis et Diaecesis, sibi debent vindicare locum in Vicario Capitulari, ut in terminis Visitationis Diaecesis resolutum fuit in Salernitana anno 1599 lib. 6 Decretorum pag. 81, in Asculana Visitationis 8 Maii 1683, et in Ostunen. 28 iulii 1708 lib. 58 Decretorum pag. 266 *in Dubium Visitationis die 13 Septembris 1721* §. *Ab* (1).

9. Controversia vero est inter Doctores, num Capitulum seu eius Vicarius, Sede vacante, valeat in visitandis Monasteriis aliisque locis exemptis ea uti potestate delegata, quae per Sacrum Concilium Tridentinum tradita est Episcopis; negant enim aliqui, propterea quod non transeat in Capitulum ea delegatio, in qua tribuenda Concilium Episcopis potissimum confidisse videtur, ut tradunt Garcias de benef. part. 5 cap. 7 n. 45, Azor inst. moral. part. 2 lib. 3 cap. 37 quaest. 15, et Cap. 40 quaest. 8, Sperellius decis. 31 n. 3, Panimolla tom. 2 decis. 84 n. 24. Affirmant vero alii, ea ducti ratione, quod ubi potestas delegata non conferatur in personam certam Episcopi, sed perpetuo annectatur officio Episcopali ad salubriorem gubernationem Ecclesiae ac Diaecesis et in bonum eorum, in quos talis delegata iurisdictio est exercenda, tunc ea, quasi pars accedens ad totam Episcopalem iurisdictionem, devolvatur etiam ad Capitulum, Episcopali Sede vacante, ut probant Molin. de iust. et iur. tom. 6 tract. 5 disp. 11 n. 8 et 9, Barbosa de Canon. cap. 42 n. 107, et de iur. eccles. univ. lib. 1 cap. 32 n. 71 et 107, Ventrigl. in prax. annot. 15 §. 1

(1) Extensor praedicti folii *Dubium Visitationis die 13 septembris 1721* rem satis confusam exposuit: sed punctum hoc iuris luculentum omnino fit, nec Resolutiones Sacrae Congregationis sibi invicem ullatenus adversantur, quin imo amico simul foedere cohaerent, si advertatur, Sacram Congregationem in relata *Limana die 10 maii 1629* declaravisse, Capitulum tunc posse dumtaxat Visitationem peragere, quoties nedum lapsus sit annus a postrema praedefuncti Antistitis visitatione, sed et Ecclesia non sit de proximo providenda: haec sane duo concurrant oportet. Idcirco ad dignoscendum, an secunda conditio in casibus contingentibus verificaretur, quandoque necessarium censuit merito Sacra Congregatio agendum esse cum Summo Pontifice, quum ab eiusdem voluntate penderet Ecclesiae provisio. Hoc posito, quaeri insuper potest, quonam pacto ac ratione Sacra Congregatio pluries declaraverit, Capitulum posse visitationem peragere, si haec duo concurrant, cum Sacrum Concilium Tridentinum in Cap. 16 sess. 23 de reformatione decreverit, quod Episcopo mortuo Capitulum devenire debeat ad electionem Vicarii, ita ut sublata fuerit dispositio iuris communis, quo attento, poterat Capitulum mortuo Episcopo non venire ad electionem Vicarii, sed per se ipsum iurisdictionem exercere? Iamvero cum dispositio haec sit luculentissima, quomodo Capitulum post Concilium visitationem peragere valeat, iuxta Resolutiones Sacrae Congregationis, licet praedictae duae conditiones concurrant? Difficultas haec illico evanescit, si animadvertatur, Concilium decrevisse quidem electionem Vicarii intra octduum ac iurisdictionem ab eodem Vicario esse exercendam, sed nequaquam prohibuisse, ne Capitulum aliquid sibi reservare posset. Idcirco Capitula passim in deputatione Vicarii aliqua sibi reservabant ac signanter ius visitationis: sed cum huiusmodi reservationes ex experientia nullatenus bonum Ecclesiae conducerent, hinc Sacra Congregatio exin censuit merito, pro saluberiori Ecclesiae regimine, universam iurisdictionem Capitularem conferri. Qua de re si haec prae oculis habes, limpidissimum erit hoc punctum iuris; et distinctis temporibus, quibus nova invaluit disciplina, Resolutiones Sacrae Congregationis non modo sibi invicem nullatenus adversantur, sed maximam praeseferunt sapientiam. Id tamen non vidit praedictus folii extensor: nec mirum, quia quisque probe intelligit, ut pluries animadvertimus, ad dignoscendam vim ac sapientiam Sacrae Congregationis, praeter satis divitem rerum iuridicarum supellectilem, necessariam omnino esse perfectam amplissimamque omnium Resolutionum agnitionem, earumque studium diuturnum ac diligens.

n. 20, Card. De Luc. in annot. ad Concil. Trid. disc. 31 n. 30 et 37 *in Gerunden. Iurisdictionis die 13 Iunii 1733* §. *Controversia.*

10. Quidquid vero sit de huiusmodi controversia inter praefatos Doctores agitata, certum est, quod Provisores et Vicarii Generales a Capitulis, Sede vacante, deputati, cum non succedant in iis, quae ad Episcopos spectant iure delegato, nequeunt dispensare in gradibus prohibitis ad Matrimonia contrahenda nec dispensare super defectu natalium ad obtinenda Beneficia curata, sed dispensare tantum possunt super defectu natalium ad suscipiendos tantum Ordines minores *in Mexicana Visitationis sacrorum Liminum die 28 Ianuarii 1708 lib. 58 Decretorum.*

11. Siquidem - in relatione status Ecclesiae anno 1704 Archiepiscopus exposuit, quod Provisores et Vicarii Generales deputati a Capitulis, Sede vacante, praetextu quorumdam opinionum, dispensationes impertiri non dubitant in gradibus prohibitis ad Matrimonia contrahenda, nec non super defectu natalium ad sacros Ordines suscipiendos ac Beneficia curata assequenda. Relatis huiusmodi precibus in Congregatione habita die 30 augusti praefati anni 1704 rescriptum extitit: « Archiepiscopus procedat prout de iure, et scribatur Nuncio Apostolico, ut moneat Capitulum eiusque Vicarios, ne tempore Sedis vacantis se se immisceant in ordinibus ac dispensationibus huiusmodi». Datis autem literis, pro parte Archiepiscopi instauratae fuerunt eaedem preces sub motivo, quod utraeque praememoratae literae evaserint frustraneae, primae quidem ad Apostolicum Nuncium directae, quod eius facultates ad Indiarum oras non protendantur, secundae vero ad Archiepiscopum datae, quod cum Capitula ad fundandas suas facultates abducantur variis et singularibus opinionibus supra insinuatis, nequeat Archiepiscopus suo iure uti, nisi EE. PP. super praemissis positivum responsum edere dignentur, specifice declarando defectum dictarum facultatum, signanter vero, quod eadem Capitula neutiquam succedunt in iis facultatibus, quibus fruuntur Episcopi Indiarum dispensandi super gradibus prohibitis ex speciali Indulto Apostolico, quod renovari solet pro singulis novis Episcopis, cum in comperto sit, quod in iis, quae Episcopis competunt iure delegato, Capitulo, Sede vacante, non succedunt, ut in terminis Matrimonii firmavit Rota in decis. 16 n. 1 coram Pamphilio, nec non ut irrita declarentur Matrimonia hactenus inita hisce defectuosis dispensationibus; sed ad submovendas perturbationes exorantur EE. VV. pro facultate ea revalidandi ipsi Archiepiscopo directa, uti Delegato Apostolico -.

12. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Provisores et Vicarii Generales a Capitulis, Sede vacante, deputati valeant dispensare in gradibus prohibitis ad Matrimonia contrahenda? *Et quatenus negative.* II. Quomodo consulendum in Matrimoniis iam contractis cum huiusmodi dispensationibus? III. An dicti Provisores et Vicarii Generales a Capitulis, Sede vacante, deputati valeant concedere dispensationem super defectu natalium ad Ordines suscipiendos? IV. An iidem valeant dispensare irretitos eodem defectu natalium ad obtinenda Beneficia Curata? –, S. Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, dilata ad primam Congregationem. Ad tertium, Affirmative quoad minores Ordines tantum. Ad quartum, Negative – *in Mexicana Visitationis sacrorum Liminum die 28 Ianuarii 1708 lib. 58 Decretorum.*

13. Unde Capitulum, Sede vacante, nequit alium Vicarium eligere ad visitandam Diaecesim, et ad Vicarium spectat obire omnia, quae ad Episcopum pertinebant, nec non in Beneficiis vacantibus Vicarios deputare et Edictum proponere ad concursum; propositis enim dubiis: – I. An Capitulum possit alium Vicarium ad visitandam Diaecesim eligere? II. An in Beneficiis vacantibus et vacaturis dictus Vicarius Generalis absque Capitulo possit deputare Vicarios idoneos, donec de eis a Sede Apostolica fuerit provisum, attento quod ibi non adsunt Examinatores deputati iuxta formam Concilii Tridentini? -, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, non posse Capitulum eligere Visitatorem ad visitandam Diaecesim absque Vicario. Ad secundum, ad Vicarium spectare obire ea omnia, quae ex Concilio pertinent ad Episcopum, occurrente vacatione Parochialis Cap. 18 sess. 24, ideo ipsemet Vicarius absque Capitulo Parochialibus vacantibus idoneos Vicarios deputabit, proponendo Edictum ad con-

cursum – *in Messanen. lib. 3 Decretorum pag. 27 et 28.*

14. Nam Capitulum, Sede vacante, post electum Vicarium Capitularem nequit alium deputare, nec illi limitatam iurisdictionem dare non obstante consuetudine loci, nec chartas testimoniales ad suscipiendos Ordines nec attestationes de vita et moribus dare, nec in concursu Parochialium ipsius arbitrium intervenire potest, quin obsit loci consuetudo, cum haec omnia ad Vicarium Capitularem absolute spectent *in Elven. Iurisdictionis die 1 Decembris 1736.*

15. Siquidem ad extinguendas controversias inter Vicarium Capitularem et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Elvensis, propositis dubiis: – I. An possit Capitulum, Sede vacante, post electum Vicarium in spiritualibus et temporalibus deputare alium toties, quoties sibi placuerit, ad aliquid faciendum in exercitio iurisdictionis translatae, ipsam iurisdictionem reassumendo? II. An possit Capitulum per se ipsum dare Subditis chartas testimoniales vel reverendas ad Ordines suscipiendos, vel debeat dari per Vicarium Generalem Capitularem? III. An Capitulum possit in deputatione Vicarii dare iurisdictionem limitatam, et possit in hoc casu attendi consuetudo Regni Lusitaniae? *Et quatenus negative.* IV. An possit reservatam iurisdictionem alicui committere, vel illam debeat per se ipsum exercere? V. An possit Capitulum dare Subditis attestationes de vita et moribus per se ipsum, vel debeant dari a Vicario Capitulari? VI. An possit Capitulum iubere Vicario Capitulari, ut det tales attestationes, vel debeat pendere ab arbitrio Vicarii Capitularis? VII. An in concursu Parochialium debeat intervenire arbitrium Vicarii Capitulariis, vel debeat pendere ab arbitrio Capituli, facto concursu in praesentia Capituli, vel in absentia, et an debeat attendi consuetudo Regni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, Negative. Ad quartum, provisum in tertio. Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad sextum, Negative. Ad septimum, Affirmative ad primam partem ad formam iuris; in reliquis, Negative – *in Elven. Iurisdictionis die 1 Decembris 1736.*

16. Quin imo nedum ex consuetudine nullatenus in concursibus Parochialium electio spectat ad Capitulum, sed nec ob reservationem sibi expresse factam in actu electionis Vicarii Capitularis huiusmodi ius pertinere potest; nam licet Sacra Congregatio die 18 novembris 1651 lib. 10 Decretorum pag. 155 et 156 in Bellunen. rescripserit, – electionem in concursibus Ecclesiarum Parochialium vacantium spectare ad Capitulum ob reservationem sibi factam in deputatione Vicarii Capitularis –, resolutio tamen haec prodiit eo tempore, quo nondum plene invaluerat opinio, quod pro salubriori Ecclesiarum regimine praestaret, universam iurisdictionem Capitularem conferri, uti colligitur ex iis, quae notat Fagnani in Cap. *His, quae* n. 11 et seqq. de maioritate et obedientia *in Elven. Iurisdictionis die 1 Decembris 1736* §. *In.*

17. Hinc et Sacra Congregatio Episcoporum ac Regularium negotiis praeposita pluries rescripsit, Capitulum non posse in Vicarii deputatione aliquid ad Ecclesiasticam iurisdictionem pertinens sibi reservare, nec illius potestatem coarctare, sed obstringi omnem omnino in eum transferre, prout referunt Monacellius in for. legal. for. eccles. part. 1 tit. 1 form. 2 n. 16, et Ursaya tom. 7 part. 2 discept. eccles. 28 et 29 *in Elven. Iurisdictionis die 1 Decembris 1736* §. *Ceterum.*

18. Idcirco Prior et Capitulum Regiae Basilicae, licet exemptionem a iurisdictione Archiepiscopali praetendat, tenetur tamen, Sede Archiepiscopali vacante, accipere olea infirmorum a Cathedrali Ecclesia, nec Vicarius praefatae Regiae Basilicae excipere valet Confessiones Sacramentales absque venia Vicarii Capitularis, quin Priori Canonicis alisque Clericis dictae Basilicae ministrari valeat Sanctissimum Viaticum a Presbiteris, quos Vicarius Capitularis non approbaverit, nec iidem verbum Dei predicare valent absque venia eiusdem Vicarii Capitularis, ac insuper Capitulum et Clerici, etiam Sede vacante, tenentur accedere ad publicas processiones *in Baren. Iurisdictionis die 25 Septembris 1858.*

19. Enimvero post Archiepiscopi Barensis

funus Prior Ecclesiae S. Nicolae Regio iuripatronatus subiectae ac Regiae Basilicae titulo insignitae sacra infirmorum olea non ex proxima Ecclesia Cathedrali, sed a Melphictensi Episcopo exquisivit. Hinc Vicarius Capitularis Metropolitanae Ecclesiae iura Sedis vacantis laesa exinde existimans, ea vindicanda suscepit, ex eo etiam quod Prior et Capitulum praefatae Ecclesiae S. Nicolai absque facultate dicti Vicarii Sanctissimum Viaticum ministrarent, Concionatorum officium exercerent absque eiusdem Vicarii delegatione, et publicis processionibus interesse recusarent. Vicarius enim sustinuit, non agi in casu de exemptione et absoluta iurisdictione seu territorii separati constitutione, cum haec duo copulative ac literaliter requirerentur, scilicet exclusio omnimoda iurisdictionis diaecesanae atque concessio Cleri et Populi. Nam plures enumerabat actus, quos Prior et Capitulum S. Nicolai sive ex antiqua Sacrae Congregationis resolutione, sive ex decisione Rotali, sive ex conventionibus, explere nequibat. Hisce praemissis contendit, iuris communis praeceptum esse, ut etiam exempti omnes Regulares sacra Olea ab Episcopo comparare teneantur. Accedebat Synodus Barensis anni 1676 ac praesertim peculiare Rescriptum S. Congregationis Episcoporum et Regularium in quaestione cum Ecclesia S. Nicolai et conventio paullo post inita inter Priorem et Archiepiscopum, qua cautum fuit: - Recipiant Oleum infirmorum, iuxta solitum et iuxta declarationem S. Congregationis Episcoporum et Regularium ab Ecclesia Metropolitana, non ab alia -, quin obesset, quod ageretur de casu Sedis vacantis. Nam Vicarius Capitularis, licet ea, quae sunt Ordinis per se ipsum explere non posset, rite illa per alium explere poterat: et ius dispensandi Olea ad iurisdictionem, non ad Ordinem referebatur. Hinc de iure Olea infirmorum recipienda sunt dumtaxat in Ecclesia Cathedrali, ac eadem ministranda sunt a Dignitatibus Capituli. Idcirco actus dispensationis, cum ad iurisdictionem referretur, etiam Sede vacante, in Archiepiscopali Cathedra absolvendus esset; Vicarius Capitularis enim in iurisdictione succedit. Nec movere censuit, quod ad exemplum Card. Petra quidam Doctores in genere praecipiant, absente Ordinario vel Sede vacante, posse aliunde Olea requiri. Hoc enim non absolute traditum demonstravit, sed necessitate dumtaxat urgente, quatenus vel in absentia Ordinarii vel Sede vacante, Olea in Cathedrali desint, cum post annum antiquis Oleis nemini liceat uti. Prior Observantiam in medium protulit: sed eam non probavit. Quin imo anno 1790 cum Sedes vacaret, Sacristia Regiae Basilicae profitebatur, se sacrum Oleum in Cathedrali recepisse.

20. Vicarius Capitularis exin disputavit, non posse Vicarium Regiae Ecclesiae Confessiones excipere absque facultate Ordinarii, quam, Sede vacante, in Vicarios Capitulares traduci notum erat ex Barbosa de Canon. Cap. 12 n. 62 et 100. Prudentiae tamen EE. PP. commendabat, ut in dubii definitione bonae confitentium fidei prospiceretur, ac moderamen subiiciebat ab Sacra Congregatione adhibitum in Patavina apud Benedictum XIV Inst. 80, ubi cum illicite et invalide confessiones exceptas fuisse defineretur, cautum fuit, - non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem -. Patula autem erat conventio anni 1628, qua Sanctissimum Viaticum absque ordinariae potestatis venia ministrari non poterat. Et quoad processiones praeter ius commune in promptu erat Decretum Sacrae Congregationis iamdiu adversus Priorem editum, quo - Prior Canonici et Capitulum ac Clerici Ecclesiae praedictae teneantur accedere ad processiones publicas -. Nec ullum dubium superesse censuit Vicarius Capitularis quoad exercitium officii Concionatoris, cum in propatulo esset, quod huiusmodi officium exerceri non posset absque venia Vicarii Capitularis.

21. His itaque perpensis, propositis dubiis: - An Olea infirmorum, Sede Archiepiscopali vacante, Prior et Capitulum S. Nicolai a Cathedrali accipere teneantur in casu? II. An Vicario Capitulari privative competat facultas approbandi Confessarios in casu? III. An Priori Canonicis cunctisque Clericis Regiae Basilicae S. Nicolai Sanctissimum Viaticum ministrari possit a Presbiteris, quos Vicarius Capitularis non approbaverit in casu? IV. An Prior Capitulum et Clerici S. Nicolai teneant-

tur accedere ad publicas processiones secundum locum in ordine servantes, etiam Sede Archiepiscopali vacante, in casu? V. An iisdem liceat verbum Dei praedicare absque venia Vicarii Capitularis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Affirmative quoad Capitulum et Clericos. Ad quintum, Negative; et moneatur Prior S. Nicolai per Nuntium Apostolicum, iuxta mentem – *in Baren. Iurisdictionis die 25 Septembris 1858.*

22. Qua de re Capitulum non potest suspendere a celebratione, concionibus, confessionibus Regulares approbatos a praedefunctis Episcopis, nisi in casibus, in quibus potest procedere auctoritate ordinaria *in Insularum Canariae Iurisdictionis die 31 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum.*

23. Unde antequam Sacra Congregatio resolvat dubia quoad Regulares circa licentias audiendi confessiones a defuncto Episcopo concessas, eadem iure ac merito mandat, ut audiantur Regulares *in Ulixbonen. Dubiorum die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

24. Enimvero – Sede Archiepiscopali vacante, Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae clavum Diaecesis gerentes, pro eorum animi instructione sapiens sacri huius Consessus oraculum exposcunt super hisce dubiis: – I. An Capitulum, Sede vacante, revocare possit licentias audiendi confessiones, ab Archiepiscopo defuncto Regularibus sine limitatione temporis concessas in casu etc. II. An possit ipsos Regulares novo examini subiicere in casu etc. III. An revocare possit licentias praedictas ab Archiepiscopo defuncto ad beneplacitum concessas in casu etc. IV. An revocare possit licentias praedictas, seu potius expiratas declarare ab Archiepiscopo defuncto Regularibus concessas cum limitatione temporis, finito tempore, Sede Vacante, in casu etc. V. An Regulares cogi possint, ut coram Capitulo sive Vicario Capitulari exhibeant licentias, quas habent ad confessiones audiendas, ut ab eodem recognosci valeant, an sint verae nec ne in casu etc. VI. An Capitulum coercere possit per censuras Regulares contumaces in casu, quo contra ipsos procedere possit in casibus supradictis? –, Sacra Congregatio respondit: – Audiantur Regulares in omnibus – *in Ulixbonen. Dubiorum die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

25. Quum autem Episcopus Guadalaxarensis exposuisset sub finem relationis status Ecclesiae: – Sanctitatem Vestram certiorem reddimus in hac nostra Ecclesia (nescimus a quo tempore) introductum esse, ut illico ac Episcopus vita fungitur Capitulum, Sede vacante, expediat ad totamque Diaecesim mittat licentias praedicandi, et confessiones audiendi ab Episcopo praedefuncto revocat, et simul titulos Capellanorum ab eodem tributos, interim ac Capellani proprietarii ad sacrum Presbiteratus ordinem non promoventur, etsi pro tempore suae voluntatis; cumque hoc dispositioni Sacrorum Canonum, ne, Sede vacante, aliquid innovetur prohibenti prima fronte adversari videatur, S. V. deprecamur, ut an haec corruptela sit, quae debeat radicitus extirpari, an potius legitima consuetudo, quae ut talis debeat in posterum inconcussa permanere, sacro suo Diplomate declarare dignetur –, propositis dubiis: – I. An asserta consuetudo sit toleranda? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *Guadalaxaren. Visitationis sacrorum Liminum die 5 Martii 1735.*

26. Hinc non obstante Vicarii Capitularis suspicione seu recusatione per Capitulum allegata, licet Vicario Capitulari Turritano procedere in causis Canonicorum, sed praefato Capitulo competit facultas recipiendi recusationes praedicti Vicarii per Diaecesanos propositas vel proponendas et respective deputandi arbitros, licitum vero eidem non fuit eas recipere a duobus Parochis propositas, quin tamen sustineantur censurae per Vicarium Capitularem relaxatae *in Turritana die 16 Decembris 1724 et die 13 Ianuarii 1725.*

27. Iamvero Archiepiscopatus Turritanus vacabat, et Decanus Capituli suscepit administrationem spolii et fructuum dicti Archiepiscopatus vacantis, accedente fideiussione quinque personarum et signanter Ioannis et Simonis de Ryo. Durante adhuc administratione, Ioannes et Simon iudicium introduxerunt coram Vicario Capitulari pro liberatione a fideiussione supra memorata, vocatoque ad

Causam Capitulo, Oeconomus Capituli cedulam exhibuit recusationis personae Vicarii Capitularis ex motivis et rationibus suis tempore et loco discutiendis coram Arbitris: cumque, hoc minime obstante, Vicarius Capitularis ad ulteriora processerit et propositam recusationem reiecerit ad devolutivum, interposita fuit appellatio ad Delegatum Apostolicum appellationum in Regno Sardiniae, et ab hac facti serie ortum ducebat prima controversia inter Capitulum et Vicarium Capitularem. Praeter huiusmodi controversiam aliae etiam insurrexerunt inter Vicarium et Capitulum: Capitulum quippe contendit, sibi competere facultatem recipiendi recusationes Vicarii Capitularis propositas et proponendas a Diaecesanis, et ad se pertinere deputationem Arbitrorum pro admittendis seu reiiciendis recusationum causis, et in sequelam huiusce facultatis se rite et recte recepisse recusationes et suspiciones contra Vicarium propositas ab illis Parochis Ecclesiarum parochialium de Ossi et Ossilo, ita ut saepe memoratus Vicarius iniuste processerit ad censuras adversus Archipresbiterum Decanum et Canonicum antiquiorem Ecclesiae propter receptas suspicionum causas a praedictis Parochis contra se propositas. Vicarius se hisce praetensionibus Capituli opposuit.

28. Propositis itaque dubiis: – I. An Vicario Capitulari Turritano liceat procedere in Causis Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae tam in communi, quam in particulari non obstante illius suspicione seu recusatione per eosdem Canonicos seu Capitulum allegata in casu etc. II. An competat Capitulo Metropolitano Turritano facultas recipiendi recusationes Vicarii Capitularis per Diaecesanos Turritanos propositas seu proponendas et respective deputandi Arbitros pro admittendis seu recipiendis causis earumdem recusationum in casu etc. III. An praefato Capitulo Ecclesiae Metropolitanae licitum fuerit recipere suspiciones seu recusationes eiusdem Vicarii coram ipso propositas per R. Antonium Murgiam Rectorem Ecclesiae parochialis de Ossi et R. P. Antonium Franciscum Serram Plebanum Ecclesiae parochialis de Ossilo in casu etc. IV. An censurae relaxatae per eumdem Vicarium Capitularem adversus Archipresbiterum Decanum et Canonicum antiquiorem praedictae Ecclesiae sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum et tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative – *in Turritana die 16 Decembris 1724.*

29. Repropositis dein dubiis sub formula: – An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis die 16 decembris 1724? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis. Ad tertium, recedendum a decisis. Ad quartum, in decisis – *in Turritana die 13 Ianuarii 1725.*

30. Qua de re ad Capitulum, non vero ad Coadiutorem Archidiaconi Maioris Ecclesiae Gerundensis, vices Episcopi gerentis, Sede vacante, spectat iurisdictio, si praefatus Archidiaconus sit absens a Civitate vel Diaecesi; proposito enim dubio: – V. An, praesente vel etiam absente Archidiacono a Civitate vel Diaecesi, possit Coadiutor in Archidiaconatu assumere administrationem et praemissa omnia in eius locum adimplere, seu potius in casu absentiae iurisdictio spectet ad Capitulum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, Negative in omnibus ad primam partem, Affirmative in casu absentiae tantum Archidiaconi de tempore vacationis Sedis ad secundam – *in Gerunden. Iurisdictionis die 12 Februarii 1729.*

31. Reproposito dein quinto dubio cum aliis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis die 12 februarii 1729? –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad quintum, in decisis; et amplius – *in Gerunden. Iurisdictionis die 28 Martii 1733.*

32. Capitulum autem non potest unire Beneficia simplicia Seminario, unita vero et vacantia, Sede vacante, potest incorporare; propositis enim dubiis: – VII. An, Sede vacante, Capitulum possit unire Beneficia vacantia isto medio tempore ad Seminarium? VIII. An si dicta Beneficia unita etiam, Sede vacante, possessore caruissent, possit Capitulum dicto Seminario incorporare et pro rata parte levare dictum Capitulum et Clerum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, non posse. Ad octavum, posse – *in Salernitana mense Iulii 1589 lib. 6 Decretorum pag. 22.*

33. Nam ad Capitulum spectat erectio et administratio Seminarii, Sede vacante *in Tricaricen. Administrationis Seminarii die 24 Martii 1736* §. *In.*

34. Siquidem – Alias Sacra Congregatio ad interpretationem Decreti Cap. 18 sess. 23 censuit, Episcopum Oscen. cum consilio Deputatorum teneri tam circa institutionem disciplinam et mores Clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere, sufficere tamen, quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse Episcopum statuere et deliberare, quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit, exactionem vero, quae fit pro Seminario, ad solum Episcopum pertinere. Dubitatur modo, mortuo Episcopo et in Sede vacante, ad quem pertineat erectio et administratio dicti Seminarii, et videtur, quod pertineat ad Capitulum; quia, Sede vacante, Capitulum fungitur vice Episcopi tam in spiritualibus, quam in temporalibus, Cap. penult. et ult. de supplen. neglig. Praelat. in 6, et Cap. *Is, cui* de electione in 6. Sacra Congregatio censuit, pertinere ad Capitulum – *in Oscen. mense Octobris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 84.*

35. Unde Capitulum Cathedralis Ecclesiae sibi adiudicare potest emolumenta, quae tempore Sedis vacantis ex iurisdictione et sigillo Curiae aut alias undecumque proveniunt, si consuetudinem immemorabilem eadem percipiendi luculenter comprobet *in Ianuen. Emolumentorum die 23 Februarii 1856 et die 28 Martii 1857.*

36. Siquidem Archiepiscopus supplici oblato libello exposuit, Capitulum suae Cathedralis ius ex immemorabili consuetudine sibi asserere percipiendi suaque faciendi emolumenta omnia, quae tempore Sedis vacantis ex iurisdictione et sigillo Curiae aut alias undecumque proveniunt. Hinc huiusmodi innixum iure Capitulum idem emolumenta id generis, quae in postrema Archiepiscopalis Sedis vacatione ad quinquennium et ultra perducta Curiae obvenerunt, partim sibi, inter Capitulares viritim distributa, adiudicasse, partim in Ecclesiae Cathedralis utilitatem, uti asserebatur, impendisse. Quamobrem cupiens iuri suo suorumque Successorum prospicere, omnibus iam expletis urbanitatis cum eodem Capitulo officiis, declarari ab EE. PP. postulavit, quid de obiectae consuetudinis vi et efficacia, sive in iure, sive in facto iudicandum putarent, ita ut ibi, ut sibi integrum esset, vel non a Capitulo universa emolumenta reposcere, quae in postrema Sedis vacatione Curiam ex praedicto titulo exegisse, purgatis rationibus, pateret. Capitulum itaque insudavit, ut praefatam consuetudinem immemorabilem ostenderet: contra Archiepiscopus contendit, consuetudinem a Capitulo Metropolitano ita assertam haud viguisse unquam, nec ab exhibitis documentis, uti opus esset, comprobari.

37. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de bono iure Capituli Cathedralis Ianuensis adiudicandi sibi emolumenta, quae tempore Sedis vacantis ex iurisdictione et sigillo Curiae aut alias undecumque proveniunt, seu potius eadem emolumenta reservanda sint Archiepiscopo successori in casu etc. *Et quatenus negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* II. An sint restituenda a Capitulo percepta in postrema vacatione Sedis Archiepiscopalis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum dilata; et coadiuventur probationes super existentia immemorabilis consuetudinis – *in Ianuen. Emolumentorum die 23 Februarii 1856.*

38. Plura hinc addidit praefatum Capitulum, ut immemorabilem consuetudinem luculenter comprobaret; sed cum nihil novi attulisset Archiepiscopus, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata; et cummunicatis Capituli deductionibus Archiepiscopo, Procurator Fiscalis exhibeat iura Mensae – *in Ianuen. Emolumentorum die 28 Martii 1857.*

39. Capitulum autem Metropolitanum, Sede vacante, potest se ingerere in regimine Ecclesiae suffraganeae vacantis et Capitulo carentis *in Sassaten. die 9 Iulii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 348.*

40. Unde Sacra Congregatio declaravit, vacante Ecclesia suffraganea Capitulo carente, illius administrationem et Vicarii deputationem spectare ad Metropolitanum, quin contraria obsit consuetudo et Concilii Provincialis constitutio in favorem suffraganei an-

tiquioris; et casu, quo Metropolitana Ecclesia careat Pastore, ad Capitulum eiusdem Ecclesiae Metropolitanae, non vero ad antiquiorem suffraganeum Episcopum pertinere *in Dubium Administrationis die 28 Augusti 1683 et die 14 Aprilis 1685* (1).

§. VIII.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM QUOAD STATUTA ET ACTUS CAPITULARES.

1. Concilium Romanum in Cap. 4 tit. 2 praecipit: – Ecclesiarum Capitulis definite praecipimus ac mandamus, ut antiqua, si qua habent Statuta et Capitulares Constitutiones, depromant; et ubi non adsint, sex infra saltem menses post praesentis Concilii publicationem sub ecclesiastici Interdicti poena, omnino conficiant, et suo respective per Episcopos accurate examinanda et corrigenda deducant atque approbanda praesentent – *in Alatrina die 27 Maii 1820* §. *Videant.*

Item *in Puteolana Reductionis Servitii chori die 26 Februarii 1842* §. *Unum; in Cotronen. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Iunii 1847* §. *Postremo; in Arboren. die 28 Augusti 1847* §. *Nihil.*

2. Haec autem sanctio ad universas Ecclesias producta est *in Puteolana Reductionis Servitii chori die 26 Februarii 1842* §. *Unum.*

3. Siquidem hoc Decretum cap. 5 Benedictus XIII – ad Metropolitanos omnes extra Synodum extendit, qui primo in eorum Concilio providas ipsas et plane necessarias praefatis super contentis statutis sanctiones publicare meminerint et executionem sedulo promovere – *in Cotronen. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Iunii 1847* §. *Postremo.*

4. Idcirco Capitulum tenetur omnino conficere Statuta capitularia ad formam Concilii Romani, cum praesertim et Decretum Synodale accesserit *in Alatrina die 17 Iunii 1820.*

5. Enimvero Episcopus Alatrinus retulit, in Cathedrali Ecclesia nonnullas equidem circumferri capitulares Constitutiones iampridem scripto exaratas, sed minime in forma obligatoria firmatas, neque rite publicatas. Exin addidit: – Cum fe. re. antecessor meus Petrus Stephanus Speranza advertisset, nullis in corpore redactis et legitimis approbatis Constitutionibus regi Canonicos Cathedralis Ecclesiae, abundantius aemulatores existentes paternarum traditionum, in sua Synodo anno 1790 celebrata Decretis inhaerens Concilii Romani anni 1725 praecepit sub commminatione Interdicti, ut intra sex menses conficerentur, iuxta ecclesiasticas regulas, Decreta et Constitutiones, quae post maturum examen et opportunas correctiones adprobarentur in forma obligatoria et publicarentur, observandae in posterum a Canonicis omnibus, prout mandat, religione interposita iurisiurandi coram universo Capitulo statim post acceptam possessionem emissi. Hinc compilatus, quem exhibeo, libellus Constitutionum, quae centies coram meis Decessoribus, meque ipso fuere relectae, absque eo quod earum digestio et censura fuerit unquam completa ac confirmatio superaddita –.

6. His itaque perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo sit providendum quoad Constitutiones capitulares in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ad formam Sacri Concilii Romani et Decreti Synodalis Episcopi Speranza – *in Alatrina die 17 Iunii 1820.*

7. Qua de re cum nec Capitulum Arborense Statuta propria haberet, proposito dubio: – II. An Capitulum Arborensis Metropolitanae teneatur propria Statuta conficere in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative; et Capitulum conficiat intra sex menses Constitutiones ab Archiepiscopo adprobandas – *in Arboren. die 25 Septembris 1847.*

(1) Reliqua plene habebis in Verb. *Vicarius Capitularis.*

8. Hinc et Capitulum Ecclesiae Concathedralis unitae conficere tenetur Statuta ad formam Sacrorum Canonum et Decretorum S. Sedis pro Capitulis Cathedralium *in Spalaten. et Makarsken. die 23 Novembris 1850.*

9. Siquidem ex quo Bulla s. m. Leonis XII *Locum Beati Petri* sub die 30 iunii anni 1828 prodiit, qua plures in ditione Austriaca Diaeceses vel suppressae vel invicem unitae fuere, variae identidem obortae sunt quaestiones Cathedralium inter ac Concathedralium unitarum Capitula quoad iura et praerogativas. In hac porro conditione quum et Capitulum Ecclesiae Makarkensis, quae Ecclesiae Spalatensi unita reperiebatur, versaretur, ne, urgente Capitularium Statutorum confectione, quid in ipsis disceptationi obnoxium inde relinqueretur, e re sua Capitulum ipsum duxit supplici libello exeunte anno 1844 Sacram Congregationem percontari, - num vi conservatae Episcopalis Sedis Makarskensis cum suo Capitulo uti Concathedralis Spalatensis Ecclesiae coniunctae, Capitulum Makarskense in Statutis confirmandis ea debeat indicare, quae a sacris Canonibus et Decretis S. R. C. pro Capitulis Cathedralibus Concathedralibus peculiariter notentur –. Quum quaestio quoad iura et praerogativas in eo versaretur, utrum scilicet unio Ecclesiae Concathedralis Makarskensis cum Cathedrali Spalatensi fuerit aeque principaliter, an subiective facta, proposito dubio: - I. An et quomodo a Capitulo Makarskensi conficienda sint Statuta capitularia in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad formam sacrorum Canonum et Decretorum S. Sedis pro Capitulis Cathedralium – *in Spalaten. et Makarsken. die 23 Novembris 1850.*

10. Unde Sacra Congregatio etiam ex officio mandat, ut Constitutiones capitulares intra sex menses conficiantur, si resciat, Capitulum carere Constitutionibus; quum enim Secretarius Sacrae Congregationis pro ipsius munere animadvertisset, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Puteolanae Constitutionibus carere, proposito dubio: – III. An et quomodo iniungendum sit Capitularibus, ut Constitutiones conficiant in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative; et Capitulum conficiat intra sex menses Constitutiones a novo Episcopo approbandas – *in Puteolana Reductionis Servitii chori die 4 Iunii 1842.*

11. Similiter cum Secretarius Sacrae Congregationis ex Episcopi literis deprehendisset, Cotronense Capitulum propriis Constitutionibus carere, illud muneris ipsius esse duxit alterum super hac re ex officio addere dubium; proposito hinc dubio ex officio: – III. An et quomodo iniungendum sit Capitularibus Cotronensibus, ut Constitutiones conficiant? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative; et Capitulum conficiat intra sex menses Constitutiones ab Episcopo approbandas – *in Cotronen. Visitationis sacrorum Liminum die 7 Augusti 1847.*

12. Quin imo quoties Sacra Congregatio capitularia Statuta mendis scatentia deprehendit, vel abrogavit omnino, vel eorum reformationem iuxta sacrorum Canonum leges praescripsit *in Alben. Servitii chori die 23 Martii 1839* §. *Quod.*

Item *in Puteolana Reductionis Servitii chori die 26 Februarii 1842* §. *Unum.*

13. Quapropter cum Canonici Cathedralis Ecclesiae Albensis nondum Statuta confecerint ad formam Bullae erectionis Pii VII diei 17 iulii 1817 praefatae Ecclesiae in Cathedralem, cumque indultum ampliandi vacationes et lucrandi distributiones vacationum tempore iuxta vigentem in Capitulo consuetudinem immemorabilem postulaverint, propositis dubiis: – I. An et quomodo et ad quod tempus sint ampliandae vacationes in casu? II. An et quomodo Capitularibus vacationum tempore absentibus concedendum sit privilegium lucrandi quotidianas distributiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et Episcopus prius curet confici iuxta Bullam s. m. Pii VII incipien. *Beati Petri Apostolorum Principis* nova Capitularia Statuta ad normam sacrorum Canonum et sacrosancti Concilii Tridentini intra sex menses, quibus confectis, certioret et Causa reproponatur – *in Alben. Servitii chori die 23 Martii 1839.*

14. Qua de re Canonici Cathedralis Valvensis exponentes, ex cuiusdam apud Capitulum suum haud dudum ab illinc vigentis Constitutionis regula omnem Capitularis Mensae substantiam distributionibus quotidianis contineri, seque omnes, nemine uno excepto,

quotidie per annum choralis obeundi muneris obligatione mancipari, hinc et peculiari quosque eorum Praebenda destitui et mensium, quos Tridentina Synodus indulget, vacationis beneficio non frui, ideo petierunt, ut concederetur quibusque peculiaris Praebenda et vacatio. Episcopus retulit, Constitutionem Capitularem praecipere, ut Canonicis infirmis, qui aegrotabant in Oppidis extra Pentimam, negandae essent distributiones quotidianae, quod barbarum et inhumanum esse et cum iure communi pugnare. Proposito itaque dubio: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Canonicorum quoad Praebendae constitutionem in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et Episcopus curet reformari Statutum iuxta sacros Canones, ita ut duas ex tribus partibus distributionum lucrentur iuxta iuris dispositionem ii, qui fructus Praebendae faciunt suos, integre vero percipiant ii, qui ex iuris fictione habentur uti praesentes ad lucrandas etiam quotidianas distributiones – *in Valven. Servitii chori die 24 Novembris 1838.*

15. Legitimae hinc esse debent Constitutiones capitulares: et ad legitimas Capituli resolutiones habendas Capitularium omnium requiritur interpellatio; alias enim irritas esse resolutiones capitulares, quibus non omnes de Capitulo advocati fuere, tradunt Anton. De Luc. de apost. et reg. offens. quaest. 185 n. 3, Rota decis. 296 n. 206 part. 6 Recent. *in Fabrianen. Praebendae Theologalis et Poenitentialis die 27 Aprilis 1805* §. *Quare.*

16. Compertum vero est apud omnes, praesentes tantum Canonicos ad Capitulum vocandos esse, nec interdum inter praesentes eum vocandum, qui iam est in probatione habitus *in Terracinen. Absentiae die 26 Novembris 1853* §. *Porro.*

17. Qua de re Constitutiones suas nefas est Capitulo violare *in Sancti Miniatis Erectionis Praebendae celebrationis Missarum et praeeminentiarum die 14 Ianuarii 1860* §. *Quoad hasce.*

18. Nam ipsae ad instar iuris communis omnes Canonicos ligant, ceu ad rem Pignatellius consult. canon. 76 n. 6 tom. 4 *in Sancti Miniatis Erectionis Praebendae celebrationis Missarum et praeeminentiarum die 14 Ianuarii 1860* §. *Quoad hasce.*

19. Vim proinde legis obtinere Statuta rite condita et approbata tralatitii iuris est, praesertim ubi diuturna fuerint observantia confirmata et sancita *in Oritana Participationis die 23 Aprilis 1842* §. *Quid.*

Item *in Baren. Canonicatus die 20 Decembris 1856* §. *Qui.*

20. Siquidem Constitutiones et Statuta Collegii peculiare constituunt ius ab omnibus de gremio eiusdem Collegii inviolabiliter observandum *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Porro.*

Item *in Terracinen. die 26 Iunii 1830* §. *Diuturnam; in Romana Servitii Chori die 21 Iulii 1832* §. *Plura; in Pisana Distributionumdie 2 Maii 1846* §. *Haec* (1).

21. Idcirco servandae sunt Constitutiones capitulares iureiurando firmatae et ab omnibus Canonicis perpetuo executioni commissae, nisi postea contrariam ac rationabilem probetur inolevisse consuetudinem *in Terracinen. die 26 Iunii 1830* §. *Diuturnam.*

22. Nam ex consuetudine verus Constitutionum capitularium sensus eruitur *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1774* §. *Nec.*

23. Huiusmodi vero consuetudo probari debet depositionibus antiquiorum Canonicorum *in Imolen. Iuris convocandi Capitulum die 14 Maii 1744* §. *Despicienda* (2).

24. Ceterum Rota coram Molines decis. 76 n. 21 firmat, quod – concurrente dicto iuramento ab unoquoque de Capitulo praestito, non solum indecorum videtur excipere de non usu seu contrario usu, sed etiam nec unquam potuit inchoare adversativa consuetudo – *in Terracinen. Iuris eligendi Procuratorem et percipiendi emolumenta funerum die 2 Iunii 1838* §. *Hactenus.*

25. Hinc ex universo sacrorum Canonum iure diserte colligitur, illud firmum haberi,

(1) Rot. in Neapolitana Redditionis rationis 7 februarii 1753 §. 3 coram Bussio; in Barchinonen. Praeeminentiarum 21 ianuarii 1752 §. 2 coram Canilliac.

(2) Farinacc. de testib. quaest. 65, n. 130; Mascard. de probat. conclus. 1357, n. 43.

quod maiori parti Capituli placuit; in quolibet enim capitulari actu nonnisi maiorem vel duas saltem totius partes requiri docet S. Rota in decis. 79 n. 10 part. 17 Recent. *in Terracinen. Absentiae die 26 Novembris 1853* §. *Iamvero.*

26. Nam in iure cautum est, ut quod in Capitulis statuitur a maiori parte, id, licet alii repugnent, pro lege haberi debeat, ceu ex Cap. 1 de his, quae fiunt a maiori parte Capituli, et Rota in decis. 76 n. 15 coram Ansaldo, et decis. 809 n. 1 coram Buratto *in Monopolitana Divisionis bonorum ac Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Post.*

27. Imo haud opus esse omnium Canonicorum consensu, ubi agitur de eiusdem Ecclesiae utilitate, docet eadem S. Rota in decis. 29 n. 7 part. 6 Recent.; idque vel maxime obtinere in iis, quae sunt communia pluribus uti universis, non autem uti singulis in decis. 263 n. 23 part. 12 Recent. *in Terracinen. Absentiae die 26 Novembris 1853* §. *Iamvero.*

28. Unde Reiffenstuellius in tom. 6 ad Reg. 29 n. 5 explicans Regulam 29 in 6 – Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari – inquit: – Regula praesens intelligenda venit de eo dumtaxat, quod omnes et singulos, non autem de eo, quod omnes simul vel collective vel collegialiter sumptos tangit, idest ad eos pertinet, eisque uti singulis de iure competit, ita ut agendo de illo, de iure et praeiudicio cuiuslibet in specie ac individuo directe primario ac quasi principaliter agatur, ab omnibus unanimiter approbari debet, ita ut, unico dissentiente spreto aut neglecto, tota actio sit nulla et invalida –; atque inde subiungit n. 11 prope finem: – Ubi etiam addimus, unicum ceteris omnibus efficaciter contradicere posse, tunc nempe quando reliqui in manifestum damnum Collegii Communitatis aut Ecclesiae decernunt – *in Terracinen. Absentiae die 26 Novembris 1853* §. *Nec.*

29. Hinc maioris partis consensus sufficit, quando aliqua facienda sunt ex necessitate, uti alienationes electiones et cetera huiusmodi, non autem in iis, quae ex mera voluntate fiunt; tunc enim maior pars non sufficit, sed omnes et quidem collegialiter consentire debent, sive scilicet huiusmodi actus competant pluribus uti universis, sive uti singulis, eo magis vero, si negocium, de quo agitur, omnes tangit in particulari, tunc enim sese exerit Regula 29 iuris: – Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari – *in Verulana die 11 Martii 1843* §. *Absentium.*

30. Quamobrem suis non consistere viribus videtur lex, quae ad singulorum interesse pertinet, nisi universorum consensus et suffragium accedat; nam – quod omnes attingit, debet ab omnibus approbari – inquit Bonifacius VIII in Cap. 29 de Regulis iuris in 6, in casu praesertim, quo agatur de actu capitulari voluntario et non necessario et contra antiquam consuetudinem; tunc enim videtur, non maioris partis Capituli, sed omnium Canonicorum concordem requiri voluntatem, ceu docet Rota in part. 6 Recent. decis. 20 n. 5 part. 16 decis. 244 n. 25 *in Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Nihilominus.*

31. Cuique compertum hinc est, Capitulo esse potestatem condendi leges quoad ea, quae regimen respiciunt et administrationem rerum, quae ad universum Capitulum pertinent, ut ex cap. 2 §. ceterum de verb. signif., et tradunt Genuen. in pract. Eccles. quaest. 675, Rota coram Seraphino decis. 807 n. 4, coram Gregorio decis. 66 n. 11, coram Caprara decis. 675 n. 8 *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Capitulum.*

Item *in Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Haec.*

32. Quin imo Capitulis Ecclesiarum ius est leges condendi in iis, quae ad eorum interesse pertinent, etiam sine Episcopi consensu, iuxta cognitissimam Glossam in Cap. 2 §. Ceterum verb. Statutum de verb. signif., traduntque late post alios Barbosa de Canon. et Dignit. Cap. 42 n. 15, Pitonius discept. Eccles. 35 n. 18 et 19 *in Verulana Portionum canonicalium die 19 Decembris 1744* §. *Rationes.*

33. Quapropter Capitulum, etiam vivente Episcopo, condere potest Statuta de iis, quae tangunt peculiaria ipsius Capituli negocia, eaque futuros Canonicos obligare possunt *in Rheginen. Legati Pii die 11 Martii 1843* §. *Nullo.*

Item *in Spoletana Societatis die 31 Ianuarii 1852* §. *Post.*

34. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Capitulum statuere posse de his, quae singularia negotia respiciunt, prout et prohibere, ne Capitulares detegant, quae in Capitulo fuerunt deliberata *in Anagnina anno 1606 lib. 11 Decretorum.*

35. Quin imo Capitulum non tenetur acta Capitularia Episcopo dare, nisi ubi de aliquo delicto inquirens, ea ad effectum veritatem probandi tradi mandaret *in Anagnina anno 1606 lib. 11 Decretorum.*

36. Qua de re Sacra Congregatio validam declaravit resolutionem, absente Primicerio aliisque Canonicis captam, qua deputati fuerunt duo Canonici pro prosequutione litis Capituli cum facultate exigendi a Syndico totam summam ab iisdem exposcendam absque onere reddendi rationem, reiecta tamen conditione, quod rationem reddere non tenerentur; his enim in terminis proposito dubio: – II. An resolutio facta in Capitulo congregato sub die 21 iulii sit valida in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative reiecta conditione absolutionis a redditione rationis – *in Lauretana Convocationis Capituli die 6 Februarii 1700 lib. 50 Decretorum* (1).

37. Hinc et validas declaravit Sacra Congregatio locationes iurium et redituum parochialium nec non fructuum Collegiatae Ecclesiae Terrae Modicae capitulariter factas, licet Praepositus consensum non praestiterit; his enim in terminis proposito dubio: – I. An affictus seu locationes iurium et redituum parochialium nec non fructuum Collegiatae factae capitulariter per Canonicos sine consensu Praepositi sustineantur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Syracusana Praepositurae die 15 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

38. Canonicus autem Camerarius Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Firmi nequit expensas ultra summam iuliorum quinque erogare absque resolutione Capituli; proposito enim dubio: – VI. An Canonicus Camerarius seu Depositarius pro tempore absque deliberatione seu resolutione Capituli prohibeatur expensas quascumque ultra summam iuliorum quinque erogare etiam sub praetextu causae extraordinariae aut quomodolibet necessariae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, Affirmative – *in Firmana die 8 Iunii 1782.*

39. Reproposito dein dubio sub formula: – II. An et quomodo quoad sextum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in decisis; et amplius – *in Firmana die 6 Septembris 1783.*

40. Quum itaque resolutum iam fuerit, Decanum Cathedralis Ecclesiae Melevitanae, Sede Episcopali vacante, non teneri petere licentiam a Vicario Capitulari pro convocandis Capitularibus, et uti posse quacumque persona pro intimandis dictis Capitularibus casu, quo Cursores Curiae officium praestare recusarent, quin Capituli Praeses teneretur certiorem reddere praedictum Vicarium Capitularem absentem de resolutionibus capitularibus, propositis dubiis: – VI. An actus registratus in Cancellaria Episcopali die 30 augusti 1721 de ordine Vicarii Capitularis, in quo supponitur, Decanum petiisse ab eo licentiam convocandi Capitulum, subsistat, vel potius sit annullandus et delendus in casu etc. VII. An substineatur inhibitio transmissa Decano et Canonicis die 13 Aprilis 1722 de mandato Vicarii Capitularis sub poena excommunicationis maioris ipso facto incurrendae in casu etc. VIII. An actus requisitus in Cancellaria Episcopali die 7 octobris 1722 de ordine reverendissimi Episcopi, in quo supponitur, Decanum petiisse a Vicario Capitulari licentiam sub conditione, subsistat, vel potius sit annullandus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum et octavum, ad mentem; et mens est, quod deleantur. Ad septimum, Negative – *in Melevitana Iurisdictionis die 18 Septembris 1723.*

41. Unde Statuta praesertim in actu fundationis Collegiatae edita immutari vel moderari nequeunt, nisi iustis de causis et cum legitimo Capituli consensu: Sacra Congregatio tamen peculiaribus de causis quandoque mandat, ut nova concordia ineatur *in Neapolitana Statutorum die 20 Decembris 1851 die 31 Iulii 1852 et die 26 Februarii 1853.*

42. Enimvero templum S. Crucis Oppidi

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Capitulum* §. I, n. 27.

Turris Octavae vulgo *Torre del Greco* labente superiori seculo ex teterrima Vesuviani montis eruptione collapsum est. Huic ab immemorabili tempore addictus fuisse videbatur, praeter Parochum, Capellanorum coetus, congrua stipe ac emolumentis eidem assignatis, ad ipsius loci Universitatis nutum amovibilis, quorum erat sacra ibi Officia peragere et Parocho in animarum procuratione opem praebere. Clerus praeterea vulgo adscriptitius accedebat, cui servitium et ipsi praestitutum explere opus erat, quique in nonnullis publicis functionibus cum dictis Capellanis conveniebat. At novo extructo templo, ope Archiepiscopi Zurlo et Ferdinandi IV Regis, illud ad Collegiatae honorem evectum est, ita ut, loco Capellanorum, Canonicorum Collegio peculiaribus insigniis decorato honestaretur, conspicua ducatorum novem millium summa donata. Haec omnia a civica loci Universitate unanimiter probata fuisse videbantur ita quidem, ut primaeva Ecclesiae adscriptitiae indoles integra servaretur, et absque praeiudicio eorum, quibus ante Vesuviani montis eruptionem omnes ex dicto Clero gaudebant. Ne quid autem deesset, et utriusque Cleri, Collegialis nimirum et non Collegialis, disciplinae ac paci prospiceretur, Statuta condita ab ipso Archiepraesule fuerunt regioque assensu sancita atque firmata, quibus iura et obligationes utrinque servanda statuebantur. At ne anno quidem ab editis Statutis elapso, talia inter utrumque Clerum iurgia ac dissensiones exarserunt, ut ea unanimi omnium consensu moderata fuerint. Diu pax inter utrumque Clerum stetit: sed tandem novae obortae sunt dissensiones; unde Emus Archipraesul studuit, ut amica compositione cuncta dissensionum capita definirentur, constitutis utrinque binis Deputatis, qui de bono et aequo rem coram eodem Emo agerent et absolverent, quin tamen praeiudicium inferre possent Statutis Ecclesiae Collegiatae ab Emo Zurlo institutore adprobatis. Hinc ex mandato diei 26 novembris 1846 obsignata fuit a Deputatis conventio, quae tamen ubi primum innotuit Capitulo, eam undique reprobavit veluti Statutorum subversivam. Qua de re Capitulum ipsam Curiam Metropolitanam adiit: et Iudex, iuribus utrinque contendentium libratis, pronunciavit, – nullam habendam esse rationem ultimae conventionis prorsus conciliativae et oeconomicae pro bono pacis ab Emo domino Card. Archiepiscopo sub die 28 novembris 1846 ... –, sed stricte et omnimode standum esse praescriptis in Statutis pro dicta Ecclesia Collegiali dispotis anno 1797 –.

43. Appellatione per Clerum non Collegialem ab hac sententia interposita, triplici ex capite sententiae primi gradus confirmationem inclamavit Defensor a Canonicorum Collegio assumptus; primo quia nullam dixit praefatam conventionem anni 1846, cum Deputati mandati fines fuerint praetergressi, ex eo quod nullum praeiudicium inferre possent Statutis Ecclesiae Collegiatae; secundo nullitatem conventionis arguit ex defectu legitimae auctoritatis, cum Archiepiscopus absque consensu Capituli haud posset moderari Ecclesiae Statuta in casu praesertim, quo modernam conventionem directe contra ius idem pugnare contendit: tertio tandem, conventionem contra bonum publicum et praxim Ecclesiae venire. Nam bonum publicum exigebat, ut leges et consuetudines legitime invectae nonnisi ex publica iustaque de causa corrigerentur, ut iura singulorum nullo pacto laederentur, ac ea tandem devitarentur, quae perturbationes et scandala parere vel alere poterant. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sententia Curiae Neapolitanae diei 29 martii 1849 sit confirmanda, vel infirmanda in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Neapolitana Statutorum die 20 Decembris 1851.*

44. Mox Clerus non Collegialis audientiae beneficium obtinuit: ac sustinuit, conventionem praedictam ab utroque Clero initam imperio et auctoritate Emi Ordinarii validam esse, cum legitimum fuerit mandatum, et in Cap. 9 art. 5 Statuti cautum fuerit, quod – Statutis hac in tabella exaratis... nunquam derogare aut abrogari licet, nisi ex praefati Archiepiscopi venia –. Ursit inde conventionis validitatem argumentis tum ab extrinseco, tum ab intrinseco adductis. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis – *in Neapolitana Satutorum die 31 Iulii 1852.*

45. Novus a Clero non Collegiali Defensor electus disputavit, servandam esse conventionem praedictam, licet per eam Statutariis legibus derogatum fuisset. Nam illa ab utroque Clero rite facta fuit, ac exin solemnis firmata ratihabitione, cum die 13 iunii 1847 scriptum fuit a Collegialibus, omnes Collegiales amplexuros esse, quod praefati Deputati concluserint. Contendit etiam praefatus Defensor, dictam conventionem haud obesse Statutis Capitularibus, sed imo in omnibus illa cum istis collimare. Demum sustinuit, ab iis fundamentalia violari Statuta, qui Cleri unionem per nuperrimam conventionem volitam deturbare conabantur. Reproposito autem dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius; et scribatur Emo Archiepiscopo, qui curet novam iniri concordiam - *in Neapolitana Statutorum die 26 Februarii 1853.*

46. Nam Capitulum veteres etiam sancitas leges potest abrogare, et temporibus accomodare ad tradita per Bartolum in leg. *Omnes Populi* quaest. 3 n. 33 ff. de iust. et iur., et Rota decis. 33 n. 1 part. 2 decis. 308 n. 9 part. 17 Recent., et coram Crescentio decis. 219 *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Capitulum.*

Item *in Monopolitana Divisionis bonorum et Reductionis Missarum die 28 Aprilis 1855* §. *Post haec.*

47. Nec obstat vetustior eorum observantia, cum qui habet potestatem condendi leges, easdem non obstante observantia revocare valet, si res ab eo statu, in quo prior lex lata fuerat, immutatae sint, ut statuit Rota in decis. 707 n. 6 coram Seraphino, et decis. 34 n. 5 part. 2 Recent. *in Signina die 13 Septembris 1806* §. *Neque.*

48. Qua de re inest Capitulo facultas propria Decreta immutandi declarandi et revocandi, dummodo in his eadem, quae in anteactis Decretis, sollemnitas intercedat, ceu ad rem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium 13 Martii 1615, Gavant. in tom. 2 manual. Episcop. verb. Capitulum, et Monacellius in form. legal. tit. 13 form. 2 n. 35 *in Senogallien. Convocationis Capituli die 9 Maii 1829* §. *Neque.*

49. Sancitum hinc est, Episcopum absque consensu Capituli nec in actu quidem S. Visitationis haud posse immutare vel moderari Ecclesiae Statuta, idque declarat Pignatellius in tom. 1 consult. 65 n. 1 *in Neapolitana Statutorum die 20 Decembris 1851* §. *Secundo.*

50. Ceterum etsi integrum sit Capitulo Statuta sibi condere quoad Ecclesiae servitium, in gravioribus tamen negociis Statuta non valent, nisi iis Episcopi accedat auctoritas, ut ad rem Ceccoperius in Lucubrat. can. lib. 1 tit. 11 n. 9 *in Baren. Canonicatus die 20 Decembris 1851* §. *Urget.*

51. Ubi vero agatur de excludendo per modum regulae certo personarum genere ad Collegii admissionem, specifica opus est Sedis Apostolicae confirmatione *in Baren. Canonicatus die 20 Decembris 1856* §. *Urget* (1).

52. Unde Capitulum non potest condere Statuta concernentia statum Ecclesiae absque participatione et approbatione Episcopi *in Calaritana die 2 Septembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 510.*

53. Alias Capituli Statuta etiam non confirmata a S. Sede valida sunt in ea parte, qua minime adversantur iuri communi, ad tradita per Scarfantonium ad Ceccoper. lib. 1 tit. 11 n. 1 *in Pisauren. Camerariatus die 21 Novembris 1761* §. *Et ultra.*

54. Hinc Capituli Statuta pro eorum validitate requirunt auctoritatem Episcopi, quae plenius suppletur ex reservata, et superventa confirmatione Apostolica *in Tridentina 17 Ianuarii 1761* §. *Decanus.*

55. Imo Concilium Tridentinum in Cap. 12 sess. 24 de reform. vers. *Non licet,* non sustulit Statuta confirmata a Sede Apostolica *in Miranden. ad dictum Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100 pag. 22.*

56. Unde confirmatio in forma specifica et ex certa scientia adesse censetur, quoties rei confirmatae tenor exprimitur, aut substantia narratur, aut praecesserit examen, vel interponatur ex voto alicuius Sacrae Congregatio-

(1) Lotter. de re Benef. lib. 2, quaest. 42, n. 9; Card. De Luc. de iurepatronat. disc. 67, n. 12; Rot. in Amalphitana praetensorum statutorum 13 Maii 1715 coram Foscaro; in decis. 30, n. 13 de iurepatronatus coram Falconerio.

nis *in Faventina Decreti Sacrae Visitationis die 14 Maii 1859* §. *Nec minus* (1).

57. Qua de re Capitulationes factae ante editam Constitutionem a. s. m. Innocentii XII inter Episcopum et Capitulum etiam ad illarum firmiorem observantiam iuramento firmatae non sunt observandae, deficiente confirmatione Apostolica requisita a dicta Constitutione annullante omnes Capitulationes a Sede Apostolica non confirmatas, quin obstet praedictum iuramentum, cum nullum sit *in Salisburgen. Capitulationum die 5 Martii 1701 lib. 51 Decretorum.*

58. Siquidem - vacante Sede Archiepiscopali Metropolitanae Ecclesiae Salisburgensis, antequam Capitulum ad novi Archiepiscopi electionem deveniret, volens pluribus defectibus, qui in ipsius Ecclesiae regimine irrepserant, opportunis remediis occurrere, parendo monitis s. m. Clementis VIII sibi per suum a latere Legatum expositis, antiquisque privilegiis et praerogativis, quibus praefulget, inhaerendo, capitulariter congregatum sub die 30 iunii 1687 quasdam Capitulationes ad n. 93 concorditer stabilivit, quas Canonici singuli in casu, quo ad Archiepiscopalem Dignitatem assumpti fuissent, exequi et observari iurarunt. Sequuta deinde in personam moderni Archiepiscopi electione, iste ea statim peracta dictarum Capitulationum observantiam iterato iuravit. Obtenta vero postmodum Apostolica electionis confirmatione, plurimas excitare cepit difficultates super executione et observantia aliquarum ex praedictis Capitulationibus et praeviis pluribus tractatibus et congressibus, in quibus Capitulum, praetensiones eiusdem Archiepiscopi suo arbitrio et conscientiae remittens, bonum Ecclesiae regimen commendavit, Capitulationes supradictas moderatus fuit, atque ad numerum 71 reduxit, easque iterum ac tertio medio solemni publicoque iuramento sincere ac fideliter observare promisit. At cum ob promulgatam per sa. me. Innocentium XII specialem Constitutionem annullantem omnia Statuta et Capitulationes a S. Sede Apostolica non approbatas, quae est in collectione eius Bullarii in ordinatione 51, praetendere ceperit, ipsum amplius non teneri ad praestandam illarum observantiam, et ad hunc effectum porrexerit desuper eidem Summo Pontifici supplicem libellum, eoque ad Sacram Congregationem pro voto remisso, praefixo prius termino dicto Capitulo ad deducendum sua iura, sub die 10 maii 1698 ac denuo sub die 28 martii 1699 demandatum fuit, quod Causa proponeretur in Congregatione particulari: verum cum ad instantiam Capituli supplicantis pro resolutione Causae capienda in Congregatione generali saltem super subsistentia iuramenti ab Archiepiscopo praestiti et declaratione, quod Capitulationes praefatae, donec de earum validitate cognosceretur, essent observandae, sub die 4 septembris proxime praeteriti rescriptum fuerit: » Proponatur in Congregatione generali super dubio concordando coram Secretario ».

59. Hinc in huius Rescripti sequelam propositis dubiis: – I. An iuramentum appositum in Capitulationibus, de quibus agitur, sustineatur? II. An dictae Capitulationes interim sint observandae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, iuramentum non substineri. Ad secundum, satis provisum – *in Salisburgen. Capitulationum die 5 Martii 1701 lib. 51 Decretorum.*

60. Quum itaque Episcopus Scepusiensis nova edidisset Statuta pro Collegiata S. Martini, proposito dubio: – I. An et quomodo sint approbanda nova Statuta Episcopi Scepusiensis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative iuxta modum explicandum in secundo (2) – *in Scepusien. Servitii chori die 30 Iulii 1796.*

61. Quin imo prudenti arbitrio Ordinarii remittitur, num abrogari debeat Statutum, quo Capellani tenentur assurgere, quoties Canonici ingrediuntur, vel egrediuntur a choro *in Lauden. Servitii chori die 26 Ianuarii 1856.*

62. Siquidem Statutum capitulare Ecclesiae Laudensis praescribebat contra regulam statutam in Caeremoniali Episcoporum cap. 18, ut Capellani dumtaxat in Canonicorum ingressu aut egressu e choro assurgerent. Episcopus

(1) Ceccoper. Lucubrat. canon. tom. 1, lib. 2, tit. 12 in animadvers. n. 7; Ventrigl. in prax. part. 1, adnot. 19, §. 3, n. 12; Fagnan. de confirm. util. vel inut. in Cap. *Si quis*, n. 11 et seqq.; Card. De Luc. de Regul. disc. 2, n. 9; Rot. in decis. 339, n. 2, part. 2 Recent.

(2) Quem habes in Verb. *Canonici*, §. II, n. 236, Tom. IV.

hinc retulit, id perturbationis et confusionis, experientia teste, causam esse, cum frequentes essent ingressus et egressus Canonicorum; ac addidit, in aliis proximis Cathedralibus Capellanos nunquam assurgere. Proposito itaque dubio: – II. An iidem Capellani Beneficiati solvendi sint ab onere assurgendi in ingressu vel egressu Canonicorum a choro in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: -Ad secundum, prudenti arbitrio Episcopi – *in Lauden. Servitii chori die 26 Ianuarii 1856.*

63. Quamvis enim Beneficiati non sint de gremio Capituli, sed ordinis inferioris, et servile exercere officium in iure dicantur, ita ut deceat omnino, ut suae erga Canonicos subiectionis signa edant, ad quod in Canonicorum ingressu aut egressu a choro assurgendi mos referebatur, attamen ubi huiusmodi ritus et caeremoniae in particularibus casibus, quin ad choralis disciplinae ordinem ac decorem, ad quem ordinantur, perturbationis potius et confusionis, experientia teste, causa sint, videndum est, an expediant, ut de medio tollantur, et ad temporum ac locorum consuetudines accomodentur *in Lauden. Servitii chori die 26 Ianuarii 1856* §. *Ad secundum.*

64. Unde si huiusmodi incommoda pro temporum ac locorum circumstantiis non habeantur, Capellani onus hoc assurgendi in ingressu ferre tenentur; hac enim in re extat Decretum S. R. Congregationis in Tridentina diei 10 iunii 1663 penes Gardellini in Collectanea tom. 2 pag. 450, ubi - Martio Salvi presbitero capitulari exponente, Episcopum in ultima Synodo decrevisse, ut omnes Presbiteri etiam capitulares choro adstantes in ingressu Canonici in ipso choro assurgere debeant, atque ipsi Canonici viceversa in ingressu Presbiteri quamvis capitularis solum birretum levare debeant –, S. R.Congregatio respondit: – Pareant Decreto Episcopi – *in Lauden. Servitii chori die 26 Ianuarii 1856* §. *Hac.*

65. Notum autem est, Capitulum non posse Statuta condere, quae vel communi iuri contraria sint, vel tertium laedunt, ceu ad rem Reiffenstuel lib. 1 tit. 2 §. 4 n. 85, aliique cum Barbosa *in Spoletana Societatis die 31 Ianuarii 1852* §. *Aliunde.*

66. Nam nec Episcopis licet aliquid statuere, quod Iuri seu sacris Canonibus adversetur *in Neapolitana Statutorum die 20 Decembris 1851* §. *Atque* (1).

67. Qua de re Capitulum nequit condere Statuta in praeiudicium aliarum Ecclesiarum *in Fulginaten. Funerum die 18 Aprilis 1773* §. *Sustinent* (2).

68. Nec itaque Capitulum potest suis Statutis immutare naturam Canonicatuum, et Beneficiorum *in Embricen. Iurium Canonicalium die 19 Ianuarii 1765* §. *His itaque* (3).

69. Unde talia Statuta nulla sunt, etiamsi ab antiquissimo fuerint servata *in Embricen. Iurium Canonicalium die 19 Ianuarii 1765* §. *Nec vim* (4).

70. Idcirco Capitulum non potest eligere ad Canonicatum eum, qui intra annum ad Sacerdotium promoveri nequit, stante consuetudine, qua omnes Canonici debent esse Presbiteri *in Salernitana anno 1591 lib. 7 Decretorum pag. 26.*

71. Ceterum S. Congregatio, iusta cum extet causa, confirmat Constitutionem Capitularem, qua reditus ex telluris fructu provenientes dividuntur inter Canonicos pro rata servitii praestiti *in Signina Constitutionum die 24 Ianuarii 1829.*

72. Siquidem in Collegiata Ecclesia Montisfortini reditus ex telluris fructu communem Capituli mensam constituebant, ac ita erogabantur, ut tertia pars quotidianis distributionibus inserviret, reliquae autem duae, tamquam Praebendarum fructus, inter Canonicos distribuerentur. Ad huius vero Massae grossae distributionem perficiendam ea cepit ab initio methodus invalescere, ut, si quis,

(1) Card. De Luc. in Miscell. disc. 7, n. 18; et de iurepatronat. disc. 67, n. 12; Pax Iordan. tom. 2 Elucubrat. can. lib. 8, tit. 1, n. 57; Constantin. ad Statutum Urbis tom. 1 in praelud. n. 8.

(2) Garz. de Benef. part. 8, Cap. 1, n. 87; Piton. Discept. Eccles. 57.

(3) Canon *inferior*, dis. 20; Cap. *Quod super his* de Maior. et obed.; Clementina *Ne Romani* §. 1, de Elect.; Fermos. de Potest. Capit. tract. 3, quaest. 4, n. 5; Rot. decis. 723, n. 7 coram Manzanedo.

(4) Card. De Luc. de Iurisdict. disc. 24, n. 13 versic. respondebam; Rot. decis. 396, n. 15, part. 18 Recent.; in Nuper. tom. 17, decis. 28, n. 17.

licet integro perfunctus totius anni servitio, vel uno tamen die prius vita decederet, quam sive oleum sive uva sive triticum colligeretur, nihil iam assequi ipsius heredes possent, sed omnes illico fructus aut reliquis Canonicis tempore vacationis accrescerent, aut ad Successorem Canonicatu protinus potitum devolverentur. Eiusmodi tamen rei Canonicos anno 1797 pertaesum est, veteremque idcirco divisionis rationem in actu sacrae Visitationis ita abrogandam curarunt, ut, novissima ab Episcopo Constitutione probata, Capitulares in posterum reditus cuique pro rata servitii praestiti seu possessionis Canonicatus tribuendos decreverint. Servata itaque est ab anno 1797 recens illa Constitutio, quae hisce verbis constabat: – Ab Archipresbitero et omnibus Canonicis nostrae Collegiatae percipiendi sunt omnes et singuli fructus provenientes ex Massa communi capitulari vulgo *Grossa,* attento iure canonico, a die possessionis pro rata temporis servitii praestiti usque ad obitum, computando tamen dictos fructus praedictae Massae ab anno Capitularis Decreti, idest a die decima nona iulii illius anni currentis iam maturatos, iuxta resolutionem Capitularem cum approbatione Ordinarii in actu sacrae Visitationis, ad vitanda iudicialia iurgia, quae in posterum venire possunt –. Quum autem per hanc Constitutionem perceptio fructuum ex rata possessionis Canonicatus praescribi contra ius videretur, exortum inde dubium est, utrum eadem Constitutio, utpote nullo Apostolic Beneplaciti praesidio suffulta, valeret nec ne[1] quam quidem dum aequitati maxime consentaneam experiebantur Canonici, hinc unanimi eorumdem consensione motus Signinus Episcopus rogavit, ut Sacra Congregatio praefatam Gonstitutionem adprobatione firmaret.

73. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit confirmanda Capitularis Constitutio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo – *in Signina Constitutionum Capitularium die 24 Ianuarii 1829.*

74. Quum autem Statutum non esse perfectum, sed mera tantum minuta et conceptus Statuti condendi videatur, Sacra Congregatio merito decidit, id nullam quoad possessionem et fructuum perceptionem Canonicatus vim habere posse, licet exin confirmatum fuerit a Sede Apostolica *in Constantien. Statuti die 8 Maii 1706 die 25 Iunii et die 16 Iulii 1712 lib. 56 et 62 Decretorum.*

75. Enimvero – postquam Capitulum ad possessionem, quam primam vocant, unius Canonicatus per resignationem vacantis Antonium a Liebenfels et alterius simili modo vacantis Ioannem Wolfangum Baronem de et in Bodmann a Sede Apostolica provisos admisit annis, qui carentiae ibi nuncupantur, transactis, eosdem ad secundam postea possessionem, ut moris est, integre admittere recusat, solumque eamdem diminutam exhibet ita scilicet, ut choro et Ecclesiae praedicti Canonici inserviant, ac de omnibus emolumentis ratione servitii chori et Ecclesiae participent, non tamen Capitulum ingrediantur, neque emolumenta ulla, quae ratione Capituli proveniunt, percipiant, sed tum ab omni capitulari proventu, tum a Dignitatibus quibuscumque Custodiae nimirum Cantoriae Archidiaconatus Diaconatus et Episcopatus arceantur, supponendo quod per Statutum anno 1692 de tribus consanguineis in primo aut secundo gradu coniunctis uno eodemque tempore in Capitulum non admittendis conditum ita expresse sanciatur. Quoniam autem Statutum huiusmodi perfectum non esse, sed mera tantum minuta et conceptus Statuti condendi esse dicitur; propterea praedicti Iacobus Antonius a Liebenfels et Ioannes Wolfangus de et in Bodmann sub die 14 martii 1701 adversus praetensionem ipsius Capituli dictam secundam possessionem, ut praefertur, diminutam offerentis expressam protestationem emiserunt, et deinde Sanctissimo supplicarunt, ut rem Sacrae Congregationi examinandam committeret, quae quid iuris esset declararet, prout commisit. Illa igitur Nuncio Apostolico apud Helvetios pro consueta informatione, auditis Partibus, rescripsit, qui ut eamdem S. Congregationem melius redderet instructam, an praefatum Statutum perfectam conclusionem contineret, vel merus Statuti conceptus esset, copiam actorum capitularium publicam et ab ipsis Partibus semel iterumque auditis subscriptam una cum aliquorum Canonicorum depositionibus transmisit –.

76. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An secunda possessio integra et absque

diminutione sit concedenda? *Et quatenus affirmative.* II. An et a quo tempore fructus Canonicatuum, de quibus agitur, debeantur in casu etc.-, S.Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, deberi post expletos annos carentiae et a die petitae et denegatae secundae possessionis – *in Constantien. Statuti die 8 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

76. Hinc – in obsequium huiusmodi Sacrae Congregationis Decretorum, promptum paratumque tandem se praebuit Capitulum praefatis Canonicis secundam possessionem concedere, quam tamen sub quadam verborum serie exhibuit, cui Canonici acquiescere e re sua non duxerunt; fructus vero ab EE. PP. decretos idem Capitulum expresse denegavit eo sub praetenso fundamento, quod nunquam saepedicta secunda possessio a Capitularibus fuerit denegata, quin potius per eosdem Canonicos steterit, quominus eam legitime petierint, quam sane potissimum Liebenfels libere adire poterat, uti non comprehensus sub Statuti dispositione de tertio consanguineo non admittendo propter obitum Canonici Schundelin eius avunculi sequutum iam ab anno 1704. Interea Capitulum supplex iterum adiit Sanctissimum, qui preces ad Sacram Congregationem reiecit, pro specifica confirmatione asserti praememorati Statuti atque unica eadem parte, proposito dubio sub die 21 maii 1707: « An Statutum sit confirmandum? » responsum affirmativum reportavit quoad vocem activam tantum, quam confirmationem successive ex Apostolica benignitate in forma specifica et cum clausulis amplissimis mediante Brevi expedito sub die 27 iulii 1707 obtinuit. Porro sub die 11 augusti 1707 adeuntibus Canonicis Liebenfels et Bodmann Emum Praefectum pro executione supradictarum resolutionum Congregationis die 8 maii 1706, placuit E. S. petitis annuere, proptereaque instantes admitti ad secundam et plenariam possessionem Canonicatuum et responderi mandavit de fructibus eorumdem post expletos annos carentiae et a die petitae et denegatae secundae possessionis per denegatam remotionem obstaculi praetensi Statuti de tertio consanguineo; interim vero inhibuit, ne Capitulum auderet posteriores Canonicos pro effectu antianitatis ad secundam possessionem admittere –.

77. At primodicti duo Canonici autumantes sub verborum involucro et praesertim sub clausulis praeservativis Statutorum et privilegiorum nequaquam omnino liberam secundam possessionem sibi ipsis exhiberi atque ita eludi Sacrae Congregationis resolutiones, monitorium ab A. C. reportarunt. Re inde rursus ad Sacram Congregationem delata, propositis dubiis: – I. An Decreta Sacrae Congregationis emanata sub diebus 8 maii 1706 ac 11 et 17 augusti 1797 sint exequenda, non obstante asserto Statuto anni 1692 ac confirmatione Sedis Apostolicae expedita sub die 27 iulii 1707? II. An sit standum, vel recedendum a decisis sub dictis diebus quoad restitutionem fructuum? III. An competat antianitas Canonicis Ioanni Antonio Liebenfels et Ioanni Wolfango Baroni de et in Bodmann, sive potius Canonicis Francisco Ioanni Antonio de Sirgestein Ignatio fideli Baroni a Rodt et Iosepho Antonio Sigismondo Fuger comiti de Kirchberg in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse exequenda quoad secundam possessionem plenariam et antianitatem ad favorem Liebenfels et Bodmann; quoad fructus vero, dilata et proponatur dubium, concordato facto coram Secretario. Ad secundum et tertium, provisum in primo – *in Constantien. Statuti die 25 Iunii 1712 lib. 62 Decretorum.*

78. His mox expletis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 8 maii 1706 ac 11 et 17 augusti 1707 quoad restitutionem fructuum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad Liebenfels deberi fructus a die 24 martii 1702, quo vero ad Bodmann a die motae litis in Sacra Congregatione; et amplius – *in Constantien. Statuti die 16 Iulii 1712 lib. 22 Decretorum.*

79. Insuper expedit, ut Resolutiones Capitulares fiant per vota secreta, cum praesertim consuetudo seu abusus eas edendi per publica suffragia iurgia et scandala pariant *in Melevitana die 23 Novembris 1697 et die 15 Novembris 1698 lib. 47 et 48 Decretorum.*

80. Siquidem – cum ex antiquissimo usu sive abusu Capituli Ecclesiae Melevitanae omnes resolutiones capitulares fieri consuevissent per publica suffragia, et exinde plura insurgerent iurgia et scandala inter ipsos Ca-

pitulares, Sacra Congregatio ad instantiam nonnullorum Canonicorum diebus 25 ianuarii 1676 et 7 iulii 1685 iniunxit Episcopo, ut desuper « provideret ad formam sacrorum Canonum ». Verum quia his non obstantibus, nulla super praemissis capta fuerat provisio, cum adhuc suffragia publice et in aperto praestarentur, eadem Sacra Congregatio die 23 novembris superioris anni ad instantiam Archidiaconi et maioris Partis Canonicorum, audita prius relatione Episcopi, iterum censuit « expedire, quod Resolutiones capitulares fiant per vota secreta ». Observantia huius Decreti adhuc haberi non potuit eo sub praetextu, quod intelligi solummodo debeat in electione Vicarii Capitularis atque in aliis gravioribus negociis Capituli, secus vero in materiis oeconomicis et aliis levioris momenti; sed, habito iterum per Archidiaconum et Canonicos illi adhaerentes recursu ad hanc Sacram Congregationem, instant hodie ad dirimendas omnes dubitationes, monito Promotore Episcopali nonnullisque aliis Canonicis contradicentibus, declarari: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 23 novembris 1697? *Et quatenus affirmative.* II. An vota secreta praestari debeant in quibuscumque resolutionibus capitularibus, vel potius in electione Vicarii Capitularis et in aliis gravioribus negociis dumtaxat? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Melevitana Actuum Capitularium die 15 Novembris 1698 lib. 48 Decretorum.*

81. Verum Sacra Congregatio declaravit, suffragia in aures Cancellarii Capitularis per Canonicos expressa in nominationibus praesentationibus aliisque actibus per secreta suffragia ab eodem Capitulo explendis esse canonica, ac proinde actus capitulares hoc modo expeditos esse validos *in Montis Regalis Electionis die 14 Ianuarii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 11.*

82. Quum autem Capellani seu Beneficiati, qui ex consuetudine vocem in Capitulo habent, in numero superent Canonicos et Dignitates, ad quos primario spectat administratio et dispositio in Capitulo, et in resolutionibus Capitularibus illi in his praevaleant, proposito dubio: – An et quomodo Canonicorum Ecclesiae Cathedralis indemnitati et Capituli communi bono sit providendum? –, Sacra Congregatio respondit: – Oratores supplicent Sanctissimo – *in Montis Pelusii Iuris votandi die 6 Iunii 1682.*

83. Concurrente tamen dicta consuetudine vel privilegio ferendi suffragium quoad Beneficiatos seu Capellanos, intelliguntur ii, qui obtinent Beneficia seu Capellanias in titulum promiscue Beneficiati seu Capellani dicti; nam Sacra Congregatio id expresse declaravit, nempe Capellanos habere vocem in Capitulo, quatenus Capellaniae seu Beneficia conferantur in titulum, et non possint libere dimitti *in Asten. Statutorum die 5 Iunii 1688.*

84. Unde Capitula alia numerata dicuntur, quae scilicet fixum ac determinatum numerum Canonicorum habent: alia non numerata, ceu in Cap. *Ex parte* de concess. Praebendae, et in Cap. *Dilecto* et Cap. *Vacante* de Praebendis *in Tergestina Iurium Canonicalium die 29 novembris 1862* §. *Capitula.*

85. In illis autem quoties vel numerus Canonicorum praefinitus taxative fuit a Romano Pontifice, vel a longissimo tempore fuerit confirmatus, vel tandem per Canonicos ipsos in erectione coram Papa iuratum sit de non augendo Canonicorum numero, nullum a quovis alio augmentum fieri potest, nisi ab Apostolica Sede *in Tergestina Iurium Canonicalium die 29 Novembris 1862* §. *Capitula.*

86. Quod similiter obtinere videtur in casu, quo Romanus Pontifex suae facultati quodvis augmentum reservavit. Ubi vero numerus praefinitus equidem sit a Romana Sede, non tamen taxative vel reservative, tum augeri ab Episcopo una cum Capitularibus potest ex novis superventis reditibus: nullum enim eo in casu praeiudicium antiquioribus Canonicis inferri videtur, ratio proinde prohibitionis cessaret; et tunc Canonici, qui primaevo numero accedunt, supranumerarii penes Doctores dicuntur *in Tergestina Iurium Canonicalium die 29 Novembris 1862* §. *Capitula.*

87. Addendum insuper est, Supranumerariorum nomine primum illos inveniri, qui antiquioribus temporibus cum gratiis expectativis pro prima futura vacatione providebantur; accedunt deinde et alii, qui cum sint simplices in aliqua Ecclesia Beneficiati Canonicorum nuncupatione honorantur: utraque autem haec species veros Canonicos non prae-

sefert, sed tantummodo nominales. Tertia tandem species est illorum, qui ex novis auctis reditibus cum proprio officio et Praebenda primaevo definito numero superinducuntur, iique improprie dicuntur supranumerarii, eo quod in omnibus aequiparantur Canonicis antiquioribus eorumque iuribus potiuntur *in Tergestina Iurium Canonicalium die 29 Novembris 1862* §. *Addendum.*

88. Demum praeter ius commune in omnibus primum inspicienda venit institutio, ut iudicium ferri valeat, tum super natura Canonicatuum, tum super eorumdem iuribus oneribus et privilegiis *in Tergestina Iurium Canonicalium die 29 Novembris 1862* §. *Addendum.*

89. Quum autem Episcopus occasione Visitationis sacrorum Liminum exposuisset, omnia Capitula Diaecesis esse sine praefixo numero, unde augeri contigit ad excessum, ita ut omnes Capitulares indecenter ob tenues reditus vitam ducere cogerentur, quaesitum est: – An expediens sit in Sacra Visitatione cuilibet Ecclesiae iuxta qualitatem loci et qualitatem fructuum certum Capitularium statuere numerum? –, S. Congregatio respondit: – Audiatur Capitulum – *in Acheruntina et Matheranen. Visitationis sacrorum Liminum die 3 Martii 1668.*

90. Cum itaque certum in iure sit, Capitulum non posse immutare naturam Beneficii, nullae ac irritae propterea censentur ordinationes ac leges, quibus Capitulum privavit verum Canonicum, non vero honoris tantum, iure turni voce activa et passiva aliisque praerogativis, nec non quotidianis distributionibus, dum a choro abest propter curam animarum, licet huius Sacellanatus seu Canonicatus possessores per lapsum centum et ultra annorum huiusmodi leges acceptaverint, onus tamen Missae parochialis firmum perstat *in Embricen. Iurium Canonicalium die 20 Novembris 1745 die 23 Septembris 1747 die 28 Augusti 1756 et die 9 Februarii 1765.*

91. Siquidem cum anno 1638 in Collegiata Ecclesia S. Martini Civitatis Embricae vacaret Canonicatus, qui nuncupabatur Sacellanatus, placuit Canonicis et Capitulo statuere, ut deinceps Sacellanus voce activa et passiva et iure turni carere deberet, ut ei amplius fas non esset ad Capitulum accedere, nisi accitus a Decano et Canonicis, ut contra onus ferret Sacri festis diebus agendi pro Populo curae illius pridem commisso, ut denique, curae incumbens et ob id cum choro interesse non posset, distributionum quotidianarum compendio careret. Duras has leges accepit, qui primus Canonicatum illum obtinuit, acceperunt et alii successores, fidem eas leges servandi dedit etiam Henricus Ignatius Hooster, sed inde promissa servare negavit. Nam Capitulum non poterat statuta legesque condere, quae contra iuris dispositionem sunt, etiamsi Episcopi auctoritas accedat. Is quippe vere et proprie Canonicus erat; adeoque iis iuribus, quae apud alios Canonicos erant, privari nequibat, multoque minus quotidianis distributionibus, quin obesset centenarii temporis fuga, unde oritur praesumptio melioris cuiuscumque tituli et praesertim confirmationis factae a Sede Apostolica, cum praesumptio haec excluderetur, quod Statuta illa non fuerint assidue observata, et quod magis erat Constitutione *Ecclesiae Catholicae* Innocentii XII edita anno 1695, quae in Hollandia promulgata fuit, generaliter improbatae fuerint hae leges capitulares, ita ut intercepta fuerit vis temporis centenarii. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An statuta seu ordinationes de anno 1638 seu etc. facta per Decretum et Canonicos Embricenses circa Canonicum Sacellanum substineantur in casu etc. II. An Canonicus Sacellanus gaudere debeat iure turni ac voce activa et passiva aliisque praerogativis, prout ceteri Canonici in casu etc. III. An onus celebrandi Missam parochialem singulis diebus Dominicis et festivis spectet ad Canonicum Sacellanum, seu potius ad Capitulum in casu etc. IV. An Canonico Sacellano occupato in exercitio curae animarum et a choro absenti debeantur distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem, non retardata interim per Sacellanum applicatione Missae pro populo diebus festis – *in Embricen. Iurium Canonicalium die 20 Novembris 1745.*

92. Mens autem fuit, ut in nova Causae propositione quaestio diligenter ageretur, an Canonicatus, de quo agitur, quem una cum Sacellanatu habebat Henricus Ignatius Hooster, capitularis esset, vel nudi honoris et nomi-

nis, utque rogaretur Emus Mechliniae Archiepiscopus, ut hac de re amplissimos Patres certiores redderet. Hisce omnibus impletis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad quartum, Affirmative – *in Embricen. Iurium canonicalium die 23 Septembris 1747.*

93. Rediit inde Canonicus Sacellanus ad novum Eminentissimorum Patrum iudicium; hinc repropositis dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Nuncio iuxta instructionem (1) – *in Embricen. Iurium Canonicalium die 28 Augusti 1756.*

94. Scriptum est itaque Nuntio Apostolico; sed tricae et morae interpositae fuerunt, unde instantior factus fuit Hooster ex ipsa Capituli contumacia. Probavit hinc Hooster, Sacellanatum anno 1610 unitum fuisse Canonicatui septimo in ordine a latere praepositi; idque ostendi ex ipso facto. Etenim Sacellani ante hanc unionem nunquam choro interfuerant nec habuerant stallum; postmodum vero non modo Sacellanus choro et stallo potitus, sed Canonicus, qui et Sacellanus erat, suo choro et stallo gavisus est. Contendit praeterea, usum dictarum legum anni 1638 nedum verum non esse, sed apertis probationibus excludi; ac probari contrarium ex libris capitularibus, ex testimonio duorum Canonicorum, ac quinque aliorum Sacerdotum. Quod si aliquando non interfuerunt Sacellani, hoc ex placito et ex onere adiunctae curae accidisse dixit. Certavit demum, curam habitualem penes Capitulum esse, a quo duo deputabantur Vicarii Canonici; Capitulum decimas et oblationes percipere et functiones parochiales agere, inter quas onus celebrandi pro Populo recensendum. Capitulum contra asseruit, nonnisi quatuordecim cum Decano esse veros Canonicos; nec obesse stallum, quod similibus honorifice Canonicis in choro dabatur, ut cum reliquis Choro inservirent. Propugnavit deinde, leges latas anno 1638 etiam sine Episcopi vel Sedis Apostolicae approbatione substineri; ceterum lapsum centum et ultra annorum quamcumque iuris repugnantiam vincere. Quoad onus celebrandi Missam parochialem allegavit, Sacellanum praeter divitem Praebendam omnia tum certa, tum incerta parochialia emolumenta habere; ideoque in eumdem id onus incumbere. De distributionibus autem non percipiendis ab absente hoc contendit iure statutum fuisse, perpetuoque usu in Capitulo Embricensi ac solemni pacto firmatum. Repropositis tamen dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 23 Septembris 1747 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, praevio recessu a decisis, Negative. Ad secundum, praevio recessu a decisis, Affirmative. Ad tertium et quartum, in decisis; et amplius – *in Embricen. Iurium canonicalium die 9 Februarii 1765.*

95. Hinc S. Congregatio nullum ac irritum declaravit Decretum capitulare excludens sive privans Canonicum ab officiis conferri solitis a Capitulo, ex eo quod scripsit, lites inter Capitulum et Archiepiscopum vertentes esse insubsistentes *in Pisana Gravaminum die 25 Iunii 1695 lib. 45 Decretorum.*

96. Unde licet Canonici Ecclesiae Cathedralis Cavallicensis Statuta haberent ante Concilium Tridentinum legitime edita ac inde Episcopus Mancini ex delegatione S. Congregationis decreverit, Canonicos teneri interesse singulis divinis officiis et horis canonicis per turnum, idque S. Congregatio probaverit, reclamantibus tamen Beneficiatis eiusdem Ecclesiae contra Canonicos super continua interessentia, S. Congregatio censuit, nec praefata Statuta esse observanda nec praedictum Decretum Mancini esse exequendum, sed procedi debere ad formam Concilii, quin transactio inter Canonicos et Beneficiatos vim habere potuerit, cum adversaretur Decretis Concilii Tridentini *in Cavallicen. Residentiae seu Distributionum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

97. Siquidem – cum s. m. Clemente VI in Civitate Avenionensi sedente innotuerit inobservantia Statutorum Ecclesiae Cathedralis

(1) Scilicet ad parcendum expensis in huiusmodi diuturna lite commissum fuit Nuntio Bruxellensi cum omnibus facultatibus, ut, diligenter investigata facti veritate, rem et Partes ita componere curaret, ut a lite recederent omnino, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 31 die 28 Augusti 1756.*

Cavallicensis anno 1352 vigore Brevis impertitus fuit facultatem cl. me. Cardinali Bertrando tunc Episcopo Sabinensi, ut per se vel per alium antiqua Statuta dictae Ecclesiae servari mandaret, quatenus utiliter edita reperiisset, sin minus ea in melius reformaret corrigeret et de novo faceret, sicuti pro utilitate illius spiritualiter et temporaliter expedire cognovisset. Ad tenorem huius Brevis praefatus Cardinalis, habitis super hac reformatione pluribus colloquiis cum Episcopo et Canonicis, inter cetera decrevit, quod illi in diebus ferialibus perciperent pro distributionibus duodecim panes et vini quantitatem, quatenus interessent divinis officiis saltem magnae Missae et Vesperarum, in diebus vero solemnibus perciperent ultra duos panes duos Turonenses argenti, dummodo interessent etiam Matutinis, alias autem amitterent tertiam partem distributionis in panibus consistentis. Demandavit etiam, quod Canonici recipere deberent infrascriptum numerum servitorum, nempe sex Capellanos ad nutum amovibiles et duos Clericulos, eisque conventum solvere salarium, iuncta tamen obligatione interessendi omnibus et singulis horis canonicis.

98. Huiusmodi Statuto recta ac gubernata fuit Ecclesia praefata a dicto anno 1352 usque ad annum 1501, quo Praepositus et Canonici agnoscentes, quod Capellani servitores debitum servitium non praestabant, immo scandalose se gerebant, de communi consensu ac auctorizante Episcopo, loco dictorum Capellanorum fundarunt decem Beneficiatos perpetuos medios Praebendatos nuncupatos et quatuor Clericulos, eosque de bonis Capituli dotarunt, eodem ipsis onere adiecto interessendi quotidie singulis horis canonicis, nihilque innovato quoad interessentiam Praepositi et Canonicorum. Post seculum et ultra nempe anno 1614 praedicti Beneficiati, praetendentes etiam Praepositum et Canonicos interesse debere singulis horis, obtinuerunt a tunc Episcopo Decretum instantiae conforme, a quo per appellationem Causa ad S. Rotam devoluta duae emanarunt Decisiones, altera nempe super remissoria concessa Canonicis ad effectum probandi sufficientiam distributionum, ut videre est in decis. 435 coram Pamphilio, et altera super demandata interessentia singulis horis et diebus, ut in alia decisione 458 coram eodem.

99. Declinato postmodum de communi consensu Tribunali S. Rotae, partes adierunt hanc S. Congregationem, quae non obstante resolutione Rotali benigne indulsit Episcopo Mancino, ut, auditis Partibus, pro suo arbitrio et prudentia huiusmodi controversiam componeret; unde dictus Episcopus die 10 decembris 1617 definitive decrevit, Canonicos teneri interesse omnibus diebus singulis officiis divinis et horis canonicis per turnum, quod Decretum eodem anno approbavit sacra haec Congregatio, et postea anno 1653 Episcopus Sfortia servari mandavit. Non acquieverunt huic Decreto Beneficiati cum fundamento, quod obtinuerint ab hac Sacra Congregatione die 25 novembris 1651 aliud Decretum contra Canonicos super continua interessentia, uti habetur ex illius intimatione eisdem facta de ordine praefati Episcopi Sfortiae, quod tamen Decretum non reperitur in Regestris huius Sacrae Congregationis, cum dicta die non fuerit habita Congregatio. Et quamvis antea nempe die 14 Ianuarii iidem Beneficiati obtinuerint ab S. Congregatione epistolam Episcopo directam, ut Canonicos adstringeret ad residentiam ad formam Concilii, attamen proposita successive Causa in plena Congregatione per tres vices anno 1654 et 1665 et nunquam resoluta devenerunt una cum Canonicis anno 1666 ad amicabilem transactionem, quae die 30 septembris proxime praeteriti revocata fuit sequenti Decreto: - Nempe transactionem adversari Decretis S. Concilii, et propterea non esse servandam, et Episcopus procedat ad formam Concilii –.

100. Quamobrem reassumpta per Canonicos antiqua disputatione super validitate Statuti seu exequutione Decreti Episcopi Mancini, propositis dubiis: – I. An Statuta Ecclesiae Cathedralis Cavallicensis super interessentia et distributionibus sint observanda in casu? *Et quatenus negative.* II. An Decretum Episcopi Mancini Iudicis delegati a S. Congregatione factum de anno 1617 de inserviendo per turnum sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative; et ad formam Concilii – *in Cavallicen. Residentiae*

seu Distributionum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.

101. Nullum hinc pariter fuit declaratum Statutum seu Constitutio capitularis, qua cavebatur, Canonicos abesse non posse a servitio chori etiam tempore vacationum a Concilio permisso, absque licentia Capituli sub poena amissionis punctaturarum totius servitii praestiti; proposito enim dubio: – V. An praetensae Constitutiones Capitulares, in quibus cavetur, quod non possint Praebendati a Civitate discedere animo alibi moram trahendi sine licentia Capituli, sustineantur tam pro tempore permisso abessendi a choro, quam ultra dictum tempus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative; et amplius – *in Firmana Distributionum die 3 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

102. At observari debet Statutum capitulare Ecclesiae Cathedralis Laudensis, quod Capellanis quadraginta dierum tantum vacationes indulget iuxta morem iamdiu etiam ante Capituli suppressionem invectum, quin obstet nova Capellaniarum fundatio, unde Capellanorum a Capituli legibus exemptio asserebatur, nam Capellani Canonicis obsequi pariter et capitularibus legibus in chorali servitio parere tenentur, ne secus perturbatio et confusio oriatur; his quippe in terminis proposito dubio: – III. An et quomodo iisdem indulgendae sint vacationes conciliares in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, serventur Statuta capitularia – *in Lauden. Servitii chori die 26 Ianuarii 1856.*

103. Nam Concilium Tridentinum in Cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Praeterea*, praeservat Constitutiones longius, quam novem mensium servitium requirentes non minus ac consuetudines *in Vallisoletana anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 68.*

104. Ceterum Sacra Congregatio quandoque mandat alicui perpendere controversiam cum aliis ab ista exortis inter Canonicos et Beneficiatos efferbescentem, ex eo quod hi se gravatos sentiant ab novis Constitutionibus editis, nec non eamdem instructam reddere, reservatis attentatis in fine litis et suspensis censuris usque ad exitum Causae, cum facultate interim capiendi quamcumque provisionem *in Aquilana die 18 Aprilis 1722.*

105. Iamvero editis ab Archipresbitero et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Paganica Civitatis Aquilanae tam anno 1715, quam anno 1718 nonnullis Constitutionibus, iisdem probatis a Vicario Apostolico, Beneficiati, qui ab iisdem novis Constitutionibus se gravatos esse asserebant, ad eumdem Vicarium Apostolicum recursum habuerunt; cumque ille subinde discesserit, nullo prolato iudicio, lis instaurata fuit coram Vicario Generali Episcopi subinde electi; cumque hic suspectus allegatus fuit a Canonicis, idemque declarasset, esse frivolam suspicionem, et sic ad ulteriora esse procedendum in examine Testium, interposita fuit a Canonicis appellatio ab hoc Decreto ad Camerae Auditorem; cumque, mutato consilio, tam a Canonicis, quam a Beneficiatis, factum deinde fuerit compromissum in persona Episcopi, et hic Laudum suum promulgaverit, et poenam ducatorum quinque Locis Piis applicandam adversus Laudi transgressores imposuerit, et adversus Canonicos Thomam de Rubeis et Hieronymum Morini, qui moniti nec Laudum observare nec poenam impositam solvere voluerunt, processerit ad Interdictum ab exercitio divinorum, novae lites tam circa Laudum, quam circa Interdictum exortae sunt, iisdemque ad Sacram Congregationem remissis, propositis dubiis. – I. An Constitutiones editae, per Canonicos et approbatae sub diebus 8 maii 1715 et 24 decembris 1718 sint observandae et exequendae? II. An et quae ex Constitutionibus factis per Episcopum sub diebus 7 septembris et 10 octobris 1719 substineantur? III. An constet de attentatis, ita ut sint purganda et quomodo? IV. An Censurae et Interdictum substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Emus Ptolomeus dignetur rem perpendere, auditis Partibus, et Sacram Congregationem instructam reddere, reservatis attentatis in fine litis, et suspensis Censuris et Interdicto usque ad exitum Causae, et cum facultate capiendi quamcumque provisionem – *in Aquilana die 18 Aprilis 1722.*

§. I.

CENSUS QUOAD CONSTITUTIONEM IMPOSITIONEM EXTINCTIONEM VALIDITATEM ET NULLITATEM.

1. Nullum sane dubium, quin creationes Censuum regulari debeant iuxta dispositionem Constitutionis S. Pii V de censibus a die habitae notitiae eiusdem, factae vero ante notitiam dictae Constitutionis secundum iuris veteris dispositionem *in Regni Navarrae die 22 Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 5.*

2. Unde Constitutio S. Pii V de censibus in Statibus Regni Navarrae cepit habere vigorem ab anno 1580 tantum, si de ea ante dictum annum nondum habita fuerit notitia *in Regni Navarrae die 22 Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 5.*

3. Census autem proprie definitur ius, aliquo contractu constitutum, percipiendi annuos fructus sive pensionem ex re aliena *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Quod.*

4. Tralatitium hinc est, quod Census imponi debeat super re immobili particulari et nominatim certis finibus designata, ut ex tali impositione nascatur ius quoddam reale, ipsi rei et fundo inhaerens tamquam accidens in subiecto, ceu identicis fere verbis statuitur in §. 1 Constitutionis *Cum onus* S. Pii V, et concinit Rota in Recent. decis 290 n. 9 part. 8, et decis 58 n. 3 part. 9 tom. 1 *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *De modo.*

5. Unde cum nullum certum praedium praefinitum fuerit, in quo Census constituatur, illius creatio nulla est *in Assisien die 3 Aprilis 1841* §. *Iamvero.*

6. Imo nec nullo modo constitui potest Census super omnibus imponentis bonis, ut ea fundi censiti naturam sortiantur, cum Census huiusmodi, utpote qui usurae labe non careret, nullus omnino esset *in Adiacen. die 6 Martii 1819* §. *Illud.*

7. Idcirco Census nisi super re immobili et fructifera imponi nequit *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Quod.*

8. Alias enim perperam imponeretur vel transferretur Census super re infrugifera: quod adeo verum est, ut in impositione non sit habenda praecipue ratio valoris et aestimationis ipsius rei, super qua Census imponitur, sed dumtaxat fructuum, quos res illa reddit vel reddere potest, adeo ut si secus fieret illicita usuramque sapiens censeri posset Census constitutio *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Perperam* (1).

9. Parum tamen refert, si fundus natura sua fructuosus, fructus tamen cum effectu non ferat; quia dominus locare illum non solet: satis quippe est, ut sit aptus eosdem fructus ferre, quum frugiferum proprie dicatur, quod est de sui natura aptum ad fructificandum, et declarat Rebuffius in leg. *Frugum* 77 de verb. signif. et in puncto tradit Surdus Consil. 162 n. 8 lib. 2 *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Quo.*

10. Hinc Cencius in quaest. 35 n. 13 de censibus affirmat de turri, quae non sit solita locari, si tamen locari possit, et ex dicta locatione percipi aliqua pensio, valide super ea imponi Censum respondentem pensioni, suamque sententiam confirmat auctoritate Navarri in comment. de usur. n. 113 quaest. 13, Boccacc. tract. de cens. part. 2 n. 27 et 100, Azor. Cap. 6 quaest. 4, Bonacin. de contract. disp. 3 quaest. 4 n. 20 *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Quo.*

11. Qua de re constitui posse Censum super fundo, quem sola amoenitas frugiferum reddit, videtur sentire Boccacc. tract. de cens. part. 2 et Azor cap. 6 quaest. 4, ubi firmat, fundum dici frugiferum propter solam illius amoenitatem; nam in tali praedio oblectatio idem operatur, quod fructus in re et praedio parato ad fructificandum, ut declarat Gratian. in discept. for. tom. 2

(1) Rot. in Ravennaten. Census die 10 maii 1656 coram Manzanedo; Cencius de censib. quaest. 35, n. 5.

cap. 258 n. 8, fructus enim non consistunt in illis dumtaxat, quae sunt destinata ad usum et potum, sed etiam in aliis, quae quomodocumque conferunt ad usum humanum; et propterea licet huiusmodi oblectamenta non sint penes omnes pretio aestimabilia, attamen apud aliquos solent magno in honore haberi, ut dixit idem Gratiani Cap. 615 n. 43 et Gabr. in cons. 74 n. 5 et 6 lib. 1 *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Quo.*

12. Ceterum quaecumque sit fundi Censui supponendi indoles, advertendum tamen semper est, quod pro eiusmodi effectu opus est, ut sit aptus ad ferendos fructus sufficientes nedum pro solutione annuae responsionis, verum etiam pro omnibus expensis, quae fieri necesse sit in excolendo agro vel manutenenda domo, et his similibus *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Quo.*

13. Namque tota huius contractus aequitas ex eo pendet, ut pretium, quo ius emitur, fructuum valori secundum praesens tempus et deductis oneribus commensuretur; aliter enim pretium non esset iustum, quod tamen cum ratio naturalis in omni emptione, tum maxime in Censu Constitutiones exigunt summorum Pontificum Martini V et Callisti III Cap. 1 et 2 Regimini Extravag. com. de empt. et vend. et Bulla Piana *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Quod.*

14. Unde Piana Constitutio praescribit realem pecuniae numerationem, ita ut pretium a dominio emptoris abductum effciatur ipsius venditoris *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *Addit* (1).

15. Qua de re Census non constituitur, nisi – ex pecunia numerata, praesentibus Testibus ac Notario et in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro iusto pretio –, quemadmodum legitur in dicta Piana Constitutione §. 2: interrogatus vero idem Pontifex – an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat, quominus in dotium assignatione Census creari possit –, respondit declaravitque altera sua Constitutione incipien. *Etsi Apostolica Sedes* edita 10 iunii 1570 §. 9 - in dotium assignandarum casu, Censuum erectionem et constitutionem praedictam respectu actualis numerationis coram Notario et Testibus faciendae locum non habere, sed hoc casu Census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse - *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *Censum.*

16. Hinc per notissimam S. Pii V Constitutionem id sancitum reperitur, ut si res, super qua Census impositus fuit, in toto vel pro parte perempta aut infructuosa remaneat, Census ipse ad ratam pereat *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Et* (2).

17. Quod quidem evidenti ratione non caret; cum enim Census ipsi fundo accedat tamquam accidens suo subiecto, et uti nonnullis arridet Doctoribus, quos refert Cencius de censibus quaest. 37 n. 6, Census non imponatur super fructibus, sed super re ipsa, nec per Censum vendatur ius ad ipsosmet fructus ex eadem recolligendos, sed dumtaxat ius ad rem, idest ad constitutam pensionem ratione rei censitae exigendam, tamdiu ius hoc perseverat, quamdiu res, quae fundamentum ipsius iuris est, subsistat: sublato autem subiecto, accessorium subsistere non posse planum est *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Et.*

18. Verum theorica isthaec cum distinctione ac limitatione videtur admittenda relate ad consectaria, quae ad unum et alterum extinctionis casum referuntur; sic enim ex aequitate civili ac canonica statutum est, ut, si fundus fortuito vel saltem absque fraude et dolo domini pereat, omnis cessat obligatio debitoris Census, et ille penitus extinguatur; ast si fundus voluntate et facto seu culpa domini pereat, hoc in casu extinguitur quidem Census, in illo constitutus, sed consultum est domino Census, ut vel possit repetere pretium ipsius, totumque interesse tam lucri cessantis, quam damni emergentis actio-

(1) Leonell. ad Bullam Pianam in fine; Cencius de censibus quaest. 49, n. 13; et quaest. 50, n. 6; Rot. in Recent. dec. 430, part. 19, tom. 2, n. 1.

(2) Card. De Luca de usur. disc. 42 n. 7; et de Censibus disc. 19, n. 3, disc. 33, n. 5; Rot. in Recent. part. 8, decis. 290, n. 13.

ne speciali de dolo seu alia, vel cogere dominum fundi, ut alium Censum constituat super alia re immobili et frugifera, ceu tradit Cencius de censibus quaest. 102 tit. de infruct. censibus, quod ex communi usu fieri potest simplici etiam subrogatione fundi priori Censui reintegrato *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Verum.*

19. Hinc etiam statutum, ut in casu peremptionis vel infructuositatis ex culpa debitoris, haudquaquam iste a solvendis fructictibus liber evadat, ceu ad rem Card. De Luc. de usuris disc. 42 n. 7, de censibus disc. 19 n. 4, de alienat. disc. 6 n. 2 *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Verum.*

20. Inquirendum igitur erat in casu, quo Canonicus Santellius alter ex moderatoribus piae Unionis Beatae Mariae de Planctu die 26 Augusti 1823 Censum favore Operis pii Mariae Beatae Virginis a Partu nuncupatae in Ecclesia S. Augustini in summa scutorum ter centum super cubiculo Ecclesiae imposuit, num culpa ipsius istud infructuosum omnino evaserit nec ne. Videbatur porro, omnem ab eo exulare culpam, quum supremo Apostolicae Visitationis Decreto dictus fundus censitus infructuosus evaserit. At contra advertebatur, nihil in memorato Visitatoris Decreto de immutanda fundi censiti natura, nihil de eo in Sacrarium convertendo constitutum fuisse. Hoc autem in facto admisso, iam culpa Santellius vel is, quem Santellius repraesentabat, vacare non posset; quandoquidem aliud profecto erat, locationem fundi ad usum minus congruum prohibere, aliud vero prorsusque aliud quamcumque interdicere fundi locationem et a rerum commercio illum prorsus subtrahere: primo siquidem casu nedum poterat, sed debebat imo ad diversum locari usum, ne damnum Censualistae obveniret; et dato rursus quod Decretum illud praescriberet, ut fundus censitus in Sacrarium converteretur, id unice debitoris oscitantiae in pandenda Visitatori conditione fundi tribuendum foret, quippe haud putandum, Visitatorem iuribus tertii, praesertim loci pii, suo Decreto praeiudicium inferre voluisse, si censiti fundi scientiam habuisset. Proposito itaque dubio: – I. An et quomodo sit locus redintegrationi Census favore Operis pii S. Mariae a Partu in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative subrogato idoneo fundo vel restituta sorte, quatenus infra terminum a D. Secretario praefiniendum fundus censitus profano usui non restituatur – *in Romana Census et Redditionis rationum die 24 Aprilis 1852* (1).

21. Insuper ex communi Doctorum sententia Census super fundo non libero, sed alteri obnoxio, constitui et collocari nequit; nam quum per impositionem Census ius reale constituatur super fundo, qui subiicitur, et ille remaneat specialiter obligatus et hypothecatus pro solutione Census desuper impositi, si res non sit libera, facili negotio contingere potest, ut emptor Census eluderetur; excluderetur enim ab eo, qui super re censita anteriorem vel potiorem haberet hypothecam *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Perperam.*

22. Verum id cum limitatione ac distinctione admittendum videtur; aut enim res, super qua Census esset imponendus, tota quanta est oneribus manet obnoxia, aut non: si primum, utique obtinet impedimentum imponendi super ea Censum: si alterum nempe pars tantum gravetur, tunc valide super hoc fit impositio; non est enim necesse quod tota res illa sit libera, sed satis est, quod sit libera tantum illius portio, cuius fructus sufficiat ad solutionem integri Census impositi, et impositio sustinetur in dicta parte libera *in Romana Census et Redditionis Rationum die 24 Aprilis 1852* §. *Verum* (2).

23. Census itaque aequiparantur stabilibus eorumque nomine veniunt *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota.*

Item *in Asculana die 7 Iulii 1788* §. *Quatenus; in Maceraten. die 14 Martii 1789*

(1) Species Causae huius prostat in verb. *Administrator*, §. VI, n. 171 ad 176, Tom. I.

(2) Ita saepe resolutum fuit a S. Rota et signanter in Perusina Fideicommissi 16 Februarii 1586 coram Orano; in Romana Census 20 Novembris 1600 coram Sacrato; in Romana 26 Novembris 1605 coram Ludovisio; et in alia Romana 28 Iunii 1610 coram Penia.

§. *Quatenus; in Romana et Sutrina Exequutionis Voluntatis die 22 Iunii 1839* §. *Ceterum* (1).

24. Limita vero, Census ad nonnullos effectus bonis stabilibus aequiparantur *in Montis Alti die 1 Februarii 1766* §. *Sacra.*

25. Idcirco pro effectu investimenti stabilibus non aequiparatur Census, nec idoneum exhibet investimentum pro fundo pii operis *in Urbanien. Contractus die 10 Aprilis 1802* §. *Regulam* (2).

26. Nam contractus investimentorum Ecclesiae fieri debent in bonis stabilibus fructiferis *in Urbanien. Contractus die 18 Septembris 1802* §. *Nihil.*

27. Unde idoneum pro Beneficio non videntur Census investimentum, quod iuxta Decreta de celebratione Missarum auctoritate Urbani VIII impressa anno 1625 fieri debet – in bona stabilia fructifera vera, non autem ficta, ut sunt Census –, ut per haec verba monet Card. De Luca ad S. Concil. Trid. disc. 21 n. 9 *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Tota.*

28. Idcirco nequaquam Census reputantur Bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione Missarum; saepe enim vetuit Sacra Congregatio huiusmodi investimenta in Censibus, qui pluribus de causis deficere possunt *in Policastren. die 17 Augusti 1726* §. *Contendunt.*

Item *in Montis Alti die 1 Februarii 1766* §. *Sacra; in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime; in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus; in Maceraten die 14 Martii 1789* §. *Quatenus.*

29. Siquidem in Fundana 28 februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 319 a tergo per modum legis statuit: - Census non reputari bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione Missarum –; et in Firmana Oneris Missarum 23 iunii 1764, licet Testator iussisset, – che i suoi Nipoti debbono mettere a Censo scudi 500 presso idonea persona ad effetto, che colli frutti di quelli si mantenga un Cappellano, che celebri ogni giorno –, proposito tamen dubio: – An et quomodo fundus Capellaniae quotidianae sit constituendus in bonis stabilibus valoris scutorum 500, sive in Censibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et constituendum esse fundum Capellaniae in bonis stabilibus – *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Maxime.*

30. Unde quando Sacra Congregatio permittit, ut fiat assignamentum in bonis pro celebratione Missarum, intelligit de bonis vere stabilibus et non de Censibus; et de facto praxis est, ut, quando conceditur facultas investiendi in Censibus, id individualiter exprimatur, nec ea unquam conceditur, nisi limitate ad Census cum Communitatibus vel Locis Piis tutis et securis *in Policastren. die 17 Augusti 1726* §. *Contendunt.*

31. Quin imo quandoque annuit quidem Sacra Congregatio pro investimento in Censibus, sed hoc fecit ob defectum alterius investimenti, ut in Neapolitana die 3 augusti 1658 lib. 21 Decretorum pag. 337 a tergo, ac idonea etiam praescripta fideiussione, ut in Tarentina die 8 augusti 1671 lib. 27 Decretorum pag. 174 *in Camerinen. die 15 Septembris 1787* §. *Annuit.*

Item *in Montis Alti die 1 Februarii 1766* §. *Sacra; in Asculana die 7 Iunii 1788* §. *Quatenus; in Maceraten. die 14 Martii 1789* §. *Quatenus.*

32. At Census relicti pro legatis piis, si redimantur, possunt in alios Census eorum pretia investiri *in Tarentina die 13 Maii 1651 lib. 19 Decretorum pag. 127.*

33. Hinc possunt recipi in locum Censuum et fructuum bona stabilia *in Neritonen. die 26 Martii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 111.*

34. Limita, dummodo sint libera et hypothecis et oneribus non subiecta *in Neritonen. die 26 Martii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 111.*

35. Unde Sacra Congregatio non permittit permutationem fundorum cum Censu activo, licet utilitas inesse videatur ac Ordinarius faveat *in Senogallien. Permutationis die 17 Augusti 1805 et die 26 Augusti 1806.*

36. Siquidem Sacerdos Petrus Severini Archipresbiter et Parochus Collegiatae Ecclesiae Montis Bodii duos habebat fundos,

(1) Cencius de Censib. quaest. 30, n. 6; Barbos. de Episc. Allegat. 94, n. 45; Card. De Luca de Censibus, disc. 17, n. 2.

(2) Card. Petra ad Constit. Apostol. tom. 5 pag. 462; Card. De Luc. de Donat. disc. 24, n. 6; Scarfanton. ad Ceccoper. elucubrat. Canon. lib. 3, adnot. ad tit. 13, n. 4 et seqq.

qui ad Archipresbiteratum spectabant, aestimati a Perito scuta quatuor centum nonaginta quatuor, qui annuum fructum undeviginti reddebant. Eosdem permutare postulavit cum Censu activo, quem in sorte scutorum sexcentum annui fructus scutorum triginta habebat Dominicus Antonini cum Capitulo Collegiatae. Sed per Rescriptum diei 24 novembris 1804 – Non expedire – reiectae fuerunt preces, quas inde renovavit. Attulit enim relationem Periti, unde constabat, fundos summo pretio fuisse aestimatos et omnino esse steriles, cum positi essent in convalli nebulosa, quae nec arboribus, nec vitibus conseri expediret. Praeterea ex testibus, qui coloni fuere, probare contendit, ingratum omnino esse solum, ut nec invenirentur, qui illud colere vellent, et saepius incultum mansisse. Addidit, reiectas fuisse preces, quia Census non habebatur pro idoneis investimentis, et melius erat fundos, quam credita habere; maxime quia si Census redimeretur, sors erat investienda in fundis, et periculum erat, ne fundi acquirendi forent hypothecis obnoxii. Ceterum Archipresbiter permutationem urgebat, et Episcopus eidem favens advertebat: – nulla subest difficultas, quin in bonis stabilibus illico investimentum inveniatur, cum vendibilia praedia in Provincia non desiderentur –.

37. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit probanda permutatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Senogallien. Permutationis die 17 Augusti 1805.*

38. Archipresbiter mox attulit obligationem a Dominico Antonini subscriptam, qua in casu extinctionis Census evictionem fundi quoad primum investimentum promittebat. Emus Episcopus censuit, nullo modo esse dubitandum de idoneitate Dominici Antonini, cum inter alios Civitatis Optimates commodius viveret. Quamobrem permutationem hanc permittendam esse crederem. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Senogallien. Permutationis die 26 Augusti 1806.*

39. At indulgetur facultas alienandi Census ad effectum convertendi pecuniam in fundos stabiles et frugiferos *in Ecclesien. die 16 Augusti 1794.*

40. Enimvero in exequendis declarationibus Sacrae Congregationis quoad reditus et onera Capituli Ecclesiae Cathedralis petiit Episcopus Ecclesiensis licentiam alienandi Census piarum fundationum, ut pretium in emptionibus fundorum data opportunitate erogaretur vel ad aptiorem normam investiretur, iuxta exigentiam novae administrationis. Emus Relator laudavit Capituli studium Census in fundos stabiles et frugiferos convertendi; inde monuit, quod iure antiquo opus erat Synodali examine et assensu, ut fieret alienatio, atque conclusit: – Grave igitur esse non debet Ecclesiensi Capitulo ad Apostolicae Sedis auctoritatem confugere, cum Census alienare opus ei fuerit –. His itaque perpensis, proposito dubio: – IV. An et quomodo sit concedenda facultas alienandi Census et erogandi pretium in stabilia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, iuxta votum Emi Relatoris – *in Ecclesien. die 16 Augusti 1794.*

41. Quin imo Indulgetur impositio Census ratatim extinguendi ad effectum perficiendi Ecclesiam Cathedralem *in Civitatis Castelli die 18 Iunii 1785.*

42. Enimvero elegans est in Civitate Castelli, quam antiquum Tifernum credunt, Ecclesia Cathedralis S. Floridi, opus Bramantis. Quod a seculo non uno expectabatur, ut aedificii nobilitati ornamenta accederent, vereque fierent pulchra et decora domus Altissimi ex parte recentissime factum erat, abside altiorique Ecclesiae tholo egregie depictis. Restabat nonnihil ad perfectionem adhuc faciendam, sive in lacunari navis ad venustatem redigendo, sive in lateralibus et angularibus tholi fornicibus pingendis aliisque Ecclesiae partibus exornandis. Quod supererat aestimabatur scutis tribus millibus. Capitulum non habens in aere, totidem censuali foenore accipiendum, coactis comitiis, deliberavit; precesque detulit suas ad Sacram Congregationem. Nam resolutio capitularis anno 1783 capta fuit in frequentia sexdecim vocalium, suffragantibus pro resolutione quatuordecim Canonicis, binis tantum dissentientibus: scilicet quod Census in sorte scutorum 3000 imponeretur erogandorum in operis

complementum; illiusque extinctio ratatim fieret mediante annuo deposito redituum, qui oneribus satisfactis supererant ex hereditatibus Gabrielli et Lumacchini, veluti superioribus annis factum erat, ad gravius redimendum aes alienum in scutis novem millibus, quod in eamdem Ecclesiae causam ex auctoritate Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium contractum fuerat, maxime cum in praesentiarum accederet de triennalibus usuris numerandis pii Benefactoris oblatio. Praefati enim Testatores Sacrarium Ecclesiae heredem universalem instituerant, imposito respectivo onere Missarum et Anniversarii. Ordinarius plausit operi suumque suffragium adiunxit (1).

43. His mature perpensis, proposito dubio: -An et quomodo sit indulgendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc.-, S. Congregatio respondit:-Affirmative iuxta votum Episcopi, et iuxta mentem a D.Secretario explicandam (2)- *in Civitatis Castelli die 18 Iunii 1785.*

44. Quum autem reditus Paraeciae satis pingues essent, Sacra Congregatio non permisit applicationem hereditatis Giordani addictae Altari Beatae Virginis Rosarii pro restauratione Ecclesiae, sed potius impositionem Census super bonis parochialibus, solutis per Parochum fructibus ac deposita per eumdem annua summa scutorum viginti in extinctionem sortis; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An sit locus applicationi redituum hereditatis Giordani, et quomodo sint adimplenda eius onera in casu etc. II. An et quomodo sit locus creationi Census in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et onera esse adimplenda ad formam fundationis. Ad secundum, Affirmative pro nunc in summa scutorum bis centum super bonis Paraeciae, solutis per Parochum fructibus, ac deposita per eumdem annua summa scutorum viginti in extinctionem sortis - *in Bononien. die 12 maii 1792.*

45. Unde Sacra Congregatio, si adsit utilitas, nedum indulget alienationem domorum, ut pretium investiatur, sed et facultatem concedit imponendi Censum ad effectum restaurandi domos Capellaniae, quin tamen sit locus reductioni Missarum; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An sit locus alienationi duarum domorum Capellaniae, de qua agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An pretium sit reinvestiendum, seu potius erogandum in restaurationem aliarum trium domorum eiusdem Capellaniae? *Et quatenus affirmative ad primam partem.* III. An sit locus impositioni Census pro reparatione earumdem trium domorum? IV. An sit locus reductioni Missarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative solutis interim fructibus ad rationem scutorum quatuor pro centenario, et in fine quinquennii numerato integro pretio ad effectum investiendi cum solitis clausulis, salvis quibuscumque iuribus unicuique quomodolibet competentibus. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, Affirmative deposita quotannis summa ab Episcopo taxanda pro extinctione Census. Ad quartum, Negative; et amplius - *in Recineten. die 10 Septembris 1785.*

46. Similiter Canonici Ecclesiae Cathedralis ad instaurandam potissimum Capituli domum terraemotu concussam applicationem redituum hereditatis Thomae Ugolini iam antea obtinuerant: sed quum graviora comperta fuissent vitia domus praedictae, iterum facultatem petierunt et impetrarunt imponendi Census scutorum 600. Inde ut citius Artifices dimitterent, aliam efflagitarunt potestatem creandi super bonis eorum mensae Censum in sorte scutorum 700. Episcopus retulit:

(1) Hisce nempe verbis: - Miglior provvedimento non può suggerirsi che quello di obbligare il mio Capitolo, durante il prossimo triennio, in cui deve annualmente sborsare scudi 100 per il finale pagamento dell' altare di marmo già fatto e depositare ogni anno scudi 100 delli avanzi dell' eredità Gabrielli e scudi 30 dell'eredità Lumachini, delli quali il Capitolo è libero amministratore. Scorso poi questo triennio aggiungere alli scudi 130 li altri scudi 100, e dopo il triennio per l'estinzione del Censo depositare annualmente scudi 230, venendo così ad estinguersi totalmente il Censo in meno di quindici anni -.

(2) Mens fuit, ut vel imponantur Census non maiores 600, vel obtineatur per Capitulum a creditore offerente scuta 3000 facultas extinguendi in ratis partibus haud minoribus scutorum 300, et imposita per Episcopum eidem Capitulo lege statim ac in deposito aderint scuta 300 ea erogandi in exinctionem aut medietatis parvorum Censuum, de quibus supra, aut pro rata parte in extinctionem partialis maioris Census pariter ut supra.

– Canonici et Capitulum humillime postulant, ut EE. VV. benigne annuant supersederi per annos decem in satisfactione nonnullorum legatorum, celebratis tamen Anniversariis, quorum reditus et onera hic adnecto. His compositis, summa scutorum 200 quolibet anno in promptu essent, quorum pars in fructuum solutionem, et pars in sortis extinctionem cedere deberet in quantitate praefinienda. Haec sola via, hoc unicum est remedium, quo tam gravi necessitati occurri possit, nec aliter ab aere alieno contracto Oratores levari possunt prae redituum tenuitate, quae tanta est, ut demandata annuae summae depositio in duobus elapsis annis minime absoluta fuerit. Accedit in omnibus Canonicorum consensus; et nullus alius adest, qui interesse habeat in legatorum praedictorum satisfactione. Unde mea est sententia, ut sacer iste Senatus petitioni Oratorum annuere possit –. Propositis hinc dubiis: – I. An et in qua summa sit locus creationi Census in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit providendum solutioni eius fructuum et extinctioni sortis in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in summa scutorum 700, iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative depositis singulis annis scutis quadraginta ex superextantibus hereditatis Ugolini, et viginti ex pensionibus reparatae domus. Ad tertium, Affirmative – *in Forolivien. die 13 Iunii 1789.*

47. Secunda ex hisce resolutionibus non arrisit Capitulo, iterumque ad solvendos fructus sortemque reddendam Censuum suspensionem ad decennium flagitavit legatorum Teodoli Magnani Antonini Becci Golfarelli et Torelli, ex quibus annua in celebrationem Missarum erant scuta 106, 28. Reproposito vero secundo dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et preces amplius non recipiantur – *in Forolivien. die 19 Iunii 1790.*

48. Hinc et Oeconomus Beneficii fundationis Bartholomaei Vitelleschi postulavit, ut sibi liceret imponere Census pro summa scutorum 200 debiti Beneficii, ex pensionibus instauratae domus remittendum. Emus Episcopus censuit: – Ex reditibus Beneficii solo biennio, quod superest ad explendam administrationem, non potest tantum colligi, quantum pro nova domus aedificatione impendere necessarium fuit. Confugiendum est igitur ad aes alienum per impositionem Census in summa scutorum bis centum, quod dimittetur pensionibus e domo locata percipiendis. Quamvis autem aes alienum in praesentiarum conflandum sit ad Artificum operas ex parte satisfaciendas, tamen depositum pensionis fieri nequit sequentibus duobus annis, quippe eae cum ceteris reditibus ad Artifices ipsos integre solidandos addictae sunt. Nec aequum est, administrationem in longius tempus protrahere propter inopiam Beneficiati, quae commiseratione digna est –. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo sit providendum pro dimissione creditorum Beneficii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pro creatione Census, iuxta votum Emi Episcopi – *in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum die 20 Septembris 1788.*

49. Idcirco quum reditus ad debitum dimittendum impares sint, ob idque facultas imponendi Censum petatur cum indulto suspendendi legata quousque illud non fuerit extinctum, Sacra Congregatio rem sapientissime extricare satagit *in Ariminen. Suspensionis Onerum die 13 Martii 1784.*

50. Enimvero praeter Capellaniarum erectionem, Petrus Maria Constantini in suo testamento mandavit Sodalitio Suffragii Arimini heredi instituto, ut, dectracta Capellaniarum dote, superextantes hereditatis reditus erogaret in distributionem subsidiorum dotalium ad rationem scutorum 15 pro quolibet: in codicillis vero aliis oneribus Sodalitium gravavit, illudque exemit ab onere praestandi subsidia dotalia; praecepit autem, ut unicuique ex Puellis Hospitalis Expositorum Arimini subministrarentur scuta quinque, quando Matrimonio iungerentur. Praeterea in die sui obitus celebrari voluit Missam unam cum cantu, praeter alias decem lectas; ac denique Pauperibus Parochiae S. Mariae in Corte sextaria quatuor frumenti distribui iussit. Hereditas tota consistebat in Censu scutorum octingentorum cum Civitate Arimini, ex quo

annui fructus scutorum 24 retrahebantur, et in praedio valoris scutorum 1150 vendito familiae Tosi cum lege persolvendi pretium infra annos duodecim, et interim praestandi fructus compensativos in scutis quatuor pro quolibet centenario: atque haec praeter bona Capellaniarum assignata. Hinc totus hereditatis as consistebat in scutis 1950, fructus vero, qui percipiebantur, in scutis 70. Multas subivit vicissitudines hereditas Petri Mariae Constantini, et plura bona amisit, iudicio Rotae adiudicata Familiae Malvasia. Inter cetera bona eiusdem familiae adiudicatum fuit praedium ab ipsomet Testatore venditum anno 1729 familiae Martinelli cum obligatione evictionis, et inde Familia Martinelli egit contra Sodalitium pro damnis, quae in scutis noningentis iam sunt liquidata. Contra Sodalitium quoque egit familia Malvasia pro fructibus bonorum, quae sibi fuerunt adiudicata a die motae litis, qui quidem fructus ad scuta 300 de consensu Partium sunt redacti. Denique Sodalitium contendit, impendisse summam scutorum 625 pro litibus, quas ad tuenda iura hereditatis Constantini subire debuit. Pro expensis litium iam usque ab anno 1778 Sodalitium suspensionem aliquorum onerum ex benignitate Sacrae Congregationis obtinuit: hinc et ipsam pariter efflagitavit reintegrationem dictae summae, ut omissa Legata adimplere valeret. Hisce de causis debitum hereditatis constituebatur in scutis 1825, et pro summa scutorum 1800 Censum imponere desideravit Sodalitium, idque imploravit a S. Congregatione cum indulto suspendendi omnia legata quousque debitum non fuerit extinctum. Dixit enim Sodalitium, certum esse hereditatis debitum, et ad illud dimittendum impares illius reditus deprehendi, neque dimitti posse, etiamsi aliquod capitale distraheretur, quia distractis capitalibus respondentibus quantitati aeris alieni quid minimum superesset pro onerum satisfactione: hinc consultius fore, si Census imponeretur, quum, extincto Censu decursu temporis, magis tuta erit onerum satisfactio.

51. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad D. Secretarium cum Episcopo iuxta mentem (1) – *in Ariminen. Suspensionis Onerum die 13 Martii 1784.*

52. Quum itaque Census impositio quaedam sit alienationis species, sub prohibitione omnino cadere notissimae Extravagantis *Ambitiosae* de reb. Eccles. non alienandis optime perpendit Card. De Luca sub tit. de alienationibus et contractibus disc. 1 et seqq., et grave derivari damnum ex Censuum creatione eruitur ex Gabr. com. concl. tit. de claus. concl. 9 n. 8 et 19, Card. De Luca de tut. disc. 19 n. 5, Rot. coram Penia decis. 292 et 308 n. 2 et 3; in Censuum enim creatione pro iure vendito percipiendi fructus constituitur in bonis hypotheca *in Ripana die 14 Iulii 1801* §. *Ad hoc.*

Item *in Nullius S. Martini Reductionis Missarum Absolutionis et Contractuum die 19 Decembris 1835* §. *Quamvis; in Lauretana Capellaniae die 11 Martii 1843* §. *Census.*

53. Compertum hinc esse videtur, nullam esse retrovenditionem Census factam absque Beneplacito Apostolico *in Auximana Census et Reductionis Missarum et servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *At.*

54. Quum enim eaedem solemnitates requirantur tam in contrahendo, quam in distrahendo, L. *Prout quisque* ff. de solut., L. *Nihil tamen naturale* ff. de reg. iuris, sicut in creatione Census de necessitate requiritur Apostolicum Beneplacitum, ita quoque in retrovenditionis contractu de necessitate oportet, ut illud intercedat, ne alias nullitatis vitio celebratus actus undique inficiatur *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii Chori die 10 Septembris 1836* §. *At*

55. Unde contractus, qui cum Ecclesia absque solemnitatibus fiunt, nulli semper reputantur quandocumque ipsa Ecclesia vult,

(1) Et mens est, ut Episcopus solvere faciat debitum Confraternitatis Suffragii tradendo Censum scutorum 800 familiae Martinelli, alia scuta centum ex pecuniis crediti provenientibus ex venditione praedii; aliud debitum scutorum 300 cum familia Malvasia dissolvere iubeat ad formam initae conventionis: quoad creditum vero Confraternitatis cum familia Malvasia Episcopus pro sua iustitia et conscientia perpendat et liquidet summam, detractis summis, quas Societas percipit vigore indulti S. Congregationis, *ceu videre est in Reg. Lit. lib. 34 die 13 Martii 1784.*

ut docet Rota in Romana Censuum 23 Iunii 1600 coram Mellino apud Cencium de censibus decis. 20 n. 4, et in Romana Census 21 ianuarii 1597 coram Corduba apud eumdem decis. 275 n. 2 *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii Chori die 10 Septembris 1836* §. *Al* (1).

56. Qua de re nulla censetur ac est extinctio Census facta absque Beneplacito Apostolico nec ulla praemissa disdicta et soluto praetio per cedulas in Pietatis Monte depositi loco positas, quae mox minutionem patiantur *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841.*

57. Siquidem Caesar Sebastiani anno 1766 favore Capellaniae Pace Censum instituit in sorte scutorum 150 cum fructu scutorum quatuor in singula centum, dato fideiussore Francisco Lovatelli. Anno 1777 huius Census onus subiere Vitalis et Dominicus Vitali occasione contractus emptionis venditionis cuiusdam praedii cum Caesare Sebastiani initi, suscepta insuper ab iisdem obligatione Censum ipsum infra decennium redimendi, quin intercesserit consensus Sodalium Sanctissimi Sacramenti, quamvis isti deinceps a novi debendi reis fructus perceperint. Ceterum non praefinito tempore, sed anno 1798 a Vitalis extinctus est Census, et in hac extinctione Beneplacitum Apostolicum et ea denunciatio desiderata est, quam ante bimestre Censualistae faciendam praescribit S. Pius V in sua Constitutione *Cum onus;* ac pretium Census moneta papyracea, vulgo *cedola,* solutum est, quod in Pietatis Monte cum nullus praesto esset potior collocandi modus, depositi loco positum est. Interim moneta papyracea principali lege minutionem passa est, ut centum illa et quinquaginta ad Census redemptionem soluta ad scuta vix quinquaginta redacta fuerint, quibus mense iunii eiusdem anni Sodales novum Censum crearunt in bonis Sacerdotis Aloisii Mazichi. Res ita processerunt, quum mense novembris anni 1827 praefati Sodales veluti e somno excitati hypothecae oneri subiecerunt bona heredum tum Caesaris Sebastiani, tum eius fideiussoris Francisci Locatelli, ad Census eiusque fructuum securitatem, et coram Episcopo Assisiensi nullitatem extinctionis anno 1798 peractae proclamarunt, fructusque omnes ab eo anno ad illa usque tempora non solutos, Censu utique renascente, expostularunt ab iisdem Fratribus Sebastiani, fortasse quia heredes Vitalis et Dominici Vitali summa aegestate premebantur. Actorum votis res cessit ea tamen lege, ut scutata quinquaginta in bonis Aloisii Mazichi constituta una cum eorum fructibus in compensationem venire deberent. Ab hac sententia licet provocaverint Fratres Vitali, posthac tamen appellationis prosecutionem neglexerunt, ita ut in rem prorsus abierit iudicatam.

58. Ubi haec peracta sunt, pluries Oratores Sebastiani rogarunt Confratres Sodalitii, ut eos ad aequam admitterent compensationem: sed inde confugerunt ad Sacram Congregationem, ut saltem ex aequitate absolverentur a scutorum bis centum, quos propter sortem et fructus iam decursos debebant. Plura itaque deduxerunt, ut necessitatem Beneplaciti Apostolici et disdictam excluderent. Sodales tamen convenerunt, ut Censu existente contra debitores Sebastiani in scutis centum, fructus solverent a die motae litis et medietatem expensarum, reliquis vel fructibus vel iudicii expensis tum eorum haud felici conditioni, tum bonae fidei condonatis. Nam Episcopus retulit, Ioannem Baptistam Vitali unum ex ea familia superstitem ignorasse diu Census accollationem a Patre suo et Avunculo factam, eamque rescivisse, postquam omnia bona sua alienasset debitorum vi compulsus, cui proinde satisfacere nullo modo poterat, cum nihil haberet in bonis. His igitur perpensis proposito dubio: – An et quomodo sit

(1) Animadvertendum, quod Summus Pontifex Pius VI Motu suo proprio diei 6 augusti 1797, ut tolleret – il grave disordine, che nelle circostanze più luttuose dello Stato produceva al sistema monetario la eccessiva diffusione delle cedole, impose su tutti i beni ecclesiastici ... un prestito corrispondente alla sesta parte del valore dei possedimenti, con obbligo di tutti i possessori dei medesimi di pagarne l'equivalente dentro un determinato tempo –, ad effectum – di unire il corrispondente denaro furono dalla Santità Sua (ut Decretum extat in Edicto Emi Camerarii diei 11 augusti eiusdem anni) sino ad ora abilitati i Rettori de' Luoghi Pii a creare colla semplice intelligenza ed approvazione dei rispettivi Ordinarii quei debiti fructiferi, che occorreranno, ed a quei minori interessi, che riuscirà di convenire –.

annuendum precibus Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, firmo tamen remanente onere redintegrandi Censum pro sorte scutorum centum, ac solvendi fructus pro hac sortis rata decursos a die motae litis nec non medietatem expensarum iuxta consensum Sodalitii – *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841.*

59. Hinc quum quaestio oritur, an valida sit Census erectio, et an sit locus redemptioni eiusdem, Sacra Congregatio quandoque mandat, ut quis utatur iure suo coram Ordinario et recurret post exitum Causae *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768.*

60. Siquidem in Tarraconensi Provincia immemorabilis vigebat consuetudo provincialibus etiam Constitutionibus comprobata, qua ex Ordinarii facultate et Decreto quis poterat ecclesiastica quaedam Beneficia sub nomine Personatus erigere et dotare ea lege, ut sibi et duobus eius immediatis Successoribus liceret eadem Beneficia extinguere et bona iam illis addicta in aliud transferre Opus pium, quod in instrumento illorum erectionis et dotationis sibi specialiter praeservaverit. Servato huius consuetudinis ritu, Sacerdos Pontius Marti unum Beneficium huiusmodi fundavit dotavitque, assignato in eius dotem, praeter cetera bona, quodam Censu in sorte librarum 600 olim creato a Francisco Marti eius fratre cum fideiussione Iosephi Valldeiuli. Anno 1708 hunc Personatum extinguere statuit eiusque bona addicere alteri pio Operi in illius fundatione reservato pro maritandis nimirum Puellis et erudiendis Pueris in literis; in eius testamento mandans, ut nova haec erectio differretur ad tempus, quo ex fructibus suae hereditatis extingueretur dictus Census, cuius pecunias asseruit in sui commodum versas fuisse. At sicuti orta fuit dubitatio, an ea extinctio fieri posset ex fructibus bonorum iam Deo dicatorum, ita post obitum Testatoris facta quidem fuit nova pii Operis erectio; sed Census non fuit extinctus. Et quum imposterum a nemine penderentur eius fructus, hinc Curia ecclesiastica Gerundensis anno 1741 ad solutionem condemnavit heredes principalis debitoris et fideiussoris. Anno tandem 1757 Franciscus Valldeiuli Iosephi fideiussoris filius et heres Monitorium in eadem Curia ecclesiastica expedivit, quo declarari postulavit, Census ad formam testamenti Pontii Marti extinctum remansisse. Illo autem, dum lis penderet, defuncto, Iosepha de la Torre eius vidua preces Summo Pontifici porrexit, ut dignaretur – dispensare in quocumque iure dispositione aut Constitutione canonica supradictam testamentariam dispositionem impedientibus, ut in praxim iuxta ipsius Fundatoris mentem reduci possit et consequi refectionem damnorum illatorum bonis et heredibus principalis debitoris eiusque fideiussoribus –. Causae Piae Administrator validam Census erectionem sustinuit, nec erogari posse fructus, nisi in Causam piam in instrumento erectionis Beneficii praeservatam, quae sequuta eiusdem Beneficii extinctione, iure quodam proprio in bonis assignatis succedebat. Contra vero pars altera contendit, pecunias censuales emptori numeratas in ipso stipulationis actu fuisse ab eo immediate restitutas; hinc aperte intelligi numerationem simulatam fuisse. Addidit, dictum Censum fuisse creatum contra formam substantialem Pianae Constitutionis praescribentis realem pecuniae numerationem ita ut pretium a dominio emptoris abductum efficiatur ipsius venditoris; hinc dubitari non posse, quin dictus Census tamquam vitiosus et nullus haberi deberet, maxime cum in fine Bullae Decretum irritans sit adiectum. Inde defendit, voluntatem Testatoris esse religiose custodiendam, qui in suo testamento redemptionem demandaverat, et modum pro illius redemptione praescripserat.

61. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - An constet de nullitate Census, ita ut sit locus restitutioni fructuum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus redemptioni dicti Census ad formam testamenti Pontii Marti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Utatur iure suo coram Ordinario, et recurrat post exitum Causae – *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768.*

62. Qua de re quum Episcopus Fanensis in Sacra Visitatione mandasset, ut Communitas Villae Belloculorum iurepatronatus Ecclesiae S. Sebastiani et Capellae *Gioventù* privaretur, quatenus infra terminum trium mensium non impetrasset absolutionem a censuris et emendasset damna illata per incisionem arborum factam anno 1743, et per ino-

pinatum investimentum pecuniarum dictae Capellaniae in Censu empto sine interventu Capellani, ac a debitoribus obaeratis constituto super fundo obnoxio anteriori hypothecae alterius Census; quumque reclamavisset hinc Communitas curavissetque, demandatam hanc Census illiusque fructuum recuperationem et restitutionem pretii lignorum et arborum caesarum non sustineri, proposito dubio: – IX. An demandata recuperatio Census illiusque fructuum et restitutio pretii lignorum et arborum caesarum sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, Negative; et Episcopus procedat prout de iure, servatis servandis – *in Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 22 Novembris 1760.*

63. Reproposito dein dubio sub formula: – II. An quoad nonum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, in decisis; et amplius – *In Fanen. Exequutionis Decretorum Sacrae Visitationis die 28 Februarii 1761.*

64. At quoties adsit voluntas Summi Pontificis et scientia eiusdem quoad aes alienum a Capitulo contrahendum, nihil opus esse videtur ad Census validitatem distincto Beneplacito, quum in alienatione bonorum Ecclesiae, quae fit auctoritate et scientia Pontificis, nec alia requirantur solemnia, nec opus sit distincto alio Apostolico Beneplacito *in Imolen. Validitatis Census die 23 Novembris 1743 et die 19 Septembris 1744.*

65. Itaque Clemens XII, ad tollendas controversias praeeminentiales inter duo Capitula S. Mariae et S. Hilarii nec non S. Iacobi, Ecclesiam S. Mariae et S. Hilarii in Collegiatam insignem evexit ea conditione adiecta, – quod Capitulum et Canonici pro expensis ratione erectionis in secularem et insignem Collegiatam faciendis aere alieno se obstringere debebit, cum hoc etiam quod tam Praepositus, quam Canonici et Mansionarii pro tempore recipiendi in actu eorum receptionis, et deinde annuatim pro rata ad extinctionem debiti contracti contribuere teneantur –. Capitulum igitur mandatum dedit ad Censum contrahendum sortis aureorum mille: cum vero Capitulum S. Iacobi omnem moveret lapidem, ut eamdem gratiam obtineret, nil cunctandum rati Canonici S. Mariae Censum scutorum 800 contraxerunt anno 1734 16 ianuarii. Lites hasce omnes praecidit Supremus Pontifex, qui motu proprio utrasque Collgiatas univit in templo S. Iacobi nomine SS. Petronii et Prosperi. At ne sic quidem sperata quies et concordia assequi potuit; Censum enim aureorum octingentorum pecuniis Massae Ecclesiae redimendum esse volebant, qui Canonici erant S. Mariae et S. Hilarii, contra vero eorum pecuniis esse redimendum defendentibus Canonicis, qui erant S. Iacobi, quod nullus Census ille esset nec legitime contractus defectu Beneplaciti Apostolici. Non obesse defectum Beneplaciti Apostolici contenderunt Canonici S. Mariae et S. Hilarii, quod aperta essent verba Clementinae Constitutionis, ut voluntati Summi Pontificis et scientia aeris alieni a Capitulo contrahendi inficiari nequiret, unde educebant, nihil opus fuisse ad actus validitatem distincto Beneplacito, ex eo etiam quod Pontifex modum quoque constituit, quo aes alienum posset dispungi. Insuper Capitulum S. Mariae post contractum Censum scutorum 800 postulavit ab Sacra Congregatione facultatem contrahendi alium Censum scutorum 1200, ut et primum redimeret et impensas necessarias impleret; narravit autem, in illa Census impositione distinctum Beneplacitum non adfuisse, sed tacitum illud tantum a Clementina Constitutione deductum, petens ob id, si opus esset, a censuris absolvi; cum iam et absoluti fuissent Canonici et facultatem novum Censum contrahendi inpetravissent, arguerunt, agnitam fuisse. His mature perpensis propositis dubiis: – I. An Constet de validitate Census scutorum 800? *Et quatenus negative.* II. An sit locus sanatoriae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et proponatur cum reliquis dubiis – *in Imolen. Validitatis Census die 23 Novembris 1743.*

66. Propositis hinc dubiis: – I. An constet de validitate Census scutorum 800? *Et quatenus negative.* II. An sit locus sanatoriae? *Et quatenus negative.* III. An impositores teneantur de proprio ad redemptionem eorumdem Censuum? IV. An impositio Census scutorum mille facta a Canonicis olim S. Mariae Lugi praevio Rescripto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sit legitime

facta? *Et quatenus affirmative.* V. An dicti Canonici teneantur etiam de proprio dictum Censum redimere et respective deponere ratas partes, quae iuxta legem praescriptam in Beneplacito deponi singulis annis debuissent? VI. An impositio primi Census scutorum 1500 facta a Canonicis olim S. Iacobi sit legitime facta? *Et quatenus negative.* VII. An iidem Canonici teneantur similiter de proprio dictum Censum redimere et respective deponere ratas partes, quas non deposuerunt iuxta formam praescriptam in Bulla erectionis Collegiatae S. Iacobi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, dilata; et ad mentem: et mens est quod fiat coram D. Secretario probatio versionis pecuniarum. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, dilata; et ad mentem, et mens est, quod fiat liquidatio expensarum, et repartimenti coram Episcopo. Ad sextum, Affirmative. Ad septimum, Affirmative quoad ratas decursas post quinquennium – *in Imolen. Plurium die 19 Septembris 1744.*

67. Hinc poena excommunicationis praescripta in Decreto Concilii Cap. 12 sess. 25 de reformatione contra subtrahentes, vel impedientes solutionem decimarum, sive earum exactionem, non potest extendi ad non solventes Census perpetuos, laudemia, et similia debita Ecclesiae *in Nicoteren. mense Martii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 230.*

68. Nulla vero censetur ac est redemptio Census, si fiat ante lapsum bimestris post disdictam cum persona illegitima et ope cedularum abrogationi proximarum contra pactum conventum, nec non creditor quintam partem iusti pretii habuerit *in Romana Census die 28 Iulii 1804 et die 16 Februarii 1805.*

69. Enimvero Censum annuum scutorum 39. 60 a Comitibus Castelli impositum emit Capitulum S. Mariae Transtyberim pretio scutorum 1100 publico rogato instrumento anno 1761, cuius stipulationi Camerarius Capituli et duo Canonici praecipue a Capitulo deputati adfuerunt. Inter cetera pacta conventaque id etiam praestitutum fuit, ut, si Census redimeretur, restituendum esset idem pretium argenteum vel aureum, quod Capitulum numeraverat, nec non disdicta praecederet geminos menses ad formam Pianae Constitutionis ac tandem, cum pecunia a Capitulo tradita proveniebat ex pretio venditae domus legatae cum onere Missarum, in casu retrovenditionis praefata summa scutorum 1100 deponi deberet penes Montem Pietatis ad effectum eamdem convertendi in aliis similibus investimentis. Nunquam debitores Castelli e re sua putarunt Censum huiusmodi redimere; sed in illis fluctibus rei pecuniariae, cum *cedulae* essent opinione abiectae, die 20 iunii 1798 disdictam renunciarunt Canonico Camerario Orengo, et biduo post, scilicet die 22 iunii, obtulerunt eidem Canonico Orengo scuta 1100 in tot cedulis iam reductis, ab eoque redemptio Census stipulata fuit. Sed cum post quindecim dies, scilicet die 7 sequentis iulii, lata esset lex illa, quae cedulas ad duodecim valoris inscripti seu nominalis partem reducebat; idcirco Canonici acceptas cedulas erogare non potuerunt, easque in communi naufragio amiserunt. Contenderunt itaque Canonici, redemptionem Census nullitate laborare, ex neglecta forma sive a Piana praescripta, sive pacta conventa, ex illegitima persona, cum qua stipulata fuit redemptio, et tandem ex reproba pecunia pro redimendo Censu numerata. Nam quoad disdictam Camerario nunciatam, sustinuit Capitulum, quod citandum erat Collegium, cum Camerarius facultatem non haberet, et expectandus erat lapsus integri bimestris; insuper pretium Census deponi deberet erogandum in investimento. Demum irritam dixit Capitulum redemptionem; quia cedulae datae fuerunt, cum proximae essent abrogationi, quando in emptione Census data fuerat proba pecunia et conventum, ut aeque bona restitueretur. Dolo hinc aut consilio fraudandi extinctionem fecit Castellius tempore reprobationi proximo; aut saltem cum ex hac solutione damnum maximum et laesioni creditori obvenisset, ex eo quod quintam partem iusti pretii habuerat, irrita fiebat ex laesione redemptio, ut in terminis redemptionis Canonis definivit Sacra Congregatio in Romana Canonis die 26 Martii 1803.

70. Proposito interim dubio: – An constet de nullitate extinctionis Census, ita ut debeantur fructus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 iunii 1804 respondit: – Iterum proponatur –. Reproposito hinc dubio sub

eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative in omnibus - *in Romana Census die 28 Iulii 1804.*

71. Demum reproposito dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis - *in Romana Census die 16 Februarii 1805.*

72. Nam Piana Constitutione sancitum reperitur, ut debitor Census volens illum redimere teneatur domino Census denunciare futuram redemptionem et Censum ipsum disdicere et per duos menses expectare, antequam celebretur contractus revenditionis, ut possit dominus Census inde statuere et deliberare quid facere velit de pretio sibi restituendo, ut aperte statuit S. Pius V in Bulla super forma creandi Census: - Cum vero traditione pretii reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit - *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Verumtamen.*

73. Unde praefata disdicta adeo necessaria est, ut, si ea praetermittatur, nec inde ipsa Census redemptio sequatur, ceu docet Cencius de censibus part. 3 cap. 1 quaest. 3 art. 1 n. 20: - Quae quidem disdicta et denunciatio futurae redemptionis Census est adeo necessaria, ut, ea praetermissa, non sequatur legitima Census redemptio, imo Census semper remaneat vivus et in suo robore -, quemadmodum firmavit Rota in Anconitana Bonorum seu Censuum die 16 februarii 1604 coram Iusto apud eumdem Cencium decis. 277 n. 2 *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Verumtamen.*

74. Qua de re id nullatenus obstat, quod S. Pius V denuntiationem praescripserit ob solam usurarum praesumptionem; nam etsi ponatur etiam hac super re finem Pianae Constitutionis fuisse usuram, et eam in casu non adfuisse, videtur tamen, quod finis Pianae Constitutionis usura non fuit in casu vitanda, sed usurarum praecavere universale periculum, quod antecedenter ad casus peculiares a iure semper adesse praesumitur; itaque licet in casu peculiari usura per accidens non committatur, fine legis in casu peculiari non cessante, neque legis cessat definitio, leges enim irritantes non attendere casus peculiares, sed praecise rationem communem et uniformitatem actuum generatim *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841* §. *Adnotat.*

75. Verum enimvero disdictam volitam a Pontifice fuisse favore creditoris ad hoc, ut possit infra bimestrem de novo investimento providere, tradit Rota in decis. 244 part. 19 Recent. n. 11 et 12; adeoque eiusdem omissionem extinctionis nullitatem semper praeseferre decis. 42 n. 48 et 49 part. 12, Cencius de censibus part. 1 quaest. 3 art. 1. n. 20 *in Assisien. Census die 3 Aprilis 1841* §. *Adnotat.*

76. Nec satis esse videtur amicabilis et verbalis disdicta; nam omnibus ignotum esse nequit, quod disdicta nunquam fieri potest a debitore ex abrupto et ex propria ipsius voluntate, sed ex Iudicis competentis decreto et mandato, ut tradit Cencius de censibus part. 3 cap. 1 art. 9 n. 20: - Debebit igitur debitor Census, qui pecuniam paratam habet pro redemptione annuae responsionis censualis, qua gravatus reperitur, adire Iudicem competentem vel per semetipsum, vel mediante persona sui legitimi Procuratoris, et illius Decreto ad notitiam vel ipsiusmet domini Census vel alterius legitimae personae pro eo deducere qualiter ipse comparens est paratus redimere Censum - *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Neque.*

77. Animadvertendum tamen est, quod licet disdicta pro forma requiratur ad Census redemptionem rite recteque peragendam, nulla tamen in iure nec ex Pontificia Constitutione praefixa et statuta est forma, qua peragi ipsa debeat, ut tradit idem Cencius loc. cit. part. 3 quaest. 3 cap. 1 art. 1 n. 25, inquiens: - Ceterum circa modum faciendi dictam disdictam nulla fuit per Pium V in sua Constitutione praefixa et determinata forma, sed fuit usu comprobatum, ut relevans sit disdicta, in qua talia exprimantur, ex quibus appareat, debitorem Census velle illum redimere - *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Minus.*

78. Praeterea in retrovenditione Census necessaria est etiam realis et actualis pecuniae redemptio; nam ut Census dicatur extin-

ctus per redemptionem necessario, ut aiunt, requiritur effectualis et realis restitutio pretii, ceu apertis verbis indigitat S. Pius V in Constitutione super forma creandi Census, dum inquit: – Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in Censu noviter creando, verum etiam in creato quomodocumque tempore alienando, modo post publicationem creatus sit, perpetuo etiam in omnibus servari volumus – *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Praeterea.*

79. Unde si in Censu creato per cedulam banchariam non fuisset ob aliquod accidens secuta solutio, et pecuniae ad manus venditorum non pervenissent, ipsa Census impositio nulla esset ex traditis a Ridolph. in prax. Iud. part. 3 Cap. 5 n. 349, ita a pari dicendum esse videtur de Census redemptione; nam ut Census possit extingui oportet, ut necessario intercedat actus priori similis *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Revera.*

80. Quibus accedit, quod sicut solutio ad effectum, ut debitum extinguatur, de iure fieri oportet per debitorem de moneta, quae existebat tempore contractae obligationis, ceu post communem Doctorum sententiam docet Cencius de censibus part. 2 quaest. 4 cap. 2 art. 4 n. 20; ita pariter in Census retroventitione numerata pecunia necessaria est, ut Census extinctio sequatur *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Revera.*

81. Nec ullum negotium facessere videtur, quod per debitorem depositae fuerint cedulae; nam quum cedulae perierunt, damno ipsius debitoris periisse dicendum est, cum praesertim depositum peractum ab eo fuit absque ulla praecedenti disdicta *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Nec.*

82. Ceterum obstare minime videtur, quod pretii restitutio fiat per cedulas, et non in numerata pecunia, cum omnibus manifestum videatur, in redemptione Census de necessitate non requiri numeratam pecuniam, ut probat Rota in Romana Census 7 februarii 1807 apud Cencium decis. 186 n. 8; in effectu enim cedula nihil aliud est, nisi quoddam depositum, quod vim habet solutionis, ut demonstrat Bartholus in lege *Si soluturus* ff. de solut., Put. decis. 163 lib. 1, et per illius dationem satisfactum proinde est formae, quae a iure inducta fuit ad evitandas fraudes et simulatas solutiones ad tradita per Dec. in lege *Si mater* n. 4 Cod. inst. et sub., Grat. disc. for. Cap. 87 n. 46, Ridolph. prax. iud. part. 3 cap. 5 n. 343, Rot. in Beneventana Census 29 martii 1593 coram Card. Pamphilio apud Cencium de censibus decis. 105 n. 7 et 8; idcirco licet cedulae postmodum perierint, sicut facto ipsorum creditorum Census deperierunt, propter eorum culpam damnum debitores pati minime debent *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 10 Septembris 1836* §. *Praeterea neque.*

83. Quum autem Archipresbiter et Capellani Montis Philoptrani amiserint Censum scutorum 1485. 80 creatum ab Francisco Palmucci, ex eo quod cedulae in actu retroventionis depositae perierint, quumque lis acriter efferbesceret quoad nullitatem extinctionis praedicti Census, utpote gestae absque Beneplacito Apostolico absque praevia disdicta et in cedulis, non vero in pecunia numerata, proposito dubio: – I. An Collegio Capellanorum sit ab heredibus Palmucci restituenda Census sors, sive scuta 1485. 80 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et reproponatur, servatis servandis deductis hinc inde iuribus, et notificetur Emo Episcopo – *in Auximana Census et Reductionis Missarum et Servitii chori die 26 Novembris 1836.*

84. Hinc non sustinetur assignatio Census, si praeter alios defectus accedat damnum Capellae tam quoad capitale, quam quoad fructus *in Aquipendien. die 4 Iulii 1722.*

85. Iamvero ad Capellam S. Caroli, erectam in Ecclesia Beatae Mariae Virginis *del Tufo* extra Terram Canini, pertinebant gemini Census, alter in sorte scutorum 700, alter in sorte scutorum 100 ad rationem octo pro quolibet centenario et anno. Cumque interesse nimis grave videretur, Philippus de Defendinis, qui debitor erat dictorum Censuum, operae pretium esse existimavit imponere Censum scutorum 600 favore Mensae Episcopalis Aquipendiensis ad rationem quinque pro centenario et anno, et pecunias censuales erogare

in extinctionem secundi Census et intrantis ratae primi, qui, ut dictum est, ad Capellam S. Caroli spectabant; factoque pecuniarum deposito in manibus Ioannis Andreae de Seraphinis ad effectum illas investiendi, Canonicus Bizzarus tunc temporis Capellae Rector eidem Philippo Defendino antiquo debitori pecunias, uti dictum est, depositas dedit ad Censum ad rationem quinque pro quolibet centenario et anno, animo subintrandi in iuribus quorumdam aliorum Censuum alias impositorum per Cosimum et alios de Defendinis, et post nonnullorum aliorum annorum lapsum non obstante intermedio Episcopi Aquipendiensis Decreto, quo sancivit, ne in Diaecesi fierent reinvestimenta, et Census ab Ecclesiis acquirerentur, nisi accedente voto quatuor Deputatorum, qui referrent super idoneitate fundi et fideiussoris, idem Bizzarus Capellae Rector Census a Philippo Defendino sibi traditos eidem Philippo retrovendidit propria auctoritate et non pro pecunia numerata, sed recepta assignatione ratae cuiusdam alterius Census impositi a Carolo Antonio Bellono ad rationem quatuor pro centenario et anno super quibusdam domibus in Urbe existentibus, et quia Census erat hypothecatus favore Magdalenae de Sebastianis Uxori Philippi Defendini pro sua dote conventum fuit, quod infra mensem accederet Magdalenae et eius Viri ratificatio.

86. Dimissa a Bizzarro Capellae possessione, fuit illa collata Antonio Ciabattae, qui contra Bizzarum iudicium instituit, et ab A. C. sententiam reportavit, in qua Bizzarus condemnatus fuit ad reintegrationem depositi scutorum 600, quae ipse noviter ad Censum tradiderat Defendino et ad solutionem fructuum loco damnorum et interesse; cumque saepe memoratus Bizzarus institerit coram Auditore Sanctissimi pro remissione Causae ad Sacram Congregationem super defectu Beneplaciti et remissio indulta fuerit, praevia acceptatione sententiae A. C. prout de iure, acceptata fuit a Bizzarro sententia. Contendit itaque Capellae Rector, assignationem non sustineri, nec esse posse locum gratiae revalidationis, quia praecessit sententia A. C. iam acceptata, et quia nunquam adfuerat ratificatio Magdalenae. Accedebat damnum Capellae tam quoad capitale, quam quoad fructus. Excepit e contra Bizzarus, quod Defendinus nedum erat debitor fructuum Census per sex annos decursorum nec non decoctus, ita ut latitaret; sed etiam induxerat Uxorem debitoris ad sibi solvendum fructus decursos, et ad cedendum Capellae et loco antiquioris Census perituri subrogandum Censum pro sua dote hypothecatum, licet minoris annui reditus.

87. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An assignatio Census facta ven. Capellae S. Caroli sustineatur? *Et quatenus negative.* II. An sit locus gratiae revalidationis in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative in omnibus; et amplius – *in Aquipendien. die 4 Iulii 1722.*

88. Nec sustinetur alienatio Census facta per Priorem Ordinis Servorum, cum in Constitutionibus praefati Ordinis id prohibeatur absque licentia Prioris Generalis in scriptis obtenta, ultra solemnitates a iure requisitas *in Forolivien. Alienationis Census die 25 Ianuarii die 2 Maii et die 4 Iulii 1716 lib. 66 Decretorum.*

89. Enimvero – Inde ab anno 1710 Prior et Patres Servitae sub permutationis titulo acquisiverunt annuum Censum scutorum quinque in sorte scutorum centum impositum super quatuordecim tornaturis cuiusdam praedii spectantis ad Franciscum Maserium. Exoriente vero anno ultimo elapso die 16 ianuarii mox dictum praedium tornaturarum 80 annuo Censui pro rata obnoxium coemptum fuit a comite Philippo Merlino pretio scutorum 55 pro qualibet tornatura, et successive sub die 21 martii subsequentis eques Georgius Marchesius permutare curavit Censum scutorum 50, quem pridie emerat a Dominico Bacilotto cum rata primodicti Census in simili quantitate scutorum 50 super enunciato praedio impositi, beneplacito intercedente Episcopi Foroliviensis, quod impetrarunt praenominati Patres Servitae ex una parte permutatarii sub expressa causa, quod eorum Census proxime redimi poterat. Die vero insequenti 26 eiusdem mensis idem eques Georgius Marchesius alteram medietatem saepedicti Census in sorte scutorum 50 emit ab ipsis Patribus, pretio soluto in pecunia numerata, quam pariter venditionem Partes stipularunt cum beneplacito Episcopi sub causa, quod dictus eques Marchesius se paratum

exhibuit alterum Censum constituere favore Monasterii in eadem sorte, maioris tamen reditus. Eadem quidem dicta die 26 martii comes Philippus Merlinus iudicialiter interpellavit Priorem et Patres Servorum super extinctione saepedicti Census in summa scutorum centum, ut praedium emptum ab annua hac praestatione eximeret, detrectantibus vero iisdem Regularibus, ut perhibetur, pretium recipere, summam pecuniarum deposuit in actis Episcopalis Curiæ, quemadmodum latius ex documentis, quae in summario dabuntur. Cum igitur comes ipse Merlinus subodorasset molestias, quae sibi inferri poterant super retractu praedii empti pro parte equitis Marchesii tamquam asserti possessoris Census desuper impositi, sub die 2 aprilis prolapsi anni describi curavit consuetum *Nihil transeat* in Secretaria Sacrae huius Congregationis, ne, ipso inaudito, comprobaretur alienatio Census saepedicti, ut re ipsa successit. Etenim in Congregatione diei 13 eiusdem mensis Prior et Patres dubitantes, quin secundodictus contractus inficiari posset ex defectu Apostolici Beneplaciti, suppliciter instetérunt, quod EE. PP. committere dignarentur Episcopo sanationem pro maiori cauthela, constito de Ecclesiae utilitate, prout voti compotes effecti fuerunt *arbitrio Episcopi,* nemine, ut dicitur, citato; in cuius Rescripti obsequium mox dictus Episcopus, perspecta Ecclesiae utilitate, contractum enunciatum confirmavit ac validum riteque factum declaravit, prolato Decreto sub die 24 mensis praedicti.

90. His instantibus, instauratur modo controversia ex parte comitis Merlini super nullitate alienationis Census, ut, hac reportata declaratione, eludere possit actionem retractus recensiti praedii, quam iudicialiter intentavit eques Marchesius ex assertis iuribus sibi competentibus ad formam notissimae Bullae Pianae. Procuratore igitur mox dicti equitis saepe monito, proposito dubio: – An alienatio Census, de qua agitur, sustineatur in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative – *in Forolivien. Alienationis Census die 25 Ianuarii 1716 lib. 66 Decretorum.*

91. Exin – impetrata a comite Philippo Merlino nova audientia, nunc comparet in Causa etiam Procurator Generalis Ordinis Servorum, et quia Constitutiones dicti Ordinis in cap. 29 expresse prohibent, ne ullus Conventuum Prior « immobilia bona vendere possit, nisi cum licentia Prioris Generalis in scriptis obtenta, ultra solemnitates a iure requisitas »; ideo, hac non impetrata, alienationem Census nullam esse contendit, et una cum comite Merlino supplex proponit EE.VV. consuetum dubium: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, cui S. Congregatio die 2 maii 1716 responsum dedit: – Dilata, et audiatur Prior –, quo legitime in partibus citato, reproposito iterum dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, alienationem Census non sustineri – *in Forolivien. Alienationis Census die 4 Iulii 1716 lib. 66 Decretorum.*

92. Hinc nec venditio Census facta favore Minorum Observantium S. Francisci sustinetur *in Oppiden. Census die 7 Decembris 1709 et die 3 Octobris 1716 lib. 59 et 66 Decretorum.*

93. Siquidem – initus iam fuit per publicum instrumentum rogatum de anno 1652 contractus Census inter Elysabetham Sfortiam ex una et Patres Minores Observantes S. Francisci de loco Terraenovae huius Diaecesis capitulariter congregatos ex altera etiam cum interventu eorum Procuratoris, qui, praevia numeratione ducatorum 48 et assignatione ducatorum 32 cuiusdam Census ipsis Patribus debiti a Iosepho Mantice, coemerunt ab antedicta Elysabetha annuum Censum ducatorum octo cum suo capitali ducatorum 80, quod primum obtinuerat causa dotis a Francisco Sfortia eius germano promittente defensionem in casu evictionis. Accidit autem, ut de anno 1693, ob evictionem passam praefati capitalis Census, Patres pulsaverunt in Curia Episcopali Ferdinandum et Philippum Morettum heredes praenominati Francisci, et obtinuerunt deliberari quoddam eorumdem de Morettis olivetum pro summa ducatorum 94 ratione Censuum decursorum: prosequentes pariter instantiam iidem Patres in eadem Causa de anno 1708 petierunt aliam summam fructuum decursorum ducatorum 120 contra ipsos de Morettis, qui quidem attendentes nullitatem instrumenti censualis provenientis ex incapacitate Minorum Observantium S. Francisci deveniendi ad huiusmodi contractus re-

pugnantes eorum altissimae paupertati, recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, pro declaratione praedictae nullitatis; iussusque informare desuper Vicarius Capitularis praemissa confirmavit, nullumque votum aperuit, ut ex ejus relatione una cum enunciato instrumento censuali in Summario dando –.

94. Citatis itaque dictis Patribus, proposito dubio: – An Census, de quo agitur, impositus ab Elysabetha et Francisco Sfortia favore Patrum Minorum Observantium S. Francisci Terraenovae sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Venditionem Census facta ab Elysabetha et Francisco Sfortia ad favorem Patrum non sustineri – *in Oppiden. die 7 Decembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

95. Inde – cum super executione huius Rescripti expeditum fuerit a dictis de Morettis monitorium coram A. C. illudque executum non solum contra dictos Fratres S. Francisci, sed etiam contra Franciscum Antonium Tutinum, qui uti creditor posterior beneficio iuris offerendi vindicavit a praefato Conventu olivetum supra enunciatum et ipsi adiudicatum; hinc tam dicti Patres Minores Observantes, quam dictus Tutinus iterum recurrerunt et supplicant EE. VV. declarari: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 7 decembris 1709 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Oppiden. Census die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

96. Quum autem Promotor Fiscalis solicitus esset de liberatione piae hereditatis Dominici Guglielmi oppidi Balneariae Cathedralis Ecclesiae Curatis relictae cum onere dotandi pauperiores Puellas, proposito dubio: – XI. An eadem hereditas sit liberanda ab onere annuae praestationis scutorum 70 monetae erga Hospitale Proiectorum Viterbii et a Censu Viglioni in sorte scutorum 1000 monetae debito eidem Hospitali, mediante assignatione capitalium vel alio modo magis proficuo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad undecimum, ad D. Secretarium ad mentem – *in Viterbien. Dotium die 11 Aprilis 1761.*

97. Hinc quum Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium passivis obaerata Censibus ad summam scutorum circiter quingentum millium vitare non valeret concursum creditorum super bonis in Pontificia ditione existentibus, et creditores nostrates, ut sibi et Canonicis, quo fieri posset modo, sponte ex suis creditis remittentes scuta quindecim in singula centum, ipsi praeferri postulaverint exteris creditoribus, qui suas experiri volebant actionem super bona et capitalia longe ditiora, quae Lateranensis Congregatio in exteris dominiis possidebat, quaeque creditores nostrates aut difficilius aut nullo modo persequi possent, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro praelatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata – *in Congregationis Lateranensis die 18 Decembris 1802.*

98. Census vero de iure praesumitur validus *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *Quoad* (1).

99. Unde validus praesumitur Census ex solutione fructuum per plures annos peracta *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *A longe* (2).

100. Quapropter allegans nullitatem Census tenentur illam concludenter probare *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *Quoad* (3).

101. Verum Census creatio ex instrumento desumpta non admittit alias probationes contra illud *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *Denique.*

102. At ex omissa per longum tempus fructuum solutione Census praescribitur: aut saltem praesumitur extinctus, ita ut teneatur creditor Census probare sibi in praeteritum fuisse solutum, praesertim si in eius bonis non fuerit Census descriptus, et iugi annorum spatio nulla adfuerit creditoris urgentia *in Romana Census die 3 Decembris 1842* §. *Extinctum* (4).

103. Aequum enim est, ut sicuti ex fru-

(1) Rot. in decis. 355, n. 1 coram Ludovisio, et decis. 357, n. 30 coram Cerro.

(2) Rot. in decis. 16, de Censibus coram Falconerio.

(3) Rot. in decis. 219, n. 1, part. 2 Recent.

(4) L. *Eos*, Cod. 26 de Usuris; Cencius quaest. 117, n. 8 de Censibus; Rot. in decis. 235 coram Millino; in Cornetana Reintegrationis 26 Iunii 1641 coram Bichio; decis. 316, n. 2, tom. 2; decis. 635, n. 8, tom. 3 coram Lancetta.

ctuum solutione per quadraginta annos Census existentia probatur, licet nullum exhibeatur instrumentum, ita ex omissa per idem tempus solutione, secuta Census extinctio demonstratur *in Romana Census die 3 Decembris 1842* §. *Extinctum* (1).

104. Limita, nisi tamen Dominum Census constet fuisse impeditum, quominus exigeret; stante enim impedimento, nullo temporis spatio ius exigendi Censum amittitur *in Romana Census die 3 Decembris 1842* §. *Sed.*

105. Unde nec praescribitur Census ob malam fidem in debitore, quae eiusdem etiam heredibus praeiudicat, excluso tamen successore singulari *in Romana Census die 3 Decembris 1842* §. *Sed* (2).

106. Insuper spatio 40 annorum praescribi possunt pensiones Census decursae, minime vero decurrendae *in Romana Census die 3 Decembris 1842* §. *Argumenta.*

107. Imo probationes de Census extinctione per praesumptiones et coniecturas non ita facile admittuntur; sed vehementes requiruntur, et quae Iudicis animum suadeant *in Romana Census die 3 Decembris 1842* §. *De praesumpta.*

108. Ceterum quum dubium adhuc sit, num Census adhuc reapse existat, Sacra Congregatio mandat, ut coadiuventur probationes; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An constet de existentia Census in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sint Oratori tradendi fructus decursi et non soluti in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et coadiuventur probationes – *in Romana Census die 3 Decembris 1842.*

§. II.

CENSUS QUOAD FRUCTUS.

1. Doctores ad unum omnes sentiunt, sapientiam Sancti Pontificis Pii V, qui praescripsit, ut res iuxta rationem dati pretii sit et perduret fructifera, quin certae tamen taxae ne mentionem quidem facere voluerit, esse imitandam, et ad locorum consuetudinem et hominum prudentum iudicium in pretio pro singulis casibus stabiliendo recurrendum *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Hinc.*

2. Quare sicut legis sapientissima dispositio est, ut nullum unquam certum pretium in Censibus creandis statuerit, Doctores etiam censent, huiusmodi pretium generaliter taxari iam non posse, neque deberi *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Quare.*

3. Omnium sane gravissima videntur in puncto argumenta Card. De Luca allata sub tit. de censibus disc. 32 per totum, ubi formiter ac magistraliter more suo articulum tractat sub rubrica: – An et quando Princeps possit vel debeat reducere fructus Censuum iam impositorum ad minorem summam illamque taxare etiam in futurum –. Narrat praeprimis clarissimus scriptor quomodo huiusmodi disceptationi occasionem praebuissent debitores nonnulli, qui post sequutam usurarum Iudaeorum reductionem a decem et octo ad duodecim pro centenario, proposuerant eidem Pontifici Clementi X, ut reductionem quoque Censuum faceret tam eorum, qui iam impositi fuerant, quam qui in futurum crearentur; et peculiaris Congregatio ad id deputata iam fuisset in voto eam consulendi ubique uniformem ad rationem quinque pro centenario, nisi creditores nonnulli, pro quibus auctor ipse, ad scribendum fuerat accitus, insurrexissent; et refert, quod – ista oppositio produxit, ut sub silentio res manserit – *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Omnium.*

4. Enucleans mox oppositionis momenta, postquam declinaverit ab ardua quaestione super Principis potestate Census reducendi, cuncta recensuerit antiqua quaestionum capita, quae penes Theologos ac Canonistas in variis Europae Regnis super huiusmodi con-

(1) Rot. in decis. 258, n. 6 part. 10; et decis. 301, n. 14, part. 17 Recent.

(2) Bened. Bon. tract. de Censib. art. 43, n. 69; Gaspar. Roder. quaest. 17, n. 3; Decian. Cons. 2, n. 190 et seqq.

tractibus efferbuerant, et varia pro variis temporibus remedia a Summis Pontificibus ad id immoderatas cohibendas usuras adhibita, maximumque demonstraverit discrimen inter antiquos censuales contractus et Censum iuxta Bullam Pianam conficiendum, ita n. 16 §. 2 argumentatur: – Per consequens nullatenus in hac ultima specie (Census nimirum ad formam Pianae) dari potest certa et uniformis taxa pretii ob diversam qualitatem fundi censiti, ex qua pendet maior vel minor probabilitas periculi: prorsus etenim improprium est dicere, ut eodem modo regulari debeat Census impositus super aliquo castro vel magno casali seu conspicuo praedio aut palatio a peremptionis vel infructuositatis periculo magis exempto, quam super parvis domunculis, ex ignobilibus caementis constructis, ideoque de facili subiectis ruinae, vel super vineis ob desertam culturam de facile infructiferis, cum similibus iuxta suam proportionem considerari quoque solent aliae circumstantiae huiusmodi pretium regulantes, super qualitate scilicet locorum; quoniam aliud est in magnis civitatibus et emporiis, aliud vero in parvis locis, in quibus maior pecuniae penuria habeatur, quin immo in eadem specie civitatum vel emporiorum aliorumque locorum consideratur discretio locorum et provinciarum maioris vel minoris commercii, sive maioris vel minoris abundantiae pecuniae, nec non inspicitur etiam quantitas investimenti, dum quotidiana praxis docet, quod in Urbe investimenta Censuum super casalibus vel palatiis aliisque magnis ac tutis fundis vix fiunt ad quatuor imo tria pro centenario et minus, et tamen valde adiacentibus locis intra districtum, in quibus ob qualitatem fundorum et personarum fiunt parvi Census super exiguis fundis ad septem et octo et ultra, cum similibus considerationibus, inter quas etiam in eodem loco viget illa qualitas personarum, ut, exempli gratia, docet praxis in civitate Neapolis, quod inter idoneos privatos vix reperiuntur investimenta ad dictam rationem scutatorum quatuor pro centenario et minus, et tamen Barones etiam cum difficultate inveniunt ad septem et octo; igitur fabulosum videtur hanc uniformem taxam statuere non distinguendo loca tempora bona personas et alias circumstantias, ut supra; ac propterea contra hanc uniformem reductionem bene scribunt Fagnani et Carena seu Moneta – *in Ariminen. Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Enucleans.*

5. Ad dilucidandam inde difficultatem obvenientem ex reductionibus Censuum a Pontificibus peractis favore Communitatum, prout inter alia practicatum fuit a Clemente VIII Constitutione *Quae ad sublevationem,* et postremo a Benedicto XIV Motu proprio *Ci è stato riferito,* pergit n. 19 haec addere: – Ad rem non facere dicebam dicta exempla reductionum Censuum cum Communitatibus, ob pariter longe diversam rationem; Communitatibus etenim ob bella aliasque nostrorum temporum calamitates effectae sunt impotentes ad restitutionem sortis et extinctionem Censuum, neque de facile inveniunt dantes pecunias sub minoribus fructibus, ut extinguant Census antiquos graviores; cumque illae sint sub cura et peculiari administratione Principis, atque in eis viget magis proxima ratio publicae necessitatis vel utilitatis, atque in praediis et bonis Communitatum non ita adaptentur dictae ponderationes circa peremptionem fundorum. Istae vero rationes non procedunt in privatis, in quibus se regulando ex notoria praxi intra clarum dilemma, quod aut ipsi sunt idonei atque bonos et tutos fundos habent a dicto peremptionis vel infroctuositatis periculo minus exemptos, aut non; si sint idonei, de facili invenient dantes pecuniam ad Censum sub moderatis fructibus iuxta usum currentem, ut Census graviores extinguere possint, ob penuriam investimentorum; et si non sunt idonei, tunc ut praemissum est, ipsum periculum dicitur pars pretii atque producit fructus maiores –. Hinc concludit Auctor n. 20, – quod ista taxa uniformis gravamen potius ac praeiudicium pareret personis indigentibus parumque tutis, pro quarum levamine eam fieri supponebatur, quoniam ita non de facili reperirent datores pecuniae, qui ob incommodum maioris fructus tamquam per speciem aleae cum personis minus tutis et super praediis periculosis, ut supra faciunt investimenta praesertim exigua, ac propterea ita esset magis eos supponere usuris et suffocationibus Iudeorum aliorumque foeneratorum, et per consequens ex pluribus incongruum

ac impossibile dicebat, quod in hac materia cadere possit taxa uniformis, regulanda ex usu unius civitatis vel regionis, sed solum attendi deberet antiqua taxa decimae partis ubique, ne illam excedere liqueat, ob praefatas Apostolicas determinationes, sed intra illam maior, vel minor conventio normam reciperet a singulorum casuum circumstantiis - *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 5 Aprilis 1851* §. *Ad.*

6. Quum itaque Episcopus generalem tulisset legem, qua omnibus locorum piorum Administratoribus vetebatur ultra rationem sex uncem pecuniarum investimentum, Sacra Congregatio declaravit, non expedire quoad dotationem Mansionarii, quam Testator mandaverat per creationem Census ad rationem octuncem pro quolibet centenario et anno *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 17 Maii 1851.*

7. Enimvero Canonicus Philippus Capioli ex ultimae voluntatis elogio pro Mansionaria in Cathedrali Ecclesia erigenda cum annuo reditu 80 scutorum demandavit, ut ab eadem Ecclesia uti herede ex asse Census crearetur cum 1000 scutatis ad rationem octuncem pro quolibet centenario et anno, qui a Capitulo administraretur. At anno 1839 redempta a debitore parte eiusdem Census, conquesti sunt Capitulares de impotentia pretium ex Census redemptione retractum ad rationem octo pro singulis centenis iterum investiendi, eo quod recenter Episcopus legem tulerat, qua omnibus locorum piorum Administratoribus vetebatur ultra rationem sexuncem pecuniarum investimentum. Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1850 per Summaria precum declaravit: – Capitulum teneri solvere Mansionario annuatim scuta octoginta independenter a quovis incremento vel decremento fructuum. In reliquis ponatur in folio –. Capitulum itaque sustinuit, nullam omnino dispositionem adesse, quae certum aliquod in Censibus constituendis pretium infra rationem octo praescribat, cum leges in hac potissimum re omne negotium liberae contrahentium dispositioni reliquerint. Unde nec S. Pius V, licet summopere sollicitum se praebuerit, ut omnia, quae ad usurarios abusus imposterum praecavendos conducere possent, adamussim praescriberet servanda praecipue vero, ut res iuxta rationem dati pretii sit et perduret fructifera, certae tamen taxae ne mentionem quidem facere voluerit. Nam fructuum valor semper idem esse atque constans minime potest, sed rerum pretia non solum pro diversitate locorum, verum etiam et temporum variantur, item pro copia vel penuria ementium aut vendentium. Insuper Censuum emptores multis sane periculis subiiciuntur, cum certum sit, si bona frugifera, super quibus Census impositus est, vel pro parte vel penitus destruantur vel desolentur vel etiam pauciores fructus singulis annis ferant, quam Census exigat, cessare vel ex parte vel penitus venditoris obligationem praestandi annuum Censum. Quae tamen pericula sane varia sunt pro rerum et locorum nec non temporum diversitate, ideoque generali quadam taxa aestimari vel stabiliri non possunt. Demum cum Census alienari non possint absque solemnitatibus, consequenter Census ad Bullam Pianam creati absque solemnitatibus diminui et reduci ab Ordinariis non possunt. Ex adverso tamen advertebatur, posse Episcopum ea praestituere, quae usurariam labem excludant; ac ipsum in sua Diaecesi iudicem esse, an nihilominus expediat huiusmodi taxatio. Nam communiter Canonistae opinantur, recurrendum esse hac in re ad locorum consuetudinem nec non ad prudentum iudicium, et respiciendum denique ad diversum rerum valorem pro diversis temporibus. Idcirco videbatur, potuisse Episcopus ferre legem generalem quoad taxationem Censuum imposterum creandorum, ut communi animarum bono consuleret aeque ac coetus et personarum ecclesiasticarum decori consuleret.

8. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo servanda sit lex ab Episcopo edita in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In casu dotationis Mansionarii, de quo agitur, non expedire – *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 17 Maii 1851.*

9. Hinc et quidam debitor Census in eiusdem impositionis instrumento octunces annuas usuras depactus fuerat creditori solvere. Creditor Census, dum de eodem ad causam piam ultimo suae voluntatis elogio disponeret, religiosum aliquid forsan habens super usuris constitutis quasi quae immodicae viderentur, Exequutores suos testamentarios habiles

fecit ad easdem reducendas quoad futurum et peractas solutiones compensandas. Hanc propitiam nactus occasionem debitor institit coram dictis Exequutoribus pro fructuum imminutione, cui tamen ipsis refragantibus, dubitatum fuit in S. Rotae Auditorio in Romana seu Florentina Fructuum Censuum coram Serlupi: – An et quomodo sit locus solutioni fructuum in casu? –, et die 2 iunii 1815 datum responsum: – Affirmative, et esse locum solutioni fructuum ad formam instrumenti –. Decidendi ratio in eo stetit, quia agnita fuit a Tribunali iustitia conventi fructus octuncis et meri scrupuli effectus quidquid creditor morti proximus de reductione caverat *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 17 Maii 1851* §. *Etsi.*

10. Sic sane argumentabatur decisio super rationis iustitia: ponebat principium tamquam utroque iure agnitum atque ab Interpretibus et praecedentibus decisionibus admissum, quod regula super iustitia fructuum percipiendorum in Censibus ceterisque creditis pecuniariis desumenda venit aut ab expressa lege, quae illam praescribat, aut a more regionis et temporis, quo recepta fuerit a probatis personis, – quae nec avide aliena appetant, nec temere sua proiiciant – *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 17 Maii 1851* §. *Sic.*

11. Quoad primam regulam, legem nimirum, observabat, quod quum augmentum vel decrementum fructuum super creditis pecuniariis dependeat a pluribus causis, et pecuniae valor variationibus obnoxius evadat, prout variare contingit pretium cuiuscumque mercis, quae a pecunia ipsa repraesentatur, fieri non potest, ut Legislator pecuniae fructuum praefiniat, ita ut quaevis, quae edenda esset ex hoc super negotio, suo procul dubio careret effectu; ex quo repetit ipsa decisio causam, quare nulla Pontificum Constitutio habeatur, qua praestitutus fuerit pecuniae fructus. Normam hinc sumendam evincit a personis bene moratis, – quae nec avide aliena appetunt, nec temere sua proiiciunt –, eamque iustam interusurii mensuram habendam, quae ab ipsis practicari solet; quam regulam agnitam etiam ac confirmatam dicit a Romanis Pontificibus, qui, dum abstinuerunt sese a stabiliendo fructu pecuniae, non dubitarunt aliunde Constitutiones edere ad declarandum licitum ac probatum eum pecuniae fructum, quem mos personarum probatarum introduxerat: sic memorat Constitutionem Martini V., qua probatus fuit fructus Censuum ad rationem decem pro quolibet centenario, – iuxta locorum consuetudinem –, quam confirmavit etiam Pontifex Callixtius III altera Constitutione, quae incipit *Pro parte* inter Extravagantes tit. de emptione et venditione; addiditque, Pontificem Nicolaum V a Siculis Episcopis requisitum eamdem interusurii mensuram probasse, quia ea in ditione communiter receptam agnoverat *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 17 Maii 1851* §. *Quoad.*

12. Nec negotium facessere visum est, quod ex adverso obiiciebatur, nimirum reditum Censuum minorem esse debere fructui, qui exigi solet in cambiis, nec non respondere proportionabiliter debere reditui fundorum. Siquidem quoad primum decisio utrumque Census et Cambii contractum comparans utilitatem deprehendebat, quam contractus cambii obtinet super primo; quippe in eo cum praefiniatur tempus restitutioni sortis, creditor inde magnam utilitatem habet procurandi sibi aliud investimentum, dum contra in Censu emptor pendere omnino debet a venditore seu debitore, in cuius omnino arbitrium collocata est restitutio, atque ex hoc satis fieri perspicit deteriorem emptoris conditionem, quum sibi pecuniam restitui contingere possit, dum nullum praesto habet medium eam utiliter investiendi vel erogandi. Quo fit, ut pretium Censuum imminui atque minoris emi soleat, quam reditus Cambii. Idipsum sentiendum dicit quoad fructus bonorum facta utriusque conditionis comparatione; et observat, fundi emptorem habere super eodem integrum dominium et possessionem, ita ut utilitas omnis rei adhaerens ipsi integra cedat, eiusque ius atque proprietas a nemine turbari atque auferri valeat: dum e converso Census emptor ius acquirit unice percipiendi reditum annuum, quod etiam eventuale dici posset, ob facultatem venditoris illud redimendi *in Ariminen. Reductionis Fructus Censuum die 17 Maii 1851* §. *Nec.*

13. Hisce pariter argumentis innixa fuisse videtur Sacra Congregatio Episcoporum et

Regularium in Spoletana diei 13 februarii 1835, dum licet decunces usurae essent depactae et debitor indemnitatem quoad futurum urgeret, argumentum etiam sumens a fructibus praediorum, qui eo loci vix ad rationem quatuor pro quolibet centenario colligebantur, reductionem haudquaquam decrevit, sed animadvertens, creditorem ipsum paratum ad imminuendas usuras a decem ad octo, amicam concordiam fovit, scribens Archiepiscopo, ut debitori Census suaderet ad sponte oblatam reductionem acceptandam *in Ariminen. Fructus Censuum die 17 Maii 1851* §. *Hisce.*

14. Ceterum cum ageretur de Censu, qui pertinebat ad Ecclesiam et destinatus erat in fundum legati Missarum, et reductio fructuum dolo facta videretur absque Beneplacito Apostolico, Sacra Congregatio nullam edixit praefatam reductionem, et absolutionem a censuris indulsit *in Veliterna Fructuum Census die 19 Iunii 1702* (1).

15. Magna autem est inter Doctores controversia, an in Censu consignativo fieri valeat reductio fructuum absque Beneplacito Apostolico, quandoquidem negative respondent Riccius dec. Cur. Archiep. Neap. dec. 134 part. 1, et resol. 37 part. 1 n. 4, De Marinis resol. iuris cap. 6 n. 10 et 11 tom. 1, Barus in suo torcular. iur. resol. 100 per totum, Ventriglia in prax. part. 1 annot. 1 §. 2 n. 6; affirmative respondit Cardinalis De Luca de alien. disc. 6 n. 5, de censibus disc. 14 n. 4 et 5, et in conflictu legis observ. 201, Carolus Ant. De Luca ad Ventrigl. in prax. part. 1 annot. 1 §. 2 n. 4, Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 1 pag. 138 n. 88, Monacellius tom. 4 in supplem. ad tom. 2 pag. 151 n. 146 *in Senogallien. Censuum die 2 Iulii 1718* §. *Quaestio.*

Item *in Romana Census die 11 Maii 1720* §. *Magna; in Aquipendien. die 4 Iulii 1722* §. *Contendit.*

16. At S. Congregatio noluit articulum in abstracto resolvere in Senogallien. Censuum die 2 iulii 1718 (2), sed proposito dubio respondit: – Negative –, addita salutari clausula – in casu, de quo agitur –. Ponderatum enim fuit in dicta Causa, quod reductio fructuum non erat undequaque immunis a labe collusionis; facta enim fuerat a duobus Prioribus Confraternitatis, ceteris Prioribus absentibus, unde Sacra Congregatio in eadem Causa ad secundum dubium respondendo, in quo quaerebatur: – An esset locus revalidationi et confirmationi Contractus reductionis tam pro praeterito, quam futuro –, quoad praeteritum – Negative – respondit, et reservavit ius agendi contra Priores, qui Censum reduxerant, et quoad futurum instantiam remisit arbitrio Emi Episcopi – *in Romana Census die 11 Maii 1720* §. *In.*

17. Hinc pro variis rerum circumstantiis Sacra Congregatio quandoque declaravit, sustineri Census reductiones factas absque Beneplacito Apostolico *in Romana Census die 11 Maii 1720.*

18. Iamvero Fratres de Moriconis anno 1670 super nonnullis suis bonis annuum perpetuum, sed redimibilem Censum imposuerunt in sorte scutorum 1332. 50 ad rationem scutorum quatuor cum dimidio pro quolibet centenario et anno, illumque vendiderunt Confraternitati SS. Triphonis Respicii et Ninphae, et pro faciliori fructuum exactione fructus nonnullorum locorum Montium iuxta morem obligarunt, vel uti vulgo dicebatur, attergarunt. Anno 1664 praedicti fratres de Moriconis institerunt pro fructuum reductione, coactaque generali Confraternitatis congregatione in aedibus Primicerii, indulta fuit reductio fructuum Census a quatuor cum dimidio ad scuta quatuor tantum, et anno sequenti 1685 deventum fuit consimili modo ad aliam fructuum reductionem a scutis videlicet quatuor ad sola scuta tria cum dimidio; factae fuerunt hae reductiones absque Beneplacito Apostolico: at moderni Officiales Confraternitatis praetensionem excitarunt, quod reductiones ex dicta causa nullae ac irritae remanserint, ita ut fructus et in praeteritum et in futurum debiti fuerint et deberentur Confraternitati ad rationem quatuor cum dimidio pro quolibet centenario et anno. Nam iidem contenderunt, nec primam nec secundam fructuum reductionem sustineri, tum

(1) Species et resolutio Causae huius prostat in verb. *Alienatio*, §. III, n. 231 ad 235, Tom. I.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in verb. *Alienatio*, §. III, n. 219 ad 222, Tom. I.

quia utraque facta fuerat absque causa et ad solum finem annuendi petitis seu instantiae promotae a debitoribus, in quo rerum statu licet admitteretur, quod reductio in abstracto fieri posset sine Beneplacito Apostolico, in concreto tamen fieri non poterat, tum quia ab omnibus praescindendo in secunda reductione fuit apposita conditio, quae nunquam fuit adimpleta, quod scilicet cautio pro fructibus praestaretur, ex quo Loca Montium attergata cuidam fideicommisso erant subiecta.

19. Proposito vero dubio: – An reductiones fructuum Census sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, praestita fideiussione ad formam resolutionis Congregationis Confratrum de anno 1685; et amplius – *in Romana Census die 11 Maii 1720.*

20. At nisi antiquus Census penitus extinguatur et novus cum debitis solemnitatibus constituatur, nequit praestitui fructuum Census augmentum; alias enim nulla censetur conventio ac locus est restitutioni solutorum *in Pontis Curvi Census die 14 Maii et die 27 Augusti 1859.*

21. Siquidem a remotis temporibus creatus fuit Census in sorte capitali ducatorum 375. 62 cum fructibus ad rationem quincuncis pro quolibet centenario et anno favore Conventus Patrum Ordinis Praedicatorum, qui sub invocatione Sanctissimae Annuntiatae in Civitate Pontis Curvi extabat. Deperditis vero ob antiquitatem originariis contractus tabulis, ignorabatur fundus, qui Censui suppositus fuit, et solummodo constabat, Conventui Patrum Praedicatorum creditori successisse Capitulum Cathedrale eiusdem Civitatis; et instrumento anni 1761 quemdam Hieronymum Filippi Census debitorem ope accollationis evasisse, qui una cum sua hereditate debitum huiusmodi transmisit in filiam Theresiam Filippi advocato Hieronymo Lega nuptam. Coniuges Filippi-Lega praeter alia bona, quae Pontis Curvi possidebant, fundum etiam sub vocabulo *Venanti* alienarunt, quem fratres Meloccaro eiusdem fundi conductores emerunt pretio ducatorum 375. 62, respondente adamussim sorti capitali supradicti Census, et loco pretii conventum fuit, quod fratres Meloccaro emptores accollationem facerent capitalis Census eiusdem summae ducatorum 375. 62 passive creati a dictis Patribus Ordinis Praedicatorum favore dicti Capituli, quod hisce sub conditionibus contractui accessit, ut scilicet rata Census extingueretur a novis debitoribus ad quantitatem ducatorum 100, item ut super residua summa ducatorum 275. 62 augeretur fructus ad rationem dodrantis pro quolibet centenario et anno, ac demum ut Census inscriberetur super fundo *Venanti.* Solemnes itaque tabulae exaratae fuere die 1 octobris anni 1850, in quibus Coniuges Filippi – Lega cesserunt in solutum et pro soluto etiam titulo venditionis in perpetuum favore fratrum Meloccaro dictum fundum, acceptis adamussim praefatis conditionibus a Capitulo propositis. At fratres Meloccaro mox fructuum augmentum respuerunt ac petierunt, ut firma in ceteris conventione anni 1850 nullum ac irritum declararetur praetensum augmentum ac simul fructuum indebite perceptorum restitutio decerneretur. Nam augmentum consistere non poterat, ex eo quod non probaretur, novum, veteri extincto, constitutum fuisse Censum in instrumento anni 1850. Iamvero ex accollatione Census ac acceptione in solutum et pro soluto dicti fundi, nullatenus antiquus extinctus ac novus creatus perhibebatur. Insuper nec numerata pecunia accesserat, quae nec per fictionem in casu admitti valebat ob regulam: – Non plus operatur fictio in casu ficto, quem veritas in casu vero –. Capitulum contra sustinuit, extinctum fuisse antiquum Censum et novum creatum, cum datio in solutum secumferat debiti extinctionem, quin obesset verbum accollationis, ex eo quod rei substantia inspici debebat, et nunquam accollatio, sed ad summum delegatio intercesserat.

22. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate conventionis super augmento fructuum Census, ita ut sit locus restitutioni solutorum in casu –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus – *in Pontis Curvi Census die 14 Maii 1859.*

23. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Pontis Curvi Census die 27 Augusti 1859.*

24. Quod si Census legitime impositus fue-

rit nec ullum adsit simoniae vitium, ne dubium quidem, quin agi valeat pro fructibus eiusdem decursis et non solutis *in Bononien. die 14 Aprilis et die 17 Novembris 1725.*

25. Siquidem anno 1691 soror Laura Maria Margarita Vinciguerra assumpsit habitum Sororum Tertiariarum S. Mariae Servorum Civitatis Bononiae et ante professionem facta fuit Collegio Sororum solutio consuetae dotis librarum mille, quae a dicto Collegio datae fuerunt Augustinae de Fabris matri memoratae sororis Laurae Mariae Margaritae Vinciguerrae, quae super suis bonis extradotalibus Censum imposuit vendiditque Collegio, pretio annuarum librarum sexaginta, reservatis fructibus seu reditibus favore sororis Mariae Laurae quoad usque viveret, et reservatis Collegio tam fructibus, quam capitali post obitum eiusdem. Obiit anno 1722 praefata Laura, sibique scripsit heredem Augustinam matrem dicti Census debitricem, introductoque a Sororum Collegio iudicio pro fructibus Census decursis et non solutis, excitata fuit ab Augustina controversia de labe simoniaca, quae in assignatione librarum mille iuxta suam praetensionem contigerat, et pro hac sua praetensione adstruenda duplex proposuit fundamentum; alterum, quod in regulis Collegii approbatis a Summo Pontifice Martino V non fuerat ulla solutio praescripta; alterum, quod Sorores illae Tertiariae vivebant de proprio nec aliquid recipiebant, in quo rerum themate subdidit, non esse dubitandum de labe simoniaca in solutione librarum mille ante professionem, cum cessaret titulus alimentorum, per quem simonia in dictis solutionibus emittatur. At Emus Ordinarius retulit, quod Census legitime impositus fuit et cum omnibus requisitis Bullae S. Pii V, quod solutio librarum mille solveretur nedum praefato Collegio, sed etiam ceteris Tertiariarum Collegiis ante professionem, quod dictum Collegium suis Sororibus plura subventionum commoda exhiberet, tempore infirmitatis et mortis, quoad medelas videlicet sepulturam et suffragia et alia communia servitia, dum vivebant, quod dicta solutio initium habuisset ab anno 1662, antea enim Sorores sua patrimonia et industriam in unum conferebant, et collegialiter vivebant sub electa Priorissa in domo mercede conducta, quod Collegium anno 1719 haberet capitale librarum viginti quatuor millium, quarum maior pars, fuerit erogata in emptione domus, in qua de praesenti habitarent triginta quinque Consorores, et in ornamentum Ecclesiae, iam non haberet Collegium in reditu annuo, nisi libras quinquaginta novem et obulos 18.

26. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An in casu, de quo agitur, adsit simonia vel aliquid illicitum, ita ut Monasterium sive Collegium agere non valeat pro fructibus decursis et non solutis Census impositi anno 1601? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Non adesse simoniam, et Monasterium agere posse pro fructibus Census decursis et non solutis – *in Bononien. die 14 Aprilis 1725.*

27. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Bononien. die 17 Novembris 1725.*

28. Unde, qui ex facto usurpativae dominationis impediti fuere, quominus fructus exigerent fundi censiti, teneri nihilominus videntur ad solutionem fructuum Census eo tempore, quo ex illata vi nihil ex fundo percipere potuerunt: sed Sacra Congregatio ex aequitate indulget suspensionem Missarum ad effectum absolvendi debitorem ab omnium fructuum solutione *in Romana Census die 19 Augusti 1815 et die 8 Februarii 1817.*

29. Controversia enim in eo versatur, num fundus censitus, qui in officio Notariatus constitutus est, perierit, impedito exercitio et transportatis ad publicum Tabularium scripturis, seu potius reintegrato dein hoc exercitio, Creditor Census possit repetere fructus inexactos *in Romana Census die 22 Iulii 1815* §. *Gravis.*

30. Iamvero Capellania erecta in Ecclesia de Suffragio Urbis, quae pertinebat ad patronatum Marchionis Sacchetti, fundum habebat constitutum in annuo Censu scutorum sexaginta imposito super officio Notarii, quod in via *del Pellegrino* possidebat Petrus Salvi. Cum hic in rerum publicarum discrimine acriter recusasset reprobatum fidelitatis iuramentum usurpatoribus praestare, suppressum fuit mense aprilis 1811 Officium, scri-

pturis ad publicum tabularium asportatis et ipse exercitio proptereaque fructibus Officii caruit, usque dum Pontificium regimen fuit reintegratum. Interea Canonicus Corsi, qui hanc Capellaniam possidebat,licet deportatus, Missas celebrare non destitit, et a triennali exilio reversus postulavit a Petro Salvi solutionem scutorum 101 pro fructibus Census trium annorum, in quibus iste exercitio Officii Notariatus privatus fuit: nam postquam illud recuperavit promptissime currentes fructus solvit. Qua ex re commotus Salvius aequitatem Sacrae Congregationis imploravit postulans, ut, ad cavendum sine proprio damno Capellani indemnitati, Missarum suspensio concederetur, ita ut Corsius ex decurrendis fructibus Census sibi de eleemosynis Missarum in exilio celebratarum satisfaceret. Favit Emus Vicarius hoc modo, – ut ex annuo reditu scutorum sexaginta solvantur quotannis scuta quatuor et obuli quinquaginta utensilium ratione, quae Ecclesiae Sacrario debentur; et reliqua summa scutorum 55. 50 partim Capellano cedat ob solutionem eleemosynae Missarum celebratarum, partim ad onera Capellaniae implenda pro ea reductione, quae huic S. Congregationi videbitur –, His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Emi Urbis Vicarii, assignata nempe medietate redituum pro eleemosyna Missarum iam celebratarum usque ad integram satisfactionem, et altera medietate pro Missis celebrandis, facto Verbo cum Sanctissimo – *in Romana Census die 19 Augusti 1815.*

31. Emus Urbis Vicarius Decretum exequutoriale die 9 aprilis 1816 interposuit, in quo mandavit, – praevia absolutione quoad praeteritum, ut incipiendo a die 13 Maii anni 1814 Petrus Salvi persolvat Canonico Paulo Corsi Capellano annua scuta sexaginta quinque pro fructibus Census impositi in officio Notariatus sui cum hac lege, ut scuta quatuor et obuli quinquaginta sint pro utensilibus, reliqua vero summa quoad medietatem dominus Corsi teneatur celebrare tot Missas, quot ipsi summae respondere possunt. Integre autem satisfacto credito saepedicti Canonici Corsi, onera Missarum ad suum plenum adimplementum redeunda esse decernimus –. Verum S. Congregatio Visitationis Apostolicae nonnulla excitavit dubia super exequutione huius Resolutionis Sacrae Congregationis. Emus Vicarius vero in voto fuit, ut Petrus Salvi ab omnium fructuum solutione absolveretur, qui a die 1 aprilis anni 1811 usque ad mensem maii 1814 fuerunt decursi; et quoad Missarum eleemosynam dixit, se in sententia semper fuisse, ut Missarum celebratarum et celebrandarum eleemosyna ex fundationis lege, scilicet in obulis viginti, praestaretur. Illud vero animadvertit, – quod, cum ex dimidio in Ecclesia S. Mariae de Suffragio onera impleantur, aequum esse videatur, ut utensilium nomine non integra scuta 4. 50 Sacrario ut antea solvantur; sed scuta duo et obuli 25 pro onerum implendorum ratione,utque reliqua scuta duo et obuli 25 in onerum impletorum et implendorum satisfactione convertantur. His mature perpensis, proposito dubio sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – in decisis iuxta votum Emi Urbis Vicarii – *in Romana Census die 8 Februarii 1817.*

32. Nam Constitutio Piana praescribit, ut si fundus censitus in totum vel in parte pereat vel infructuosus reddatur, aeque in totum vel in parte Census pereat, cum huius creditor ferre debeat periculum, cui fundus censitus subiaceat *in Romana Census die 22 Iulii 1815* §. *Gravis.*

33. Quod si periculum non tangit substantiam fundi, sed tantum fructus, tum creditor Census immunis est a quovis periculo, et ius habet super fundo, ut insolutos fructus percipiat *in Romana Census die 22 Iulii 1815* §. *Gravis.*

34. Qua de re si quis constitutus non fuerit in mora ad solvendam summam pecuniae debitae in executionem Rescriptorum Sacrae Congregationis, nec in praefatis Rescriptis nulla habita fuerit ratio fructuum Censuum, solvere non debet fructus Censuum loco damnorum *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis quoad fructus Censuum die 21 Iulii 1792 et die 16 Martii 1793.*

35. Enimvero orta inter Promotorem Fiscalem Episcopalis Curiae Balneoregii et R. P. D. Aluffi, qui eam dimiserit Ecclesiam, de

reparatione Cathedralis Ecclesiae quaestione, Sacra Congregatio die 29 augusti 1789 mandavit, – reparationem, de qua in precibus, faciendam esse pro nunc et per modum provisionis sumptibus Mensae Episcopalis, etiam per creationem et impositionem Censuum, reservato iure contra quem seu quos in posterum de iure –. Creavit igitur Balneoregiensis Episcopus diebus 14 septembris et 6 novembris binos Census in sorte scutorum 600 sub usura scutorum trium pro quolibet centenario et anno; deindeque per Rescriptum diei 18 decembris 1790 confirmatum die 28 maii 1791 damnatus fuit Aluffi ad sumptus reparationis ad formam peritiae Termini deputato ab Emo Antamoro Visitatore ad solutionem scilicet scutorum 578, 30. At neque hanc Aluffius summam, neque pro eius eousque quantitate fructus solvit Censuum. Cum itaque ad id damnatus fuisset, in eum Promotor Fiscalis refundi debere contendit solutos fructus loco damnorum et interesse; eosque autem deberi dixit a die impositione Censuum, eo quod posterior declaratio debiti retrotrahebatur ad diem, quo quis debere cepit. Aluffius vero notabat, iam ante resolutiones annorum 1790 et 1791 creatos fuisse Census, nullamque in eo damnando habuisse Sacram Congregationem rationem fructuum; et post resolutiones constitutum se non fuisse in mora pro solutione scutorum 578 30, quae ultro tandem solvisse affirmabat. Unde nullos Aluffius debere sustinuit Censuum fructus: neque ante, neque post resolutiones annorum 1790 et 1791. Non ante; quia, admissa etiam scientia Censuum, constitui ex ea non poterat in mora solvendi, quod erat in controversia: neque post; quia pluries extraiudicialiter interpellatus solutionem Promotor Fiscalis respuit in Urbe, in in qua eam tandem de mandato Iudicis accipere debuit.

36. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An a quo tempore et in qua summa debeantur fructus Censuum in casu etc.–, S.Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis quoad fructus Censuum die 21 Iulii 1792.*

37. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Balneoregien. die 16 Martii 1793.*

38. Hinc administratori Ecclesiae, qui temere litem non suscepit, ad effectum vindicandi fructus Censuum, ita expensae de proprio solutae reficiuntur, ut continuet Census, quos ipse debet, retinere usque ad extinctionem sortis, imputatis interim in diminutionem crediti fructibus Censuum ab eodem non solutis *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847.*

39. Siquidem Sacerdos Vincentius Paparozzi administrator Ecclesiae ruralis Beatae Mariae Virginis vulgo *di Porcignano* ob litem favore dictae Ecclesiae susceptam ad effectum exigendi fructus Censuum creditor evasit scutatorum centum quinquaginta novem et obulorum sexaginta cum dimidio; sed, administratione praefatae Ecclesiae dimissa anno 1819, solutionem denegandam esse Syndici ad hoc electi censuerunt, donec lis ab eodem suscepta ad exitum plene perduceretur. Itaque Paparozzius, qui ceteroquin Ecclesiae debebat duos Census unumquemque scutatorum vigintiquinque, fructus eisdem respondentes per plurimos annos exolvere desiit: deinde cum frustra omnem impendisset operam, ut expensarum redintegrationem obtineret, tandem apud Sacram Congregationem postulavit, ut pecunia sibi debita solveretur, vel praedicti duo Census extinguerentur. Nam expensae fieri debebant ex pecunia ipsius Ecclesiae: nec is temere litigavit, cum plures iam favore Ecclesiae prodierint sententiae. Sumptuum autem refectio deneganda minime videbatur, ex eo quod lis sub iudice remanserit et compendium nullum Ecclesia ipsa valuerit inde reportare; nam Paparozzius iam ab anno 1819 Administratoris officium dimisit, ideoque non amplius tenebatur ad exitum litem perducere, sed eius in tali officio Successor, cuius culpae potius tribuendum erat, si lis nondum videret finem. Verumtamen ex adverso animadvertebatur, Ecclesiam non teneri ad expensarum redintegrationem occasione litis solutarum, quum nec utilitatis, nec necessitatis causa adesset. Nam ipse, proprio marte et inconsulto Episcopo, litem suscepit, quin ullam Ecclesia utilitatem retulisset.

40. His utrinque perpensis, proposito du-

bio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta modum, nempe ut, imputatis a Paparozzio in diminutionem crediti fructibus Censuum ab eodem non solutis, continuet eosdem retinere usque ad extinctionem sortis – *in Hortana Administrationis die 27 Novembris 1847.*

COLLEGIA.

1. Quisque scit, quod nedum scientia tantummodo, sed et optimis moribus et disciplinis Iuventus informaretur, erecta fuerunt in ipsis academiis specialia Collegia, ad quae cum quodam delectu Iuvenes admitterentur, et sub speciali Magistrorum cura bonis moribus imbuendi committerentur *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum.*

2. Ex quo itaque sequitur, Collegia huiusmodi licitis legitimisque Societatibus adnumerari, quando Superiorum auctoritate sint constituta *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum.*

3. Non enim privato arbitrio erigi valent Collegia *in Auximana Dispensationis die 21 Iunii 1766* §. *Perpendendum.*

Item *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum; in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Coronidis gratia* (1).

4. Nec ceteroquin personarum numerus absque signis ac praerogativis Collegialitatem, nec Universitatem per se inducere valet *in Aquinaten. die 5 Aprilis 1851* §. *Coronidis gratia* (2).

5. Quibus autem permissum est corpus habere Collegii Societatis sive cuiuscumque alterius nomine eorum proprium est ad exemplum Reipublicae habere res communes arcam communem et Actorem sive Syndicum, per quem tamquam in republica, quod communiter agi fierique oporteat agat fiat, est Textus in Leg. 1 quod cui. univ. nomin. *in Auximana Dispensationis die 21 Iunii 1766* §. *Quando.*

6. Unde nova Collegio adiecta membra in eiusmodi rebus, quae communia sunt, unum corpus efficiunt *in Viterbien. die 24 Septembris 1763* §. *Praeter.*

7. Nam Collegium eumdem finem eademque onera habet et quamlibet inaequalitatem respuit *in Firmana Capellaniarum die 12 Martii 1774* §. *Denique.*

8. Itaque Constitutiones Gregorii XV et Innocentii XII prohibent quamcumque fundationem Conventus vel Monasterii, quoties domus Regularis de sufficientibus reditibus non sit provisa pro supellectilibus sacris et prophanis ac etiam pro manutentione duodecim Religiosorum *in Alatrina Fundationis Collegii die 11 Iunii 1729* §. *Proponit.*

9. Id tamen locum non habet, quoties domus Regularis heres ad praescriptum testamenti teneatur fundare Collegium et scholas aperire etiam ope sex tantum Religiosorum *in Alatrina Fundationis Collegii die 11 Iunii 1728.*

10. Siquidem Innocentia Gentili de Comitibus anno 1714 inhaerens voluntati et desiderio Iosephi praedefuncti Viri heredem universalem instituit Congregationem PP. scholarum piarum cum onere fundandi ex fructibus hereditatis in suo palatio et domibus contiguis Civitatis Alatrinae Collegium Ecclesiam et Religionis institutum. Dein in sexto codicillo mandavit, ut dicti Patres scholas post terminum quatuor annorum a die sui obitus aperirent, aptato palatio pro habitatione sex Religiosorum eo meliori modo, quo possent. Quum interim ex viribus hereditariis Canonicatus et Capellania erigi ac plura legata solvi debuissent, Patres prorogationem ad annos viginti quinque postularunt, cum fructus hereditatis haud essent sufficientes pro aperitione scholarum inter terminum quatuor annorum, minusque pro perficiendo Ecclesiae atque Collegii aedificio intra spatium annorum quindecim. At Episcopus petitae dilationi se opposuit uti adversativae voluntati Testatricis, et quia urgebat laudabilis instituti introductio pro scholarum exercitio.

(1) L. 8 de Colleg. et Corpor. illicitis; Rot. in decis. 122 n. 2, part. 7 Recent.

(2) Rot. in Vicen. Collegii 10 Martii 1636, n. 2 et 12 coram Coccino relat. in Recent. part. 7, decis. 112.

11. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quae temporis prorogatio sit concedenda Clericis Regularibus scholarum piarum pro aperitione scholarum et perfectione aedificii Ecclesiae atque Collegii erigendi in Civitate Alatrii iuxta piam ordinationem bo. me. Innocentiae Gentili de Comitibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Episcopo pro informatione super statu fabricae et redituum cum facultatibus Sacrae Congregationis, non retardata omnino intra bimestre aperitione scholarum et retentione sex Religiosorum ad formam sexti codicilli, facto verbo cum Sanctissimo – *in Alatrina Fundationis Collegii die 11 Iunii 1729.*

12. Quum autem Rector Collegii scholarum piarum Oppidi Castrinovi, cui pro Collegii erectione et Alumnorum manutentione delata fuit hereditas Iosephi Perilli, exposuisset, bona hereditaria gravium et frequentium litigiorum sumptibus fuisse obnoxia, quarum causa nec Alumnos nec etiam plures, quam sex Religiosos eo usque nutricari potuisse, proposito dubio: – An constet de sufficientia redituum, ita ut PP. scholarum piarum Castrinovi teneantur manutenere Alumnos in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ex hactenus deductis non constare – *in Nullius Farfen. Alumnorum die 18 Maii 1743.*

13. Leges itaque pro Alumnorum regimine condi possunt ac Statuta praescribi, ut tradunt communiter Doctores in lege *Omnes Populi* ff. de iustitia et iure, factaque est Fundatoribus potestas ordinandi, quae ipsis placuerit, cum aequum visum fuerit, ut ipsis res in bonum publicum conferentibus arbitrium esset leges, quas voluerint, adiiciendi, quae si honestae fuerint bonisque moribus non adversantes adamussim servandae sartaeque tuendae videntur *in Fanen. Collegii Studiorum die 8 Augusti 1767* §. *Verum.*

14. Qua de re non est locus commutationi voluntatis Fundatoris seu translationi Collegii, si iusta desit causa *in Romana seu Warmien. Commutationis Voluntatis die 7 Augusti 1756.*

15. Enimvero Patroni preces obtulerunt Summo Pontifici, quibus postularunt translationem Collegii Praeykiani a Collegio Norbertino ad aliud Urbanum; nam Fundator provisionaliter suam fundationem univerat Collegio Norbertino, Collegium Norbertinum in extremis fere Urbis finibus situm Alumnis maxime incommodum erat, qui iuxta leges fundationis vel Romanum Collegium vel Archigymnasium celebrare debebant studiorum causa, eadem impensa plures in alio Collegio retineri poterant Alumni, quam in Norbertino, in quo tantum duo ali poterant, et reditus fundationis Praeykianae male a Praesidibus Norbertinis administrati fuerant et administrabantur. At Praeses Collegii Norbertini contendit, translationi huic locum esse non posse, quia commutanda erat Fundatoris voluntas, quod sine iusta et necessaria causa fieri nequibat, praesertim in damnum iuris alteri quaesiti, ut erat Collegium Norbertinum eiusque Praeses; nullam inesse causam, quia a Patronis propositae non subsistebant.

16. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus commutationi voluntatis seu translationi Collegii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Romana seu Warmien. Commutationis Voluntatis die 7 Augusti 1756.*

17. Quin imo nec Breve Pontificium est exequendum, quo voluntas Testatoris quoad Alumnos in Collegium recipiendos commutata fuerit, si subreptitium et obreptitium sit, quin etiam gratia sanationis concedi expediat, reclamante interesse habente *in Romana seu Alben. Commutationis voluntatis et electionis Alumnorum die 20 Aprilis et die 28 Septembris 1697 lib. 47 Decretorum.*

18. Iamvero – bo. me. R. P. Castellanus in instrumento donationis factae de anno 1646 ad favorem Almae Domus Lauretanae Nationis Picenae de Urbe inter cetera onera eidem donatariae iniuncta illud adiecit manutenendi in Urbe tam quoad victum, quam quoad vestitum Alumnos decem Capellanos nuncupandos, quorum quatuor esse voluit ex loco Carcararum Diaecesis Albensis eius patria, vel ex aliis locis adiacentibus intra decem milliaria, nominandos a Rectore Collegii scholarum piarum per eum erecti in eodem loco Carcararum cum praelatione tamen eius Consanguineorum. Successive condito testamento institutaque herede universali eadem Domo Lauretana de Urbe, addidit onus manutenendi alios sex Alumnos, quorum duo essent

Romani, duo ex Provincia Marchiae, et alii duo ex Oppido Carcararum eius Patria, iuxta formam praecedenter praescriptam in instrumento donationis.

19. De anno 1672, antequam factus fuisset locus executioni praefatarum dispositionum, Deputati Congregationis dictae Almae Domus Nationis Picenae de Urbe, sub cuius cura et gubernio existebat Collegium institutum in beneficium Iuventutis Picenae pro studiis minoribus Grammaticae et Rectoricae, asserentes, adolescentes praesertim tenerae aetatis in Urbe praefata extra paternas domos minus apte educari, eosque minoribus studiis usque ad Doctoratum in domibus paternis vel Universitatibus studiorum generalium Provinciae Marchiae minori impensa et incommodo et sanctius etiam quoad mores sub parentum oculis operam dare posse, e converso autem eiusdem iuventutis utilitati plurimum expedire, ut dum ipsi Iuvenes Doctoratus gradu insigniti Romam veniunt pro addiscenda forensi utriusque iuris ac medicinae praxi provisi remaneant de loco, in quo subleventur ab impensa propriae substentationis ac libris aliisque necessariis instruantur, idque in dicto Collegio commode fieri posse, attento legato celebris bibliothecae eidem praecedenter facto, impetrarunt a s. m. Clemente X ex praefatis motivis commutationem dicti Collegii erecti pro studiis minoribus aliud Collegium pro Alumnis iam Doctoratus gradu insignitis, cum derogatione in hac parte diversarum dispositionum et signanter illarum praefati R. P. Castellani, ut ex literis in forma Brevis expeditis die 16 septembris 1672.

20. Huiusmodi Breve commutationis debitae executioni demandatum fuit, praevia nominatione et introductione Alumnorum Doctorum usque ad annum 1695, reclamante tamen et non acquiescente Communitate Oppidi Carcararum, imo praetendente, illud utpote multipliciter subreptitium et obreptitium non esse exequendum, donec obtenta ab eadem Communitate commissione manu Sanctissimi signata huic Sacrae Congregationi directa pro aperitione oris arbitrio eiusdem Sacrae Congregationis, sub die 6 augusti 1695 proposito dubio, utraque Parte informante, rescriptum fuit: « Intrare arbitrium pro aperitione oris »; aditaque postea pro parte Collegii Piceni Signatura Sanctissimi pro sanatione quorumvis defectuum ad cauthelam, ista die 11 praeteriti mensis decembris rescripsit: « Firma remanente aperitione oris, ad Sacram Congregationem Concilii ».

21. Quo circa in sequelam praefatarum resolutionum, utraque Parte informante, propositis dubiis: — I. An praefatum Breve commutationis voluntatis R. P. D. Castellani sit subreptitium vel obreptitium in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An gratia petita sanationis seu alterius similis Brevis concessionis supplicantibus omnibus interesse habentibus et sola loci Carcararum Communitate repugnante possit a Sanctissimo concedi? *Et quatenus negative.* III. An ex mente dicti R. P. D. Castellani donatoris et testatoris respective competat Emo Protectori Almae Domus Lauretanae et Collegii Piceni facultas praescribendi regulas pro admittendis Alumnis in eodem Collegio, nempe super eorum aetate super requisitis tempore alumnatus et habilitate nec non indicendi PP. Superiori Scholarum Piarum loci Carcararum concursum, ut magis idonei eligantur? *Et quatenus negative.* IV. Attento quod in Collegio Piceno admittuntur et permanent Convictores Doctorali Laurea insigniti, cuius aetatis erunt recipiendi Alumni? V. Quo tempore erunt in Collegio retinendi, nempe an per quinquennium statutum a bo. me. Card. Azzolino olim dicti Collegii protectore et hucusque per viginti annos observatum, seu ad aliud tempus et ad quod? VI. Quas scientias ipsi Alumni addiscere debeant, quas regulas observare teneantur Patres Scholarum Piarum loci Carcararum ad habendum concursum pro electione Alumnorum ab ipsis nominandorum, ut magis idonei eligantur? VII. An petente nominationem aliquo ex Consanguineis seu affinibus Testatoris, sit ceteris praeferendus absque concursu? VIII. An postulantibus pluribus Consanguineis seu Affinibus Testatoris sit praeferendus proximior absque concursu, seu potius repertus in concursu magis idoneus? IX. An, succedente vacatione pro tempore alicuius Alumni ex quacumque causa, debeat Pater Superior Scholarum Piarum notificare vacationem per edicta publica affigenda in locis publicis loci Carcararum et aliis locis adiacentibus per decem milliaria? *Et quatenus*

affirmative. X. An debeat Pater Superior transmittere ad Emum Protectorem iustificationes concludentes huiusmodi adimplementum praeseferentes in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Breve non esse exequendum quoad Alumnos nominandos a Patre Rectore Scholarum Piarum Carcararum. Ad secundum, referendum Sanctissimo, non expedire. Ad tertium et reliqua, satis provisum in primo – *in Romana seu Alben. Commutationis voluntatis die 20 Aprilis 1697 lib. 47 Decretorum.*

22. Quum – in executionem huiusmodi resolutionis deveniendum sit ad electionem Alumnorum Carcarensium, Emus Collegii Protector ad evitandas ulteriores disputationes in futurum nec non ad animi sui instructionem sapientissimum EE. VV. oraculum exquirit super infrascriptis duobus dubiis, citatis etiam ad hunc effectum et eorum iura deducentibus tam Procuratore Communitatis, quam Patribus Scholarum Piarum –. Propositis hinc dubiis: – I. An facultas praescribendi concursum vel alium modum electionis Alumnorum Carcarensium a donante concessa Card. Pallotta per haec verba: « per mezzo di concorso o in altro modo, che sarà giudicato o prescritto dal signor Card. Pallotta » censeatur personalis in eodem Cardinali Pallotta tantum, vel potius competat etiam Protectoribus successoribus, ita ut non praescripto modo ab eodem Cardinali Pallotta praescribi valeat a Successoribus? *Et quatenus affirmative.* II. An praescribi valeant regulae, de quibus in folio ad partes, vel potius ipsae sint reformandae in qua parte et quomodo? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, facultatem praescribendi concursum vel alium modum electionis quoad Carcarenses non competere Emis Protectoribus. Ad secundum, Negative quoad Carcarenses – *in Romana seu Alben. Electionis Alumnorum die 28 Septembris 1697 lib. 47 Decretorum.*

23. Hinc non est locus commutationi voluntatis Testatoris praescribentis erectionem Canonicatuum ad effectum erigendi Collegium, si nec necessitas nec utilitas urgere videatur, ac interesse habentes acriter obsistant *in Cingulana Commutationis Voluntatis die 9 Septembris 1752.*

24. Enimvero Nicolaus Simoncellius Cingulanus testamento, quo decessit, mandavit erectionem trium Canonicatuum in Ecclesia Cathedrali Cingulana, cum reservatione iurispatronatus. Quum nondum praefati Canonicatus erigerentur, Episcopus postulavit commutationem voluntatis Testatoris, ut hac hereditate Collegii potius seu Seminarii, quam Canonicatuum fieret erectio, attenta necessitate ac utilitate. At Exequutor testamentarius Magistratus Civitatis et Patroni contradictores sese huic postulationi praestiterunt, cum nulla urgeret necessitas nulla utilitas erigendi Seminarium Cingulanum. Contenderunt enim, Tridentini dispositione unum Collegium, non plura in Diaecesi erigi debere, satis esse Auximanum, cui a Cardinali Gallio anno 1593 facta fuerat unio Cingulani, cuius Pueri alebantur in Auximano. Proposito hinc dubio: – An sit locus commutationi voluntatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Cingulana Commutationis voluntatis die 9 Septembris 1752.*

25. Si vero necessitas urgeat, commutatur voluntas Testatoris ad effectum redigendi Hospitium in formale Collegium, iuxta modum *in Romana seu Leodien. die 7 Februarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

26. Enimvero – Lambertus Darchis patria Leodien. a multis annis in Urbe degens, inibi de anno 1696 suum postremum, sub quo decessit, condidit elogium, in eoque prospiciens suae Patriae miserandum statum, longo annorum cursu rerum et temporum iniuriis non leviter percussae, ut plures illius cives solo cedere et ad hanc Urbem inclitam, communem miserabilium asylum, confugere sint coacti, feliciorem sortem experturi; attendensque pariter eisdem confugis opportuna media desitura, quibus opus aliquod bonum in Curia aggredi possent, postquam linguam et caracterem Romanum ab eorum materno diversum percipere valeant, putavit exinde in illorum sublevamen omnem substantiam suam conferre, ac proinde commendavit suis Executoribus praesens Legatum: « Intendo, ut ipsi locent vel emant domum capacem commodam pro Hospitio pauperum patriotarum, qui forte modo sunt et in futurum advenient in praesenti Curia, in quo Hospitio excipientur per quinquennium et non amplius, minus tamen si ita fuerit visum dicto Theodoro et aliis

Executoribus seu Administratoribus dicti Hospitii, ibique habebunt lectulum lumen et tempore hyemali aliquid ignis prout fructus meae hereditatis permittent et comportabunt et hoc, ut se habiliores et industriores reddant ad aliquid maius et honestius lucrandum Curiae et Curialitati inserviendo, exclusis artibus mechanicis, locum dando finito quinquennio aliis recentioribus et indigentioribus et de novo advenientibus Patriotis meis, praeferendo sibi sanguine coniunctos ac deinde alios certarum Parochiarum ».

27. Iuxta Testatoris praescriptum, erectum iam fuit Hospitium, in eoque Iuvenes introducti. Verum, experientia docente, eorum plerosque vel locum deserere vel insolentiores effici, ut dimitti commererentur, neque in officio contineri posse ob exiguitatem subsidii, Executores testamentarii dudum SS. D. N. precibus ad hanc S. Congregationem remissis rogarunt ac obtinuerunt adaugeri dictum subsidium in bononenis quinque in dies eorum singulis pro coena serotina praestandis; sicque per aliquot annos continuatum fuit. Atqui eadem experientia magistra, compertum extitit, adhuc voluntatem Testatoris delusam esse, eo quod nedum sufficienti tenui augmento coenae brevis accidit, ut plerique Alumni prandium aliaque necessaria sibi comparanda crebro addicantur operibus mechanicis, praecipue vero ministerio amanuensium contra Testatoris vetitum. Unde ad id inconveniens reparandum, iidem Executores iterum Sanctissimum adierunt, pari modo eorum precibus ad eamdem S. Congregationem remissis pro facultate redigendi seu commutandi supradictum Hospitium in formale Collegium sub certis praescriptis regulis, quarum exemplar exhibuerunt in Summario dandum, iuxta morem aliorum Collegiorum formalium Urbis, servata tamen mente Testatoris, circa qualitates Alumnorum recipiendorum. Requisita desuper informatione et voto Emi de Abdua, eaque lecta in Congregatione diei 22 februarii 1710 Rescriptum prodiit: « Audiatur Emus Urbis Vicarius, et quatenus nihil habeat in contrarium pro confirmatione iuxta votum Emi Relatoris». Transmissa autem relatione ab eodem Emo Vicario, relata fuit Causa per Summarium die 10 ianuarii prope elapsi, et placuit EE. VV. demandare, ut poneretur in folio –.

28. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro commutatione iuxta modum – *in Romana seu Leodien. Erectionis Collegii die 7 Februarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

29. Idcirco si iusta adsit causa, locus est commutationi voluntatis Fundatoris Collegii *in Hispalen. die 1 Februarii 1766.*

30. Enimvero anno 1615 Gundisalvus de Campo archidiaconus Eleplae, qui Hispaniae Boeticae locus est, et Canonicus ac Vicarius Hispalensis, solemni contractu ex suis bonis Collegium Societatis Iesu constituendum iussit pro vicenario numero Iuvenum, qui alerentur ac ad studia instituerentur nec non pro Religiosis eiusdem Societatis vel Theologiam repetentibus, vel tertiae probationis annum agentibus. Statuit, ut a tempore, quo bona daret, nonnisi duo Alumni atque unus vel alter ex Religiosis ibi degerent, quousque multiplicatis bonorum reditibus aedificium necessarium perficeretur, atque omnia pro Collegio sustentando suppeterent. Munificentia Emi Card. de Solis Hispalensis Archiepiscopi iam aedificium omni opere completum erat, atque ad implendam conventionem donationis parata erant omnia. Itaque P. Ioseph Boena provinciae Boeticae eiusdem Societatis moderator supplicavit Summo Pontifici, – ut, vice et loco Religiosorum Theologiam repetentium et tertiam probationem agentium, possit in dicto Collegio substituere totidem Religiosos Missionarios –. Plura in medium protulit, ut id assequi posset. Proposito hinc dubio: – An sit locus subrogationi Religiosorum Missionariorum vice et loco Theologiam repetentium seu tertiam probationem agentium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, firma tamen in reliquis dispositione – *in Hispalen. die 1 Februarii 1766.*

31. At inter nominatos, ii sunt in Collegium admittendi, qui priores tempore fuerint nominati *in Romana seu Spoletana Dozzinae die 17 Novembris 1708 et die 23 Februarii 1709 lib. 58 et 59 Decretorum.*

32. Enimvero – condidit de anno 1670 eques Lauretus Victorius Spoletanus suum ultimum, sub quo decessit, testamentum, in quo inter alia ordinavit, ut in propria eius

domo, quam in Urbe obtinebat, erigeretur contubernium seu dozzina, a nomine ipsius Fundatoris Lauretana nuncupata, in qua cum ceteris assignatis proventibus alerentur sex adolescentuli Civitatis Spoleti quibusdam praediti qualitatibus, ut inibi per octo annorum cursum virtutibus imbuerentur, quorum electionem pertinere voluit ad Magistratum Spoletanum in casu vacationis. Regimen vero dictae dozzinae reliquit Archiconfraternitati SS. duodecim Apostolorum Urbis. At vero de anno 1699 dimissa per Archiconfraternitatem sibi decreta administratione, eadem dozzina incorporata fuit Collegio Piceno Urbis, moderato Alumnorum numero ad quatuor dumtaxat per idem octennii spatium singulorum favore, stipulatis desuper quibusdam capitulationibus per publicum instrumentum in Summario exhibendum. His ita praecognitis, Magistratus Spoletanus, qui singulis quibusque bimestris renovari solet, die 19 octobris 1706 sub enunciativa, quod bina loca eiusdem dozzinae vacassent ob tempus finitum Pauli Bonavisae et Gregorii Zacchei, ad ea nominavit Franciscum Parentium et Iacobum Zaccheum. Postmodum de mense iunii 1707, nulla apparente data diei factae nominationis, quae sane fuit exhibita in Cancellaria die 28 dicti mensis, Magistratus illius temporis sub enunciativa, quod supradicta loca vacassent ob renunciationem supradictorum Bonavisae et Gregorii Zacchei, delegit ad ea eosdem Iacobum Zacheum et Parentium cum declaratione non praeiudicandi aliis electionibus ab iisdem reportatis. Successive die 3 iulii praelibati anni in separatis nominationibus cum eadem enunciativa vacationis ob renunciationem eorumdem Bonavisae et Zacchei, Magistratus cooptavit ad utrumque ex praefatis locis respective Iosephum Brunum et Iacobum Zaccheum. Rursum die 26 octobris 1707, sub repetita enunciativa dictarum vacationum ob renunciationem praedictorum, Magistratus elegit ad primum locum Gregorii Zacchei Iacobum Zaccheum eius germanum, ad secundum vero Pauli Bonavisae Carolum Brancaleonem. Demum sub die 27 decembris 1707, sub enunciativa quod dicta loca vacassent, unus ob tempus finitum Pauli Bonavisae, alter ob renunciationem Gregorii Zacchei, Magistratus tum existens, qui a sex Prioribus repraesentatur, proposuit, subrogandos ad eadem bina loca eosdem tres Iuvenes cum hac tamen lege, ut ii censerentur inclusi et electi, qui ad tenorem subscriptionum folii eorumdem Priorum plures reportassent nominationes, ac subinde procedentes dicti Priores ad folii subscriptionem ad primum locum tres Brunum totidemque Zaccheum nominarunt, ad secundum vero locum duo Brunum, quatuor vero Parentium elegerunt. Denique tandem die 26 aprilis proxime praeteriti tres Priores dicti Magistratus, sub enunciativa quod supra memoratae nominationes essent invalidae, ex integro nominarunt ad saepe dicta bina loca Brunum et Parentium.

33. Ex hisce tam variis et inconstantibus earumdem personarum ad eadem loca nominationibus cum multiformibus enunciativis, acris et tripartita contentio exarsit inter nominatos, Brunum nempe Zaccheum et Parentium in hac Sacra Congregatione, quilibet proprium eius nominationem tueri satagens, et unus alterius competitoris nominationem redarguens, vel quasi tempore incongruo, vel uti ad loca adhuc non vacantia factam, atque ad constabilienda sua quisque fundamenta, pleraeque exhibitae fuerunt attestationes etiam ab aliquo ex iisdem Prioribus nominantibus factae, invicem quoque pugnantes atque formiter non verificatae. In quarum rerum involucro semel et iterum informare requisitus Emus Protector in binis relationibus, per extraiudiciales et privatas notitias habitas, rem disserit et motiva quaedam attingit. Et quamvis in prima relatione loca controversa adiudicanda censeat Bruno et Parentio, concludit tamen in altera, quod cum tota huius negocii vis consistat in tempore nominationis reportatae a Iacobo Zaccheo de mense iunii 1707 putat E. S., esse mandandum formale testium examen, interim vero ad unum ex dictis locis posse admitti Brunum.

34. His mature perpensis, proposito dubio: - An et qui sint admittendi in dozzina Lauretana annexa Collegio Piceno erecta ad tenorem testamenti bo. me. equitis Laureti Victorii Spoletani in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Esse admittendos Brunum et Zaccheum - *in Romana seu Spoletana Dozzinae die 17 Novembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

35. Reproposito dein dubio sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 17 novembris 1708 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Romana seu Spoletana die 23 Februarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

36. Quum autem Ioannes Carolus Lassi sub anno 1683 heredem sibi ex asse inscripserit Collegium Romae erigendum, cumque eiusmodi Collegium ab anno 1705 ex benignitate Summi Pontificis erectum in dubium revocari contigerit, num electio et nominatio Iuvenum, qui in urna poni debebant ad praescriptum Fundatoris, pertineret ad Episcopum Narniensem, seu potius ad descendentes masculos ex feminis Aurelii Vituzii, quive actus sibi ipsis respective Partes vindicare possent, pro Testatoris voluntate exequenda, propositis dubiis: – I. An electio seu nominatio Alumnorum ponendorum in urna et extrahendorum ad formam testamenti Ioannis Caroli Lassi pertineat ad Episcopum, seu potius ad descendentes Aurelii Vituzii in casu etc. II. Qui actus spectent ad Episcopum et rective ad descendentes praedictos in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, ad descendentes spectare notificationem vacationum receptionem requisitorum et selectionem omnium habentium requisita, ut omnes imbossulentur; ad Episcopum vero spectare imbossulationem et extractionem, posse tamen recognoscere, an imbossulandi habeant omnia requisita a Testatore praescripta – *in Romana seu Narnien. die 14 Aprilis 1714 lib. 64 Decretorum.*

37. Hinc Sacra Congregatio sapientissime declarat, quos Alumnos esse admittendos in Collegium, cum consona menti Fundatoris Bullae erectionis dispositio non videatur *in Romana seu Nonantulana die 11 Septembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

38. Iamvero – Promotor Fiscalis insignis Abbatiae Nonantulanae EE. VV. exponit, Cardinalem Matthaeium tunc dictae Abbatiae possessorem in testamento, quo institutionem Collegii Matthaei in Urbe demandavit, inter alia praescripsisse, quod « si adfuerint aliqui idonei, qui recipi instarent de dicta Abbatia Nonantulae, recipiantur usque ad numerum duodecim in dicto Collegio ». Verum cum in Bulla Pauli V super erectione dicti Collegii haec habeantur; « Ita tamen, ut unus vel duo ex Nonantulae, et unus ex Lamularum Terris Nullius Diaecesis Provinciarum Bononien. et Urbinaten. respective oriundi, si qui adessent etc. Romanis praeferantur, dummodo idonei et acceptabiles forent »; hinc Promotor Fiscalis cum consona testamento Bullae dispositio non videatur, supplicavit Sanctissimo, ut declararet, admittendos esse in dicto Collegio non solum populares Terrae Nonantulae, sed totius Territorii ad Abbatiam spectantis: cumque Sanctitas Sua remiserit instantiam ad hanc Sacram Congregationem, auditis interesse habentibus, ideo monitis duce Matthaeio et Decurionibus Terrae Nonantulae supplicat declarari: – An ex testamento Cardinalis Matthaei debeant admitti in Collegio ab ipso instituto duo Alumni ex Terra tantum Nonantulae, seu potius ex dicta Terra et quocumque alio loco de Territorio Abbatiae Nonantulae subiecto? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Romana seu Nonantulana die 11 Septembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

39. Unde nominatio Alumni Universitati relicta a Fundatore Collegii debet necessario cadere in personam consanguineorum ipsius Fundatoris *in Romana seu Firmana Electionis alumni die 4 Martii et 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

40. Hinc electo ab Universitate praeferendum esse consanguineum Fundatoris respondit sacra Congregatio *in Romana seu Firmana Electionis alumni die 4 Martii et 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

41. Quum autem accidentalis ortus non obsit qualitati civicae vel domiciliariae in loco domicilii Patris, cumque quilibet possit non duo tantum, sed etiam plura habere domicilia in diversis Oppidis vel Civitatibus, ne dubium quidem, quod quis admitti debeat ad locum in Collegio, si accidentaliter diverso in loco, quem Fundator designavit, ortum habuerit, ibique longam cum Patre traxerit moram *in Romana seu Tudertina die 17 Iunii 1769.*

42. Siquidem Collegio Nationis Umbriae in Urbe erecto alterum anno 1705 unitum

fuit Collegium erigendum sub nomine Nicetae Lassi pro novem Alumnis, quorum tres esse deberent ipsius loci Collis Valentiae. Facta hinc vacatione, Clericus Angelus Ceva contendit, se esse admittendum in Collegio, tamquam unicum e Castro Collis Valentiae, qui idoneus esset ad studia prosequenda, ac postulavit praeferri ceteris adolescentibus, vel e Civitate vel e Diaecesi Narniensi extrahendis. Nam familia sua ab anno 1702 domicilium transtulerat in castrum Collis Valentiae, ibi ab eo tempore Angelus Avus domum aedificaverat, ac ipse Avus, dum vixit, Carolusque Pater iugiter eo usque morati fuerunt cum uxore filiis et famulatu, in statu animarum Parochiae dicti Castri quotannis fuerant descripti, sacramentales decimas aliaque onera tum realia, tum personalia semper exolverant. Nec obesse sustinuit accidentalem sui nativitatem in Civitate Tudertiae, cum id accidisset habendi gratia commodiorem Medicorum Obstetricum et medelarum copiam, absque ulla primaeva domicilii in dicto Castro desertione; nec item obesse qualitatem civicam Tudertinam a Carolo Patre obtentam anno 1734, cum per eam nec antiquum domicilium in dicto Castro fuerit derelictum, nec novum esset, domicilium habentes in Castris ad gradus civicos alicuius Civitatis admitti. At Marchio Sacripanti opposuit, Fundatorem vocasse tres Iuvenes ipsius loci Collis Valentiae, adeoque huiusmodi dictionem indicare nativitatem et originem; insuper eumdem Clericum una cum Patre iugiter morari in Civitate Tuderti, nunquam animum habitandi in dicto Castro habuisse, nec onera personalia eiusdem Castri unquam tulisse, deesse propterea quamlibet dicti Clerici vocationem ob defectum sive originis, sive domicilii. Addidit, Testatorem vocasse Iuvenes non nobiles, familiam vero Ceva iam usque ab anno 1734 adscriptam fuisse civilitati Tudertinae. Advertebatur vero, non controverti familiam Ceva iam a sexaginta et ultra annis domum instructam bonaque possidere in Castro Collis Valentiae. Ponderandum hinc unice erat, an Clerico Angelo Ceva obesset ortus in civitate Tudertina, vel longa mora, quam tum ipse Clericus, tum eiusdem Pater in eadem Civitate retinebant.

43. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Clericus Angelus Ceva sit admittendus ad locum in Collegio Nicetae Lassi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Romana seu Tuderdina die 17 Iunii 1769*.

§. I.

CONCIONATOR QUOAD FACULTATEM SEU MUNUS.

1. Evangelicae praedicationis officium ad Episcopos pertinet, veluti ad Animarum Pastores fideliumque Magistros, ex epistola 1 cap. 6 divi Pauli ad Corinthios alteraque ad Titum cap. 1 *in Feretrana Iuris Praesentandi Concionatorem die 21 Augusti 1790* §. *Ex.*

2. Qua de re praedicationem dixerunt Tridentini Patres praecipuum Episcoporum munus, eamque fieri decreverunt per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ut in sess. 5 cap. 2 de reformatione, sacro praesertim Adventus et Quadragesimae tempore; et hac sane de causa servatur adhuc in illorum consecratione formula illa: – Accipe Evangelium, vade, praedica Populo tibi commisso – *in Feretrana Iuris praesentandi Concionatorem die 21 Augusti 1790* §. *Ex.*

3. Nam cum hoc praedicationis munus iniunctum sit Apostolis: – Praedicate Evangelium omni creaturae –, ut Marc. XVI 15, deduci hinc posse videtur, in universa Diaecesi Episcoporum ita esse proprium onus praedicationis, ut Parochis aliisque Presbiteris non competat, nisi ex illorum missione *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Dubitari.*

4. Hinc Episcopus – verbi minister – appellatur a S. Clemente lib. 2 Constit. cap. 30 *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Dubitari.*

5. Nihilominus licet ex his certo constet, Episcoporum praecipuum esse praedicationis munus, non iure tamen sequitur, ut idem onus non competat etiam Parochis ratione officii; nam a sacro Concilio Tridentino declaratum est sess. 23 cap. 1 de reformatione, – praecepto divino (mandatum esse) omnibus,

quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his Sacrificium offerre, verbi divini praedicatione Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere - *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Nihilominus.*

6. Distinguendum tamen est inter missionem ad praedicandum et exercitium praedicationis: missionem dare solius Episcopi est, cuius praecipuum munus est praedicare, et a quo tamquam a regio flumine ceteri derivantur rivuli, inter quos primum tenent locum Parochi, quos ad praedicandum mittit, cum illos in parochiali Beneficio instituit; Parochi vero ex hac missione praedicant ratione officii, licet nequeant missionem dare *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *At.*

7. Quapropter ex Decreto Concilii Tridentini in sess. 24 cap. 4 de reformatione Episcopi tenentur omnibus diebus Dominicis et solemnibus diebus festis et tempore Adventus et Quadragesimae praedicare in Ecclesia sua per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopo deputandos *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Cum.*

8. Unde Episcopus, nullo detentus impedimento, per se ipsum implere debet munus praedicationis; legitime vero impeditus, per quemlibet sive Clericum Secularem, sive Regularem potest huiusmodi oneri satisfacere *in Perusina anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 6.*

9. Nullum propterea dubium, quin possit Episcopus praedicare facere in Cathedrali sine consensu Capituli *in Virdunen. mense Decembris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 97.*

10. Hinc et Parochus praedicare valet in sua Ecclesia parochiali absque speciali commissione Episcopi, et ad exclusionem Concionatoris ab eodem Episcopo deputati, etiamsi fuerit solitum per Episcopum Concionatorem deputari *in Adrien. Iurisdictionis die 13 Septembris 1670 lib. 26 Decretorum pag. 417.*

11. Qua de re etiam Parochus Regularis praedicare potest in sua Ecclesia parochiali nedum cum sola licentia Episcopi et absque ulla suorum Superiorum, sed etiam absque licentia et benedictione ipsius Episcopi *in Narnien. Iurisdictionis die 13 Iulii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 357.*

12. Immo, volente praedicare Parocho in sua Ecclesia parochiali, non potest Episcopus mittere Concionatorem in Quadragesima, non obstante quavis consuetudine mittendi *in Adrien. Iurisdictionis die 13 Septembris 1670 lib. 26 Decretorum pag. 417.*

13. Idcirco etiam Parochus Ecclesiae filialis praedicare potest inter Missarum solemnia in propria Ecclesia diebus festis Quadragesimae et Paschatis privative quoad Parochum Matricis, non vero horis pomeridianis, stante consuetudine, quod illa hora conveniant omnes Parochi filialium in Matricem, et ibi post vesperas audiant verbum Dei *in Florentina Iuris praedicandi die 26 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

14. Siquidem - Ecclesia Matrix ac Plebana S. Petri in Mercato habet tresdecim filiales parochiales Ecclesias sibi subiectas, quarum Populi una simul cum earum Rectoribus consueverunt ab antiquissimo tempore in signum dictae subiectionis accedere omnibus diebus festivis Quadragesimae et die Paschatis ad dictam Matricem Ecclesiam S. Petri, ibique absolutis Vesperis sacram Concionem audire cum assistentia quoque secularis Potestatis Loci S. Andreae habentis ad istum effectum peculiare subsellium in dicta Ecclesia. Hac consuetudine non obstante modernus Prior Parochialis Ecclesiae de Monte Spertulo, quae est una ex dictis tresdecim filialibus, distans a Plebana per dimidium milliare vel paulo amplius viae facilis et planae, ut refert Archiepiscopus, excitavit nuper praetensionem habendi concionem, sive per se ipsum, sive per alium in sua Parochiali Ecclesia in dictis diebus festivis Quadragesimae et Paschatis, saltem de mane inter Missarum solemnia iuxta praescriptum sacri Concilii in Cap. 4 sess. 24 de reformatione. Contendente e contra Plebano S. Petri, id nullatenus ei licere in praeiudicium dictæ honorificae ac privativae consuetudinis a ceteris filialibus non impugnatae, et quia aliter fieret magna diminutio concursus ad Matricem, cum Populi de mane pabulo praedicationis refecti aliam praedicationem de sero audire non consueverint, delata est controversia ad hanc Sacram Congregationem, in qua post auditam desuper relationem Archiepiscopi in omnibus Plebano favorabilem, utraque Parte informante, erit re-

solvendum: – An ius praedicandi in diebus festivis Quadragesimae et die Paschatis spectet ad Plebanum S. Petri in Mercato privative quoad Priorem S. Andreae de Monte Spertulo?–, Sacra Congregatio respondit:–Affirmative in casu, de quo agitur, horis postmeridianis, Negative vero ad meridiem – *in Florentina Iuris praedicandi die 26 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

15. Unde potest verbum Dei praedicari tempore quadragesimali in Ecclesia Archipresbiterali per Concionatorem conductum sumptibus Archipresbiteri et Parochianorum, non obstante consuetudine praedicandi hoc tempore solum in Ecclesia Praeposituralı, cum praesertim accessus ad huiusmodi Ecclesiam reddatur valde durus et incommodus ceteris Civibus et mulieribus, non modica sit distantia, ac transitus per vias coenosas et publicas plateas; his enim in terminis proposito dubio: – I. An in Ecclesia Archipresbiterali S. Mariae praedicari possit verbum Dei tempore Quadragesimae per Concionatorem conducendum sumptibus Archipresbiteri et Parochianorum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Rossanen. Praedicationis die 8 Martii 1698 lib. 48 Decretorum.*

16. An autem Parochi debeant praedicare verbum Dei singulis diebus Quadragesimae et Adventus, examussim statuitur, id a Concilio relictum esse Episcoporum arbitrio: ita enim Sanctissimus, audita sententia S. Congregationis, declaravit *in Belgii die 19 Decembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 582.*

17. Nam Concilium Tridentinum in Cap. 4 sess. 24 de reformatione in illis verbis – Si ita Episcopus oportere duxerit – reliquit arbitrium Episcopis decernendi, an tempore Quadragesimae et Adventus quotidie vel tribus diebus in hebdomada, vel etiam minus illis diebus est concionandum *in Pennen.et Adrien. lib. 1 Decretorum pag. 1 et 2.*

18. At Concilium Tridentinum disponens, Sacram Scripturam annunciandam esse in omnibus vigiliis per annum et quatuor statis anni temporibus, intelligendum est tantum de Quadragesima et Adventu *in Pennen. et Adrien. lib. 1 Decretorum pag. 1 et 2.*

19. Unde Concilium Tridentinum in cap. 2 sess. 5 de reformatione in eo quod statuit de Praedicatore Verbi Dei comprehendit etiam legentes publice sacram Scripturam in Ecclesia *in Dubio seu Caurien. lib. 4 Decretorum pag. 55 a tergo.*

20. Idcirco Concilium Tridentinum in cap. 1 sess. 5 vers. *Docentes* habet locum quoad docentes in Ecclesia *in Dubio ad dictum Cap. 1 sess. 5 de reformatione Posit. 1.*

21. Hinc vers. *In Monasteriis* comprehendit etiam Carthusianos *in Dubio ad dictum Cap. 1 sess. 5 de reformatione Posit. 1.*

22. Nullum itaque dubium, quin etiam Vicarii Curati Capituli Cathedralis Ecclesiae explicationem Evangelii in Cathedrali templo facere teneantur, licet Capitulum contendat, munus hoc in Ecclesia Cathedrali ita solius Episcopi proprium esse, ut Vicarii Curati plene immunes sint, ac licet praefati Vicarii Curati id nunquam expleverint; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An et ad quem spectet explicatio S. Evangelii diebus festis in Ecclesia Cathedrali in casu etc. III. An et quo tempore fieri debeant denunciationes et explicatio Evangelii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad Vicarios Curatos; et amplius. Ad tertium, Affirmative; et quoad explicationem Evangelii, in Missa parochiali – *in Lunen. Sarzanen. Praedicationis die 20 Septembris 1828.*

23. Idcirco quum Praepositus Pierius in Cathedrali Pientina Parochus urgere sustineret sacrorum Canonum dispositionem, qua cautum est, ut Episcopus per se ipsum munus hoc explere teneatur, ideoque non posse Parochos Cathedralium poena suspensionis a divinis compelli, ut id agant festis diebus, quibus Episcopus in Cathedrali praesens esse debet, proposito dubio: – An Parochus in Ecclesia Cathedrali Pientina teneatur diebus festivis in actu celebrationis Missae parochialis ad Evangelii explicationem in casu etc. –, S. Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Pientina Praedicationis die 14 Septembris 1748.*

24. Nam Patres Tridentini, postquam in sess. 5 cap. 2 de reformatione declararunt, praedicationem esse praecipuum Episcoporum munus, sermonem ad Parochos convertentes haec sanxerunt: – Archipresbiteri quoque Plebani et quicumque Parochiales vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si

legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus Plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis –. Similiter in sess. 22 Cap. 8 de Sacrif. Missae haec habentur: – Mandat S. Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera Sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et festis – *in Lunen. Sarzanen. Praedicationis die 16 Augusti 1828* §. *Agitur.*

25. Quin imo nihil impedimento est, quominus Parochus Cathedralis Evangelium explanet iis diebus, quibus Episcopus concionem habet, ceu Sacra Congregatio definivit in Terulen. 11 iunii 1631 apud Barbosam de offic. et potest. Parochi cap. 14 n. 5 *in Montis Politiani Visitationis sacrorum Liminum die 23 Februarii 1856* §. *Porro.*

26. Quum autem Episcopus Montis Politiani in relatione status suae Ecclesiae exposuisset, quod – inolevit etiam mos omittendi Evangelii explicationem in Cathedrali, cum Episcopus concionatur in Missa solemni, cum fit lectio sacrae Scripturae, et in Dominica in Albis ob multitudinem concurrentium ad explendum Paschale praeceptum –, ac inde occubuisset, proposito dubio: – IV. An item liceat omittere Evangelii Explicationem in Cathedrali, dum Episcopus concionatur in Missa solemni, cum fit lectio S. Scripturae, et in Dominica in Albis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, expectetur novus Episcopus – *in Montis Politiani Visitationis sacrorum Liminum die 23 Februarii 1856.*

27. Ceterum in Urbe viget consuetudo in Patriarchalibus S. Ioannis in Laterano et S. Petri in Vaticano, qua tempore Adventus et Quadragesimae silet explicatio Evangelii, cum sacrae conciones apud Capitula habentur *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Accedit.*

28. Nam Tridentinum dum praescripsit, ut Substituti, qui Parochi vices in praedicatione exercerent, ab Episcopo deputarentur, huic quidem reservavit missionem; sed alios, qui pro Parocho supplent, Substitutos Parochi appellavit, unde videtur eos pro Parochis praedicare *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *At.*

29. Attentis tamen peculiaribus circumstantis, Episcopus edicere potest, ut Parochi teneantur diebus festis etiam tempore Quadragesimae et Adventus in Missa Parochiali explicare Evangelium, licet in eorum Ecclesiis sacrae conciones habeantur per Praecones ab Ordinario approbatos *in Pisana die 29 Martii et die 30 Augusti 1817.*

30. Siquidem Parochus S. Cassiani nomine etiam aliorum Parochorum Pisanae Archidiaecesis, ut in dubio acquiescerent, proposuit quaesitum huiusmodi: – Utrum Parochi, in quorum Ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur sacrae conciones per Praecones ab Ordinario approbatos, soluti sint obligatione in Missae parochialis celebratione explicandi Evangelium –. Proposito interim dubio: – An Parochi, in quorum Ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur sacrae conciones per Praecones ab Ordinario approbatos, teneantur diebus festis in Missa parochiali explicare Evangelium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cuiuslibet Paraeciae – *in Pisana die 29 Martii 1817.*

31. Quo vulgato responso, Archiepiscopus Pisanus retulit: – Modernus Archiepiscopus Pisanus animadvertens, hunc saluberrimum divini sermonis panem parciori dispensatione administrari eo scilicet acceptabili tempore, quo maiori frequentia et largitate distribui oporteret, experientia docente, familiares Parochorum instructiones Ruricolis praesertim utiliores fieri, quam sacrorum Concionatorum declamationes, sui muneris debitum existimavit, cum aliquos Parochos in hac parte officio suo deesse rescierit, ad eos datis literis inhibere, ne ab usitatis cathechesibus et evangelicis explanationibus in Quadragesimae et Adventus festivitatibus integrae observantiae se eximant, etiamsi in propria eorum Ecclesia per alios idoneos Viros ab Ordinario immissos dissertior concio fiat. Hanc quidem ordinationem complures Parochi Superioris voluntate obsequentes promptiori alacritate in tota Diaecesi exinde adimplere festinarunt. Nonnulli tamen reluctantes adinventi sunt, quos ut ad officium perduce-

ret, infrascriptus Archiepiscopus Pisanus post adhibitas frustra adhortationes benevolentiae plenas auctoritate sua compellere coactus est –: Animadvertit enim Archiepiscopus, Concilium Tridentinum in sess. 5 cap. 2 de reformatione personalem cuique Parocho instruendae christianae Plebis obligationem imponere diebus saltem Dominicis et solemnibus, nisi legitimo detineantur Parochi impedimento: et in Cap. 4 sess. 24 praefatum Concilium statuit, posse Episcopum in Quadragesima et Adventu subditos Parochos ad praedicandum compellere quotidie, vel saltem tribus in Hebdomada diebus, si ita oportere duxerit. Unde concluśit, quod nec contraria consuetudo quid roboris habere posset.

32. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In casu, de quo agitur, servandum esse Decretum Archiepiscopi – *in Pisana die 30 Augusti 1817.*

33. Quum autem Episcopus Montis Politiani in relatione status suae Ecclesiae exposuisset, quod – inolevit etiam mos apud Parochos Civitatis omittendi Evangelii explanationem tempore Adventus et Quadragesimae et catechesim pro Parvulis mense octobris et tempore messis, nec fit pro Pueris catechesis nec Evangelii explicatio –, ac inde occubuisset, propositis dubiis: – III. An Parochis Civitatis liceat omittere explicationem S. Evangelii tempore Adventus et Quadragesimae et cathechesim mense octobris in casu etc. V. An Parochis ruralibus liceat omittere Evangelii explicationem et cathechesim mense octobris et tempore messis in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium et quintum, expectetur novus Episcopus – *in Montis Politiani Visitationis sacrorum Liminum die 23 Februarii 1856.*

34. Nullum tamen dubium, quin Parochi praedicare teneantur, non obstante ullatenus vel consuetudine immemorabili, vel copia Concionatorum in aliis Ecclesiis, vel exiguo suarum Plebium numero; nam praeterito ineunte seculo dubium excitatum est in Regno Hispaniae, num excusarentur Parochi a praedicatione vel praetextu immemorabilis, vel suppeteret copia Concionatorum in aliis Ecclesiis: at haec reprobavit Innocentius XIII in Constitutione, cuius initium *Apostolici ministerii* data 13 maii 1723 *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Id.*

Item *in Lunen. Sarzanen. Praedicationis die 16 Augusti 1828* §. *Nec; in Montis Politiani Visitationis sacrorum Liminum die 23 Februarii 1856* §. *Porro* (1).

35. Inde Benedictus XIII praefatam Constitutionem Innocentii XIII, ut ceteris Episcopis velut exemplar proponeretur, confirmavit Constitutione *In supremo* 13 septembris 1724; ac Parochos redarguit, qui diebus saltem Dominicis et festis solemnibus Plebes sibi commissas salutaribus verbis praetermittunt – vel praetextu immemorabilis, sed pravae consuetudinis, vel quia haec ab ipsis praestare necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium sacras conciones in aliis Ecclesiis – *in Lunen. Sarzanen. Praedicationis die 16 Augusti 1828* §. *Nec.*

36. Idcirco pro illis Ecclesiis, ubi conciones praedicto tempore non habentur, contraria praxis suffragari non posse videtur *in Montis Politiani Visitationis sacrorum Liminum die 23 Februarii 1856* §. *Quo.*

37. Post haec omnibus compertum est, quod Clemens V in Concilio Viennensi pro Fratribus Praedicatoribus et Minoribus Constitutionem *Dudum* de sepulturis edidit, qua sanxit: – Auctoritate Apostolica statuimus et ordinamus, ut dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis et locis eorum et in plateis communibus libere valeant Clero et Populo praedicare ac proponere verbum Dei, hora illa dumtaxat exceptà, in qua locorum Praelati praedicare voluerint, vel coram se facere solemniter praedicari, in qua praedicare cessabunt – *in Olomucen. Iuris concionandi die 14 Martii 1733* §. *At.*

38. Unde per seipsum praedicare volente Episcopo, silere debent omnes alii Praedicatores etiam Regulares in propriis Ecclesiis; secus vero si coram se tantum praedicare faceret: ita enim Sanctissimus, audita sententia S. Congregationis post maturam discussionem, declaravit *in Pacen. die 26 Aprilis 1607 ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 171.*

(1) Benedict. XIV. Inst. eccles. 10, n. 3; Girald. Expos. it. Iur. Pontif. part. 2, sect. 8, pag. 816.

Item *in Bituntina die 17 Februarii et die 2 Martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 33; in Brundusina die 18 Martii 1645 lib. 17 Decretorum.*

39. Qua de re Sacra Congregatio censuit, ita intelligendam esse Clementinam *Dudum* de sepulturis *in Torcellen. die 21 Iunii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 446.*

40. Si vero Episcopus coram se praedicare faceret *solemniter* ex causa publica convocatis Clero Magistratu ac Populo, tunc pariter silere debent alii Praedicatores; et renuentes potest censuris, etiamsi sint Regulares, coercere *in Brundusina die 18 Martii 1645 lib. 17 Decretorum.*

Item *in Urbinaten. die 3 Februari 1652 lib. 19 Decretorum pag. 168.*

41. Hinc Regulares nec sermones habere possunt Congregationibus secularium hora, qua Episcopus ipse praedicat, vel coram se *solemniter* praedicare facit *in Adiacen. anno 1625 lib. 12 Decretorum pag. 265.*

42. Excepto tamen Parocho, qui in sua Ecclesia etiam praedicante Episcopo per seipsum potest inter Missarum solemnia habere sermonem ad suum Populum *in Torcellen. die 21 Iunii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 446.*

43. Nam Episcopus praedicare potest etiam in Ecclesia Regularium, curam animarum habentibus, in actu visitationis earumdem *in Bobien. die 16 Martii 1630 lib. 14 Decretorum pag. 260.*

44. Non tamen possunt praedicare in Ecclesia Regularium Episcopi alieni absque Diaecesani licentia *in Dubio Praedicationis die 12 Iulii 1670 lib. 26 Decretorum pag. 377.*

45. Quin imo nec Regulares praedicare valent in propria Ecclesia, contradicente Episcopo, qui tamen sine rationabili causa contradicere non debet *in Forolivien. die 9 Februarii 1647.*

Item *in Narnien. Iurisdictionis die 13 Iulii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 357; in Dubio Praedicationis die 12 Iulii 1670 lib. 26 Decretorum pag. 377.*

46. Contradicente proinde ex rationabili causa Episcopo vel Abbate Nullius Diaecesis, Regulares nec in Ecclesiis sui Ordinis praedicare possunt *in Aquinaten. anno 1587 lib. 5 Decretorum pag. 60.*

Item *in Pharen. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 33; in Elboren. anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 140; in Andrien. mense Ianuarii 1608 lib. 11 Decretorum pag. 26 a tergo.*

47. Nam Episcopus vel Abbas contradicere non debent eisdem praedicare volentibus in propriis Ecclesiis absque rationabili causa *in Dubio anno 1625 lib. 12 Decretorum pag. 331.*

48. Insuper nedum ex rationabili causa dumtaxat contradicere valet Episcopus, sed nec ipse prohibere potest Regularibus, ne praedicent in Ecclesiis suorum Ordinum, ex causis nullo modo praedicationem concernentibus; proposito enim dubio: – VI. Utrum Archiepiscopus ex causis occultis non concernentibus concionem possit eisdem Regularibus prohibitionem facere? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Archiepiscopum posse, non tamen ex causis nullo modo concernentibus concionem – *in Senonen. die 28 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 246.*

49. Hinc nec possunt prohiberi, ne praedicent in propriis Ecclesiis per censuras vel alias poenas ecclesiasticas; sed praedicantes, contradicente Episcopo, puniendi sunt ab eorum superioribus Regularibus *in Hieracen. die 14 Decembris 1613 ad Caput 4 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

50. At Episcopus contradicendo alicui Religioso, ne praedicet, non tenetur causam probare nec iustificare minusque illam dicere; proposito enim dubio: – VI. Utrum vigore sess. 24 cap. 4 de reformatione Ordinarii prohibentes Regularibus, ne in Ecclesiis suorum Ordinum ad Populum loquantur, teneantur causas, quibus moventur, dicere aut iustificare? –, Sacra Congregatio respondit: – Non teneri – *in Mediolanen. mense Iunii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 267.*

Item *in Pacen. die 26 Aprilis 1607 ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 171.*

51. Immo Episcopus eum excommunicare potest, si praedicare audeat, ipso invito, in propria Ecclesia *in Nullius die 21 Iulii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 401.*

52. Potest pariter Episcopus Regulares punire, si in propriis Ecclesiis de Ordinario obloquantur vel in propriis Oratoriis *in Ver-*

cellen. die 20 Martii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 171.

53. Non debet tamen Episcopus circa suspensiones Concionatorum Regularium abuti sua facultate; ideo permittere debet idoneis, ut hoc munus in utilitatem animarum exerceant *in Belgii die 23 Augusti 1636 lib. 15 Decretorum pag. 398.*

54. Non potest autem Episcopus examinare Regulares praedicare volentes in Ecclesiis suorum Ordinum *in Senonen. die 28 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 246.*

55. Neque potest generatim alicui Religioni prohibere, ne in Ecclesiis suae Diaecesis praedicent; sed tantum singularibus personis, ubi ex causa voluerit contradicere *in Pacen. die 26 Aprilis 1607 ad cap. 4 sess 24 de reformatione Posit. 89 pag. 171.*

Item *in Novarien. die 5 Februarii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 393.*

56. Non potest enim Episcopus contradicere nec debet, nisi ex rationabili causa et personis tantum singularibus, non autem generatim alicui Religioni, praesertim si eis licentia ad Populum dicendi fuerit concessa *in Senonen. die 28 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 246.*

57. Quin imo prohibere non potest Episcopus generatim alicui Religioni, sed tantum singularibus Religiosis, ne praedicent, etiamsi praedicaverint scandalosa *in Pacen. die 26 Aprilis 1607 ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 171.*

Item *in Novarien. die 5 Februarii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 393* (1).

58. At Constitutio synodalis, prohibens concionem SSmae Passionis Dñi Nostri Iesu Christi fieri nocte, est observanda etiam a Regularibus in propriis Ecclesiis quantumvis exemptis *in Nucerina die 5 Maii 1618 Posit. 89 pag. 145 ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione.*

59. Quum itaque Patres Augustiniani sustinerent, se habere facultatem praedicandi in sua Ecclesia horis antimeridianis, non vero pomeridianis post decantationem vesperarum in Ecclesia parochiali, Sacra Congregatio rem arbitrio Episcopi remisit *in Olomucen. Iuris Concionandi die 14 Martii 1733.*

60. Siquidem Fratres Augustiniani excalceati anno 1696 domicilium habere ceperunt in Oppido Fratingensi ea lege, ut nullo modo turbarent Parochum in cura animarum ac functionibus parochialibus. Suborta autem inter ipsos Religiosos et Parochum contentione circa tempus habendi conciones, ad eam sopiendam conventionem inierunt. At Consistorium Episcopale eam adprobare noluit, decrevitque sub finem anni 1731 Fratribus Augustinianis nonnisi pomeridianis horis licere conciones instituere et postquam in Ecclesia parochiali absoluta fuerit vesperarum decantatio ac etiam elementorum fidei traditio. Reclamarunt Religiosi, innixi Constitutioni *Dudum* de sepulturis Clementis V in Concilio Viennensi editae pro Fratribus Praedicatoribus et Minoribus, quorum privilegia sunt etiam iisdem communicata, quin ulla huius generis conditio fuerit iniecta Regularibus a Sacro Concilio Tridentino cap. 2 sess. 5 de reformatione. Proposito vero dubio: -An liceat Patribus Augustinianis excalceatis Oppidi Frattignae conciones habere in sua Ecclesia horis antimeridianis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Arbitrio Episcopi, et amplius – *in Olomucen. Iuris concionandi die 14 Martii 1733.*

61. Similiter exorta inter Communitates Ussutii et Spurani et Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti Plebis Insulae ex una, et Archipresbiterum et Canonicos Collegiatae S. Euphemiae Insulae ex alia partibus controversia: – VI. Qua hora concio diebus Quadragesimae haberi debeat? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, arbitrio Episcopi – *in Comen. Missae parochialis et Conventualis die 11 Mai 1720.*

62. Alias enim concio habenda est finito Evangelio ex Rubrica Missali Romani tit. Ritus celebrandi Missam §. 6 n. 6 *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Agitur.*

63. Quum autem Universitas Conchae Praedicatorem eligeret ex ordine Fratrum S. Dominici, qui non tantum concionem habebat in Ecclesia Sanctissimae Annunciationis sui Ordinis, sed etiam decurrente tempore quadragesimali in nonnullis aliis Ecclesiis prae-

(1) Accessit Constitutio Clementis X, quae incipit *Superna* Kal. iunii 1670, qua statuitur, – non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent –.

dictae Terrae, nempe in Collegiata S. Petri, in Ecclesia S. Salvatoris, in Ecclesia S. Mariae Succursus, et in Ecclesia S. Eleuterii, propositis dubiis: – IV. An idem Praedicator teneatur praedicare in Ecclesia Collegiata Parochiali, seu potius in Ecclesia SS. Annunciationis sui Ordinis in casu etc. V. An idem Praedicator teneatur saltem in aliquibus diebus Quadragesimae praedicare etiam in aliis Ecclesiis eiusdem loci in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, teneri in utraque iuxta solitum. Ad quintum, ut in quarto – *in Theanen. die 19 Iunii 1728.*

64. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 19 iunii 1728? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Theanen. die* 30 *Aprilis 1729.*

65. Hinc licet adsit transactio, qua Regulares eligendi per Communitatem per turnum in respectivis Ecclesiis et Parochiali iure praedicandi pollent, si tamen praefata Ecclesia parochialis in Collegiatam insignem erigatur ac in ampliori elegantiorique forma extructa sita sit in loco ceteris commodior, iidem in ea praedicare tenentur, servato tamen solito turno *in Senogallien. Iuris concionandi die 27 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum.*

66. Siquidem – ob angustiam Ecclesiae parochialis S. Petri Terrae Corinalti et ob nonnullas controversias exortas inter Patres Regulares Ordinum S. Augustini ac Minorum Conventualium eiusdem loci super iure habendi concionem in eorum Ecclesiis, deventum fuit inter eosdem circa annum 1639 ad quamdam transactionem, qua conventum extitit, quod firmandus esset turnus quatuor annorum, in quorum primo sacra concio habenda esset in Ecclesia dictorum Patrum Minorum Conventualium, in secundo vero in Ecclesia PP. Ordinis S. Augustini, in tertio anno in eadem Patrum Minorum Conventualium, in quarto demum in Ecclesia parochiali, reservata tamen Superiorum confirmatione ad effectum illam redigendi in publicum instrumentum, quae tamen confirmatio non apparet, quod unquam fuerit obtenta, seu quod dicta transactio in publicum instrumentum redacta, licet per plures annos ita executioni fuerit demandata. Erecta autem a s. m. Innocentio X praefata Ecclesia parochiali in Collegiatam insignem cum duabus Dignitatibus duodecim Canonicis ac quatuor Mansionariis in ampliori elegantiorique forma extructa fuit, ita ut ab anno 1689 usque ad 1700 inibi sacra concio expleta remanserit, iuxta attestationem duorum Officialium Communitatis: sed excitata nova controversia per Patres S. Augustini super eodem iure, Capitulum et Canonici dictae Ecclesiae Collegiatae supplicem porrexerunt libellum huic Sacrae Congregationi petentes, ut, non obstante supradicta transactione, imposterum praedicari deberet in eorum Ecclesia, super quo Episcopus de more auditus, transmittens copiam tam capitulorum dictae conventionis, quam consensus praestiti in publico Consilio per Communitatem, refert, dictam Ecclesiam parochialem, praeter amplitudinem, sitam esse in loco ceteris commodiori, cum e contra Ecclesia Patrum S. Augustini sit valde incommoda, et alia Patrum Minorum Conventualium existat extra portam eiusdem Civitatis –.

67. Quibus praehabitis, proposito dubio: – An et in qua Ecclesia sit praedicandum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Verbum Dei esse praedicandum in Ecclesia Collegiata per Praedicatorem eligendum a Communitate, servato tamen solito turno – *in Senogallien. Iuris concionandi die 27 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum.*

68. Multo magis Concionator quadragesimalis praedicare tenetur die festivitatis S. Iosephi in Ecclesia parochiali, non vero in Ecclesia Confraternitatum, licet Sacra Congregatio edixerit, quod festum S. Iosephi esset celebrandum in praefata Ecclesia Confraternitatum cum maiori pompa et exteriori solemnitate; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Concionator quadragesimalis debeat dicta die festivitatis concionari in dicta Ecclesia Confraternitatis, seu potius in Ecclesia parochiali in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Bisinianen. Festivitatis die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

69. Ne dubium vero, quod in Ecclesiis Confraternitatum publicae conciones haberi valeant per totum cursum Quadragesimae vel Adventus cum sola licentia Ordinarii et abs-

que licentia Parochi; his enim in terminis proposito dubio: + XVIII. An in Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus cum sola licentia Ordinarii et absque licentia Parochi? –, S. Rituum Congregatio anno 1703 respondit: – Ad decimum octavum, Affirmative – *in Olomucen. Iuris concionandi die 14 Martii 1733* §. *Iura.*

70. Proposito autem dubio: – II. An sit servanda consuetudo Ecclesiae Archipresbiteralis S. Andreae et S. Ioannis Granaroli, quae unicum retinet Concionatorem in Quadragesima, ut in die festivitatis S. Iosephi, quae celebratur in dicta Ecclesia Archipresbiterali, fiat concio in eadem Ecclesia exclusive ad aliam Granaroli, ne tollatur Populi concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, posse concionem fieri in utraque Ecclesia horis ab Episcopo designandis – *in Faventina Iurium parochialium et praeeminentiarum die 18 Septembris 1756.*

71. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Concionatorem praedicare debere lingua Materna vernacula et naturali loci, in quo concionem habet *in Derthusen. die 27 Maii 1634.*

Item *in Tarraconen. die 6 Martii 1638 lib. 15 Decretorum pag. 680.*

72. Nam conciones elegantiori stylo habitae, subtilibusque argumentis idoneae non sunt pro pueris, et rudibus *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *II.*

73. Ceterum Sacra Congregatio satius duxit non respondere proposito dubio, an fideles diebus Dominicis aliisque festis teneantur de consilio vel de praecepto audire Verbum Dei *in Neapolitana Dubium auditionis concionis die 4 Iunii 1707 lib. 57 Decretorum.*

74. Siquidem – cum Pater Riccius e Societate Iesu Rector loci nuncupati *il Carminello* Civitatis Neapolis in concione inibi habita die martis mox elapsae maioris Hebdomadae pro certo affirmasse dicatur, unumquemque Christifidelem sub lethalis criminis reatu teneri diebus Dominicis aliisque festis audire Verbum Dei, saepius ad id adstruendum, repetendo locum S. Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 4 de reformatione, cuius verba haec sunt: « moneatque Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei ». Hinc accidit, quod Thomasinus de Subdiaconis huiusce propositionis stimulo perculsus per literas humillime imploravit oraculum huius Sacrae Congregationis pro declaratione, an praelaudata Conciliaris dispositio sit obligatoria de consilio vel de praecepto eo potissimum attento, quod tam in dicta Civitate, quam in toto Regno Neapolitano nunquam de praecepto habita fuerit. Ad serenandas itaque fidelium conscientias demandatum fuit, ut dubium istud describeretur in folio; unde non erit grave EE. PP. declarare: – An et sub qua culpa teneantur fideles audire conciones in casu etc. –, Sacra Congregatio vero censuit, non esse respondendum (1) *in Neapolitana Dubium auditionis concionis die 4 Iunii 1707 lib. 57 Decretorum.*

75. Hinc non debet Episcopus cogere Clerum neque per censuras, neque per poenas pecuniarias ad audiendum verbum Dei; sed tantum illum salutaribus monitionibus allicere *in Nullius die 26 Aprilis 1636 lib. 15 Decretorum pag. 348.*

76. Quoad Capitula Ecclesiarum vero, Episcopus Mélevitanus in Synodo inter ceteras hanc edidit Constitutionem: – Dum praedicatur, nullus Sacerdos Missam celebret, aut confessionem excipiat, nec ullus Clericus aut alius ecclesiasticus in Sacristia se contineat, sed ut laicis sint exemplo cuncti in choro aut alio Ecclesiae opportuniori loco Canonici habitu clericali ceteri superpelliceo et birreto induti verbum Dei attente ac devote audiant –. Capitulum autem obstitit. Proposito itaque dubio: – An et quae Constitutiones sustineantur, seu potius sint reformandae in casu etc. –,

(1) Card. Petra in comment. ad Constitutionem I Nicolai III n. 14 tom. 3 haec ad rem habet: – ibi – Fg> ex superius adductis consulebam respondendum esse, teneri ad formam Concilii non autem cogi, sed hortari; et quoad forum internum unumquemque consulere debere conscientiae suae, cum id dependeat ex diversis facti circumstantiis. Nihilominus eadem Sacra Congregatio satius tunc duxit ad praefatum dubium non respondere –.

Sacra Congregatio responsum dedit: - Quoad primam Constitutionem substineri, et quoad non interessentes tempore Adventus et Quadragesimae in concionibus sub poenis a S. Congregatione alias praescriptis (1) - *in Melevitana Synodi die 9 Aprilis 1707 lib. 57 Decretorum.*

§. II.

CONCIONATOR QUOAD NOMINATIONEM PRAESENTATIONEM ET APPROBATIONEM.

1. Deputatio Concionatorum ad Episcopalem pertinet iurisdictionem *in Feretrana Iuris concionandi die 21 Augusti 1790* §. *Ob auctum.*

2. Nam compertum cum sit, praedicationis munus proprium esse Episcoporum, ideoque ius et facultatem deputandi sacros Oratores non ad Communitates, sed ad Episcopos pertinere, nisi contraria sit consuetudo, quae in Ecclesiis inferioribus, quidquid sit in Cathedralibus, licet quadragenaria, servanda est *in Civitatis Castellanae Iuris concionandi die 19 Iunii 1751* §. *Diuturno.*

Item *in Civitatis Castelli die 17 Decembris 1763* §. *Ministerium* (2).

3. Unde si Episcopus non potest praedicare per universam Diaecesim, tenetur delegare Concionatores, ut deducitur ex cap. *Inter cetera* de officio Iudicis Ordinarii, in quo praescribitur Episcopis, ut in amplis Diaecesibus, vel si aliter impediti fuerint, quominus per se concionantur, - Viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exequendum assumant, qui Plebes sibi commissas vice ipsorum sollicite visitantes eas verbo aedificent et exemplo -: ex quo Textu colligitur, ut inquit Passerinus de stat. homin. quaest. 187 art. 4 inspect. 2 n. 27, - quod solius Episcopi est nedum Praedicatores approbare, sed eos eligere pro Ecclesiis Diaecesis suae iurisdictioni subiectis. Nec Parochus potest impedire Praedicatorem missum ab Episcopo, ne in sua Ecclesia conciones habeat. Cum enim praedicandi munus sit illius proprium, nulli hoc competit, nisi ab eo misso. Mittit vero Parochos, cum illis Beneficium parochiale confert, alios vero eligit secundum suae prudentiae arbitrium - *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Dubitari.*

4. Parochi enim praedicationis munus in propriis Ecclesiis obire debent, vel si impediti fuerint, per Substitutos ab Episcopo deputandos, expensis eorum, qui eas praestare tenentur, vel solent *in Pisana die 29 Martii 1817* §. *Ex quo.*

5. Qua de re non ad Parochum in sua parochiali Ecclesia, sed ad Episcopum pertinet deputatio Concionatoris in eadem per Textum in Cap. *Excommunicamus* §. quia vero de haereticis, et in Cap. *Sicut* eodem titulo in 6 cum aliis cumulatis in decis. 598 n. 60 coram Merlino, et expresse decernitur in Concilio Tridentino sess. 24 cap. 4 de reformatione *in Aesina Iuris eligendi Concionatorem die 16 Martii 1720* §. *Postquam.*

6. Quin imo nedum deputatio Concionatoris, sed et eiusdem electio ad Episcopum spectat, si plus quam quadragenaria adsit consuetudo, cum Sacra Congregatio declaraverit, eam satis esse ad manutenendum Episcopum in possessione eligendi Concionatorem in Ecclesia non Cathedrali, et obligandi Communitatem ad solvendam eidem eleemosynam *in Lauden. die 1 Decembris 1658 lib. 35 Decretorum pag. 494.*

Item *in Ostunen. die 15 Decembris 1692 lib. 42 Decretorum; in Bovinen. Iuris eligendi Concionatorem die 20 Iunii 1693 lib. 43 Decretorum.*

7. Alias enim consuetudo immemorabilis, secundum quam facultas nominandi Concionatorem in Ecclesiis non Cathedralibus com-

(1) Scilicet sub poena punctaturae, ceu ad rem advertit ac probat Card. Petra ad Constit. 1 Nicolai III, n. 17, tom. 3.

(2) Barbos. ad Concil. Trid. sess. 5 de reform. Cap. 2, n. 10; Piguatell. consult. can. 206, tom. 4, n. 15 17 et 37; Card. De Luca in Miscell. eccles. disc. 27, n. 5; in aduot. ad Concil. Trid. disc. 3, n. 6; Ventrigl. in exam. Episcop. cap. 60, n. 8; Gavant. in manual. Episcop. verb. *Concio sacra*, n. 24; aliique frequentissime.

petit aliis, quam Ordinario, non est sublata a Concilio Tridentino in Cap. 4 sess. 24 de reformatione *in Tirasonen. mense Octobris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 77.*

Item *in Aliphana mense Iulii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 160; in S. Angeli die 16 Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 3.*

8. Idcirco si Universitas habet huiusmodi consuetudinem nominandi Concionatorem in Ecclesia non Cathedrali, talis consuetudo est observanda *in Rossanen. die 2 Septembris 1591 lib. 7 Decretorum pag. 19.*

9. Unde ad Universitatem, non autem ad Episcopum spectat electio Praedicatoris, si antiqua extat sententia Curiae Metropolitanae favore illius *in Theanen. die 19 Iunii 1728 et die 30 Aprilis 1729.*

10. Siquidem anno 1596 Curia Metropolitana Capuana, ad quam facta fuerat remissio Causae Episcopi Theanensis Suffraganei, quam habebat cum Universitate Conchae super electione Praedicatoris in Ecclesia Sanctissimae Annunciationis Fratrum Praedicatorum, Decretum protulit, quo declaravit, ius eligendi Praedicatorem ex Ordine Fratrum S. Dominici pertinuisse et pertinere ad Universitatem Conchae, et Universitatem esse manutenendam in electione praedicti Praedicatoris, facta iuris reservatione favore Episcopi circa ius eum benedicendi. Anno 1726 Universitas recursum habuit ad praefatam Curiam Metropolitanam instando pro observantia Decreti per eam editi anno 1596. At Curia Episcopalis contendit, ius nominandi Concionatorem ad Episcopum, et non ad Universitatem spectare, nec ullo modo obesse antiquam sententiam Curiae Metropolitanae, quam nullam asseruit et iniustam. Proposito vero dubio: – I. An ius nominandi Concionatorem quadragesimalem ex Ordine S. Dominici spectet Universitati Conchae, seu potius Episcopo Theanensi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Theanen. die 19 Iunii 1728.*

11. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub 19 iunii 1728? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Theanen. die 30 Aprilis 1729.*

12. Hinc etiam Administratoribus ius eligendi Concionatorem spectare potest; quum enim Communitas Foroliviensis contendisset, ad se spectare ius deputandi Oratorem sibi benevisum, qui die festivitatis S. Peregrini Latiosi, cuius corpus asservabatur in Ecclesia Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, panegiricam orationem haberet hora a Civitatis Magistratu praefinienda, propositis dubiis: – V. An in die festo divi Peregrini habendo die 1 maii recitanda sit oratio panegirica in casu etc. *Et quatenus affirmative.* VI. An et cui competat ius eligendi Oratorem quo praemio et ex quibus bonis seu reditibus sit illud solvendum in casu etc. *Et quatenus affirmative quoad Communitatem.* VII. An ab eadem Communitate deputandus sit pro eodem effectu Religiosus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis in casu etc. VIII. An qua die quo tempore et qua hora dicta panegirica oratio sit recitanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, arbitrio Episcopi, et amplius. Ad sextum, ius eligendi Oratorem competere Administratoribus, et praemium Oratoris taxandum esse ab Episcopo persolvendum ex reditibus Capellae. Ad septimum, Affirmative ceteris paribus. Ad octavum, arbitrio Episcopi; et amplius – *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

13. Repropositis dein dubiis sexto et septimo sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad sextum et septimum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum in decisis; et amplius. Ad septimum, Affirmative; et recedendum a decisis – *in Forolivien. die 7 Maii 1785.*

14. Demum reproposito septimo dubio sub formula: – II. An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad septimum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in secundo loco decisis; et amplius – *in Forolivien. die 21 Ianuarii 1786.*

15. Quum itaque Prior Cathedralis Ecclesiae Aesinae esset Curatus habitualis Castri S. Marcelli et Communitas dicti Castri manus daret victas et libenti animo admitteret, electionem Concionatoris pertinere ad praefatum Priorem, ne dubium quidem, quod ad dictum Priorem spectaret huiusmodi electionem, quin obesset inquisitio ex officio, an Praedicatoris deputatio in praefata Ecclesia pertineret ad

Episcopum; nec enim ad Parochum in sua Parochiali Ecclesia, sed ad Episcopum pertinet deputatio Concionatoris in eadem. His quippe in terminis proposito dubio: – I. An nominatio seu praesentatio Praedicatoris in loco Castri S. Marcelli spectet ad Priorem Ecclesiae Cathedralis Aesinae, seu potius ad Communitatem dicti loci in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Aesina Iuris eligendi Concionatorem die 16 Martii 1720.*

16. Quin imo Sacra Congregatio quandoque etiam indultum eligendi Concionatorem concessit Communitati pro Ecclesia non Cathedrali in Civitate pro commoditate Populi, attenta distantia Cathedralis a Civitate, quin obesset, quod in dicta Ecclesia Cathedrali concionaretur electus ab Episcopo *in Sarnen. Iuris eligendi Concionatorem die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

17. Nec itaque deneganda est ab Episcopo licentia praedicandi, si alias idoneus praesentetur *in Nuscana lib. 2 Decretorum pag. 222 a tergo.*

18. Quod si exulet huiusmodi privilegium vel consuetudo eligendi Concionatorem, Sacra Congregatio respondit, Concionatoris electionem spectare ad Episcopum, non vero ad Communitatem, non prolata per istam immemorabili consuetudine *in Civitatis Castellanae electionis Concionatoris die 14 Novembris 1693 lib. 43 Decretorum.*

19. Idcirco licet, Testibus formiter examinatis, Sacra Congregatio mandaverit, eleemosynam Concionatori solvendam esse a Communitate, non propterea ad eamdem spectare edixit electionem Concionatoris ex praetensa immemorabili consuetudine, quum Episcopus retulisset, Universitatem Oppidi Marcellinariae neque de iure, neque de facto tale nominandi ius habere; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Universitas Oppidi Marcellinariae Neocastrensis Diaecesis sit manutenenda in possessione nominandi Concionatorem pro tempore quadragesimali in Parochiali Ecclesia eiusdem Oppidi? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Neocastren. Iuris nominandi Concionatorem die 6 Octobris 1703 lib. 53 Decretorum.*

20. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium sub die 6 octobris 1703 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis – *in Neocastren. Iuris nominandi Concionatorem die 31 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

21. Qua de re – Communitas et Homines loci Castri Plani huius Diaecesis conquesti sunt apud hanc Sacram Congregationem, quod licet ab antiquissimo tempore consueverint iidem nominare seu praesentare Concionatorem in eodem loco tempore Quadragesimae et Adventus, nihilominus modernus Episcopus multo abhinc tempore sibi appropriaverit integrum ius eligendi dictum Concionatorem, cogendo ante dictam Communitatem eidem solvere eleemosynam aliaque necessaria praestare: hinc exorarunt pro declaratione, vel quod Episcopus restituat Oratoribus praefatum ius nominandi, vel si ipse velit uti dicto iure eligendi, solvat itidem Concionatori debitam eleemosynam. Requisitus idem Episcopus desuper informare asseveravit, eum spatio quindecim annorum, quibus ille Ecclesiae praefuit, semper elegisse Praedicatorem in loco praedicto, quemadmodum egerunt sui Praedecessores cl.me. Cardinales Cybo et Petruccius, semperque Communitatem eleemosynam Concionatoribus persolvisse, transmittens insuper Relator ad id comprobandum binas attestationes, atque exorans decerni, servandum esse solitum. Hinc citato Procuratore eiusdem Episcopi in Curia –, proposito dubio: – I. An electio Praedicatoris in loco Castri Plani spectet ad Episcopum, sive potius nominatio vel praesentatio ad Communitatem dicti loci? –, Sacra Congregatio nedum mandavit, eleemosynam solvendam esse a Communitate, sed et responsum edit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Aesina Electionis Concionatoris die 8 Augusti 1711 lib. 61 Decretorum.*

22. Idcirco multo magis ad Episcopum spectat electio alterius Concionatoris noviter instituti, si ex consensu et confessione totius Populi ea ipsi competere videatur, licet a Syndico nominaretur Concionator, qui alternatim in uno et alio Pago antea concionari tenebatur, et ab ipsa Communitate debeat solvi eleemosyna; his enim in terminis proposito

dubio: – I. An ius nominandi Concionatorem tempore Quadragesimae in Parochiali Ecclesia Casalis *Cartopoli* spectet ad Communitatem, vel ad Episcopum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, spectare ad Episcopum – *in Cathacen. Iuris nominandi Concionatorem die 24 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

23. Unde Sacra Congregatio huiusmodi controversiam dirimere minime solet, nisi prius audiatur Episcopus; proposito enim dubio: – II. An nominatio Concionatoris spectet ad Archipresbiterum et Parochianos, vel potius ad Archiepiscopum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, audiatur Archiepiscopus – *in Rossanen. Praedicationis die 8 Martii 1698 lib. 48 Decretorum.*

24. Qua de re quum Episcopus ex consuetudine iure polleat eligendi Concionatorem, potest is coercere etiam censuris ecclesiasticis praetendentes eum spoliare iure eligendi Praedicatorem in Quadragesima et aliis temporibus *in Strongolen. die 17 Iunii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

25. Hinc etiam Metropolitanus prohibere alicui valet officium praedicationis in tota sua Provincia, ideoque in Ecclesiis etiam Suffraganeorum ex Cap. 11 de privilegiis et Cap. 2 de arbitris, et tradunt etiam Van-Espen. iur. eccles. part. 1 tit. 19, Ferrar. in Biblioth. can. verb. *Archiepiscopus* art. 2 in addit. n. 63, Maschat. instit. can. lib. 1 tit. 31 quaest. 6 et 7, aliique *in Lauden. Parochialis die 13 Septembris 1800* §. *Horum.*

26. Episcopi tamen abuti non debent facultate suspendendi Concionatores praesertim Regulares *in Belgii die 23 Augusti 1636 lib. 15 Decretornm pag. 398* (1).

27. Siquidem ad Regulares quod spectat S. Pius V in sua Constitutione 41 statuit, quod Fratres Ordinis S. Dominici in suis Ecclesiis libere praedicare possent, etiamsi in Cathedrali praedicetur, dummodo ipse Episcopus non praedicet, et quod haec libera facultas praedicandi sibi locum vindicare deberet, etiamsi Episcopus contradiceret, etiamsi se Episcopo non praesentassent, etiamsi ei non exhibuissent licentiam a suis Superioribus habitam de praedicando, et etiamsi benedictionem ab eodem Episcopo non obtinuissent; sed haec Constitutio Piana fuit a Gregorio XIII redacta in sua Constitutione 9 ad terminos iuris communis et S. Concilii Tridentini. Anno autem 1728 prodiit Constitutio Benedicti XIII, quae incipit: *Pretiosus,* et in qua innovantur et confirmantur privilegia Ordinis Praedicatorum, et in §. 29 haec verba habentur: – confirmantes innovantes ac de novo concedentes, motu scientia et potestate praedictis confirmamus facultatem praedicandi verbum Dei ad normam tamen Concilii Tridentini sess. 24 cap. 4 et declarationis S. Pii V in Constitutione *Etsi mendicantium,* quam declarationem intelligendam esse volumus, ubi pro habendis ad Seculares concionibus Episcopus non contradicat alicui determinato Fratri propter particularia motiva – *in Theanen. die 15 Maii 1728* §. *Sanctus et* §. *Anno.*

28. Insuper Gregorius XV in sua Constitutione 18 statuit, non posse Regulares praedicare in Ecclesiis, quae non sunt suorum Ordinum sine Episcopi licentia, et in Ecclesiis suorum Ordinum non petita illius benedictione, et Clemens X in sua Constitutione septima haec omnia confirmavit et addidit, Regulares praedicare posse in Ecclesiis suorum Ordinum petita licet non obtenta benedictione, excepto casu, in quo Episcopus non solum benedictionem non concedit, sed contradicit; in eo etenim Constitutio Clementina vult, ut nec Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum possint praedicare, et in hac benedictione non potest Episcopus Regulares examinare quoad doctrinam, quod facere potest, quando agitur de licentia concedenda iisdem praedicare volentibus in Ecclesiis, quae non sunt suorum Ordinum *in Theanen. die 15 Maii 1728* §. *Gregorius.*

29. Hinc Regulares licet concionem habeant extra Quadragesimam et Adventum in propriis Ecclesiis, benedictionem petere tenentur; proposito enim dubio: – X. An ius sit Regularibus in propriis Ecclesiis extra tempus Adventus et Quadragesimae concionem

(1) Ne dubium enim, quod Episcopus suspendere valeat licentiam praedicandi. Nam et Clemens X in Constitutione, cuius initium *Superna* Kal. iunii 1670, praestituit, Episcopum posse – et licentiam praedicandi semel iisdem (nempe Regularibus) concessam ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere –.

habere absque benedictione? –, Sacra Congregatio respondit: – Non licere – *in Vercellen. die 24 Martii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 170.*

30. Ceterum Regulares in Ecclesiis sui Ordinis praedicaturi benedictionem quidem ab Episcopo exposcere tenentur, non autem impetrare, ut Synodo Tridentinae praescripto inhaerens s. m. Clemens X aperte declaravit in Constitutione septima, quae incipit *Superna*, et communiter docent Fagnani in Cap. *Grave* n. 42 de officio Iudicis Ordinarii, Murga in oper. can. tit. de constit. quaest. 3 concl. 1 n. 13 et 14, Barbos. in Sum. Apost. decis. verb. *Praedicare* n. 2 *in Firmana Concionatoris die 21 Iulii 1742* §. *Ad.*

31. Itaque anno 1726 excitata fuit a Promotore Fiscali Curiae Archiepiscopalis Florentiae quaestio cum Regularibus praedicantibus in Ecclesiis suorum Ordinum, quod ipsi videlicet a Cancellaria testimonium reportare deberent receptae benedictionis gratis concedendum, cum sine illo introduceretur abusus praedicandi non petita benedictione; sed Sacra Congregatio die 12 ianuarii eiusdem anni resolvit, Religiosos praedicare volentes in Ecclesiis sui Ordinis non teneri ad recipiendas literas Patentales petitae vel obtentae benedictionis ab Ordinario *in Theanen. die 15 Maii 1728* §. *Anno.*

Item *in Firmana Concionatoris die 21 Iulii 1742* §. *Quod.*

32. Idcirco quum Episcopus Vigiliensis in relatione status suae Ecclesiae eamdem fere quaestionem exposuisset, Sacra Congregatio respondit: – Si Concionatores Regulares ab Universitate ex vetusta consuetudine nominati, atque in Ecclesiis suorum Ordinum sint praedicaturi, utique sufficere, ut ab Episcopo benedictionem petant; quod si sacras Conciones habituri sint in aliis Ecclesiis, debere ab amplitudine tua etiam obtinere licentiam, quia in eorum conciones poterit, si ita ei visum fuerit expedire, etiam per examen illorum idoneitatem scrutari – *in Vigilien. die 7 Iunii 1601 lib. 9 Decretorum pag. 142 et in lib. 3 Litt. visit. sacr. Liminum pag. 26.*

33. Unde si Praedicator electus ex Ordine Dominicano ab Universitate Conchae non solum praedicat in Ecclesia sui Ordinis, sed etiam in aliis secularibus Ecclesiis, praeter benedictionem tenetur reportare ab Episcopo licentiam et literas patentales; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Praedicator ut supra nominatus ex ordine S. Dominici et a suis Superioribus Regularibus approbatus teneatur reportare ab Episcopo licentiam et literas patentales, seu potius petere solam benedictionem in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative – *in Theanen die 19 Iunii 1729.*

34. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 19 iunii 1728? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Theanen. die 30 Aprilis 1729.*

35. Multo magis igitur Praedicatores Regulares praeter benedictionem reportare tenentur licentiam et literas patentales, licet nominati fuerint per Communitatem et eiusdem Rectores acriter adversentur, ne illae admittantur *in Feretrana Concionatoris die 13 Iunii 1743* (1).

36. Quin imo non desunt, qui putant, facultatem Regularium praedicandi in Ecclesiis sui Ordinis, petita dumtaxat benedictione ab Episcopo, protrahendam non esse ad casum, quo Regulares ipsi in Ecclesiis sui Ordinis praedicent pro commoditate Populi, a quo stipendium solvatur, et quando ad hoc ministerium non ex suorum Superiorum iussu atque destinatione, sed ex alterius nominatione sive delectu assumpti sunt iuxta ea, quae tradunt Monacellius in form. eccles. tit. 12 form. 7 in annot. n. 3 et 4, Pitonius in discept. eccles. 101 n. 11, ubi decisum refertur a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis praeposita in una Alatrina 3 iulii 1693, quod etiamsi ius nominandi Regularem Concionatorem in propria Ecclesia pro commoditate Universitatis, quae eleemosynam solvat, spectaret ad Generalem Ordinis, electio tamen fieri deberet ab Episcopo *in Firmana Concionatoris die 21 Aprilis 1742* §. *Promotor.*

37. Id autem, si extet consuetudo, indubium omnino est, quod scilicet Regulares in propriis Ecclesiis praedicaturi et a Commu-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Appellatio*, §. II, n. 118 ad 124, Tom. II.

nitate electi ultra benedictionem tenentur petere approbationem ab Ordinario ac se praesentare coram Vicario Foraneo, ut doceant tam de approbatione, quam de benedictione *in Firmana Concionatoris die 21 Aprilis et die 11 Augusti 1742.*

38. Siquidem cum Archiepiscopus Firmanus retulerit, quod – mos antiquus est huius Diaecesis etiam Synodalibus Decretis confirmatus, ut Concionatores, qui a Communitatibus Locorum pro tempore Adventus et Quadragesimae eliguntur, attributis publicis stipendiis, quamvis Regulares sint, post approbationem et benedictionem ab Archiepiscopo impetratam, antequam in locis designatis concionari incipiant, Vicariis Foraneis eorumdem Locorum se sistant doceantque approbationem et benedictionem sese impetrasse, tum ex depositione quorumdam Sacerdotum aliorumque Testium –, et e contra Fratres Eremitae S. Augustini negarent, hoc unquam fuisse in Castro S. Angeli servatum, ut satis evinci arbitrabantur ex testimonio plurium eiusdem loci Incolarum, propositis dubiis: – I. An Concionatores Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui per turnum eliguntur a Communitate in Castro S. Angeli in Pantano, ultra benedictionem teneantur etiam petere approbationem a reverendissimo Archiepiscopo? *Et quatenus affirmative.* II. An dicti Concionatores teneantur se praesentare coram Vicario Foraneo locali et docere tam de dicta approbatione, quam de benedictione? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in casu, de quo agitur. Ad secundum, Affirmative – *in Firmana Concionatoris die 21 Aprilis 1742.*

39. Repropositis dein dubiis sub formula: – An quoad primum et secundum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Firmana Concionatoris die 11 Augusti 1742.*

40. At Concionator Regularis, deputatus et approbatus a respectivo Patre Provinciali pro concionando in Ecclesia Parochiali Ordini Carmelitano cum omnibus privilegiis concessa, tenetur tantum ad benedictionem petendam ab Episcopo, quin examini se subiicere debeat; sed Regulares nequeunt praepedire Missionarios aliosque extraordinarios Concionatores ab Episcopo missos, quominus ibidem praedicent *in Aquen. Concionatoris die 13 Septembris 1749.*

41. Siquidem Summus Pontifex concessit Ecclesiam Parochialem in Terra Cremolini Ordini Carmelitarum – cum omnibus et singulis privilegiis indulgentiis et gratiis praefato Ordini ac domibus eiusdem a S. Sede Apostolica generaliter concessis –. Post hanc unionem conventum fuit inter Carmelitas et Oppidanos, ut in praefata Ecclesia minor numerus Religiosorum, qui Sacerdotali dignitate praediti essent, retineri non possent, utque tempore Quadragesimae annis singulis Concionator deputaretur. Hinc Pater Provincialis contendit, Concionatorem proprii Ordinis ab ipso deputatum teneri tantum ad benedictionem petendam ab Episcopo, quin examen subire deberet ex privilegiis Ordinibus Mendicantium a Summis Pontificibus concessis, cum nec a Populo Concionator nominaretur nec stipendium praestaretur. Contra Episcopus sustinuit, praefatum Concionatorem teneri non ad benedictionem tantum petendam, sed etiam ad subeundum examen, cum Carmelitae in Oppido Cremolini propriam haberent Ecclesiam a Parochiali distinctam, Parochialis vero nonnisi administrationem acquisivissent, ad eam sartam tectamque servandam nihil impenderent, fabrica ornamenta omnia denique, quae sive ad Sacramenta, sive ad rem sacram pertinebant, aere publico fierent a Cremolinis, Episcopi praedecessores Ecclesiam visitaverint iure ordinario, sacros Oratores ab iisdem praedecessoribus Episcopis et benedictionem et approbationem petierint, et aliquando etiam examini se subiecerint.

42. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Concionator Ordinis Carmelitarum deputatus et approbatus a suo Patre Provinciali pro concionando in Ecclesia Parochiali retenta per Patres dicti sui Ordinis et existentes in terra Cremolini teneatur subiici novo examini Episcopi, seu potius teneatur tantum petere benedictionem in casu etc. II. An Missionarii et alii extraordinarii Concionatores, quos identidem illuc, prout in Domino expedire viderit, Episcopus pro tempore mittet, praepediri possint a Patribus Carmelitis, quominus in Ecclesia Pa-

rochiali Cremolini conciones aliasque necessarias in similibus functiones sibi demandatas expleant in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Negative certiorato Patre Priore urbanitatis officio – *in Aquen. Concionatoris die 13 Septembris 1749.*

43. Proposito itaque dubio: – IV. An Archiepiscopus possit Regulares concionem gerere volentes tam in Ecclesiis suorum Ordinum, quam in aliis Ecclesiis examinare? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Archiepiscopum non posse Regulares concionari volentes in Ecclesiis, quae sunt suorum Ordinum examinare, secus vero verba Populo facere volentes in Ecclesiis, quae non sunt suorum Ordinum – *in Senonen. die 28 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 246.*

44. Hinc Regulares praedicare volentes in Ecclesiis non sui Ordinis possunt examinari ab Episcopo, quo tempore eis licentiam est concessurus *in Neapolitana anno 1601 lib. 9 Decretorum pag. 124.*

45. Amplia, Episcopus potest Regulares examinare, antequam licentiam concedat praedicandi in Ecclesiis non suorum Ordinum, etiamsi Episcopi antecessores consueverint ab immemorabili tempore absque alio examine huiusmodi licentiam concedere *in Boianen. die 13 Iulii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 14.*

Item *in Nullius die 7 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 377* (1).

46. Quinimo Praedicator etiam Regularis examinatus et approbatus pro uno loco non est quidem examinandus pro alio loco simili vel inferiori; sed pro maiori potest iterum ab Episcopo examinari et approbari: ita enim censuit S. Congregatio, approbante Sanctissimo eius sententiam *in Dubio ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 77.*

47. Unde approbatus in Diaecesi exempli gratia Attrebatensi non potest admitti ad praedicandum in Diaecesi Mechliniensi contradicente Episcopo Diaecesano, etiam petita, sed non obtenta licentia ab eo *in Mechlinien. die 13 Februarii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 148.*

48. Regulares autem praedicare volentes in Ecclesiis sui Ordinis non tenentur accipere licentiam ab Episcopo; sed habita licentia ab eorum Superioribus regularibus debent se praesentare Episcopo pro habenda benedictione, etiamsi eam non obtineant *in Interamnen. die 19 Decembris 1596 lib. 8 Decretorum pag. 197.*

49. Nec absque dictae benedictionis petitione possunt habere concionem in Ecclesiis Monialium etiam proprio Ordini subiectarum, licet ianuis clausis et nullo seculari praesente in Ecclesia *in Nullius die 10 Decembris 1633 lib. 15 Decretorum pag. 13.*

50. Imo nec adhortationem ad Populum in propria Ecclesia habere possunt, non petita prius benedictione praedicta *in Montis Politiani die 6 Februarii 1627 lib. 13 Decretorum pag. 199.*

Item *in Nullius Ravennaten. die 15 Septembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 169.*

51. Habita hinc Regulares benedictione praedicandi in propria Ecclesia, si a Diaecesi recesserint vel longum tempus intercesserit ab ea obtenta, tenentur novam petere *in Bituntina die 14 Novembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 136.*

52. Nec aliter declaravit Sacra Congregatio quoad licentiam praedicandi in Ecclesiis non sui Ordinis *in Bituntina die 14 Novembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 136.*

53. Qua de re Regulares debent in singulis Diaecesibus habere licentiam praedicandi in Ecclesiis non sui Ordinis *in Bracharen. anno 1601 lib. 9 Decretorum pag. 143.*

54. Semel tamen concessa Regularibus licentia praedicandi non potest, nisi ex rationabili causa, suspendi *in Brugen. die 17 Maii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 355.*

55. Praedicantes vero in Ecclesiis non sui Ordinis absque licentia Episcopi, licet contraveniant Decreto Concilii in Cap. 2 sess. 5 de reformatione, non tamen possunt puniri ab Episcopo, sed ab eorum Superioribus regularibus *in Dubio die 16 Iunii 1605 lib. 10 Decretorum pag. 115.*

(1) Leo X in Constit. *Supernae Maiestatis* 14 iunii 1516 Bullar. tom. 1 pag. 579 iam prohibuerat, ne quisquam ad praedicationis munus admittatur, quin prius examinetur et approbetur; ac inde subiungit: – Neque quidquam aliud praedicet, nisi evangelicam veritatem et sacram scripturam, iuxta declarationem et interpretationem Doctorum, quos vel usus diuturnus vel Ecclesia approbavit –.

56. AtEpiscopus exigere potest ab Regularibus, ut emittant fidei professionem in actu, quo eis concedit licentiam concionandi in Ecclesiis non suorum Ordinum *in Dubio ad Caput 4 sess. 24 de reformatione Posit.* 77.

Item *in Boianen. die 13 Iulii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 14.*

57. Quin imo Episcopus nedum professionem fidei exigere potest, sed et ex causa sibi benevisa benedictionem Regularibus praedicandi in Ecclesiis suorum ordinum ad tempus limitatum concedere, et concessam revocare, si ita iudicaverit expedire; proposito enim dubio: – IX. An liceat Episcopo ex causa sibi benevisa benedictionem concionandi in propria Ecclesia dandam Regularibus professionem fidei emittere nolentibus illam denegare? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, licere Episcopo ex causa sibi benevisa benedictionem concionem habendi Regularibus etiam in propria Ecclesia concedere ad tempus limitatum et absolute concessam revocare, et professionem fidei ab eisdem exigere, si ita expedire iudicaverit – *in Vercellen. die 21 Martii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 170.*

58. Hinc ab Episcopo debet dari licentia praedicandi etiam in Ecclesia seculari exempta, non autem a Superiore dictae Ecclesiae exemptae, nisi sit Nullius Diaecesis *in Dubio ad Cap. 2 sess. 5 de reformatione Posit. 1 pag. 307.*

59. Proposito itaque dubio: – I. An Vicario Ecclesiae seu Oratorii S. Mariae Angelorum loci de Panzano liceat concionari per se vel per alium in eadem Ecclesia? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative nisi de licentia Episcopi – *in Nullius seu Nonantulana Iurium parochialium die 13 Ianuarii 1685.*

60. Similiter ab Archiepiscopo Neapolitano concedi debet licentia praedicandi in Ecclesia exteriori S. Angeli ad Nidum et benedictio Concionatorum; his enim in terminis proposito dubio: – V. An et a quo concedi debeat licentia praedicandi in Ecclesia exteriori S. Angeli ad Nidum et benedictìo Concionatorum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, utrumque spectare ad Archiepiscopum – *in Neapolitana die 21 Iulii 1742* (1).

61. Concionator autem deputatus ab Abbate Commendatario ad praedicandum in Ecclesia S. Silvestri Nonantulae potest praedicare absque alia licentia Praelati Monachorum eiusdem Ecclesiae *in Nullius Nonantulana die 20 Iunii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 320.*

62. Compertum praeterea est, electionem Praedicatoris alterius Ordinis in Ecclesiis Regularium exemptorum spectare ad Regulares, approbationem vero et benedictionem ad Episcopum; quandoquidem cum Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium haberet complures Ecclesias unitas et praesertim Monialium, in quibus pro Adventu et Quadragesima solebat deputare Praedicatorem sub solita Episcopi benedictione, cumque saepe accideret, ut e proprio Ordine Praedicatores proprios non haberet, proinde Procurator Generalis ad praecavendum dissensionibus cum Ordinariis supplex institit decerni: – An eligere Praedicatorem alterius ordinis in Ecclesiis Regularium exemptorum spectet ad Episcopum, vel ad Superiorem Regularem dictae Ecclesiae? –, Sacra Congregatio declaravit: – Electionem Praedicatoris alterius Ordinis in Ecclesiis Regularium exemptorum pertinere ad Regulares, approbationem vero et benedictionem ad Ordinarium – *in Dubium Electionis Praedicatoris die 16 Decembris 1673 lib. 28 Decretorum pag. 212.*

63. Nam – Sacra Congregatio, auditis Partibus, censuit, si Monachi in Parochiali Ecclesia eorum Monasterio unita per Regularem sui Ordinis praedicare voluerint, illius deputationem non ad Episcopum, sed ad Priorem pertinere; at Concionatorem sive Secu-

(1) Accessit inde Constitutio *Praeclarum* diei 4 octobris 1755 Benedicti XIV, ut in Bullario eiusdem tom. 4, qua edixit: – Eidem tamen Sacristae seu Rectori de benignitate Apostolica concedimus, ut per se vel per alium exercitia spiritualia semel in anno, sed clausis ianuis intra Ecclesiam sive Oratorium Hospitalis, iis dumtaxat, qui exemptione, ut supra, gaudere debent, libere et licite praebere possit, cum scientia tamen et intelligentia Nuntii Apostolici Neapoli residentis: alio vero quovis tempore casu et occasione nolumus omnino, quod intra Ecclesiam Oratorium aut Hospitale praedictum sive publice sive privatim conciones habeantur, aut quod non exempti ad praedicta exercitia spiritualia ullo unquam tempore admittantur, non obtenta prius et qualibet vice licentia in scriptis ab Archiepiscopo –.

larem, sive Regularem alterius Ordinis ab Episcopo tantum esse deputandum – *in Cremonen. die 10 Novembris 1619 lib. 12 Decretorum pag. 27.*

Item *in Ferrarien. die 23 Februarii 1658 lib. 21 Decretorum.*

64. Unde quum ex Constitutione fe. re. Innocentii X tres Parochiales Ecclesiae in Villis nuncupatis de Lagoscello et Cogomaro Ferrariensis Diaecesis existentes, et antea per Monachos Olivetanos possessae ad Vicarias Curatas perpetuas cum omnimoda animarum cura et Sacramentorum administratione redactae fuissent, cl. me. Cardinalis Caraffa Episcopus ad evitandas controversias cum dictis Monachis, et ut animarum cura et Sacramentorum administratio laudabiliter per idoneos Vicarios posse exerceri, supplicavit, citatis eisdem Monachis, pro resolutione dubii: – II. An electio Praedicatorum in eisdem Ecclesiis Parochialibus spectet ad Emum Episcopum, an potius ad eosdem Monachos? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, quatenus Vicarius per se noluerit praedicare, Praedicatoris deputationem spectare ad Monachos, dummodo Regularem eiusdem Ordinis deputent – *in Ferrarien. Ecclesiarum Curatarum die 23 Februarii 1658 lib. 11 Decretorum pag. 184.*

65. Deputatio vero Praedicatoris in Ecclesia Parochiali S. Petri Laudae veteris Collegio germanico de Urbe Societatis Iesu unitae spectat ad Episcopum absolute *in Lauden. Iurisdictionis die 30 Iulii 1678 lib. 30 Decretorum pag. 38.*

66. Quin imo potest ab Episcopo deputari Praedicator unius Religionis ad praedicandum in Ecclesia alterius Religionis, supposita consuetudine, quod in dicta Ecclesia praedicetur in Quadragesima pro commoditate Populi et praedicta Religio Praedicatorem sui habitus non subministret *in Salernitana lib. 2 Decretorum pag. 250.*

67. Servanda enim est consuetudo, quod in Ecclesiis Regularium deputentur Concionatores etiam alterius Ordinis, verum si Concionatores eiusdem Ordinis habere possint, ceteris paribus, sunt praeferendi *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Agitur.*

68. Quum itaque ageretur controversia quoad Praedicatores deputandos in Ecclesiis Conventuum suppressorum ac unitorum Monasterio et Abbatiae S. Paterniani ab eiusdem Abbate, qui non erant sui Ordinis, proposito dubio: – IV. An Praedicatores diversi Ordinis deputati ab eodem Abbate in supradictis Ecclesiis debeant petere licentiam et approbationem ab Episcopo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative; et amplius – *in Fanen. Parochialium die 14 Novembris 1716 lib. 66. Decretorum.*

69. Hinc R. P. D. Felici Passerino Abbati Commendatario Monasterii seu Parochialis Ecclesiis S. Eutitii olim ad Religiosum Ordinem S. Benedicti spectantis contendenti, sibi ius esse eligendi ac deputandi Concionatorem in dicta Ecclesia veluti Regulari, traditis etiam patentalibus literis electionem a se factam praeseferentibus, Concionatorem vero sic electum et deputatum non teneri novas literas Patentes ab Episcopo Spoletano recipere, sed tantum obstringi se paullo ante Quadragesimam pro consueta benedictione obtinenda coram illo praesentare, obstitit Episcopus Spoletanus propugnans, non aliam memorato Abbati competere facultatem, quam nominandi seu praesentandi Concionatorem, cuius deputatio ad solum Episcopum spectare deberet, qui propterea in literis Patentibus a se Concionatori tradendis uti posset ac deberet verbo: *Deputamus;* addens praeterea, Concionatorem ab Abbate nominandum seu praesentandum teneri coram se in finem recipiendi novas hasce literas a Curia sua expediendas ante festum Epiphaniae comparere. His utrinque perpensis propositis dubiis; – I. An et sub qua formula sint concipiendae literae Patentes Concionatoris destinati ab Abbate S. Eutitii et respective, an Concionator teneatur novas recipere literas Patentes ab Episcopo Spoletano, vel potius sufficiat solummodo petere et recipere benedictionem ab eodem Episcopo in casu? II. An idem Concionator possit ad sui libitum comparere coram Episcopo pro habenda et recipienda benedictione praedicta, dummodo id faciat paullo ante Quadragesimam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, literas Abbatis concipiendas esse cum verbis *nominamus* et *praesentamus;* Concionatorem vero teneri ultra benedictionem recipere ab

Episcopo literas deputationis, in quibus fiat mentio nominationis seu praesentationis Abbatis. Ad secundum, ad mentem; et mens est, ut debeat potissimum inspici et certius edoceri quid hac in re Synodales Diaecesis Constitutiones praecipiant – *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737.*

70. Huic resolutioni non acquiescente memorato Abbate, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Spoletana Concionatoris die 28 Ianuarii 1741.*

71. Nam si adsint Constitutiones Synodales, quae tempus praescribunt, quo nominatio praesentari debeat, servandae sunt; proposito enim dubio: – III. An Communitas in futurum teneatur praesentare in Cancellaria Archiepiscopali nominationem Concionatoris tempore praescripto a Constitutionibus Synodalibus? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium Affirmative – *in Urbinaten. Concionatoris die 7 Iunii 1698 lib. 48 Decretorum pag. 252.*

72. Alias Universitas tenetur per duos menses ante initium Quadragesimae exhibere Episcopo nominationem Praedicatoris, licet sit Regularis, qui concionem habet non tantum in Ecclesia sui Ordinis, sed etiam in nonnullis aliis Ecclesiis *in Theanen. die 19 Iunii 1728 et die 30 Aprilis 1729.*

73. Iamvero anno 1585 cum Communitas Conchae deveniret ad nominationem Praedicatoris ultima die baccanalium, re delata ad Sacram Congregationem, responsum fuit, quod nominatio fieret per duos menses ante initium Quadragesimae, ut posset Episcopus se informare de eius moribus et qualitatibus, et quatenus dicto tempore nominatio non fieret, quod ius deputandi devolveretur ad ipsum Episcopum; et in sequelam huius decreti Episcopus Theanensis in sua Synodo adnotavit, apud se residere facultatem approbandi aut reprobandi Concionatorem Regularem, cum non tantum concionem haberet in Ecclesia sui Ordinis, sed etiam in nonnullis aliis Ecclesiis praedictae Terrae. His in facto positis, proposito dubio: – II. An dicta Universitas teneatur per duos menses ante initium Quadragesimae exhibere Episcopo nominationem dicti Praedicatoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Theanen. die 19 Iunii 1728.*

74. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 19 iunii 1728? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis et amplius – *in Theanen. die 30 Aprilis 1729.*

75. Qua de re cum Communitas Terrae Pizzuli ius haberet nominandi Concionatorem et contenderet, quod literae patentales a Communitate Concionatori traditae non deberent mense novembris in Episcopali Cancellaria exhiberi, ibique ad publicum documentum nominationis per Communitatem factae relinqui, proposito dubio: – IV. An dictae literae Patentes nominationis debeant exhiberi in Cancellaria Episcopali per totum mensem novembris, et quatenus Concionator non sit habilis, debeat eadem Communitas alium nominare per totum mensem decembris, alias quod pro illa vice ius deputandi Concionatorem libere devolvatur ad Episcopum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative – *in Aquilana Concionatoris die 29 Decembris 1738.*

76. Propositis itaque dubiis: – I. An Communitates praefatae teneantur in literis Patentibus uti verbis « NN. in Concionatorem nominamus et praesentamus » non obstantibus concordia et respective consuetudine etiam immemorabili, iuxta quas dictae Communitates praetendunt uti verbis « eligimus et deputamus »? II. An dictae literae Patentes a Communitatibus Concionatori tradendae remanere debeant in Cancellaria Episcopali ad publicum documentum nominationis per easdem factae? III. An Concionatoribus per Communitates nominatis et praesentatis debeat et gratis extradere proprias literas Patentes in eisdem exprimendo, quod dicti Concionatores fuerint a Communitatibus nominati et praesentati? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Affirmative – *in Sutrina Concionatoris die 8 Maii 1688 lib. 37 Decretorum pag. 222 et 223.*

77. Qua de re – Communitas Oppidi Cryptarum ad mare, quae ius habere praetendit nominandi in eodem Oppido Concionatorem temporibus Adventus et Quadragesimae, iam pro Quadragesima mox elapsa nominavit quemdam Patrem Capuccinum, illumque coram

Episcopo cum literis Patentibus nominationis praesentavit. Qui sane Episcopus, retentis in eius Cancellaria praefatis nominationis literis, alias quidem pro eodem Concionatore a Communitate nominato deputationis literas expediri iussit cum verbis « eligimus et deputamus », prout antecedenti anno pariter egisse fertur. Id autem aegre ferens Communitas, quod nempe satius duceret licere Concionatori cum solis suae nominationis literis Patentibus, obtenta dumtaxat Episcopi benedictione et licentia, verbum Dei annunciare, quominus in concionem prodiret praefatus Pater Capuccinus effecisse supponitur; quin et ulterius progressa renuens solvere consuetam eleemosynam alteri Concionatori prope decursi Adventus, compulsa ab Episcopo appellationem interposuit ad Metropolitanum. In hoc statu delata Causa ad hanc Sacram Congregationem ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi –, proposito dubio: – I. An Episcopus valeat literas Patentes tradendas Concionatori nominando a Communitate singulis Quadragesima et Adventu retinere in Cancellaria Episcopali et eidem alias gratis expedire et apponere verba « eligimus et deputamus »? –, S. Congregatio nedum mandavit eleemosynam solvendam esse a Communitate, sed et responsum tulit: – Ad primum, Affirmative; et dentur Decreta in Sutrina die 8 maii 1688 – *in Ripana Deputationis Concionatoris die 21 Maii 1707 lib. 57 Decretorum.*

78. Communitas igitur in literis nominationis apponere nequit verba – eligimus et deputamus –, sed apponere tenetur verba, – nominamus proponimus vel praesentamus –, et remanere debent in Cancellaria Episcopali; Episcopus vero Concionatoribus tradere tenetur literas Patentes, in eisdem exprimendo nominationem eiusdem Communitatis *in Aquilana Concionatoris die 20 Decembris 1738.*

79. Enimvero conquerens Episcopus Aquilanus, Praesides Communitatis Terrae Pizzuli post editam ab Sacra Congregatione resolutionem, qua die 17 iulii 1795 demandatum fuit, eamdem Communitatem – manutenendam esse in quasi possessione nominandi Concionatorem –, ac post traditas aliquamdiu literas patentales Concionatori sub verbis – nominamus et deputamus –, et ab eiusmodi abusu, quamvis saepius monitos, desistere noluisse, postulavit, ut controversia huiusmodi dirimeretur. Propositis itaque dubiis: – I. An Communitas Terrae Pizzuli in suis literis Patentibus nominationis Concionatoris uti debeat verbis « NN. nominamus proponimus vel praesentamus » non obstante praetensa quasi possessione et consuetudine etiam immemorabili apponendi verba « eligimus et deputamus »? *Et quatenus affirmative* II. An dictae literae Patentes ab eadem Communitate Concionatori tradendae remanere debeant in Cancellaria Episcopali Aquilae pro documento ipsius nominationis? III. An eisdem Concionatoribus per dictam Communitatem nominatis et praesentatis Episcopus debeat tradere suas literas Patentes approbationis et electionis, in eisdem exprimendo, quod ipsi Concionatores fuerint ab eadem Communitate nominati? –, Sacra Congregatio respondit: – In omnibus Affirmative – *in Aquilana Concionatoris die 20 Decembris 1738.*

80. Hinc quoad Regulares Pignatellius in consult. 206 tom. 4, Barbosa de officio et potestate Episcopi alleg. 79, Panimolla decis. 91 annot. 1 et 2, Monacellius in tom. 1 tit. 12 form. 7, et Pitonius in Tom. 4 discept. eccles. 101 n. 1 et signanter n. 8 ita concludit: – Modus ergo providendi Ecclesiis de Praedicatoribus talis erit: Si enim Abbas vult deputare Regulares sui Ordinis, expediet literas Patentes, in quibus dicet « eligimus et deputamus ad Ecclesiam Parochialem N. N. nostrae Congregationi pleno iure subiectam »; Episcopus autem sic electo seu deputato suam benedictionem impertiri debet, et nihil aliud. Quo vero ad Praedicatores alterius Ordinis sive Seculares, Abbas dabit illis literas Patentes dicendo « nominamus seu praesentamus »; quibus exhibitis Episcopo, iste eas dimittet in eius Cancellaria, ut ibi remaneant ad publicum documentum, et dabit suas Patentes Praesentato seu Nominato per Abbatem, in quibus exprimenda erit nominatio seu praesentatio Abbatis, et faciet deputationem seu licentiam praedicandi in Populum, illique benedictionem impertietur, super qua necessitate dimittendi Patentes Abbatis in Cancellaria et exprimendi in Patentibus Episcopi nominationem seu praesentationem extat resolutio etc. – *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737* §. *Praeter.*

81. Ceterum cum in medium proferretur decisio a Rotae Auditorio edita in Fanen. Iurisdictionis 21 ianuarii et 16 iunii 1704 coram Card. Scotto, ubi sic habetur: – Censuerunt DD., ad ipsum Abbatem spectare nominationem et deputationem Concionatorum in eisdem Ecclesiis, reservata Episcopo eorumdem benedictione, quia cum in Ecclesiis plenarie unitis cura resideat penes ipsum Monasterium et Abbatem, qui dicitur primus Parochus, ad eumdem quoque Abbatem pertinere debet Concionatoris electio –, et idipsum confirmatum fuit in eadem Causa 5 iunii 1705 coram Caffarellio: – Quo vero ad Concionatoris nominationem, illam ad Abbatem spectare, DD. responderunt, cum enim Abbas harum Ecclesiarum unitarum sit Parochus, utique illi onus iniunctum est praedicandi verbum Dei, et accedente legitimo impedimento, per alios praestare tenetur, ad illius nominationem Abbas in scriptis procedere debet, quam Concionator electus Episcopo praesentare debet, qui illius benedictionem impartiatur –, praetermittendum non erat, quod Pitonius in disceptatione 101 n. 5 tom. 4 post relatas Sacrae Congregationis resolutiones et memoratam decisionem nititur eas conciliare hisce verbis: - Mihi autem reflectenti ad veritatem videtur, utramque opinionem posse de facili conciliari, quoniam decisiones S. Rotae in Fanen. ubi proxime, nec non resolutio Sacrae Congregationis in dicta Ferrarien. loquuntur de simplici iure nominandi et praesentandi seu eligendi Concionatores, resolutio vero Sacrae Congregationis in Cremonen. loquitur de iure deputandi; et consequenter concludo quod, ubi Abbas conciones expleri velit per Regulares alterius Ordinis vel Seculares, spectet ad Episcopum eos deputare, ad nominationem tamen et praesentationem Abbatis, seu spectet ad Episcopum dare licentiam praedicandi nec non benedictionem iisdem Concionatoribus nominatis per Abbatem, de qua nominatione seu praesentatione Episcopus mentionem facere debet in suis literis, cum incompatibilis non sit deputatio Episcopi cum nominatione Superioris Regularis, ut in Resolutione S. Congregationis Episcoporum et Regularium in Alatrina 3 iulii 1693 – *in Spoletana Concionatoris die 13 Aprilis 1737 §. Ceterum.*

82. Hinc electio Praedicatoris debet fieri ab Universitate per duos menses ante initium Quadragesimae, ut Episcopus possit se informare de illius moribus ac qualitatibus *in Brictinorien. die 11 Martii 1622 lib. 12 Decretorum pag. 133.*

83. Non facta enim per dictos duos menses ante initium Quadragesimae devolvitur ad ipsum Episcopum *in Nullius Terlitii die 19 Decembris 1671 lib. 27 Decretorum pag. 281.*

Item *in Theanen. die 14 Aprilis 1685 lib. 35 Decretorum pag. 191.*

84. Nec sufficit registratio in Cancellaria Episcopali facienda, quod exempli gratia Sacerdos Capuccinus est deputatus ad concionandum in loco N., sed debet fieri expresso nomine deputati *in Capuccinorum die 30 Martii 1609 lib. 11 Decretorum pag. 203 a tergo.*

Item *in S. Severini Concionatoris die 14 Martii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 193.*

85. Idcirco Praedicatori electo ab Episcopo non autem a Communitate licet habente ius electionis eleemosynam consuetam esse praestandam ab eadem Communitate respondit S. Congregatio, eo quia ante duos menses ante Quadragesimam electionem Episcopo non notificavit iuxta Decretum synodale *in Nucerina die 24 Martii 1618 ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 167.*

86. Unde Constitutio Synodalis praescribens Universitatibus habentibus ius eligendi Praedicatorem quadragesimalem, ut teneantur mittere per totam diem Epiphaniae notulam ipsius electionis ad Episcopum sub poena amissionis dicti iuris eligendi, est taliter observanda *in Nucerina die 24 Martii 1618 Posit. 89 pag. 167 ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione.*

87. At licet adsit lex Synodalis, quae terminum praescribit, ad praesentandum Concionatorem, – Concionatores praesentati ab iis, qui ius habent nominandi, si post praesentationem Ordinario factam renuncient, vel ex alio impedimento praedicare non valeant, non praeiudicant electoribus sive nominantibus, quin valeant alium Concionatorem nominare et praesentare, si hoc faciant tempore congruo et sine fraude –, ceu in puncto Monacellius in form. leg. form. 8 n. 4 tit. 13 tom. 1 *in Feretrana Iuris praesentandi Concionatorem die 21 Augusti 1790 §. Sedulo.*

88. Siquidem Carpinei Communitas quasi possessionem habebat praesentandi quadragesimalem Concionatorem, cui congruum subministrabat stipendium. Mense itaque martio 1789 Feretrano Episcopo praesentavit Regularem Sacerdotem Carolum Antonium Manfredi minorem Conventualem pro novissima Quadragesima. Post aliquot menses muneri renunciavit praesentatus, nominavitque ex eodem Ordine Communitas die 10 subsequentis decembris Patrem Angelum Gasparri. At devolutum sibi autumans ius deputandi Concionatorem ob renunciationem prioris praesentati, admittere noluit Episcopus secundum. Namque ex Synodali Feretranae Diaecesis Constitutione servabatur Communitatibus ius nominandi,– dummodo haec nominatio mature fiat et notificetur nobis ante expletam octavam Corporis Christi, si in tali termino Communitates eorum nominationem nostrae Curiae indicare solebant, vel octava Epiphaniae non absoluta, si Communitates sic consueverant nominationem praedictam nobis facere notam;quibus terminis expletis, nominationem non attendemus nec attendere debemus –. Unde ex huiusmodi Constitutione arguit, Communitatem Carpinei, quae intra octavam Corporis Christi nominare consueverat, secundum Concionatorem die 10 decembris extra terminum nominasse, factumque idcirco fuisse locum resolutivae Synodalis. Communitas contra animadvertit, primam Manfredii praesentationem, intra legitimum Synodalis legis terminum expletam, sartum ei tectumque servasse ius subrogandi ob illius renunciationem Concionatorem alterum per textum in Cap. *Si electio* 26 de electione in sexto. Negligendam contendit Communitas recentem Episcopi observantiam, quia neque ex regestro Concionatorum, neque ex Testibus constabat, expletam a nominantibus fuisse secundam nominationem et congruo tempore; eaque non obstante, secundos Episcopum deputasse Concionatores. Nam facultativae istae deputationes absque contradictione et acquiescientia legitimam non constituebant consuetudinem. Insuper nemo privari debet suo iure, si absit fraus et culpa, cum praesertim ipsa stipendium praeberet Concionatori; idque modernus ipse Episcopus probasse videbatur, dum in antiqua confirmandi Synodali lege addidit anno 1779: – Hac in parte desides (non inculpabiles) a iure suo decidere volumus –.

89. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An nominatio quadragesimalis Concionatoris, ob illius renunciationem extra praefinitum tempus, devolvatur ad Episcopum, seu potius sit locus novae praesentationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Feretrana Iuris praesentandi Concionatoris die 21 Augusti 1790.*

90. Quum autem Abbas Generalis Monasterii S. Spiritus de Sulmona Ordinis Caelestinorum penes Sacram Rotam contenderet, sibi competere spiritualem iurisdictionem ex consuetudine immemorabili in Oppido Pratularum, adeoque ad eumdem spectare facultatem impertiendi Concionatoribus licentiam praedicandi in Ecclesia dicti Oppidi, non vero ad Episcopum Sulmonensem, cumque Sacrae Congregationi remissa fuerit provisio capienda super facultate praedicandi, donec et quousque esset terminata lis in Rota, proposito dubio: – II. An et ad quem spectet facultas, ut supra, impertiendi Concionatoribus licentiam praedicandi in Ecclesia praedicti Oppidi, donec et quousque fuerit terminata lis, ut supra? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Abbas exerceat nomine Sacrae Congregationis per modum provisionis et sine praeiudicio iurium Partium – *in Sulmonen. seu Valven. Iurisdictionis die 11 Martii 1713 lib. 63 Decretorum.*

91. Similiter quum quaestio exorta esset inter Communitatem Urbinatensem et Archiepiscopum quoad ius devolutionis deputandi Concionatorem in Ecclesia Cathedrali, simulque immineret Quadragesima, Sacra Congregatio die 8 februarii 1698 ita decrevit: – Interim vero, ne fidelium animae evangelicae praedicationis pabulo remaneant destitutae, quatenus Publicum seu Communitas intra legitima tempora Concionatorem non nominaverit ad praescriptum Sacri Concilii in cap. 4 sess. 24 de reformatione, nos per modum provisionis et sine praeiudicio iurium ambarum Partium tam in petitorio, quam in possessorio, decrevimus et respective mandavimus, ut in imminenti Quadragesima praedicari debeat verbum Dei in ista Cathedrali per Concionatorem ab amplitudine tua deputatum –

in Urbinaten. Concionatoris die 7 Iunii 1698 §. Praetendens lib. 48 Decretorum pag. 252.

92. Hinc electio Concionatoris committitur Episcopo, non obstante inhibitione seu monitorio A. C. favore Communitatis praetendentis hanc electionem ad se pertinere, donec causa super merito discutiatur in sacra Congregatione *in Civitatis Castellanae die 28 Ianuarii 1692 lib. 42 Decretorum.*

93. Ne dubium autem, quod praescribi valeat ius passivae electionis etiam per turnum a Religiosis in loco existentibus, ut saepe rescripsisse Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium referunt Nicolius in Flosc. verb. *Praedicator* n. 7, Braschius in promptuar. synodal. cap. 72 n. 13, Pignatellius in consult. 206 n. 6 tom. 4 *in Praenestina Iuris concionandi die 23 Aprilis 1763 §. His.*

94. Idcirco Universitas, quae ex centenarii et immemorabilis temporis fuga nominavit per orbem seu turnum Concionatorem plurium familiarum Religiosarum, non potest libere alium eligere, sed tenetur servare turnum *in Civitatis Castellanae Iuris Concionandi die 19 Iunii 1751.*

95. Siquidem diuturno usu, cuius nulla memoria erat, servatum fuit, ut in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli Terrae Caprarolae praedicationes verbi Dei haberentur per orbem seu turnum a Patribus Minoribus Observantibus Carmelitis excalceatis et Capuccinis, quorum in eadem Terra erant Monasteria. Post centenarii et immemorabilis temporis fugam Universitas illius Terrae, quae stipendium solvebat sacris Oratoribus, liberum sibi ius esse reputans eligendi quem vellet ad hoc praedicationis munus implendum, revocavit turnum trium Monasteriorum. Namque contendit, ipsam solvere stipendium, ac rem esse de actibus facultativis, eademque potestate, qua placuit, servandum esse turnum, potuisse placere, ne servaretur. Proposito vero dubio: - An ius deputandi Concionatorem in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli Terrae Caprarolae libere spectet ad Communitatem eiusdem Terrae, seu potius ipsa teneatur alternative per turnum eligere Patres Minores Observantes Carmelitas excalceatos et Capuccinos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Civitatis Castellanae Iuris concionandi die 19 Iunii 1751.*

96. Alias vero in Terra Mathelicae Diaecesis Camerinensis sacra concio tempore Quadragesimae per turnum fiebat una vice in Ecclesia Collegiata, alia vice in Ecclesia Patrum Augustinianorum, et alia vice in Ecclesia Patrum Minorum de Observantia, et quando concio fiebat in Ecclesia Collegiata, munus concionandi ut plurimum conferebatur Patri Capuccino, et quando adimplebatur in Ecclesia Patrum Augustinianorum conferebatur Augustiniano, et quando in Ecclesia Minorum observantium conferebatur Religioso huius Ordinis, et semper praecedente nominatione Consiliorum Communitatis. Anno 1722 iuxta turnum concionandi erat deferendum ad Religiosum ex familia Minorum Observantium, sed cum pium quoddam desiderium supervenerit audiendi conciones quadragesimales Abbatis Mancini Clerici Secularis, sic res composita fuit, ut praedictus Abbas praedicaret in Ecclesia anno supramemorato 1722, et quod anno 1723 concio fieret in Ecclesia Minorum Observantium a Religioso dicti Ordinis, et anno 1724 in sua Ecclesia a Religioso Augustiniano: cumque haec omnia fuerint executioni mandata, orta est quaestio, an currenti anno 1725 concio esset explenda a Patre Capuccino in Ecclesia Collegiata, vel a Patre Minoris Observantiae in sua Ecclesia. Propositis itaque dubiis: – I. An et qui ex Religiosis familiarum existentibus in Terra Mathelicae sit eligendus in Praedicatorem pro futuro anno 1725 in eadem Terra in casu etc. II. An data futuris annis electione Praedicatorum alterius Religionis, sit locus reintegrationi turni, vel aliter providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse eligendum Patrem Capuccinum. Ad secundum, satis provisum in primo – *in Camerinen. die 13 Ianuarii 1725.*

97. Hinc et in Ecclesia Cathedrali Praenestina pro concionibus habendis tempore Adventus et Quadragesimae solebant Concionatores eligi a seculari Magistratu Civitatis, illisque Communitas solvebat partem eleemosynae. Verum anno 1761 cum quatuor viri, Magistratui praepositi, duos elegissent Religiosos Congregationis doctrinae Christianae

in Concionatores proximi tunc Adventus et futurae Quadragesimae, obstiterunt Patres Carmelitae, qui degebant in Civitate, contendentes, ex immemorabili consuetudine ad ipsos spectare ius passivae electionis tertio quoquo anno per turnum cum Minoribus Reformatis et Capuccinis ibidem pariter degentibus. Proposito ideo dubio: – An Communitas Civitatis Praenestis teneatur eligere Concionatores Adventus et Quadragesimae per turnum ex Religiosis Carmelitis Minoribus Observantibus Reformatis et Capuccinis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Praenestina Iuris concionandi die 14 Maii 1763.*

98. Verum in relata Praenestina agebatur quidem de Concionatore Ecclesiae Cathedralis, attamen quaestio non erat cum Episcopo, qui ius sibi electionis libere vindicaret: unde si res non sit de privando Episcopum suo iure eligendi, sed an possit consuetudine immemorabili et supra centenariam induci, ut electio fiat intra certos limites, Sacra Congregatio mandat, ne electio fiat per turnum, soluta tamen per Episcopum eleemosyna; sin minus servetur turnus, salva interim facultate Episcopo variandi intra eumdem turnum *in Civitatis Castelli die 17 Decembris 1763.*

99. Enimvero in Civitate Castelli mos erat, quo ex certis Religiosis Ordinibus, nempe Minorum Conventualium et Observantium Augustinianorum Servitarum Dominicanorum, quibus anno 1570 Capuccini, anno 1591 Societatis Iesu Alumni, anno 1601 Carmelitae discalceati, ex Magistratus consulto per Episcopos approbato, adiuncti sunt, Concionatores quoquo anno eligerentur, perpetuo ordine et circulo. Magistratus Municipalis contendit, consuetudinem hanc uti antiquissimam ac immemorabilem retinendam esse, eo magis quia eleemosyna pro Concionatoribus dabatur non ab Episcopo, sed pro aequis partibus a Communitate Sacrario et Fabrica. Idcirco non posse Episcopum ordinem eligendi variare sustinuit, cum ius eligendi acquiri possit pro Ecclesiis inferioribus per quadragenariam. Ceterum pro Cathedrali communis est sententia, neque sufficere immemorabilem. Verum advertebatur, quod in casu non agebatur de privando Episcopum suo iure eligendi, cum Tifernates Episcopi Concionatores semper elegissent, sed an posset consuetudine immemorabili et supra centenariam induci, ut electio intra certos licet amplissimos limites, qui in casu, de quo agebatur, ampliores esse non possent, contineretur. Ponderandum etiam erat, an quando omnimodae libertatis ius asseratur Episcopo, ad eum solum pertineat dare eleemosynam pro concionibus.

100. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An electio Concionatoris Quadragesimalis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Castelli fieri debeat per turnum ex Religionibus Patrum Conventualium Observantium Carmelitarum Augustinianorum Servitarum Dominicanorum Capuccinorum et Jesuitarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, soluta tamen per Episcopum eleemosyna; sin minus, Affirmative servato turno, salva facultate Episcopo variandi intra eumdem Turnum – *in Civitatis Castelli die 17 Decembris 1763.*

101. Idcirco licet Communitas vigore antiquissimae et immemorabilis consuetudinis reperiatur in possessione nominandi Concionatorem in Ecclesia Cathedrali, non propterea ius hoc praetendere potest, cum ad Episcopum pertineat, soluta tamen per eumdem eleemosyna *in Aesina Iuris nominandi Concionatorem die 30 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

102. Siquidem – vigore antiquissimae et immemorabilis consuetudinis Communitas Civitatis Aesinae reperitur in possessione nominandi Concionatorem quadragesimalem, cui de proprio persolvit pro consueta eleemosyna scuta quadraginta. Cum vero modernus Episcopus de anno proxime elapso praetendere ceperit, ad se spectare dictum ius eligendi Concionatorem, praedicta Communitas recursum habuit ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, a qua favorabile Rescriptum reportavit, quod scilicet « servetur solitum », prout de facto ipsamet Communitas pro Quadragesima praeterita nominavit in Concionatorem Patrem Dionysium Simeonem Albicium Ordinis Praedicatorum, soluta pariter eidem eleemosyna supradicta. Non acquiescente autem dicto Episcopo resolutioni Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, et ab ista ad EE. VV. remissa huiusmodi controversiae decisione, ad sup-

plicationem praedictae Communitatis sequens dubium decidendum proponitur: – An et ad quem spectet ius nominandi Concionatorem quadragesimalem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Electionem spectare ad Episcopum, soluta tamen per eum eleemosyna – *in Aesina Iuris nominandi die 30 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

103. Unde stante dispositione Concilii Tridentini sess. 24 cap. 4 de reformatione, ut Concionator destinetur ab Episcopo impensis eorum, qui eas praestare tenentur vel solent, vel saltem ut Concionatorem nominet, qui ei praebet eleemosynam et alimenta, iuxta declarationes Sacrae Congregationis pluries editas, proposito dubio: – VII. An servanda sit consuetudo, qua duobus annis nominet sacrum Oratorem Communitas Urbini, Archiepiscopus praestet alimenta, et Societas solvat eleemosynam, tertio vero anno, quo eligit Archiepiscopus, ipse solus Concionatori alimenta et eleemosynam praebeat sine ullo subsidio Societatum? –, Sacra Congregatio respondit: –Ad septimum, servandam esse consuetudinem, nisi Archiepiscopus velit sibi vindicare ius eligendi ad praescriptum declarationum alias editarum – *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

104. Consuetudo tamen haec sedulo inspicienda, antequam admitti valeat; proposito enim dubio: – An possit Episcopus non admittere alium Concionatorem, praeter electum ab eo in Cathedrali, qui Populo exiguo sufficit, et maxime cum de praeterito alius praeter illum admissus non fuerit, nisi ad Episcopi arbitrium? –, Sacra Congregatio respondit: – Episcopus melius circa consuetudinem informet, et oretenus illi insinuetur, ut interim servet solitum – *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664.*

105. Hinc quoad electionem Concionatoris, cui Capitulum Cathedralis Ecclesiae de proprio stipendium solvebat, Sacra Congregatio censuit, nihil esse decernendum, ipso inaudito *in Derthusen. die 27 Maii 1634.*

106. Qua de re Episcopus sibi vindicans deputationem Praedicatoris suae Ecclesiae Cathedralis, quae alias fiebat ab immemorabili per Universitatem, non potest eam compellere ad praestandam consuetam eleemosynam, quam Praedicatori a se electo solvebat *in Nullius die 14 Novembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 143.*

107. Ad solum hinc Episcopum pertinet deputatio Praedicatoris in Ecclesia Cathedrali, non obstante contraria quacumque consuetudine etiam immemorabili *in Ianuen. anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 150.*

Item *in Nullius die 14 Novembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 143.*

108. Amplia, sive immemorabilis sit ad favorem Universitatis, sive Capituli eiusdem Cathedralis *in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 98.*

109. Nam ad solum Episcopum spectat deputatio Praedicatoris in Ecclesia Cathedrali, posthabita ratione cuiuscumque consuetudinis etiam immemorabilis, ob quam illa competeret Capitulo vel Episcopo una cum Capitulo vel de consilio Capituli *in Legionen. mense Iulii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 47.*

Item *in Ianuen. anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 150.*

110. Idcirco Concionator, deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali Ecclesia aliisque Ecclesiis in eius ambitu existentibus, non tenetur exhibere literas patentales Capitulo; proposito enim dubio: – I. An Concionator deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali aliisque Ecclesiis in eius ambitu existentibus teneatur exhibere literas patentales Capitulo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative – *in Urgellen. Iuris concionandi die 5 Septembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

111. Hinc ab Episcopo, non autem a Capitulo danda est licentia Praedicatori extra Adventum et Quadragesimam, exempli gratia, pro expositione quadraginta horarum vel alterius solemnitatis a Capitulo requisito et in Ecclesia Cathedrali praedicare volenti *in Pacen. die 26 Aprilis 1607 ad cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 171.*

112. Nec aliter edixit Sacra Congregatio quoad Praedicatores electos ab inferioribus Episcopo, licet hi non possint praedicare in Castris dictorum inferiorum iurisdictioni subiectis, quin prius praesententur ab Episcopo, in cuius Diaecesi sita sunt praedicta Castra *in Forosempronien. lib. 2 Decretorum pag. 65 a tergo.*

§. III.

CONCIONATOR QUOAD STIPENDIUM SEU ELEEMOSYNAM.

1. Bossius docet in quaest. 20 n. 1 de Sodalitatibus, electionem Concionatoris ad eum pertinere, qui praemium ei solvit: verum advertit Monacellius in form. legal. tom. 1 tit. 12 form. 7 n. 12, quod si alius eligat Concionatorem, alius vero eleemosynam solvat, ab hac consuetudine non sit recedendum, nec eum, qui praemium solvit, assumere sibi posse ius nominationis *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Agitur.*

2. Compertum hinc est, Communitatem, quae stipendium seu eleemosynam praestare semper suevit, compelli posse etiam censuris ad illam praestandam, licet Oratorem sacrum non eligat *in Civitatis Castellanae Iuris concionandi die 19 Iunii 1751* §. *Cum* (1).

3. Idcirco quum Sacra Congregatio declaraverit, posse Episcopum literas patentes tradendas Concionatori nominando a Communitate singulis Quadragesima et Adventu retinere in Cancellaria Episcopali et eidem alias gratis expedire et apponere verba – eligimus et deputamus –, quin obstaret oppositio Communitatis Oppidi Cryptarum ad mare, quae renuebat etiam solvere consuetam eleemosynam, proposito dubio: – II. An Communitas teneatur tradere consuetam eleemosynam Concionatori nominando et respective eligendo et deputando ut supra ab Episcopo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Ripana Deputationis Concionatoris die 21 Maii 1707 lib. 57 Decretorum.*

4. Quin imo Communitati incumbere potest onus eleemosynam solvendi Concionatori, et ad alterum spectare ius nominandi, si concurrat immemorabilis; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Prior teneatur subministrare eleemosynam Praedicatori, seu potius Communitas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam – *in Aesina Iuris eligendi Concionatorem die 16 Martii 1720.*

5. Unde Universitas Oppidi Marcellinariae ab immemorabili praetendebat ius nominandi Concionatores, praestando iisdem eleemosynam de proprio. Quum autem Sacra Congregatio declaraverit, ad ipsam nullatenus spectare electionem Concionatoris, proposito dubio: – II. An Universitas praedicta cogi valeat ad contribuendam dicto Concionatori eleemosynam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Neocastren. Iuris nominandi Concionatorem die 6 Octobris 1703 lib. 53 Decretorum.*

6. Reclamavit Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis quoad dictum secundum dubium sub fundamento, quod Episcopus consueverit nominare Concionatorem, et Universitas solvere eleemosynam, ut ex depositionibus Testium exhibitis. Reproposito interim dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, S. Congregatio respondit: – Examinentur hinc inde Testes formiter coram Episcopo viciniori, citato Parocho – *in Neocastren. Iuris nominandi Concionatorem die 15 Maii 1704 lib. 54 Decretorum.*

7. Delegato itaque Episcopo Squillacensi, Testibusque coram eo formali examini subiectis, constructus fuit ac transmissus Processus remissorialis. Proposito hinc dubio: – An praevio recessu a decisis sub die 6 octobris 1703 Universitas Oppidi Marcellinariae ad contribuendam Concionatori eleemosynam teneatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Neocastren. Iuris nominandi Concionatorem die 22 Ianuarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

8. Quum inde pro parte Universitatis fue-

(1) Leo in Thesaur. for. eccles. part. 1, cap. 8, n. 6; Bellett. disquis. cleric. tit. de cler. debitor. §. 15, n. 7; Campanil. in divers. iur. can. rubr. 12, cap. 13, n. 17; Barbos. de offic. Episcop. part. 3, allegat. 25, n. 2; Pignatell. consult. canon. 106, n. 33 et 54, tom. 4; Monacell. in form. tom. 1, tit. 12, form. 7, n. 6; Sperell. decis. eccles. 70, n. 17 et 13; Panimoll. decis. eccles. 91, annot. 2, n. 8 et 13.

rit obtenta nova audientia, reproposito dubio sub formula: – II. An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad secundum dubium? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, in secundo loco decisis; et amplius - *in Neocastren. Iuris nominandi Concionatorem die 31 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

9. Qua de re quum Communitas loci Castri Plani praetenderet ius eligendi Concionatorem ab antiquissimo tempore, et nihilominus Episcopus multo ab illinc tempore sibi ius eligendi appropriaverit et coegerit dictam Communitatem eidem solvere eleemosynam, ex eo quod asseveravit probavitque, eum spatio quindecim annorum, quibus ille Ecclesiae praefuit, semper elegisse Praedicatores, quemadmodum elegerunt sui Praedecessores Cardinales Cybo et Petruccius, proposito dubio: – II. An ipse (Episcopus) teneatur subministrare eleemosynam eidem Praedicatori in casu etc. –, Sacra Congregatio nedum resolvit, ad Episcopum spectare electionem Concionatoris, sed et respondit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Aesina Electionis Concionatoris die 8 Augusti 1711 lib. 61 Decretorum.*

10. Unde si Episcopus ius eligendi Concionatorem habuerit ex consensu et confessione totius Populi, oblata etiam competenti eleemosyna ex publica Universitatis pecunia persolvenda, ne dubium quidem, quin electio Concionatoris spectet ad Episcopum et onus solvendi eleemosynam Communitati incumbat; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et ad quem spectet onus solvendi consuetam eleemosynam eidem Concionatori in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, electionem Concionatoris spectare ad Episcopum, respondit: – Ad secundum, spectare ad Communitatem – *in Cathacen. Iuris nominandi Concionatorem die 24 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

11. Reproposito dein dubio sub formula: - An quoad secundum dubium sit standum, vel recedendum a decisis sub die 24 ianuarii 1705 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis; et amplius - *in Cathacen. Iuris nominandi Concionatorem die 2 Maii 1705 lib. 55 Decretorum.*

12. Idcirco licet Communitas non potiatur ex consuetudine immemorabili iure eligendi Concionatorem, Episcopus tamen eam cogere potest ad solvendam eleemosynam Concionatori ab eodem electo *in Civitatis Castellanae Electionis Concionatoris die 14 et 28 Novembris 1693 lib. 43 Decretorum.*

13. Nam Episcopus etiam censuris ecclesiasticis cogere potest Universitatem ad solitam eleemosynam praestandam *in Strongolen. die 17 Iunii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

14. Unde si ius electionis Concionatoris devolutum fuerit ad Episcopum, Communitas tenetur ad praestationem eleemosynae Praedicatori electo ab Episcopo, quin obstet protestatio dictae Cemmunitatis; non sustinentur tamen censurae latae ad effectum assequendi dictam eleemosynam *in Troiana Eleemosynae Concionatoris die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum.*

15. Siquidem – Regimen seu Civitas Foggiae pro praeterito proximo quadragesimali tempore elegit in Concionatorem illius Collegiatae Patrem Abbatem de Angelis Ordinis Caelestinorum, ac munus Procuratoris Generalis in hac Curia exercentem. Transacto vero mense decembris superioris anni nec non successiva etiam festivitate Epiphaniae Domini, fuit a dicto Regimine acceptum responsum praefati Abbatis de Angelis sub die 13 mensis ianuarii proxime elapsi, quo innotuit, se amplius accedere non posse ad explendam verbi Dei annunciationem ob varia, quibus premebatur, impedimenta. His stantibus, deventum fuit per dictum Regimen ad electionem seu subrogationem alterius Concionatoris, nempe Patris Antinorii Societatis Iesu, qui sub die 18 eiusdem mensis ianuarii fuit per Syndicum Civitatis iuxta solitum ob absentiam Episcopi praesentatus Vicario Generali Curiae Episcopalis Troianae, a quo denegata eidem consueta benedictione nominatus fuit in Concionatorem Pater Bonaventura Cenamo ex Minoribus Conventualibus Sancti Francisci, qui praedicationis officium explevit, non obstante protestatione Regiminis de nullitate illius nominationis ac denegatione eleemosynae, quam ipsum persolvere consueverat.

16. Successive vigore recursus habiti per dictum Regimen in hac Sacra Congregatione sub die tertia mensis aprilis, in qua editum fuit Rescriptum « Episcopo in Curia pro in-

formatione, et interim nihil innovari »; eadem die Agenti Episcopi notificatum, retardata fuit solutio eleemosynae dicto Patri Bonaventurae, cui ne gravamen aliquod illatum foret, dictus Vicarius Generalis, praevio Monitorio, comminante sententiam excommunicationis, nisi intra triduum solita eleemosyna Concionatori solveretur, sub die 19 dicti mensis aprilis exequuto contra Magistrum Iuratum et electos Civitatis, eos adhuc renuentes seu solvere recusantes, sub die 24 eiusdem mensis publice excommunicatos declaravit, non attenta protestatione pro parte dicti Regiminis emissa in actis Curiae Episcopalis Troiae super recursu habito ad hanc S. Congregationem ac illius Decreto, ut supra emanato, licet in dicta protestatione fuerit enunciata loco huius Sacrae Congregationis illa Episcoporum et Regularium. Quibus ita se habentibus, cum Episcopus retulerit, ius nominandi Concionatorem ad se fuisse devolutum, ob nominationem non factam intra mensem decembris, dictoque Patri Bonaventurae, cui ex ipsius ordine expeditae fuerunt ab eius Vicario Generali literae patentes ad effectum concionandi, denegandam non esse eleemosynam ab eodem Regimine praestari solitam.

17. Propositis itaque dubiis: – I. An et quis teneatur ad praestationem eleemosynae Concionatori? II. An censurae, de quibus agitur, sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Communitatem teneri in casu, de quo agitur, ad praestationem eleemosynae Praedicatori electo ab Episcopo. Ad secundum, censuras non substineri – *in Tyoiana Eleemosynae Concionatoris die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum.*

18. Similiter Concionatori, electo ab Episcopo de mandato Sacrae Congregationis lite pendente super iure eligendi, debetur eleemosyna ex assignamentis fieri solitis a Communitate, sine praeiudicio iurium ambarum Partium; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An pro proxima praeterita Quadragesima fuerit devolutum favore Archiepiscopi ius deputandi Concionatorem in Ecclesia Cathedrali? *Et quatenus negative.* II. An Concionatori deputato per Archiepiscopum adhuc debeatur eleemosyna ex solitis assignamentis destinatis pro praesenti anno? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, eleemosynam ex assignamentis Communitatis praesentis anni deberi Concionatori deputato a Sacra Congregatione – *in Urbinaten. die 7 Iunii 1698 lib. 48 Decretorum.*

19. Hinc Universitas tenetur subministrare alimenta Praedicatoribus Capuccinis et similibus, qui pecunias non recipiunt diebus, quibus a personis particularibus non subministrentur *in Signina die 1 Februarii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 444.*

20. Quod si Episcopus iustis de causis decreverit, praeter Concionatorem Ecclesiae matricis, alterum esse eligendum pro Ecclesia filiali, Incolae huius Ecclesiae filialis non tenèntur contribuere pro Concionatore Ecclesiae matricis, et Concionator Ecclesiae filialis quaestuare valet in eodem loco *in Neocastren. Concionatoris die 13 Ianuarii 1714 lib. 64 Decretorum.*

21. Iamvero – ex teterrimo terraemotu; quo sub anno 1638 tota Calabria contremuit, cum solo aequatum remansisset Oppidum Feroleti Neocastrensis Diaecesis, plerique eius Incolae ex infausta clade superstites novam coloniam cum sua Ecclesia sub titulo S. Thomae Aquinatis ex ruderibus erexerunt, quam nuncuparunt Culturam. Quoniam vero alii quamplures a praedicto Oppido non discesserunt, ibidem etiam remansit Matrix Ecclesia S. Mariae, ita ut nunc utraque ex dictis habitationibus suis Incolis referta comperiatur sub una tantum Communitate et non distincto, ut asseritur, regimine. Anno igitur 1664 Ordinarius in sancta Visitatione primo dictam Ecclesiam S. Thomae in Parochialem erexit, sine tamen praeiudicio praelibatae Matricis Ecclesiae, ac prae ceteris eiusmodi Decretum edidit: « Qui duo Curati ceterique Sacerdotes teneantur adire Matricem in solemnitate Corporis Christi et intervenire processioni faciendae per antiquam Terram, et in dicta Cultura fiat processio per Capellanos et Clerum eiusdem in die Dominico infra octavam Corporis Christi. Praedicatio divini verbi tempore Quadragesimae prima hebdomada in omnibus Dominicis habeatur in Matrice, secunda vero hebdomada in Parochia noviter erecta, sicque alternatim fiat per totum Quadragesimae cursum; concio vero de

passione, et benedictiones habeantur in Matrice, et in die S. Thomae in nova Parochia ».

22. Id Decretum praesertim quoad Conciones in viridi observantia viguit ad annum usque 1706, quo tempore instantibus nonnullis hominibus novi loci Culturae, Episcopus destinasse perhibetur duos Concionatores, unum in Matrice, alterum in Culturae Parochia. Cum vero statim Incolae Feroleti in hoc sacro Consessu contendere ceperint, quod antiquum solitum minime perturbari deberet, quo Universitas ita paupertate sit pressa, ut duobus Concionatoribus par non sit eleemosynae praestandae, datae fuerunt consuetae literae pro informatione Episcopo, qui pluribus autumavit, iure merito primo dictum Decretum revocasse, cum in Visitatione dicti loci Culturae Incolae propriis sumptibus alendum Concionatorem petiissent, quodque ab eodem difficilis sit accessus ad Matricem aliisque ex rationibus latius explicatis in relatione, quae in Summario dabitur. Hinc sub die 9 aprilis 1707 per Summarium relatis precibus Decretum prodiit: « Satis provisum per Episcopum ita tamen, ut eleemosyna praestetur per Incolas Culturae ». Iampridem nova instaurata fuit inter Partes controversia super intelligentia huiusce Decreti, num videlicet habitatores Culturae ita teneantur ad praestandam eleemosynam Concionatori in eorum Ecclesia, ut adigi nequeant ad subministrationem alterius eleemosynae Concionatori verbum Dei ministranti in Ecclesia Matrice, anve Concionator saepedicti Oppidi Culturae ibi quaestuare possit –.

23. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Incolae Culturae, qui solvunt eleemosynam proprio Concionatori tempore quadragesimali, teneantur contribuere pro Concionatore Oppidi Feroleti in casu etc. II. An Concionator dicti loci Culturae quaestuare valeat in eodem loco in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Neocastren. Concionatoris die 13 Ianuarii 1714 lib. 64 Decretorum.*

24. Si vero iustae adsint causae, S. Congregatio Communitati concedit ad tempus indultum applicationis subsidii dotalis in causam stipendii Concionatoris nec non sanationem absolutionem et prorogationem *in Camerinen. Sanationis et applicationis die 30 Iunii 1804 et die 30 Martii 1805.*

25. Siquidem Sacra Congregatio die 4 aprilis 1778 Communitati Castri Maroti indulsit, ut ad decennium unum ex subsidiis dotalibus a Card. Petro Conti eiusque fratre Iosepho relictis applicare posset in causam stipendii Concionatoris – ita tamen, ut applicatio fiat quatenus praecedenti anno integra quatuor subsidia ob defectum Puellarum concurrentium distributa non fuerint in modum, ut pro stipendio eleemosynae Concionatoris erogari non possint subsidia cuiuslibet anni decurrentis, sed ea dumtaxat, quae praecedentibus annis distributa non fuere ob deficientiam Puellarum nubentium, et satisfactis prius omnibus Puellis concurrentibus, et si non extiterint aliquo in anno subsidia non distributa et superextantia, obstricta semper remaneat Communitas ad praestandam consuetam eleemosynam Concionatori. Quae omnia coram Episcopo singulis annis verificari debeant –. Expiravit decennium anno 1788, et nihilominus Communitas nullo impetrato novo indulto perstitit in applicatione subsidii dotalis, et pessumdatae fuerunt leges in praecedenti Indulto appositae. Hisce commotus Prior Ecclesiae S. Viti Castri Maroti postulavit sanationem, simulque in futurum applicationem praefati subsidii dotalis. Proposito interim dubio: – An et quomodo sit concedenda sanatio quoad praeteritum et applicatio quoad futurum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem: et mens est, Archiepiscopus referat, an Exequutores testamentarii cl. me. Card. Petri Pauli et equitis Iosephi Conti, etiamsi minime adessent Puellae vocatae dotem petentes, quotannis reapse scuta quadraginta solverint pro quatuor subsidiis dotalibus ad formam utriusque testamenti, et cui et quibus visis receptis; utrum dotes pro sequutis Matrimoniis non solutae minimeque in Concionatorem distractae in publicam Communitatis utilitatem erogatae sint, perquisitis iustificationibus, vel potius in commodum privatorum, qui sint solvibiles; quot Matrimonia a Puellis ex fundatione Conti dotatis ex libris parochialibus pateat quolibet anno celebrata fuisse, ex quo ad duodecim vel quatuordecim adauctae sunt Puel-

lae, quae ad dotem consequendam annuatim concurrunt; dotes conferendae ubi tuto deponi queant, donec post sequutum Matrimonium dies veniat solutionis, et an per Testatores cautum sit de dotibus promissis et per obitum Puellarum non solvendis; penes quem seu quo existant dotes praeteriti et currentis anni adhuc non solutae, et in quo numero sint collatae – *in Camerinen. Sanationis et Applicationis die 30 Iunii 1804.*

26. Singulis responsionem dedit Archiepiscopus. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus iuxta modum; nempe praevia absolutione et sanatione quoad praeteritum et facto in futurum deposito modo ab Archiepiscopo praefiniendo subsidiorum nonnisi in actu celebrationis Matrimoniorum solvendorum, pro gratia applicationis unius subsidii ad decennium, servata in omnibus forma Rescripti diei 4 aprilis 1778, et Archiepiscopus incumbat exequutioni – *in Camerinen. Sanationis et Applicationis die 30 Martii 1805.*

27. Quinimo si utilitas ac necessitas imminere videantur, Sacra Congregatio indulget ad tempus reductionem Anniversariorum ad Missas lectas et onerum legatorum, ad effectum constituendi stipendium pro Concionatore quadragesimali nec non absolutionem a praeteritis omissionibus *in Placentina Reductionis et Absolutionis die 14 Martii 1840.*

28. Enimvero ad hesperiam Urbis Placentinae plagam extabat Ecclesia parochialis S. Ioanni in Canalibus dicata, in qua praedicationem praesertim quadragesimalem quam perutilem ac ferme necessariam Placentini Episcopi semper habuerunt. Nam Placentina Civitas bismille passuum circuitu ambiebatur ac 30000 Incolis constabat: hinc si unicum haberet in Cathedrali Ecclesia Evangelii Praeconem tempore quadragesimali, iam iste omnibus haud praesto esse potuisset, et ita ingens Populi numerus hoc esset destitutus pabulo spirituali. At Ecclesiae bonorum administratio non leviter turbata exin fuerat, ita ut pro annis 1829 et 1830 onera Missarum inadimpleta manserint ad numerum 2940 conscendentia. Qua de re Placentinus Episcopus petiit absolutionem pro praeteritis omissionibus et imminutionem onerum, ut haberi posset summa scutorum 128. 44 pro stipendio Concionatoris. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit Missarum reductio in casu? II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione super praeteritis omissionibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad quinquennium, reductis prius Anniversariis ad Missas lectas; et deinde singulis legatis per contributum usque ad summam necessariam pro stipendio Concionatoris quadragesimalis, quae tamen scutata 128 nunquam excedat; et interim Episcopus curet alia media pro eodem stipendio Concionatoris, facto verbo cum Sanctissimo – *in Placentina Reductionis et Absolutionis die 14 Martii 1840.*

29. Ad Concionatorem autem Ecclesiae Cathedralis quod spectat, potest ab Episcopis etiam per censuras compelli Magistratus secularis ad tribuendam solitam eleemosynam Praedicatori ab eodem Episcopo electo in Cathedrali, non obstante praetenso iure eligendi *in Acernen. die 6 Novembris 1607 ad cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 40.*

30. Unde Fagnanus in Cap. *Inter cetera* de officio Iudicis Ordinarii ex resolutionibus Sacrae Congregationis firmat, quod in electione Praedicatoris Cathedralis Ecclesiae, si Episcopus eligit, et Populus ex consuetudine non immemorabili eidem eleemosynam suppeditare consuevit, Episcopus tenetur sic electo eleemosynam erogare, ad differentiam casus, in quo Populus ex consuetudine immemorabili eleemosynam praestasset, quia tunc Populus compellendus esset ad observantiam consuetudinis, non obstante, quod electio ad Episcopum spectaret *in Aesina iuris eligendi Concionatorem die 16 Martii 1720* §. *Communitas.*

31. Hinc Populus, deputans ab immemorabili Praedicatorem in Cathedrali, si voluntarie consentit, ut deputetur ab Episcopo, potest ab eodem compelli ad solvendam eleemosynam; secus vero si Episcopus deputat, Populo contradicente *in Brundusina mense Novembris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 203.*

32. Nam si Episcopus sibi ius eligendi Concionatorem vindicare velit, ab eodem solvi debet eleemosyna; his enim in terminis proposito dubio: – An et ad quem spectet ius

nominandi Concionatorem quadragesimalem in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Electionem spectare ad Episcopum, soluta tamen per eum eleemosyna *in Aesina Iuris nominandi Concionatoris die 30 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

33. Quum itaque ad Episcopum ex sacrorum Canonum praescripto pertineat libera Concionatoris electio in sua Cathedrali, potest quidem, si velit, eam sibi vindicare etiam adversus Universitatem, quae ab immemorabili tempore Praedicatorem nominare eique stipendium solvere consuevit; sed tunc ipse debet eleemosynam tribuere ex Decreto Sacrae Congregationis apud Fagnanum in Cap. *Inter cetera* n. 24 *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 18 Septembris 1824* §. *Denique.*

34. Idcirco Episcopus non potest compellere Civitatem ad solvendam eleemosynam Concionatori, si ipse velit illum deputare, et Civitas ab immemorabili tempore sit in possessione Concionatorem nominandi *in Scalen. mense Martii 1586 lib.4 Decretorum pag.121.*

Item *in Rossanen. anno 1591 lib. 7 Decretorum pag. 19.*

35. Volens itaque Episcopus deputare Praedicatorem, non potest compellere Universitatem ad solvendam eleemosynam; secus vero si Episcopus sinat, Universitatem iuxta solitum deputare illum ab ipso tamen approbatum *in S. Agatae Gothorum mense Iunii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 157.*

36. Amplia, etiamsi Universitas non consueverit illum ab immemorabili deputare *in Nullius die 14 Novembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 143.*

37. Si enim Episcopus sinat, ut Communitas nominet, eam compellere potest ad praestandam solitam eleemosynam, quemadmodum Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium respondit in Ariminen. die 29 octobris 1583 apud Pignatellium tom. 4 consult. 206 n. 49 *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 18 Septembris 1824* §. *Denique.*

38. Si tamen Universitas hoc ius Praedicatorem deputandi ab immemorabili tempore habens sponte dimitteret Episcopo, eo casu posset etiam Episcopus illam ad praestandam solitam eleemosynam compellere *in Campanien. die 2 Martii 1619 ad cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 57.*

39. Imo si adesset consuetudo, ut alternis vicibus Episcopus atque Communitas nominarent, stipendii quoque solutio alternatim esset facienda *in Viterbien. die 14 Martii 1663.*

Item *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 18 Septembris 1824* §. *Denique.*

40. Idcirco illi, qui onere gravantur rependendi eleemosynam Concionatori, nequeunt pro suo lubitu se nominatione abdicare, ut onere solvendi stipendium leventur; nam Sacra Congregatio in praefata Viterbien. 14 martii 1663 censuit, - servandam esse consuetudinem, nisi velit Episcopus ius suum vindicare - *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 25 Februarii 1826* §. *His.*

41. Quod si Episcopus ex consuetudine Concionatorem elegerit et stipendium eidem tribuerit, nequit ab huiusmodi onere se eximere, ex eo quod laica potestas contrarium decreverit *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 18 Septembris 1824 et die 25 Februarii 1826.*

42. Siquidem Concionatorem, qui sacro Adventus et Quadragesimae tempore verbum Dei in Cathedrali Ecclesia annunciaret, Episcopus Lunensis Sarzanensis Diaecesis priscis temporibus eligere eique ducentas libellas Ianuenses pendere consuevit. Gallis tamen eas regiones occupantibus, Decreto anni 1811 statutum est, Praedicatores eligendos fore a Massalibus ad praesentationem Parochi vel Ecclesiae inservientis ea conditione, ut Praedicatores licentiam obtinere deberent ab Ordinario, tributa eleemosyna ex Fabricae reditibus. Itaque Massales Ecclesiae Cathedralis Lunensis Sarzanensis, qui antea Operarii dicebantur, Concionatorem nominare et pensionem solvere tunc ceperunt; eam vero deinde ad libellas quadringentas auxerunt. Verum anno 1816 postquam ab Italia Gallorum copiae recesserant, Episcopus praefatum laicum Decretum abrogavit. Quamvis ab huius Decreti observantia Episcopus unam exceperit Cathedralem Ecclesiam, attamen anno 1818 Massales, obtentu tenuitatis redituum, ab eo petierunt, ut libellas ducentas, quas antea ipse eiusque antecessores tribuere solebant, Concionatori solvere dignaretur. Solvit Episcopus, sed expresso eleemosynae titulo, non

autem, vita functo eodem Episcopo, renovavit insequentibus annis Mensae Episcopalis Administrator. Modernus Antistes anno 1821, titulo similiter eleemosynae, pensionem Concionatori Quadragesimae praestitit: cumque Concionatori Adventus eodem titulo se soluturum declaraverit, pecunias recusarunt Massales.

43. Episcopus retulit, se anno 1821 paratum exhibuisse ad dimidiam pensionem Concionatori Adventus persolvendam, – uti iam factum fuerat, nempe eleemosynae titulo, si Massales dicta retributione indigerent, ipsi autem dictam retributionem recusare censuerunt –. Imo sustinuit, Decretum anni 1811 legitimum fuisse, cum laici semper hac in re se immiscere consueverint; ac insuper confirmatum fuerit ab Episcopo Auctoritate Apostolica praedito. Praeterea Massales augmentum redituum hanc ob rem iam obtinuerant; idcirco iidem solvere tenebantur stipendium Concionatori, non vero Episcopus. Contra Massales nullum ac irritum dixerunt praefatum Decretum a laica potestate latum, quin obstaret praefata confirmatio; nam Summus Pontifex Episcopo facultatem huiusmodi indulsit, ut inter potestatem ecclesiasticam civilemque tunc temporis Rempublicam declinarentur contentiones, ex quibus graviora mala, calamitosis temporibus illis, Ecclesiae timenda erant. Turbulentissimi autem dies simul ac praeteriere Decretum quoque, etsi Auctoritate Apostolica confirmatum, suapte natura consenuit. Cessante siquidem ratione et causa legis, omnis eius vis atque potestas corruit ac penitus evanescit. Nec obstare dixerunt augumentum redituum, cum reditus Operae adhuc impar esset cunctis ferendis oneribus, et illud impertitum pro ceteris impensis tantummodo, non autem ad solvendam pensionem Concionatori.

44. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et ad quem spectet onus solvendi eleemosynam Concionatori Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et, facta per Massales declaratione sibi ius non competere nominandi, spectare ad Episcopum – *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 18 Septembris 1824.*

45. Massales, ab onere stipendium Concionatori solvendi se eximere cupientes, in Congregatione ordinaria habita die 2 ianuarii 1825 declarationem protulerunt, qua sibi non competere ius nominandi Concionatorem edixerunt. Reproposito hinc dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris die 25 Fabruarii 1826.*

46. At Regulares non tenentur contribuere impensae faciendae ab Episcopo Praedicatori Cathedrali; et hoc neque sub motivo, quod tunc eximantur a manutenendo alium in propria Ecclesia *in Eugubina ad Cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 77.*

§. I.

CONCURSUS QUOAD CONVOCATIONEM ADMISSIONEM ET FORMAM.

1. Concursus haberi potest etiam pro Beneficiis non Curatis ad tradita per Rotam in decisione 387 n. 15 coram Ludovisio *in Ripana Iurium parochialium die 20 Novembris 1762* §. *Disserit.*

2. Unde simplicia etiam Beneficia possunt ab Episcopo libere per Concursum conferri, ut ad rem Mansi in Cons. 145 n. 54 tom. 2 Consult. *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842* §. *Quod.*

3. Idque praesertim vim obtinet, si ex lege fundationis vel centenaria consuetudine, Concursus haberi debeat *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842* §. *Hisce.*

4. Quin imo quamvis generatim Patroni non possint alterare leges et conditiones apponere contrarias iuri communi vel iuri alterius quaesito, non prohibentur tamen conditiones praeter ius edicere, et quoad modum ac formam praesentandi pacisci certamque sibi legem facere seu complecti, ut inquit Rota in Nuperrimis tom. 5 decis. 361 n. 42, et coram Molines decis. 1041, praesertim ac-

cedente consensu Episcopi, ceu ad rem Vivian. de iurepatronat. part. 1 lib. 2 cap. 8 n. 10, Rota in Ulixbonen. Prioratus 14 Decembris 1601 coram Seraphino *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842* §. *Quod.*

5. Idcirco si Patroni quemdam instituerint Concursum, Sacra Congregatio nedum illum adprobat, sed et modum, quo idem expleri debeat, sapientissime statuit *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842.*

6. Nam adhiberi potest Concursus etiam in collatione simplicis Beneficii pro electione utilius facienda *in Nolana Concursus die 2 Decembris 1843* §. *Cum.*

7. Siquidem Ferentinae Civitatis Municipium iurepatronatus gaudebat super duplici Capellania, quarum altera a S. Paulo Apostolo nuncupata est a Fundatore Ioanne Leonini anno 1596, altera a S. Hyppolito martyre ab institutore Laureto De-Angelis sub anno 1646. De illa edixerat Testator, ut Episcopo Ferentino pro tempore existenti – Communitas, adhibita omni diligentia et facto Concursu ad dictam Capellaniam, Clericum civem Ferentinum magis idoneum repertum et approbatum praesentet et conferat –. Vacante priori Capellania, Municipium ad ferendum subsidium Clericis pauperibus obtinuit die 7 Iulii 1829 a Sacra Congregatione legem caducitatis, si Capellanus post institutionem propriis provideretur bonis, vel aliquo Beneficio ecclesiastico, vel ad aetatem viginti quinque annorum perventus nollet, vel non posset promoveri ad Sacerdotium: idque die 26 septembris eiusdem anni 1829 pariter ab eadem Sacra Congregatione assequutum est pro altera Capellania S. Hyppoliti. Factum hinc est, ut nedum Beneficium S. Pauli, quod jam a seculo ita conferri sueverat, sed et aliud S. Hyppoliti conferri ceperit annis 1832 et 1839 per Concursum quemdam, quo ab electis per Municipium Examinatoribus oratio latina vertenda ex tempore candidatis Clericis exhibebatur in Italicum sermonem. Admotis autem querelis de habito Concursu examine et iudicio, difficultas ingeri videbatur, quod lex Concursus in Capellania S. Hyppoliti nullibi praescripta expresse et adprobata inveniretur, adeo ut incassum queri de Concursus modo videretur, qui habendus non esset. Id tamen induci posse per Patronum accedente praesertim Episcopi consensu videbatur. Qua de re omnes ab Examinatoribus approbati voto erant subiicendi, nec praeferendi pauperiores et proximiores Ordini Sacerdotali, sed admittendi erant etiam Clerici documento strictae paupertatis carentes, quin de nullitate Concursus vel examinis constaret. Propositis enim dubiis: – I. An omnes ab Examinatoribus approbati voto subiiciendi sint, seu potius, exclusis ceteris, magis idoneus repertus sit praesentandus in casu? II. An et quomodo praeferendi sint pauperiores et proximiores ordini Sacerdotali in casu? III. An ad Concursum admittendi sint Clerici documento strictae paupertatis carentes in casu? IV. An constet de nullitate Concursus vel examinis, ita ut sit locus novo Concursui vel examini in casu?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative in omnibus – *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842.*

8. Unde generalis est iuris regula de servanda necessario forma in quacumque provisione Beneficiorum a iure communi vel legitima consuetudine aut statuto vel fundatione praescripta *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Defensor.*

9. Nam consuetudinem maximi momenti esse in materia collationum ac omnino attendendam, etsi non considerabilis temporis, tradunt Tonduti in quaest. et resol. Benef. part.3 cap. 137 n. 11, et Card. de Luca de Benef. disc. 67 n. 6, et disc. 95 n. 14, quamvis agatur de Beneficio simplici ex Doctrina Corradi in prax. Benef. lib. 3 cap. 4 n. 4, et Reclus. de Concurs. part. 1 tit. 2 n. 59 et 74 *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Protuetur.*

10. Hinc uti consuetudinem abrogativam Concursus introduci non posse tradit Pitonius in alleg. 5 n. 19 de controv. patronat. ob irritans Tridentini Decretum, e contra facile contrarium induci valere spatio etiam decem annorum, quantum requiritur ad firmandam consuetudinem praeter ius ad mo-

nitum Scarfantonii in voto dec. 55 n. 53, ubi addit, annos quadraginta sufficere ad consuetudinem contra ius, si aliqua pro ea militaret rationabilitas *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Protuetur*.

11. Valde namque laudabilis dicitur forma Concursus, tendens ad maius Ecclesiae bonum, Tridentinorum Patrum menti conformis, animarum saluti proficua, et privilegiatissima, ideoque ab ipso Romano Pontifice servari solita *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Protuetur*.

12. Idcirco consuetudinem invectam servare visa est Sacra Congregatio in Tricaricen. Concursus 2 iunii 1731, ac in novissimo Germaniae concordatu servari debere in Canonicatuum collatione in art. 22 cautum est *in Aliphana Curae Amimarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Protuetur*.

13. Unde necessitas Concursus legitime etiam elicitur ab ultimo statu ex Cap. *Consultationibus* de iurepatronatus, attendendo in iudicio praesertim possessorio super manutentione; status enim praesens habetur tamquam subiectum possessionis, ita ut censeatur ab initio impressus ex auctoritate Lotterii de re Benef. lib. 1 quaest. 36 n. 22, et indelebilis est ultimus status seu quasi possessio faciendi Concursum, nisi per concludentissimas probationes in contrarium ex doctrina Pitonii de controv. patron. allegat. 5 n. 25, maxime cum ultimo statui respondeant praecedentes, et etiam antiqui videantur conformes *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Elicit*.

14. Compertum hic est, plura esse examinum genera: aliud enim inductum a Concilio Tridentino sess. 24 cap. 18 de reformatione quoad provisionem in Beneficiis Curatis ab Episcopo explendam, quod ex communi Doctorum sententia est examen pro forma, ita ut si in minimo peccetur contra ea, quae ibi praescripta sunt, nullum omnino sit examen: aliud examinis genus in cap. 13 sess. 7 Concilii Tridentini praescribitur, quod pariter ab Episcopo fieri debet, antequam institutionem det in Beneficiis simplicibus; et huiusmodi examen non esse pro forma, atque adeo posse ab Episcopo peragi eo modo eaque forma, quae magis arrideat, imo etiam et omitti, si Clerici habilitatem aliunde compertam habeat, docent communiter Doctores ac Fargna de iurepatronatus part. 5 cap. 1 cas. 2 n. 4; Garz. de Benef. part. 9 cap. 3 n. 1, Rota coram Bichio decis. 377 n. 15 *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842* §. *Ut*.

15. Praeter haec examinum genera a iure requisita pro institutione in Beneficiis, sunt et alia genera, quae a piis Fundatoribus praescribi solent, ut ab Administratoribus vel Patronis fiant, velut pro admissione Alumnorum ad Collegium, pro annuis praemiis decernendis, et pro praesentatione utilius agenda; et cum haec examina non oriantur a iuris dispositione, sed ab hominis voluntate, possunt esse pro forma, vel non: ut autem dignoscatur, an sint pro forma, inquirendum erit, an ita expresse voluerit Fundator, an apposita sit clausula irritans vel annullativa, ex qua sola induci potest forma, an Fundator sese retulerit ad Cap. 18 sess. 24 Concilii Tridentini, ex quo inductum examen pro forma censuit Rota in Derthusen. Beneficii 19 iunii 1705 n. 4 coram Omanna: at hisce exulantibus, examen quidem in genere praeceptum importabit conditionem seu simplicem monitionem, cui conditioni quidem obsequendum erit, sed non tam facile de nullitate argui poterit, nisi contra finem et substantiam examinis factum sit *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842* §. *Ut*.

16. Hinc et quoad provisionem Ecclesiae Parochialis sine Concursu ac tantum praevio examine, multi dantur in iure casus consimilium provisionum, de quibus apud Ventrigl. in prax. rerum eccles. et apud Card. De Luca in adnot. ad Concil. Trident. disc. 31 et seqq.; et inter hos enumeratur sequens, quando videlicet conferenda est Parochia, quae est de iurepatronatus laicorum, uti expresse habetur in sess. 24 Cap. 18 vers. quod si iurispatronatus *in Caesenaten. die 15 Maii 1723* §. *Quoad*.

17. Siquidem Concursus non habet locum in iurepatronatus laicali, sed tantum simplex examen, ad differentiam iurispatronatus ecclesiastici, in quo Patronus digniorem inter

approbatos ab Examinatoribus Episcopo praesentare tenetur, ut ab eo instituatur iuxta Concilium Tridentinum in sess. 24 Cap. 18 de reformatione *in Pampilonen. Confirmationis Concordiae die 31 Iulii 1723 §. Alterum.*

Item *in Tarentina Iuris nominandi die 20 Aprilis 1850 §. Post.*

18. Nam Sacra Congregatio declaravit, Concursum habendum esse in Parochialibus vacantibus iurispatronatus ecclesiastici *in Gandaven. die 7 Februarii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 142.*

19. Quin imo Concursus est habendus in Parochialibus iurispatronatus partim laici et partim Ecclesiastici *in Bracharen. lib. 2 Decretorum pag. 8.*

Item *in Aurien. lib. 3 Decretorum pag. 95 a tergo.*

20. Amplia, id vim obtinet, etiamsi iuspatronatus sit pro una parte ecclesiasticum et pro duabus laicale *in Bracharen. lib. 2 Decretorum pag. 91.*

Item *in Caesenaten. die 29 Martii 1653 lib. 19 Decretorum pag. 240.*

21. Insuper Concursus est habendus in Parochialibus vacantibus iurispatronatus sive laici sive ecclesiastici sive mixti, si plures fuerint a Patronis praesentati *in Vercellen. die 21 Martii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 170.*

22. Alias enim Concursus praetermitti posse videtur in Parochialibus iurispatronatus mixti *in Pisana die 5 Februarii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 387.*

23. Qua de re in Parochialibus vacantibus iurispatronatus laicorum validi extra casum, quo plures a Patronis fuerint praesentati, non requiritur Concursus, sed est admittendus ille, qui, intra tempus a Patronis laicis praefixum, fuerit ab ipsis praesentatus et ab Episcopo examinatus et idoneus repertus *in Papien. lib. 1 Decretorum pag. 40 a tergo.*

Item *in Nemuricen. die 11 Iulii 1626 lib. 13 Decretorum pag. 61.*

24. In casu vero, quo plures a Patronis laicis sint praesentati Concursus est habendus, admissis praesentatis tantum et non aliis *in Papien. die 16 Ianuarii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 94.*

25. Animadvertendum tamen est, Concilium Tridentinum in Cap. 18 sess. 24 de reformatione vers. *si vero iurispatronatus*, non habere locum adversus particularem institutionem vel fundationem, in qua si alia forma diversa a Concursu ad investigandam Praesentati idoneitatem praescripta fuerit, ea est omnino servanda, Praesentato semper ab Ordinario examinato et approbato citra Concursum etiam repugnante lege fundationis *in Ulixbonen. die 6 Aprilis 1598 lib. 9 Decretorum pag. 58.*

26. Hinc ex Tridentini praescripto in Cap. 18 sess. 24 norunt omnes, diversam plane obtinere rationem in electione ad Paraeciales liberae collationis, iurispatronatus ecclesiastici, ac iurispatronatus laicorum; cum enim collatio pertinet ad Episcopum, ipsius exclusive erit eum inter approbatos eligere quem magis idoneum iudicaverit: quod si Curata Ecclesia sit iurispatronatus ecclesiastici, tunc electio dignioris inter approbatos ab Examinatoribus ad Patronum de iure pertinet, qui sic praeelectum tenetur Episcopo praesentare, ut instituatur; Episcopus autem acquiescere debet Patroni iudicio nec investigare, num illud fuerit rectum et rationabile, excepto casu, quo aliquis ex approbatis ab Examinatoribus de Patroni iudicio conqueratur, suamque querelam ad Episcopum deferat, in quo tantum rerum eventu debet Episcopus Iudicis partes assumere, et diligenter exquirere, an rectum fuerit iudicium a Patrono latum de sui praesentati meritorum supra reliquos ex approbatis praestantia, uti adhibita distinctione tradit Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 4 Cap. 8 n. 8 *in Patavina Parochialis die 27 Ianuarii 1855 §. Ex quo.*

27. Quod si Parochialis Ecclesia sit iurispatronatus laicalis, Patronus tenetur intra legitimum tempus praesentare dignum atque idoneum Ministrum, ut instituatur, ita tamen ut, si Episcopus inhabilem praesentatum iudicaverit, valeat ac debeat istum repellere a Paroeciae consequutione, uti Concilium Tridentinum in Cap. 18 sess. 24 de reformatione vers. *Quod si* Cap. 9 sess. 25, ubi ita legitur: – Ad haec liceat Episcopo paaesentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere –. Si tamen Praesentatus dignus et idoneus revera habeatur, hunc Episcopus tenetur insti-

tuere, etsi alii fortasse digniores existant; nam Patroni laici ad differentiam ecclesiasticorum non tenentur magis dignum ac idoneum praesentare. Ubi enim Tridentinum Concilium verba facit de Parochialibus Curatisque Ecclesiis liberae collationis, absolute praecipit digniores tantum esse praeeligendos; item quando de illis iurispatronatus ecclesiastici, sive ab Episcopo sive ab alio institutio fiat: e contra cum loquitur de illis iurispatronatus laicalis statuit, Praesentatum a Patronis esse instituendum, dummodo dignum atque idoneum, in quo quidem omnes conveniunt Doctores, ut Lambertin. de iurepatronat. part. 1 lib. 2 quaest. 10 art. 3 n. 17, Garz. de Benef. part. 7 Cap. 16 n. 19; adeoque illorum iura laedere aequitati non est consentaneum, ceu habetur ex eodem Concilio sess. 25 Cap. 9 de reformatione, ac saepe S. Congregatio resolvit, uti in Olomucen. Parochialis 6 Maii 1741 *in Patavina Parochialis die 27 Ianuarii 1855* §. *Tandem.*

28. Idcirco Episcopus nequit reiicere, quem Patroni laici intra legitimum tempus eidem praesentarunt, cum is idoneus sit, nec ulla indignitatis nota redargui valeat *in Patavina die 27 Ianuarii 1855.*

29. Iamvero die 26 augusti 1852 affixis Edictis a Curia Patavina indictus fuit Concursus simultanee peragendus ad quatuor vacantes Paraeciales Ecclesias locorum *Gorgo Carè Bastia* et *Cona,* quarum duae primae liberae erant collationis, tertia iuripatronatus regio, postrema privato iuripatronatus Comitum Albrizi subiiciebatur. Plures in Concurrentium albo descripti fuere, quos inter Sacerdos Xistus Vicentini Brixiensis, qui duorum annorum spatio in Paraecia Conae Capellani ac Vicarii Curati munere functus fuerat, et tunc temporis oeconomatum eiusdem Paraeciae gerebat. Hic supplici oblato libello Episcopo Patavino indistincte petiit obtinuitque – il permesso di porre il suo nome ai Beneficii esposti al Concorso –. Die itaque 2 Octobris eiusdem anni Concursus habitus fuit; quo expleto, Examinatores Prosynodales ita suffragia tulere, ut neminem inter approbatos pro una potius, quam pro altera Paraecia exclusive idoneum renunciarent, quod etiam de Sacerdote Vicentini, qui duo suffragia propitia retulit, unum contrarium, testabantur Examinatores, qui eidem suffragati fuerunt. Episcopus, perpensa Examinatorum relatione, duos ex approbatis elegit ad Paraecias *Carè* et *Gorgo,* quae erant liberae collationis. Ex quinque, qui supererant inter approbatos, duos, quos inter Vicentinus, nominationi Regiae pro Paraecia *Bastia,* reliquos nominationi Comitum Albrizi pro Paraecia Conae subiecit. Ast paucis post diebus, postulantibus praefatis Comitibus Albrizzi, Curia Patavina singulorum, qui in albo descripti et adprobati fuerant, nomina eisdem transmisit, omisso tamen Xisto Vicentini, quem ad Patronum Regium transmiserat. Patroni vero, his posthabitis, qui pro Paraecia Conae in transmissa tabella notati fuerant, ad eamdem Paraeciam nominarunt Sacerdotem Vicentini et Curiae praesentarunt. Cum autem Episcopus Patavinus canonicam institutionem huic denegasset, gravamen appellationis apud Metropolitanam Venetiarum Curiam interposuerunt; quae Partium deductionibus perpensis, die 5 Iulii 1853 definitivam edidit sententiam, qua declaravit, – non potersi rifiutare dalla Curia Vescovile di Padova la instituzione al presentato Vicentini –.

30. Die 18 iulii Episcopus Patavinus ab hac sententia ad S. Congregationem provocavit. Nihili vero appellationem faciendam duxit Curia Metropolitana, ex quo lapso ab sententia decendio fuerat interposita, ac lato Decreto sententiae exequutionem Curiae Patavinae demandavit. Interea vero temporis accepto habitis die 29 eiusdem mensis literis appellationis, Episcopo Patavino rescriptum fuit, ut, auditis Promotore fiscali aliisque interesse habentibus, referret de legitimis causis reiectionis Sacerdotis Vicentini. Episcopus tribus potissimum de causis canonicam institutionem denegavit (1). Episcopus itaque contendit, exclu-

(1) Scil'cet, – 1° perchè trovandosi Egli da poco tempo nella nostra Diocesi, non ci diede ancora quelle prove, che ci sarebbero necessarie per giudicarlo fornito di tutte quelle doti, che sono richieste dalla particolare condizione di quella vasta Parrocchia; 2° perchè dall'esame di concorso non ci fece conoscere di possedere quella dottrina, che deve avere in modo speciale il Parroco di colà; 3° perchè finalmente gli stessi nostri Esaminatori Prosinodali non intesero di approvarlo col loro suffragio a quel Parrocchiale Beneficio –.

dendum esse praefatum Vicentini a Paraecia Conae ob Ecclesiae bonum ac utilitatem, et hac in re Episcopi iudicium praecipue attendi oportere. At Patroni sustinuerunt, sibi de iure liberam fuisse facultatem Xistum Vicentini nominandi ac praesentandi, ac falso eum vel indignum vel minus idoneum esse ad Paraeciam Conae regendam; quippe qui ab ipso Patavino Episcopo Oeconomus Curatus eiusdem Paraeciae electus fuerat, quod munus per annum summa laude implevisse confirmabant amplissima illorum Paraecianorum testimonia.

31. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sententia Curiae Patriarchalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Patavina Parochialis die 27 Ianuarii 1855.*

32. Qua de re multo minus Beneficium, cui annexa est cura animarum, si est de iurepatronatus Regio, conferri potest per Concursum, praevio tamen examine et probatione Ordinarii, quin etiam Rector valeat per alium exercere curam animarum vel alibi residere *in Neapolitana mense Iulii 1589 lib. 6 Decretorum pag. 26.*

33. Siquidem – per Visitatores D. Archiepiscopi Neapolitani in visitatione Ecclesiae Parochialis S. Archangeli ad Signum fuit repertum, Rectoriam praedictae Ecclesiae, cui incumbit onus exercendi curam Animarum et ministrandi ecclesiastica Sacramenta, et quae est sub iurisdictione ipsius Archiepiscopi, esse tamen ad Regiam provisionem et collationem, sicque privilegio D. Pro-Regis illius Regni reperitur, contra dispositionem Sacrosancti Concilii Tridentini, provisus modernus eiusdem Ecclesiae Rector Curatus absque Concursu, absque aliquo examine praecedente super habilitate Personae provisae, et absque consensu aut approbatione aliqua Domini Archiepiscopi; proinde ipsi Visitatores in pluribus dubitant, et humiliter nomine eorum supplicant VV. Amplitudini et Dominationi et Sacrae Congregationi pro decisione: – I. An huiusmodi Beneficium, cum sit Curatum, licet sit, ut praetenditur, ad meram Regis collationem et provisionem, subsit formae providendi praescriptae a S. Concilio sess. 24 Cap. 18? II. Si videretur Illmis Dominationibus et Sacrae Congregationi tale Beneficium illi formae subesse, utrum debeat provideri per Concursum, cum sit Beneficium collativum et non ad praesentationem; an sufficiat, quod Persona nominata et providenda per Dominum Pro-Regem examinetur et approbetur, prout fit in Beneficiis iurispatronatus? III. Utroque in casu, nempe si necessarius sit Concursus, vel sufficiat examen Personae propositae et electae, a quibus ea erunt explicanda Examinatoribus Synodalibus Archiepiscopalis Ecclesiae, an vero ab aliis a Regia potestate decernendis? IV. Utrum collatio et provisio praedictae Rectoriae Curatae in personam praedicti moderni Rectoris, ut praefertur facta, non servata praescripta forma praedicti Concilii, scilicet absque Concursu absque etiam examine, ut nulla debeat declarari? V. Utrum Rector Curatus praedictus, qui hactenus curam Animarum non per se ipsum, sed per alium Sacerdotem ad eius nutum amovibilem exercuit praetendens, sibi sufficere in Civitate esse ex praescripto Decreti S. Concilii sess. 23 Cap. 2 §. Eadem, et per alium curam administrare quasi per Coadiutorem, cogi posset, quatenus eius provisio nulla non esset, ad administrandum per se ipsum, si iustam causam excusationis non habeat. Et cum praedicta Curata Ecclesia habeat domum vicinam ad usum eiusdem Parochi destinatam, compelli queat vigore Cap. 2 sess. 6 et Cap. 5 sess. 7 ad ibi habitandum, ut ibi esse possit, tam noctu, quam interdiu, necessitatibus Plebis sibi commissae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, huiusmodi Beneficium, si sit de iurepatronatus regio, non esse conferendum per Concursum. Ad secundum, libere eum, cui confertur, examinari et approbari ab Ordinario. Ad tertium, explicandum esse ab Examinatoribus Synodalibus. Ad quartum, huiusmodi Rectorem, nisi probatus et idoneus repertus fuerit, non esse admittendum. Ad quintum, ad primam et secundam partem posse compelli – *in Neapolitana mense Iulii 1589 lib. 6 Decretorum pag. 26.*

34. Hinc omissio praesentationis coram Episcopo ad effectum examinis faciendi nullam reddit tam praesentationem, quam institutionem in Beneficio *in Vercellen. anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 133.*

35. Imo Beneficium Curatum potest conferri ab Episcopo cum solo examine absque Concursu, si in Concursu habito nullus fuit repertus idoneus, novoque idcirco proposito, vel nemo, vel non idoneus comparuit *in Minoren. die 27 Februarii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 285.*

36. Siquidem – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit, cum nullus repertus fuerit idoneus in Concursu habito, fieri debere ab Episcopo, novum Edictum pro alio Concursu; et si nullus comparuerit, vel non idoneus, tunc praevio examine sine Concursu, Beneficium conferre posse; et si contulerit Cantori Ecclesiae Cathedralis, posse attenta tenuitate et aliis causis expressis permittere pro suo arbitrio et conscientia, ut idem Cantor maneat in domibus paternis – *in Minoren. die 27 Februarii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 285.*

37. Idcirco Ecclesiae Parochiales, quae sint inopes, Concursus non requirunt ex praescripto Sacri Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 18, si adeo tamen exigui sint reditus, ut operam non ferant Concursus *in Caesenaten. die 15 Maii 1723* §. *Quoad.*

Item *in Venusina die 25 Iunii 1763* §. *Rectores.*

38. Id tamen intelligendum est, si alias nulla suppetant media, ac significatum fuerit Sacrae Congregationi: nam Beneficia Curata, quae propter fructuum tenuitatem a nullis impetrari volunt, ac eapropter a longo tempore vacant, vel sunt unienda ad invicem iuxta Cap. 5 sess. 21 et Cap. 13 sess. 24 de reformatione, vel eis sunt unienda Beneficia simplicia, vel per collectas et contributionem Parochianorum sunt eorum reditus augendi, et si haec remedia deficiant, id significari debet S. Congregationi; simplicia vero, quae fructus quinque ducatorum reddunt, per solam Summi Pontificis signaturam ex gratia conferuntur *in Theatina die 29 Iulii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 498.*

39. Siquidem Sacra Congregatio, – quoad Beneficia Curata, quae in illa Diaecesi a multis annis vacant, cum nullus sit, qui propter eorum fructuum tenuitatem impetrare velit, respondit, adhibenda esse remedia Cap. 5 sess. 21 vel Cap. 13 sess. 24 de reformatione, vel Parochiales ad invicem, vel eis Beneficia simplicia unienda, aut per collectas et contributionem Parochianorum; quod si haec remedia adhiberi non possint, significandum Sacrae Congregationi, quae alio modo provideri curabit. Quo vero ad Beneficia simplicia, quorum fructus ad quinque ducatos annuos non excedunt, Illmi Patres non dedignabuntur agere cum Sanctissimo D. N., ut sola Signatura Sanctitatis Suae sufficiat – *in Theatina die 29 Iulii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 498.*

40. Attenta itaque redituum Parochialium exiguitate, Sacra Congregatio nec aliena est conferre Paraeciam in titulum ei, qui congruam promittit dotem, absque Concursu, non tamen sine examine *in Caesenaten. die 5 Iunii et die 17 Iulii 1723.*

41. Siquidem dimissa a Sacerdote Mathia Milandro in manibus sui Ordinarii Caesenatensis Parochiali Ecclesia S. Christinae, abstinuit Ordinarius ab indicendo Concursu; animadversa enim redituum tenuitate, cum iidem singulis annis non excederent annua scuta 23, Edictum publicavit, in quo post expressam deficientiam carentiae Beneficiorum simplicium, quae dictae Parochiae uniri possent, Parochianos admonuit, ut unusquisque pro rata et ad sui assis proportionem contribueret pro supplemento Congruae parochialis ad tramites Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 13 de reformatione. Hoc Edicto Parochiani universi commoti sunt, frustraque tentato Ordinarii animo, ut eum a sententia removerent, repertus fuit quidam Sacerdos Ioseph Antonius Festus, qui olim erat Canonicus Regularis Lateranensis, et qui post exitum a Congregatione, praevia licentia suae Religionis et praevio assensu Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, curám animarum exercuit in Civitate Anconae spatio duodecim annorum, quique promptus et paratus erat ad reddendum suae Patriae beneficium, dotando competenter ex suis bonis patrimonialibus Ecclesiam Parochialem S. Christinae, sed dummodo, intercedente Apostolica Auctoritate, eadem sibi in titulum conferretur, et absque Concursu, sed non sine examine. Si enim Apostolica Auctoritas abesset, in simoniam incidebat. Proposito interim dubio: – An et quomodo petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et expectetur resolutio Sacrae

Congregationis in Causa Firmana – *in Caesenaten. die 5 Iunii 1723.*

42. At in praefata Causa Firmana, supposita acquisitione usus bonorum quoad Thomam de Adamis Canonicum pariter Congregationis Lateranensis, Sacra Congregatio die 17 iulii 1723 subinde resolvit, proprietatem seu dominium bonorum ad praefatum Thomam nequaquam spectare. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem – *in Caesenaten. die 17 Iulii 1723.*

43. Insuper Tridentina lege requiritur Concursus in conferendis Paraeciis collativis, non vero in iis subiective Capitulo unitis *in Tarentina Iuris Nominandi die 20 Aprilis 1850* §. *Facile* (1).

44. Neminem hinc latet, in iure formam Concursus non requiri, quando animarum cura in Collegiatis Ecclesiis per Canonicos vel Hebdomadarios exercetur *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Praeiacta* (2).

45. Siquidem in Collegiata Ecclesia, quae habet curam animarum, illa non pertinet ad singulos Canonicos, sed ad Collegium, seu Capitulum unicam Rectoris personam repraesentans; alias enim sequeretur absurdum, quod una Sponsa eodem tempore plures Sponsos haberet, uti observant Corradius de re Benef. lib. 2 Cap. 2, et Reclusius de re paroch. part. 1 tit. 5 n. 62, quod sane importat, haud esse necessarium examen per Concursum ex Cap. 18 sess. 24 de reformatione Concilii Tridentini ea potissimum ratione, quia in huiusmodi Ecclesia non datur vacatio ex traditis per Fagnanum in Cap. *Cum sit ars* de aetat. et qualit. *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Praeiacta.*

46. Id etiam accedit, quod quando animarum cura est in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, habitualis penes Capitulum, sed collegialiter residet, et pro actuali Vicarius debet deputari, et Dignitates atque Canonici, uti singuli considerati, neque actu neque habitu dici possunt Curati, iuxta monita per Reclusium de re paroch. part.1 tit.1 n.102: Concursus autem non requiritur in Beneficiis Curatis *habitu* tantum, quia non aliter aestimantur, quam Beneficia simplicia, utpote quae Populo carent, ac proinde iurisdictione parochiali, sed in iis tantum, quae actu sunt Curata *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Huc* (3).

47. Unde Barbosa in alleg. 60 de offic. et potest. Episcop. part. 3 n. 30 decisum refert, curam animarum, quae in Ecclesia Collegiata exercetur per Canonicum vel Hebdomadarios, iuxta textum in Cap. *Statutum* de elect. in 6, Concursu non conferri; quia in isto casu cura dicitur esse penes Collegium, non penes singulos aut quemcumque Canonicum per se, ita ut dicatur Curatus; hinc etiam vel ipsum Vicarium Capituli sine Concursu eligi, nisi in ipsum Vicarium nedum exercitium Curae, sed etiam omnimoda cura fuerit translata, tradit Lotterius in quaest. 21 de re Benef. n. 22 *in Nolana Concursus die 2 Decembris 1843* §. *Profecto.*

48. Indubium propterea est, Concursum non requiri pro Dignitatibus, Mansionariis, et Hebdomadariis, habentibus curam animarum, quae turnatim per plures exerceatur *in Tricaricen. Concursus die 2 Iunii 1731* §. *Tricaricen.* (4).

49. Nam Concilium Tridentinum in Cap. 18 sess. 24 de reformatione disponens, Ecclesias Parochiales conferendas esse, praevio examine per Concursum, non comprehendit Dignitatem Archipresbyteratus Cathedralis, cui annexa est cura animarum, etiamsi non

(1) S. Pius V; Garz. de Benef. part. 9, Cap. 2, n. 289 et seqq.; Leuren. sect. 2, cap. 1, quaest. 883, n. 2; Rot. in decis. 496, n. 6, part. 18 Recent.

(2) Reclus. de concurs. part. 1, tit. 2, n. 79; Paris. de resig. Benef. lib. 8, Cap. 9, n. 39; Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 60, n. 30; Piton. discept. Eccles. 104, n. 35; Garz. de Benef. part. 9, cap. 2, n. 180; Ventrigl. part. 2, adnot. 5, §. 2; Corrad. de re Benef. lib. 2, cap. 7, n. 1; et lib. 3, cap. 3, cas. decim.; Massobr. prax. haben. in concurs. req. 1, dub. 7, n. 6; Leur. for. benef. part. 1, quaest. 206, n. 9; Rigant. ad regul. Cancell. tom. 1, pag. 346, n. 24; aliique passim.

(3) Reclus. de concurs. part. 1, tit. 2, n. 57; Zerola prax. Episcop. verb. *Beneficia*, part. 1, §. Ad quartum; Corrad. de Re Benef. lib. 3, Cap. 3, §. Decimus octavus.

(4) Fagnan. in Cap. *Cum sit ars*, n. 19, et seqq. de aetat. et qualit.

sit prima post Pontificalem *in Neritonen. anno 1585 lib. 4 Decretorum pag. 53.*

50. Amplia, praefata dispositio Concilii Tridentini nec quamlibet aliam Dignitatem, sive Prioratum, sive Praeposituram in Collegiata existentem, sive ab initio curam animarum habentem, sive post adiunctam comprehendit *in Avenionen. mense Octobris 1588 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

Item *in Caurien. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 50.*

51. Habet tamen locum dicta dispositio Concilii Tridentini in Parochialibus litigiosis, quando in illis Summus Pontifex voluerit collitigantem subrogare et verum ius demortui in alium transferre, nisi constet, Sanctitatem suam voluisse dicto Decreto derogare *in Valentina anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 44.*

52. Alias enim Beneficia Curata, quae vere sunt Dignitates, non conferuntur per Concursum *in Nullius mense Ianuarii 1601 lib. 9 Decretorum pag. 123.*

Item *in S. Angeli Bisacciarum die 2 Iunii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 508.*

53. Amplia, etiamsi sint Dignitates in Collegiata et ad collationem obtinentis in ea primam Dignitatem *in Gerunden. die 27 Maii 1647 lib. 17 Decretorum.*

54. Unde neque subiacent Concursui Parochiales Ecclesiae de mensa Abbatiae, quamvis consueverint conferri Vicariis perpetuis *in Burgi S. Sepulchri anno 1601 lib. 10 Decretorum pag. 14.*

55. Similiter Concursus non requiritur in collatione Canonicatuum, quibus annexa est cura animarum *in Lesinen. lib. 2 Decretorum pag. 204.*

56. Nec itaque requiritur Concursus in Beneficiis seu Mansionariis Cathedralis, quibus imminet cura animarum, et provisi de dictis Beneficiis seu Mansionariis curam ipsam alternatim per hebdomadas exercent: ita Sanctissimus, audita sententia S. Congregationis, respondit *in Parmen. lib. 1 Decretorum pag. 93.*

57. Unde Beneficia Curata Mansionariae nuncupata, quae habent annexam curam animarum per hebdomadam, non conferuntur per Concursum *in Patavina ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

Item *die 5 Iulii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 89.*

58. Siquidem, – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, re semel atque iterum proposita et examinata atque ad fel. rec. Gregorii XIII relata eoque approbante, cum de eisdem Cathedralis Patavinae Mansionariis ageretur, declaravit, ipsas Mansionarias, quamvis cura Animarum incumbat, nequaquam subiacere Concursui requisito per Decretum Concilii Cap. XVIII sess. 24 – *die 5 Iulii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 89.*

59. Nam huiusmodi Beneficia, servitoria nuncupata, ex eo quod Beneficiatis in Parochialibus promiscue aut alternatis diebus vel hebdomadis incumbit cura animarum, non comprehenduntur in Cap. 1 sess. 23 de reformatione sacri Concilii Tridentini *in Carthaginen. ad Cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

60. Idcirco nec sunt conferendae per Concursum Portiones Ecclesiae Collegiatae simul et Parochialis, cuius animarum cura exercetur ab obtinentibus illas alternis vicibus seu per hebdomadas *in Tuden. anno 1607 lib. 11 Decretorum pag. 22.*

61. Illud tamen animadvertendum est, quod de Canonicis et Capellanis, quibus adnexa est facultas exercendi curam animarum, perpendit Garcias in part. 9. Cap. 2 de Benef. n. 187 cum Sacra Congregatione, scilicet posse Episcopum eos examinare et eisdem inhibere, ne curam exerceant vel Sacramenta ministrent absque probatione *in Nolana Concursus die 2 Decembris 1843* §. *Sit.*

62. Ceterum approbatus, praevio examine, cum adipiscitur Beneficium perpetuum curae exercitium annexum habens, non est amplius examinandus *in Dubium die 15 Septembris 1605 lib. 10 Decretorum pag. 133.*

63. Si vero cuilibet obtinenti aliquam ex praedictis Portionibus certus locus et cura animarum incumbit, tum sunt conferendae praevio examine per Concursum *in Tuden. anno 1607 lib. 11 Decretorum pag. 22.*

64. Unde Garcias in part. 9 Cap. 2 de Benef. n. 191 adnotat, faciendum esse Concursum in provisione Beneficii simplicis alicuius Ecclesiae Parochialis habentis per se administrationem et exercitium Curae in aliquo

loco dictae Parochialis *in Nolana Concursus die 2 Decembris 1843* §. *Profecto.*

65. Nam non potest Episcopus conferre Parochialem vacantem iam Parocho absque Concursu et examine *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

66. Potest tamen Episcopus permutare Parochos de una in aliam Parochiam absque Concursu et novo examine, nisi magna adesset inaequalitas Parochianorum, vel Parochi non fuissent examinati in adeptione Parochialium, quas habent *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

67. Unde Concursus habendus est etiam in Parochialibus vacantibus ad collationem Capituli spectantibus *in Tarvisina die 23 Februarii 1636 lib. 15 Decretorum.*

68. Imo Concursui subiacent Parochiales Ecclesiae Archipresbyteratus et Praeposituraе nuncupatae, in quibus plura Beneficia simplicia Canonicatus nuncupata existunt, dummodo vero non sint Collegiatae, careantque iis, quae ad constituendam Collegiatam de iure communi requiruntur, neque alias Dignitates existant *in Placentina anno 1600 lib. 9 Decretorum.*

69. Quin imo animadvertendum sedulo est, indubium quidem esse in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus cura exercetur ab ipsis Canonicis vel Hebdomadariis alternatim, non requiri Concursum in provisione Canonicatuum, ducto argumento ex Cap. *Cum sit ars* de aetat. et qualitat. apud Fagnanum n. 19, ubi refert declarationem Sacrae Congregationis, sed eiusmodi declaratio non omnibus aptatur Collegiatis, sed iis tantum, quibus cura animarum adnexa est accessorie non principaliter, per viam scilicet unionem, non autem ex primaeva erectione, iuxta distinctionem traditam a Leurenio in For. Benef. part. 1 quaest. 153 et 206 n. 7, Card. De Luca de Benef. disc. 95 n. 14, et de iurepatronat. disc. 7 n. 15, Piasec. in prax. Episcop. part. 2 Cap. 5 art. 3 n. 33, Corrad. de re Benef. lib. 2 Cap. 12 n. 82, Garz. de Benef. part. 9 Cap. 2 n. 194, Reclus. de Concurs. part. 1 tit. 2 n. 75, praesertim post editas Literas Encyclicas Sacrae Congregationis 16 novembris 1721 *Ad tollendam*, et Constitutionem Benedicti XIV *Cum illud*, quibus aliter sancitum est *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Nec.*

70. Nec iuri repugnat curam habitualem et actualem simul penes Canonicos omnes in solidum residere in Collegiatis et Cathedralibus, ubi unus vel plures pro exercitio deputantur amovibiliter *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Cuius rei* (1).

71. Nam etsi in eadem et unica Parochiali Ecclesia plures Parochi, unus privative quoad alium, dari non possint absque iuris reluctantia, nullum tamen sequitur absurdum, ex quo plures in solidum curam administrent, quippe cum quamquam cura seu ius Parochiae substantialiter sit quid individuum, illius tamen exercitium nullo refragante iure patitur divisionem in plures, ex traditis magistraliter a Lotterio de re Benef. lib. 1 quaest. 20 n. 114 et seqq., Corrad. in prax. Benef. lib. 3 Cap. 2 n. 54, Leuren. in for. Benef. part. 1 quaest. 130 n. 4, Rot. coram Matthaeio apud Monacell. decis. 5 n. 2 et seqq. coram Millino post Garz. decis. 66 n. 13, quin ideo sequatur, ut omnes sint Curati singulariter sumpti, sed tantum in solidum: eos vero, qui deputantur amovibiliter, nec habitualem nec actualem habere curam, et omnimodam proinde residere in Capitulo et Canonicis, qui intitulantur in Ecclesia, tradunt Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 20, Piton. in discept. eccles. 104 n. 29 et seqq., Barbos. de Paroch. part. 1 Cap. 1 n. 53 et seqq.; alias enim in eiusmodi Ecclesiis quaereretur incassum cura actualis *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* §. *Etsi.*

72. Idcirco forma Concursus etiam in collatione Canonicatuum requiritur, si cura animarum Canonicis impendat ex primaeva erectione, cum praesertim observantia et ultimus status accedat *in Aliphana Curae Animarum et collationis Canonicatuum die 15 Martii 1856* (2).

(1) Barbos. de Paroch. part. 1, cap. 1, n. 54 et seqq.; Piton. discept. eccles. 104, n. 29 et seqq.; Scarfanton. ad Ceccoper. tom. 3, addit. 19, n. 18 et seqq.; et dec. 14, n. 10 in fin. tom. 1; S. Congregatio in Baren. Curae Animarum 3 februarii et 7 augusti 1703; in Assisien. Curae Animarum 16 Novembris 1706.

(2) Species et resolutio Causae huius prostat in Verb. *Canonici*, §. I, n. 266 ad 270, Tom. IV.

73. Hinc si non constet de unione subiectiva Ecclesiae Parochialis favore Capituli locus est convocationi Concursus, nec relaxanda est supplicatio favore illius, qui a Capitulo fuerit praesentatus; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An constet de unione subiectiva Ecclesiae Parochialis S. Mariae de Vallega favore Capituli Portugallensis in casu etc. *Et quatenus Negative.* II. An sit procedendum ad ulteriora in convocatione Concursus, seu potius sit relaxanda supplicatio vel favore Henrici vel favore Ioannis in casu etc.-, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Portugallen. Parochialis die 30 Martii 1737.*

74. Nam Parochiales Ecclesiae Capitulo Collegio vel Monasterio alicui quoad temporalia dumtaxat unitae veluti de iurepatronatus ecclesiastico debent per Concursum conferri ad tradita per Garz. de Benef. part. 9 cap. 2 n. 36, Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 2, Barbos. de Paroch. part. 1 cap. 2 n. 124 *in Fulginaten. Iurisdictionis die 15 Decembris 1736* §. *Posito.*

Item *in Portugallen. Parochialis die 30 Martii 1737* §. *Praeterea.*

75. Secus vero, si illae fuerint subiective, tam scilicet quoad temporalia, quam quoad spiritualia incorporatae; tunc enim ad eorum regimen et curam, praevio dumtaxat examine et approbatione Episcopi, deputantur Vicarii perpetui, iuxta Constitutionem 47 S. Pii V §. 4, et Resolutiones Sacrae Congregationis in Burgi Sancti Sepulchri 15 novembris 1601 lib. 10 Decretorum pag. 14, in Vasionen. 22 Augusti 1637 lib. 15 Decretorum pag. 580, et in Gandaven. 7 februarii 1643 lib. 16 Decretorum pag. 140 *in Fulginaten. Iurisdictionis die 15 Decembris 1736* §. *Posito.*

Item *in Portugallen. Parochialis die 30 Martii 1737* §. *Praeterea.*

76. Idcirco quando unio non sit subiectiva ius indicendi Concursum et praeeligendi digniorem spectat privative ad Episcopum, etiamsi extet Laudum; ius tamen conferendi spectat ad Emum Abbatem, salva institutione auctorizabili Episcopi *in Fulginaten. Iurisdictionis die 1 Martii et die 27 Septembris 1738.*

77. Siquidem quum Antonius Franciscus de Valentibus Sacrae Rotae Auditor, in quem communi consensu Emi Card. Laurentii de Alteriis Abbatis Commendatarii Monasterii Saxivivi contendentes, nonnullas Parochiales Ecclesias ad idem Monasterium spectantes et intra limites Fulginatensis Diaecesis existentes, secuta earum vacatione, a se praevio tantum examine et Episcopi approbatione conferendas esse, nec non bo. me. Iosaphat Baptistelli Episcopi Fulginei sibi ius indicendi Concursum ad easdem Ecclesias asserentis, controversiae istius definitio fuerit compromissa, in Laudo sub diem 8 iulii 1727 edito pronunciasset, - dicto Episcopo eiusque Successoribus non competiisse neque competere praetensum ius indicendi Concursum in vacationibus praedictarum Parochialium, sed earumdem collationem et omnimodam provisionem spectare ad dictum Emum et Rmum Card. Laurentium de Alteriis Abbatem Commendatarium aliosque Abbates successores, reservata tantum in Literis patentalibus ab eodem Emo eiusque Successoribus expediendis approbatione per dictum Rmum Episcopum eiusque Successores Personae de eisdem Ecclesiis provisae faciendа ad formam Constitutionis S. Pii V sub datum 5 novembris 1567 incipien. *Ad exequendum* -; subinde vero adversus Laudi huius exequutionem tam memoratus Episcopus, quam modernus eius Successor sese opposuissent autumantes, illud iniustum esse nullamque mereri exequutionem, propositis dubiis: - I. An Laudum, de quo agitur, sit exequendum? *Et quatenus negative.* II. An ius indicendi Concursum et praeeligendi digniorem in vacationibus Ecclesiarum Parochialium Diaecesis Fulginatensis, de quibus agitur, spectet privative ad Episcopum? III. An ius conferendi dictas Ecclesias Parochiales simpliciter spectet ad Emum Abbatem in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, collationem spectare ad Emum Abbatem, salva institutione auctorizabili Episcopi - *in Fulginaten. Iurisdictionis die 1 Martii 1738.*

78. Repropositis dein dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Fulginaten. Iurisdictionis die 27 Septembris 1738.*

79. Unde duo intra fines Diaecesis Mile-

tensis reperiebantur Oppida *Melicucca* et *Drusium* nuncupata, quae sacrae Religioni Hierosolymitanae eiusque Commendatariis quoad temporalia subiacebant. Num vero iisdem, vel Episcopo Miletensi in spiritualibus subiecta essent a multo iam tempore disceptatum fuerat. Causa dein quoad plures controversias ad effectum manutentionis remissa ad Sacram Congregationem, propositis dubiis: – XVI. An in iure convocandi Concursum occasione providendi Ecclesias Parochiales earumdem Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo Miletensi in locis Drusii et Melicuccae, seu potius Commendatariis? *Et quatenus negative quoad Concursum.* XVII. An saltem in iure examinandi et approbandi Vicarios Curatos, qui deputantur a Commendatariis, debeatur manutentio Episcopo? –, Sacra Congregatio respondit: – Manutenendum esse in omnibus Episcopum – *in Mileten. Iurisdictionis die 3 Augusti 1743.*

80. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Mileten. Iurisdictionis die 23 Novembris 1743.*

81. At in Parochialibus subiective unitis Monasteriis Regularium nequaquam requiritur Concursus, etiamsi per Vicarios perpetuos cura animarum in eis exerceatur *in Gandaven. die 7 Februarii 1643 lib. 16 Decretorum pag. 140.*

82. Neque Concursus habendus est, ubi solum exercitium curae resideat penes Vicarium *in Aquileien die 27 Iulii 1626 lib. 13 Decretorum pag. 90.*

83. Hinc non requiritur Concursus in Parochialibus Ecclesiis alicui Monasterio subiective unitis *in Fulginaten. Iurisdictionis die 15 Decembris 1736* §. *Posito.*

84. Amplia, etiamsi huiusmodi Parochiales Ecclesiae in titulum perpetuae Vicariae conferantur *in Fulginaten. Iurisdictionis die 15 Decembris 1736* §. *Posito.*

85. Nam eo in casu Parochus ad animarum regimen, praevio dumtaxat examine, et approbatione Episcopi deputatur *in Fulginaten. Iurisdictionis die 15 Decembris 1736* §. *Posito* (1).

86. Si vero eaedem Ecclesiae quoad temporalia dumtaxat unitae fuerint, vel tota animarum cura in Vicarium translata fuerit, tametsi subiectiva eorum unio probetur, oportebit ad eorum collationem Concursum indicere, iuxta distinctionem, quam communiter tradunt Canonistae (2) *in Fulginaten. Iurisdictionis die 15 Decembris 1736* §. *Si vero.*

87. Beneficium Curatum vero et Regularibus conferri solitum non potest ab Episcopo converti in simplex *in Carpenctoraten. die 12 Aprilis 1601 lib. 9 Decretorum pag. 138 a tergo.*

88. Enimvero, – Sacra Congregatio Concilii censuit, Ordinario nullo pacto licere Beneficium Curatum quamvis Regulare convertere in simplex – *in Carpenctoraten. die 12 Aprilis 1601 lib. 9 Decretorum pag. 138 a tergo.*

89. Hinc nec Beneficium Curatum Seculare potest ab Episcopo redigi in simplex *in Regien. mense Iunii 1597 lib. 9 Decretorum pag. 20 a tergo.*

90. Siquidem, – Sacra Congregatio censuit, non potuisse Archiepiscopum Beneficia Curata in simplicia redigere – *in Regien. mense Iunii 1597 lib. 9 Decretorum pag. 20 a tergo.*

91. Obtinens autem Beneficium, quod a principio fuit regulare, et postea immutavit statum, concurrentibus his, quae de iure communi requiruntur ad eiusmodi immutationem inducendam, non potest cogi ad assumendum habitum Religionis in eaque profiteri *in Portugallien. die 6 Iulii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 89 a tergo.*

92. Quandoquidem – Sacra Congregatio Concilii censuit, si Beneficium huiusmodi sit Seculare, nihil subesse difficultatis, ut Michael non teneatur habitum Religionis suscipere et profiteri. Quod si a principio fuerit Regulare, et postea immutaverit statum, concurrentibus his, quae a iure communi requiruntur

(1) Constit. S. Pii V 47, §. 4 et 5; S. Congregatio in Burgi Sancti Sepulcri die 15 novembris 1601 lib. 10 Decret. pag. 14; in Vansionen. 22 augusti 1637 lib. 15 Decret. pag. 580; et in Gandaven. 7 februarii 1643 lib. 16 Decret. pag. 140.

(2) Quos inter Garz. de Benef. part. 9, cap. 2, n. 28; Barbos. de Offic. et potest. Episcop. part. 3, Allegat. 60, n. 32; et de Offic. Paroch. part. 1, cap. 2, n. 19; Lotter. de Re Benef. lib. 2, quaest. 31, n. 22; Rot. decis. 579, n. 1; et decis. 710, n. 1, part. 2 Recent.; et decis. 214, n. 2 coram Buratto; et decis. 595, n. 2 coram Cavalerio.

ad inducendam huiusmodi mutationem, itidem cogi Oratorem non posse, ut habitum Religionis assumat, in eaque profiteatur. Quod si Beneficium sit Regulare taleque nunc permaneat, collationem Oratori, qui Secularis est, tamquam de seculari factam, viribus carere – *in Portugallen. die 6 Iulii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 89 a tergo.*

93. His autem sepositis, nullum subesse potest dubium, quin Concursus praemittendus sit in provisione Parochialium liberae collationis *in Venusina die 25 Iunii 1763* §. *Contendit.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Sacrorum; in Nolana Concursus die 2 Decembris 1843* §. *Cum.*

94. Siquidem Concursum in Paraeciis conferendis per publica Edicta necessario indicendum esse patet ex Cap. 18 sess. 24 de reformatione Concilii Tridentini; quod magis etiam declaratum fuit in Bulla *In conferendis* a S. Pio V *in Spoletana Collationis die 14 Aprilis 1821* §. *Haec.*

95. Vacatio tamen realis et ad formam iuris esse debet; alias enim approbatus in Concursu Paraeciam assequi nequit. Siquidem Sacra Congregatio respondit, non esse expediendas Literas Apostolicas ad favorem approbati in Concursu Parochialis suppositae vacantis, eo quia Parochus, praetextu inimicitiarum a pluribus annis non residens, privatus declaratus fuit ab Ordinario tribus citationibus personaliter non intimatis, sed ad valvas tantum Parochialis affixis *in Casertana Parochialis die 16 Martii 1675 lib. 29 Decretorum pag. 31.*

96. Quum itaque Episcopus Ecclesiam Archipresbiteralem Terrae Marcellinariae vacantem per obitum in mense reservato, salvo Beneplacito Apostolico, in duas Capellanias Curatas aeque principales diviserit, et Concursum habuerit, sed Summus Pontifex praefatam divisionem approbare noluerit, et Sacra Congregatio nullam declaraverit, proposito dubio: – II. An Concursus propterea factus sit validus taliter, ut fuerit in eo adimpleta forma praescripta per Sacrum Concilium Tridentinum et Bullam sa. me. Pii V, vel potius sit nullus et invalidus cum omnibus inde sequutis in casu etc. –, eadem Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative. – *in Neocastren. Dismembrationis et Concursus die 15 Decembris 1703 lib. 53 Decretorum.*

97. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Neocastren. Dismembrationis et Concursus die 16 Februarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

98. Idcirco si quis in Concursu quoad scientiam tantum fuerit approbatus ac mox iuxta leges laicae et illegitimae potestatis publicis Populi Comitiis electus institutionem obtinuerit ab Episcopo, qui tamen mutata inde illegitima laica potestate eumdem a Paraecia absque etiam citatione depulit novum Concursum indixit atque alium in Paraecia illa instituit, Sacra Congregatio mandavit, novum Concursum esse indicendum, licet alter ex iis ope transactionis Paraeciam a tribus supra decem annis iam possidebat *in Regien. Paraeciae die 21 Septembris 1816.*

99. Siquidem defuncto Rectore Paraeciae S. Mariae *di Sesso* lata sunt Edicta die 18 Maii 1798 a Vicario Generali, absente Regiensi Episcopo ob rerum publicarum vicissitudines, ac in iis statuta pro Concursu dies 25 eiusdem mensis. Inter duos concurrentes Presbiter Valli dumtaxat fuit secreto scrutinio quoad scientiam adprobatus; ac inde iuxta legem a Moderatoribus Reipublicae Cisalpinae latam fuit publicis Populi comitiis electus, quam electionem Minister, qui tunc audiebat *della Polizia generale*, ratam habuit. Post haec Vallius die 20 octobris a Vicario Generali speciali Episcopi mandato Bullas institutionis obtinuit et Paraeciae possessionem et administrationem nactus est, nullo in hisce actis facta de Populi comitiis mentione. At vix elapso anno ab institutione Vallii cum Austriacae Copiae Regium occupassent, Episcopus nulla irrita ac nullius roboris declaravit acta collationum Paraeciarum tempore Reipublicae: hinc, Vallio depulso et suspenso, novus indictus fuit Concursus, quo Sacerdos Ioannes Baptista Pizzarelli die 2 decembris 1799 approbatus literas collationis de speciali Episcopi mandato obtinuit. Mutata vero armorum fortuna, iterum Galli illarum regionum imperio potiti Pizzarellium eiecerunt, et Vallio Paraeciae reintegrationem obtulerunt,

qui sese abstinuit a capessenda Paraecia: sed anno 1802 de mandato Summi Pontificis facta est conciliatio inter Vallium et Pizzarellium, qua Pizzarellius Paraeciam renunciavit, et Vallius spopondit annuam pensionem aureorum quinquaginta, donec Pizzarellius aliunde provideretur. Post autem trium super decem annorum cursum Pizzarellius nullam ac irritam esse contendit renunciationem utpote per vim et metum a se emissam postulans, ut, eiecto Vallio, ad Paraeciam reintegraretur. Concursus enim habitus fuerat intra sex, non intra decem dies, prout Tridentinum disponit; scrutinium ab Examinatoribus fuerat factum super scientia tantum, non super aetate et moribus; et Episcopus coactus fuerat ab iis, qui tunc imperabant, institutionem Vallio dare tamquam in comitiis electus. Nec obesse posse sustinuit declarationem Pii VI per literas a Pro-Secretario Status die 29 novembris Emo Mattei Archiepiscopo Ferrariensi transmissam, qua eidem facultatem dedit eos instituendi, quos Populus ad Paraeciam elegerat, cum eiusmodi facultas Diaecesim Ferrariensem non egrederetur. Vallius e contra defendit transactionem ac decennalem possessionem, qua quilibet praesumitur idoneus titulus ad sanandum quodcumque vitium, quo laboraret institutio; legitimum fuisse Concursum et institutionem, quam obtinuit. Acriter arguit Pizzarellii institutionem, tum quia data fuit, cum plenum esset Beneficium, tum quia licet infecta esset propria institutio, non poterat is depelli, nisi prius citato et servatis servandis, ita ut, cum Vallius spoliatus fuerit, Pizzarellius pro intruso haberi deberet, tum demum quia, si ex defectu Concursus irrita fuerit propria institutio, collatio non ad Ordinarium, sed ad S. Sedem spectabat.

100. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et de cuius canonica institutione constet in Paraecia loci de Sesso in casu etc. *Et quatenus affirmative favore Ioannis Baptistae Pizzarelli.* II. An constet de nullitate renunciationis eidem Paraeciae factae ab eodem Sacerdote Pizzarelli in casu etc. III. An et cui sit danda manutentio vel reintegratio ad possessionem eiusdem Paraeciae in casu etc. *Et quatenus affirmative favore Pizzarelli.* IV. An et a quo tempore sint restituendi fructus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, provisum in tertio. Ad tertium, neutri dandam; et esse indicendum novum Concursum, et ad Secretarium cum Sanctissimo. Ad quartum, iterum proponatur – *in Regien. Paraeciae die 21 Septembris 1816.*

101. Episcopus vero statim, habita notitia Parochialis vacantis, debet constituere Vicarium idoneum in ea, nec expectare decet tempus, ut nominetur, qui Paraeciae sit praeficiendus *in Placentina die 1 Iulii 1593 lib. 7 Decretorum pag. 114.*

102. Eo itaque constituto, omnes sunt vocandi ad Concursum *in Forolivien. Privilegii die 2 Augusti 1845* §. *Iamvero.*

103. Tutius enim in Concurrentium copia providetur Beneficio Curato per electionem dignioris, qui facilius haberi poterit inter plures, quam inter pauciores; et quia hic est finis praecipuus indictionis Concursus, ut monet Benedictus XIV in Synod. Diaeces. lib. 13 Cap. 9 n. 16, S. Pius V in Constitutione *In conferendis*, et demonstravit Reclusius de concurs. part. 1 tit. 8 n. 112; idque exigit maior Ecclesiae utilitas, quae semper procuranda est *in Forolivien. Privilegii die 2 Augusti 1845* §. *Iamvero.*

104. Concursus autem convocandus est coram Episcopo, uti Ordinario loci, in quo existit Beneficium, iuxta firmata per Barbosam in alleg. 60 de offic. et potest. Episcop. n. 44 *in Lancianen. Archipresbiteratus die 19 Septembris 1761* §. *Quocirca.*

105. Sede hinc Episcopali vacante, Concursus indicitur a Vicario Capitulari *in Rheginen. Parochialis die 29 Augusti 1761* §. *Rheginen.*

106. Nam ad praescriptum S. Concilii Tridentini in Cap. 7 et 15 sess. 23 de reformatione et Cap. 11 sess. 25 de Regularibus ad Episcopum vel eius Vicarium generalem pertinet examen pro Confessionibus audiendis, S. Ordinibus suscipiendis, vel pro exercenda etiam ad tempus cura animarum *in Ianuen. die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 659.*

107. Qua de re coram Ordinario est faciendum examen approbandorum per Concursum in Parochialibus vacantibus ex libera resignatione in manibus Legati *in Avenionen.*

mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.

108. Nec aliter observandum, si vacatio contingat in mense reservato SSmo et per regulas Cancellariae *in Avenionen. mense Martii et mense Septembris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128 et 185.*

109. Unde examen pro huiusmodi Beneficiis est faciendum coram Ordinario, licet praesentatio fiat coram exempto, immo etiamsi institutio fiat ab Inferiore *in Mediolanen. lib. 1 Decretorum pag. 71 a tergo.*

110. Siquidem S. Congregatio declaravit, provisos de Beneficiis simplicibus, quorum collatio libere pertinet ad Inferiores, non teneri ex Concilio subiicere se examini Episcopi, provisos de Dignitatibus examinandos, etiamsi existant liberae collationis Inferiorum, in simplicibus autem Beneficiis sufficere illam approbationem, per quam Episcopus Ordines requisitos contulit *in Avenionen. mense Martii et Septembris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128 et 185.*

111. Idcirco Concursum ad Parochiales nec indicere potest Praelatus *vere Nullius,* nisi ex privilegio habeat ius convocandi Synodum, et in ea elegerit Examinatores Synodales *in Nullius seu Massanen. Iuris convocandi Synodum die 14 Iunii 1738* §. *Concursus.*

112. Siquidem - Sacra Congregatio censuit, examen et Edictum proponere et alias provisiones facere iuxta Caput 18 sess. 24 de reformatione spectare ad Episcopum tantum et non ad alium Inferiorem, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, etsi inferior ex immemorabili haberet hoc ius cumulative cum Episcopo in loco suae iurisdictionis, dummodo in ipsius Episcopi Diaecesi Parochialis posita sit; quod si Parochialis non sit intra fines Diaecesis alicuius Episcopi, et Inferior Episcopo omnimodam habeat iurisdictionem Episcopalem nec alicui subdatur, sed est immediate subiectus Sedi Apostolicae, Nullius Diaecesis proprium Territorium habens, si habeat ius congregandi Synodum, et legitime constet, et illam congregasse et congregare et elegisse ac eligere Examinatores, poterit Concursum instituere examinare et approbare Oeconomos et Vicarios deputare, et alia facere, quae praescribuntur in Cap. 18 sess. 24: Episcopus vero debet manuteneri, donec dicta requisita Abbas probaverit - *in Cassanen. mense Februarii 1588 lib. 6 Decretorum pag. 91.*

113. Quapropter Episcopus Forosemproniensis est manutenendus in possessione Concursum instituendi in Ecclesiis Curatis Ravegnanae spectantibus ad Monachos Camaldulenses, donec Abbas legitime probaverit habere ius cogendi Synodum, illam coegisse in eaque Examinatores deputasse *in Forosempronien. mense Ianuarii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 14.*

114. Hinc appositio Edicti et examen in provisionibus Parochialium vacantium sitarum intra limites Inferiorum spectat ad Episcopum, in cuius Diaecesi sunt dictae Parochiales, quamvis ab immemorabili hoc ius competeret Inferioribus cumulative cum Episcopo *in Asturicen. mense Iulii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 47.*

115. Amplia, etiamsi Inferiores habeant ius praesentandi *in Segobricen. mense Septembris 1588 lib. 4 Decretorum pag. 181.*

116. Alias enim nullus est intelligendus Concursus habitus coram Inferiore habente ius praesentandi et non coram Episcopo *in Segobricen. mense Septembris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 181.*

117. Hinc ad eum spectat examen Coadiutorum, qui dantur Parochis inhabilibus, ad quem pariter pertinet Concursum instituere pro Parochialibus vacantibus dictorum Parochorum *in Urbinaten. lib. 2 Decretorum pag. 266 sub titulo Castri Durantis.*

118. Quum autem controversiae iurisdictionales extent ratione praesertim Concursus, ac urgeat provisio Ecclesiae Parochialis, Sacra Congregatio designat locum, ubi ipsius nomine indicendus est Concursus cum Examinatoribus eiusdem loci, sine tamen praeiudicio Partium *in Nonantulana die 15 Ianuarii die 7 Maii 1707 et die 3 Martii 1708 lib. 57 et 58 Decretorum.*

119. Iamvero - nonnullae extant Ecclesiae Parochiales in Diaecesi Eugubina, super quarum pertinentia vetustae exarsere controversiae inter Abbates Nonantulanos et Episcopos Eugubinos, quibus plane renovatis annis retro elapsis inter cl. me. Card. De Angelis Abbatem Commendatarium Nonantulanum, et Episcopum super iure indicendi Concursum

ad unam ex dictis Parochialibus tunc vacantem, prodiit decisio Abbati favorabilis in S. Rota sub die 22 ianuarii 1693 coram Emo Card. Caprara, cui resolutioni Episcopus acquievisse fertur. Post autem obitum praedicti Cardinalis Commendatarii eamdem Abbatiam obtinuit Emus Tanarius Legatus a Latere in statu Urbini, qui iurisdictionem in praefatis Ecclesiis sibi competentem se se delegasse asserit R. P. Bonaventurae Episcopo Eugubii: at nuper eo translato ad Ecclesiam Montis Falisci, in eius locum substituisse in eadem iurisdictione Vicarium Generalem Calliensem. Cum autem idem Emus Abbas occasione praefatae Legationis in praesentiarum resideat in Civitate Pisauri, cupiatque inibi Concursum indicere et habere ad unam ex dictis Parochialibus iampridem vacantem, supplicavit huic S. Congregationi pro facultate habendi dictum Concursum coram Examinatoribus Synodalibus eiusdem Civitatis, cum alioquin valde sit incommodum illum peragere Nonantulae, quae satis longo 150 milliarium spatio a dicta Civitate Eugubii disiuncta asseritur –. Proposito interim dubio: – An petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Expectetur novus Episcopus Eugubinus – *in Nonantulana Concursus die 15 Ianuarii 1707 lib. 57 Decretorum.*

120. Nihilominus Emus Tanarius novis permunitus iuribus, iterum id petiit; sed Sacra Congregatio die 7 maii respondit: – Audiatur Episcopus –. Audito itaque Episcopo Eugubino, hic delibando perantiquas controversias praecipue ratione Concursus agitatas ita conclusit: – Idcirco, ne provisio dictae Parochialis veniat ulterius differenda cum maiori Parochianorum pernicie, nullatenus abnuerem, quod nomine Sacrae Congregationis et absque praeiudicio iurium utrique parti competentium, E. S. Concursum indiceret coram Examinatoribus et in loco ab hac Sacra Congregatione praescribendis; ita enim iuribus utriusque Partis atque Ecclesiae viduitatis quantocius, ut par est, consultum esset –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula: – Sacra Congregatio respondit: – Esse annuendum pro Concursu in Civitate Urbini cum Examinatoribus Synodalibus eiusdem Civitatis nomine Sacrae Congregationis sine praeiudicio iurium, si quae competunt Episcopo Eugubino ratione vicinitatis in similibus casibus – *in Nonantulana Concursus die 3 Martii 1708 lib. 58 Decretorum.*

121. Alias enim nec ipse Episcopus aliquem deputare potest: nam Concursus habitus sine interventu Episcopi, nec eius Vicarii Generalis, sed coram specialiter deputato ab Episcopo est nullus *in Placentina Examinis die 14 Ianuarii 1668 lib. 25 Decretorum pag. 519.*

122. Validus autem censetur ac est Concursus habitus coram Episcopo ac praesente Vicario Generali, qui, licet non esset Examinator Synodalis, dubia proposuit, Concurrentes examinavit, non tamen suffragium tulit *in Fanen. Concursus die 13 Iulii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 257 a tergo.*

123. Amplia, validus pariter est Concursus habitus coram Episcopo eiusque Vicario Generali tamquam uno ex Examinatoribus Synodalibus, etiamsi Vicarius ratione sui officii Concursum indixerit *in Tudertina die 20 Februarii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 373 a tergo.*

124. Unde coram Episcopo et non coram Deputatis a Capitulo fieri debet Concursus in collatione Parochialis vacantis in districtu omnimodae iurisdictioni tam spirituali, quam temporali Capitulo Cathedralis ab immemorabili tempore subiecto, etiamsi Capitulum habeat collationem omnium Beneficiorum dicti districtus privative quoad Episcopum *in Salamantina lib. 2 Decretorum pag. 246 a tergo.*

125. Quin imo Episcopus Concursum instituens ad Parochialem vacantem iuxta praescriptum Concilii non potest ab aliquo ex Concurrentibus ut suspectus recusari *in Dubium die 28 Octobris 1589 ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

126. Concursus autem est habendus coram Examinatoribus illius Diaecesis, ubi est Parochialis vacans conferenda, si Diaeceses duae sint inter se unitae *in Avellina die 12 Augusti 1634 lib. 15 Decretorum pag. 99.*

127. Hinc Sacra Congregatio declaravit, – Concursus fieri deberi cum Examinatoribus Synodalibus Diaecesis Civitatis Castellanae vel Hortanae, in qua existit Ecclesia Parochialis vacans, non tamen Episcopum com-

morantem in una ex dictis Civitatibus tenere se personaliter transferri ad alteram Civitatem et Diaecesim, sed posse dictos Concursus facere in Civitate et Diaecesi, in qua moratur, adhibitis tamen Examinatoribus Civitatis et Diaecesis, in qua Ecclesia Parochialis existit – *in Civitatis Castellanae die 24 Septembris 1638 lib. 16 Decretorum pag. 264.*

128. Nullum enim dubium, quin in singulis Diaecesibus aeque principaliter unitis sint deputandi Examinatores Synodales; proposito enim dubio: – An in Diaecesi, in qua sunt duae Cathedrales unitae, sint deputandi in qualibet Civitate Examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Valven. et Sulmonen. die 3 Septembris 1650.*

129. Qua de re vacato Archipresbiteratu Ecclesiae Cathedralis S. Iacobi Civitatis Tuscanensis, cui actualis cura incumbebat, Vicarius Apostolicus, Sede vacante, ius sibi esse censuit ineundi Concursum in Civitate Viterbii et coram Examinatoribus Synodalibus pro eadem Civitate electis cum beneviso Cancellario. Probavit enim ex antecedentibus statibus, Episcopos pro eorum arbitrio Concursus Ecclesiarum Tuscanensium modo in Civitate Viterbii, modo in altera Tuscanensi indixisse; ac pro eorum arbitrio modo Tuscanenses, modo Viterbienses Examinatores Synodales et etiam plures utrosque simul ad Concursus cum beneviso Cancellario evocasse. At obstitit Capitulum Cathedralis Ecclesiae Tuscanensis, cum in facto esset unio aeque principalis. Propositis itaque dubiis: – I. An et quo loco et coram quo sit convocandus Concursus pro collatione Archipresbiteratus, de quo agitur, in casu etc. II. An examen Concurrentium sit faciendum privative ab Examinatoribus Synodalibus Tuscanellae in casu etc. III. An ad effectum recipiendi dictum examen intervenire et privative interesse debeat Cancellarius Episcopalis dictae Civitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, coram Vicario Apostolico, et in loco eius arbitrio destinando. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative – *in Tuscanen. Concursus die 16 Martii 1771.*

130. Haec ipsamet quaestio de Ecclesiis Frequentina et Avellinen. aeque principaliter unitis proposita fuit in Sacra Rota in Frequentina Nullitatis Concursus 13 iunii 1635 coram Coccino, et pro nullitate Concursus prodiit iudicium, ut praesertim videre est sub numero 7: – An, cum huiusmodi Parochialis sit in Diaecesi Frequentina potuerint adhiberi Examinatores Synodales Avellini, negative fuit responsum; quia examen debet fieri ab Examinatoribus in Synodo deputatis, ideo adhiberi debuerunt Examinatores Synodales Civitatis Frequentinae: quod est adeo verum, ut, si cum Examinatoribus conveniat etiam unus Examinator Synodalis, Concursus sit nullus – *in Tuscanen. Concursus die 16 Martii 1771* §. *Haec.*

131. Unde in Concursu Parochialium debet intervenire arbitrium Vicarii Capitularis, non vero Capituli; proposito enim dubio: – VII. An in Concursu Parochialium debeat intervenire arbitrium Vicarii Capitularis, vel debeat pendere ab arbitrio Capituli, facto Concursu in praesentia Capituli vel in absentia, et an debeat attendi consuetudo Regni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, Affirmative ad primam partem ad formam iuris; in reliquis, Negative – *in Elven. Iurisdictionis die 1 Decembris 1736.*

132. Episcopus itaque per Edictum etiam publicum vocat, qui volent examinari *in Caputaquen. Parochialis die 30 Iulii 1763* §. *Causa.*

133. Non tenetur tamen Episcopus semper ponere Edicta pro examine faciendo et Concursu ad Parochiales vacantes; sed sufficit, quod plures examinandos Examinatoribus proponat, non tamen sufficeret, si unum tantum proponeret examinandum *in Veronen. lib. 2 Decretorum pag. 108 a tergo.*

134. Exceptis vero casibus specialibus, Episcopus, vacante Parochiali Ecclesia, debet statuere diem vel in Edicto vel post Edictum ad examen faciendum *in Iacen. mense Aprilis 1587 lib. 4 Decretorum pag. 238.*

135. Nam certus dies, quo Concursus habetur, est ab Episcopo vel in Edicto vel post Edictum assignandus, ne qui vocati in Edicto comparuerunt vel nominati a Patronis eludantur *in Iacen. mense Aprilis 1587 lib. 4 Decretorum pag. 238.*

136. Hinc nullus nequaquam censeri potest

Concursus, ex eo quod Edictum expeditum fuerit absque praefixione diei, quo examen instituendum erat, ac examen ipsum longe post decendium fuerit expletum, nec non publica intercesserint suffragia *in Monopolitana Concursus die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

137. Enimvero – vacante animarum cura Parochialis Ecclesiae S. Angeli Civitatis Monopolis iam sub die 22 decembris 1710 ab Episcopo expositae fuerunt literae edictales, ut, qui ad illam consequendam animum adiicerent, intra decendii curriculum eorum nomina darent, quum eo termino elapso coram Synodalibus Examinatoribus Concursus experiretur. Nonnullis subinde interiectis assertis impedimentis, tandem die 11 aprilis 1711 moniti personaliter fuerunt Competitores infra recensendi, qualiter tum subsequenti decima quarta die examen haberetur. Die indicta, praesentes adstiterunt Sacerdotes Vitus Antonius Pastore ac Simeon Fanellus, quibus super scientia interrogatis, praetensi Synodales Examinatores Episcopo commendarunt Vitum Antonium a scientia aetate moribusque, Simeonem vero idoneum renunciarunt quoad aetatem et scientiam, sed nequaquam quoad mores aliaque necessaria ad animarum curam obeundam, quapropter iam dictus Episcopus laudatum Sacerdotem Vitum Antonium Pastore praeelegit, eumque in Rectorem vacantis Ecclesiae deputavit. Statim quidem Simeon Fanellus appellationem ad S. Sedem interposuit, quae ad effectum tantum devolutivum admissa fuit, deductaque subinde eiusmodi controversia ad Sacram Congregationem, iuxta morem consultus fuit desuper Episcopus. Nuper vero redditis literis praelibatam facti seriem idem latius comprobat eo vel addito, quod aegra valetudine detentus Concursum explere nequivit post decendium a die publicati Edicti. Pluribus subinde propugnat praeelectionem Viti Antonii Pastore testimonium exhibendo, saepedictum Fanellum semel iterumque ob eius corruptam indolem in Parochialium Concursibus reprobatum fuisse, uti latius ex relatione, quae in Summario dabitur. Ceterum mox dictus Simeon Fanellus enixe contendit, Edictum nulliter expeditum fuisse absque praefixione diei, quo examen instituendum erat, quin etiam examen ipsum longe post decendium expletum nullius esse momenti; irritam quoque autumat Concursus formam, tum quia ab Examinatoribus haud obsignata fuit, cum etiam ex quo publica intercesserunt suffragia, pluribus etiam inficiatur legitimam eorumdem Examinatorum electionem, quam pro virili tuetur Episcopus in altera relatione in Summario Fanelli pariter exhibenda. Postremo idem ipse exaggerat, inter eos intervenire procul dubio nequivisse Vicarium Generalem –.

138. His autem perpensis, proposito dubio: – I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, et amplius – *in Monopolitana Concursus die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

139. Nec nullus censeri potest Concursus, ex eo quod Edictum affixum fuerit ad fores Ecclesiae Parochialis, non autem ad valvas Ecclesiae Cathedralis, et habitus termino decem dierum nondum exacto coram Examinatoribus falso illegitime deputatis in Civitate, ubi Episcopus reperiebatur occasione pastoralis Visitationis *in Mazzarien. Concursus die 12 Septembris 1739.*

140. Siquidem indicto ac expleto Concursu pro Ecclesia Parochiali Civitatis Alcami, Summus Pontifex inter sex Concurrentes selegit Erasmum Cremona: verum eam subinde Presbiter Leo Fraccia sibi impetrare studuit sub narrativa, quod in praefato Concursu forma Sacri Concilii Tridentini servata non fuerit. Hinc re ad Sacram Congregationem delata, dictus Fraccia contendit, multiplici vitio praefatum laborare Concursum; primo nimirum quod illius Edictum fuerit ad fores Ecclesiae Parochialis, non autem ad valvas Cathedralis, ut mos erat, affixum; secundo, quod Concursus habitus fuerit sub diem 26 augusti in Edicto statutam in Civitate Salem, ubi tunc temporis occasione pastoralis Visitationis reperiebatur Episcopus, propterea eaque et extra locum, in quo haberi debuisset, nempe extra Civitatem Alcami sedem vacantis Beneficii, ubi Edictum fuerat affixum, et termino decem dierum nondum exacto, quum alioquin nonnisi post illum elapsum Concursus fuisset instituendus. Et tertio demum quod ad eumdem Concursum ineun-

dum adhibiti non fuerint tres ex undecim Synodalibus Examinatoribus, qui tunc in Diaecesi Mazzariensi reperiebantur, sed habitus ille esset coram tribus Examinatoribus ab Episcopo antecedenti die 25 augusti extra Synodum deputatis, nullo prius impetrato Capituli consensu, qui iuxta formam indulti, quo Sacra Congregatio potestatem fecerat eidem Episcopo eligendi Examinatores extra Synodum, accedere debuisset. Contra Episcopus exposuit, Concursum rite fuisse indictum, et Examinatores electos fuisse cum consensu Capituli.

141. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Concursus et collatio respective Ecclesiae Parochialis Alcami sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius – *in Mazzarien. Concursus die 12 Septembris 1739.*

142. Idcirco quum rite indictus ac expletus fuerit Concursus, validus declaratur *in Satrianen. Concursus die 28 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

143. Iamvero – ad vacantem Parrochialem Terrae Cagiani Satrianensis Diaecesis Archipresbiteratus titulo decoratam per obitum in Curia, indicto de more Concursu per publicum Edictum ad valvas dictae Ecclesiae Parochialis affixum cum termino decem dierum ad comparendum, tres Sacerdotes eiusdem Terrae Cagiani, Fabritius nempe Isolda Donatus Angelus Altilio et Ioannes Iacobus Passarelli se praesentarunt examinandos in Civitate Campaniae, ubi Episcopus ambarum Ecclesiarum Satrianen. scilicet et Campanien. unitarum residet, qui, praevio examine peracto a sex Examinatoribus noviter per Episcopum electis in locum defunctorum vigore facultatis ab hac Sacra Congregatione reportatae, approbatis quoque a Capitulo Satrianensi « ad hunc actum tantum et citra praeiudicium Ecclesiae Satrianensis » (cum unicus tantum Archidiaconus Giacchetti ex Synodalibus Examinatoribus superextans ob suam ingravescentem aetatem examini intervenire recusasset) ac, praestito per eosdem Examinatores consueto iureiurando, omnes ad supradictae Parochialis regimen idonei approbati fuerunt; transmissisque actis originalibus huiusmodi Concursus ad Emum pro-Datarium, ex Sanctissimi Domini nostri munificentia praefatus Fabritius Isolda de dicto Archipresbiteratu provisus remansit. Huic tamen provisioni Ioanne Baptista Solimena se opponente sub praetextu nullitatis Concursus, remissa extitit controversiae decisio ad EE. VV., a quarum sapientissimo iudicio, Parte utraque ad informandum monita, oraculum expectatur: – An Concursus, de quo agitur, sit validus? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Satrianen. Concursus die 28 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

144. Quin imo Episcopus potest praescribere terminum in Edicto pro Concursu faciendo ad sui arbitrium etiam minorem decem diebus vel ultra extendere *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

145. Unde Sacra Congregatio declaravit, nullum non esse examen peractum intra decem dierum pro collatione Parochialis, si nemo comparuerit, qui se laesum praetenderet *in Montis Regalis anno 1606 lib. 11 Decretorum pag. 11.*

146. Non tamen potest praescribere minorem quinque diebus *in Charcen. Edicti die 26 Augusti 1662 lib. 23 Decretorum pag. 277.*

147. Nedum enim prorogari, sed etiam abbreviari potest terminus decem dierum ad habendum Concursum pro Parochiali vacante ab Episcopo in Edicto praescriptus, dummodo infra dies quinque non minuatur: ita enim declaravit S. Congregatio, approbante SSmo eius sententiam; et mandante, in posterum ita observari *in Charcen. Edicti die 26 Augusti 1662 lib. 23 Decretorum pag. 277.*

148. Qua de re terminus trium dierum ab Episcopo praefixus ad habendum Concursum pro Parochiali vacante non sufficit ad Concursus validitatem; Concursumque habitum post dictum trium dierum terminum non sustineri declaravit S. Congregatio *in Dubium Concursus die 25 Ianuarii 1676 lib. 29 Decretorum pag. 190.*

Item *in Melphien. Concursus die 22 Septembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

149. Nullum hinc dubium, quin valeat Episcopus terminum decem dierum prorogare, si descripti legitime impediti se excusaverint *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

150. Idcirco si plures ex Concurrentibus

in actis Concursus descriptis, nondum elapso termino viginti dierum, in aegritudinem inciderint, omnis postulat aequitas, ut examen ad ipsorum instantiam, prorogato priori termino, differatur, ceu monent Ugolinus de offic. Episcop. Cap. 50 §. 10 n. 4, Leo in Thesaur. for. eccles. part. 2 Cap. 3 n. 55, Garz. de Benef. part. 9 de Benef. Cap. 2 n. 215, Barbosa ad Concil. Trid. Cap. 18 sess. 24, et consonant Resolutiones Sacrae Congregationis in Cremonen. lib. 3 Decretorum, et in Lucerina Concursus die 26 novembris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 714 *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739* §. *In.*

151. Aliquo imo interiecto impedimento aut iusta concurrente causa, ob quam viginti dierum spatio nequeat convocari Concursus, Episcopus potest utique terminum ultra viginti dies prorogare; deindeque cessante impedimento, intra illum sic prorogatum ad Concursus convocationem procedere secundum ea, quae cum aliis notat Massobrius in prax. haben. Concurr. ad Parochial. requis. 3 dub. 7 n. 2 *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739* §. *Porro.*

152. Enimvero Archiepiscopus Capuanus, sequuta sub mensem aprilis 1739 vacatione Parochialis Ecclesiae nuncupatae S. Mariae *la Fossa*, die 9 insequentis mensis martii iussit, consuetum affigi Edictum, quo omnes ad illius Ecclesiae curam concurrere cupientes excitarentur ad se praesentandum infra viginti dies, suaque nomina cognomina et patriam in actis Curiae Archiepiscopalis describi faciendum, ut, eo elapso termino, possent examen coram se et Synodalibus Examinatoribus sub diem 30 eiusdem mensis maii habendum subire: postmodum vero animadvertens idem Archiepiscopus, septem dumtaxat ex viginti septem Examinatoribus electis in Synodo a Praedecessore suo sub annum 1729 celebrata superstites esse, eosque a nonnullis Presbiteris concurrere optantibus in suspectos fuisse renunciatos, curavit sibi a Sacra Congregatione fieri potestatem deputandi extra Synodum, accedente Capituli consensu, alios octo Examinatores ad annum de more duraturos. Verum quia Capitulum renuerat tunc primum pro deputatione dictorum octo Examinatorum praestare consensum sub obtentu, quod sufficerent deputati in Synodo, Archiepiscopus terminum in enunciato Edicto praefixum prorogavit. Capitulum enim tamdiu renuit in deputationem aliorum octo Examinatorum, coram quibus Concursus haberi posset, consentire, ut necesse fuerit terminum iam labentem prorogare; insuper tres ex Sacerdotibus in actis Concursus descriptis, nondum elapso termino viginti dierum, in aegritudinem incidentes, prorogationem petierunt. Illa autem controversia inter Archiepiscopum et Capitulum vix extincta, Sacerdos Bartholomaei nullam edixit praefatam prorogationem ultra viginti dies in superius enunciato Edicto praefixos, cum obsisteret Constitutio S. Pii V *In conferendis.* Proposito vero dubio: – I. An prorogatio Edicti facta a Curia Archiepiscopali pro habendo Concursu ad Parochialem Ecclesiam S. Mariae *la Fossa* sustineatur, ita ut sit procedendum ad ulteriora in convocatione Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739.*

153. Hinc validus renunciatur Concursus, licet Episcopus terminum decem dierum pro examine statutum prorogaverit et Concurrentes fuerint examinati unus post alium super uno ex capitibus Sacri Concilii Tridentini et super conciuncula cuiusdam textus sacri Evangelii, ac inde alia die super iisdem semotim et secreto examinatus fuerit alter ex Concurrentibus, qui causa infirmitatis antea interesse non valuit examini, atque demum altera die omnibus Concurrentibus fuerint proposita quaesita moralia ab Examinatoribus Synodalibus *in Abellinen. Concursus die 28 Februarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

154. Nam Sacra Congregatio id etiam declaravit, scilicet neque ex Sacro Concilio Tridentino, neque ex Constitutione S. Pii V *In Conferendis* super Parochialium collatione edita, necessario examen ad obtinendas Parochiales vacantes faciendum esse coram omnibus Concurrentibus *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

155. Qua de re – vacante Ecclesia Parochiali Archipresbiteratu nuncupata sub invocatione S. Nicolai Terrae Montis fortis per obitum illius ultimi Archipresbiteri possessoris sequutum de proxime defluxo mense

octobris Apostolicae Sedi reservato, Episcopus ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini Cap. 18 sess. 24 de reformatione sub die 11 eiusdem mensis Edictum indixit et publicavit, requirendo omnes concurrere volentes ad assequendam dictam Parochialem, quatenus intra terminum decem dierum eorum nomina describi facerent in Cancellaria Episcopali. Intra praefixum terminum nullus alius comparuit, quam Sebastianus Maria Sacerdos antedictae Terrae, cuius nomen una cum aliis requisitis descriptum extitit in albo Concurrentium. Sed instante Promotore Fiscali Curiae pro supradicti termini prorogatione, attento frequenti Sacerdotum numero in dicta Terra ac eorumdem absentia, idem Episcopus sub die 22 mensis praedicti terminum prorogavit ad alios dies decem, designando diem Sabbati primam tum subsequentis mensis novembris eiusque horam decimam nonam pro Concursu peragendo. Exinde sub die 23 saepedicti mensis institit et obtinuit admitti ad eumdem Concursum Sacerdos Franciscus Canonicus, quemadmodum idem obtinuerunt intra dictum terminum prorogatum Stephanus Canonicus et Martinus Ferrara. Subinde Episcopus die 31 supramemorati mensis delegit ad examen peragendum quinque Examinatores deputatos in ultima Synodo, ac sub die prima memorati mensis novembris per schedulas affixas intimari fecit examen habendum eadem die hora decima nona cum continuatione. Ubi autem designata hora advenit, convenerunt simul coram Episcopo supradicti quinque Examinatores una cum praenominatis Concurrentibus descriptis, excepto Francisco Canonico, qui eo tunc praesentari fecit Episcopo attestationem Medici super impedimento suae infirmitatis atque alia documenta suorum requisitorum nec non epistolam eidem Episcopo directam (1). Nihilominus sub hora vigesima inceptum fuit examen reliquorum trium Concurrentium, qui fuerant examinati unus post alium super uno ex capitibus Sacri Concilii Tridentini et super Conciuncula cuiusdam textus Sacri Evangelii, sed dimissum extitit examen in hora vigesima secunda cum dimidio, animo iterum illud reassumendi, quemadmodum hoc totum iudicialiter notificatum fuit eisdem Concurrentibus, iniuncto eisdem praecepto iurato de non patefaciendis explicatis et dictis in dicto Concursu incepto, ac renovato eodem praecepto Examinatoribus praedictis.

156. Postmodum sub die 3 praelibati mensis novembris, instante Promotore Fiscali, Episcopus terminum dierum sex praefixit Francisco Canonico ad subiiciendum se examini aut illi renunciandum, quodque alias terminaretur examen cum solis aliis descriptis. Acceptavit terminum praefatus Canonicus; hinc sub die 9 novembris hora decima nona convenit in Aula Episcopali una cum tribus supradictis aliis Concurrentibus mox antea notificatis. Et primo quidem ab iisdem Examinatoribus fuit examinatus dictus Franciscus semotim et secreto super eodem Capitulo Sacri Concilii Tridentini ac super Conciuncula eiusdem textus Sacri Evangelii, super quibus, alias, ut praefertur, fuerant examinati reliqui tres Concurrentes. Subindeque a praedictis Examinatoribus fuerant proposita quaesita moralia omnibus quatuor Concurrentibus, a quorum singulis data fuerunt responsa in scriptis. Quibus omnibus perpensis, Examinatores, habito scrutinio, eorum vota pandiderunt, ac repertum fuit, Stephanum Canonicum tria favorabilia et duo negativa, Martinum Ferrara quatuor negativa et unum affirmativum, Franciscum Canonicum et Sebastianum Maria omnia quinque pro quolibet affirmativa vota reportasse. Ex quibus Episcopus, attenta maiori aetate et diutino Oeconomatus exercitio Francisci Canonici eum magis dignum ad dictum Archipresbiteratum declaravit et publicavit. Die sequenti gravatus Sebastianus Maria, appellavit coram Episcopo, atque dixit de nullitate peracti Con-

(1) Huius scilicet tenoris: – Francesco Canonico con supplica espone, come va finora perseverando la sua indisposizione di modo tale, che lo rende impotente poter calare nel Concorso; onde a ciò riflettendo conosce benissimo non esser volontà di Dio, nè espediente per sè, nè per il pubblico, avendoci Sua Divina Maestà impostoci un tale ostacolo sin dalla morte del quondam Arciprete, ed affinchè veda V. S. Illma l'animo, che teneva di calare fece fare l'acclusi requisiti, quali invia a V. S. Illma, perchè questa notte appunto li è calata flussione ad una gamba, che lo trattiene a letto e conseguentemente inabile a far l'obbedienza dovuta; che però la priega *in viscéribus Iesu Christi* a compatirla, e non attribuirlo a nota mancanza etc. –.

cursus, ac admissa appellatione in devolutivo tantum, recursum habuit idem Sebastianus ad hanc Sacram Congregationem, cuius iussu idem Episcopus exemplar actorum dicti Concursus una cum sua informatione in Summario danda transmisit, ex quibus tenor facti recensiti erutus fuit –.

157. Citato itaque Francisco Canonico coóppositore ac Partibus ipsis monitis, proposito dubio: – I. An constet de validitate Concursus? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum Affirmative – *in Abellinen. Concursus die 28 Februarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

158. Hinc et Vicarius Capitularis non admisit Concursum instituendum coram seipso, ex eo quod prorogavit terminum usque ad alios quindecim dies, ut facilius optimus inter multos Concurrentes seligi posset, quin obstaret, quod intra terminum decem dierum primo assignatum tres nomen dedissent *in Lucerina Concursus die 26 Novembris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 724.*

159. Alias enim in iure proponitur, quod in Constitutione S. Pii V *In conferendis* terminus, intra quem Concursus ad Parochiales Ecclesias haberi debet, viginti dies nequaquam excedere potest, ita ut, iis elapsis et Concursu non habito, earumdem Parochialium Ecclesiarum collatio ad Apostolicam Sedem devolvatur, quemadmodum consentanee ad dictam Constitutionem Pianam tradunt communiter Ventriglia in prax. for. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 4, Antonellius de Regim. Eccles. lib. 3 Cap. 6 n. 18, Card. de Luca de iurepatronat. disc. 6 n. 4, de Paroch. disc. 37 n. 46, de Benef. disc. 25 n. 6 *in Capuana Concursus die 21 Nov. 1739* §. *Porro.*

160. Unde Parochialium Ecclesiarum collatio ad Apostolicam Sedem devolvitur, si Concursus ad eas, pro quibus habendus est, nullo interiecto legitimo impedimento, intra terminum in Constitutione 33 S. Pii V incipiente *In conferendis* praefinitum, non fuerit habitus, uti constat ex eadem Constitutione 33 S. Pii V §. 4, et tradunt communiter Navarr. in Summ. Bullar. comment. 15 n. 3, Ventrigl. in prax. for. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 4, Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3 Cap. 6 n. 18, Card. de Luca de iurepatronatus disc. 6 n. 4, de Paroch. disc. 37 n. 46, de Benef. disc. 25 n. 6 *in Portugallen. Parochialis die 30 Martii 1737* §. *Praeterea.*

161. Idcirco Episcopus non potest legitime prorogare terminum Concursus, ex eo quod ex pluribus descriptis unus tantum comparuit; nam iste solus debet examinari et approbari, nisi qui descripti sunt excusent se legitimo impedimento quomodo ad Concursum accedere valeant *in Caurien. die 6 Augusti 1593 lib. 7 Decretorum pag. 121.*

162. Qua de re, si iusta absit causa, vel legitimum impedimentum, quando unus dumtaxat, nondum elapso termino, comparuerit, novum Edictum affigi non debet, sed iste examini est subiiciendus, eique conferenda Parochialis, si ad animarum curam idoneus reperiatur, quemadmodum notant Barbosa ad Concilium Tridentinum sess. 24 Cap. 18 n. 64, Massobrius in prax. haben. Concurs. requisit. 3 dub. 7, Garcias de Benef. part. 9 Cap. 2 n. 215 *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 26 Martii 1735* §. *Attamen.*

163. Idcirco examini est subiiciendus ille solus, qui comparuerit, eique idoneo reperto Beneficium est conferendum *in Caurien. die 6 Augusti 1593 lib. 7 Decretorum pag. 121.*

164. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, habendum esse Concursum, etiamsi elapso termino in Edicto assignato unus tantum comparuerit, illique si examinatus et idoneus repertus fuerit Parochialis est conferenda, nisi descripti legitimo impedimento detenti Concursui se praesentare non valuerint; tum enim potest Episcopus terminum prorogare *in Cremonen. lib. 3 Decretorum pag. 83.*

165. Aeris autem intemperies legitimum non esse impedimentum videtur: quum enim Ordinarius rite indixerit Concursum statuta die habendum, non est sane deveniendum ad novum Concursum, si unus dumtaxat praefata die comparuerit et approbatus fuerit, licet alii petierint, ut indictus Concursus ad aliud tempus differretur, cum iidem tunc minime possent ob aeris intemperiem ad illum accedere *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 7 Maii et die 9 Iulii 1735.*

166. Amplia, id vim obtinet, licet nemo intra terminum in Edicto iam promulgato praefinitum comparuerit, et plures, re adhuc

integra, institerint, ut Concursus ad aliud tempus protraheretur, si mox unus tantum ex descriptis examen sustineat et idoneus reperiatur *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 7 Maii et die 9 Iulii 1735.*

167. Idcirco nil obstat, quod docent Garcias de Benef. part. 9 Cap. 2 n. 218, Massobrius in prax. haben. Concurs. requisit. 3 dub. 9, Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24 Cap. 18 n. 70, et de offic. et potest. Parochi part. 1 Cap. 2 n. 5, Antonellius de Regim. Eccles. lib. 3 Cap. 5 §. 2 n, 14, alterum scilicet Edictum, nemine intra terminum comparente, affigi debere, quo denuo Oppositores ad Concursum evocentur *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 26 Martii 1735 §. In.*

168. Enimvero Ordinarius volens Ecclesiam Receptitiam S. Mariae Collis de Vicario perpetuo providere, sub diem 12 Augusti 1733 praecepit affigi consuetum Edictum, quo omnes ad curam praedictae Ecclesiae concurrere cupientes monuit, ut in termino decem dierum comparerent, seque describi facerent Concursui, post elapsum terminum die 24 eiusdem mensis habendo: postea vero cum solus Sacerdos Thomas de Amata dicta die comparuerit, in examine habito die subsequenti 25 ad animarum curam idoneus ab Examinatoribus renunciatus, in Parochum perpetuum deputatus fuit, post reiectam praemissa die 24 instantiam nomine Sacerdotum Francisci Grilli Iosephi Falconio et Nicolai Mosca porrectam, qua sub obtentu, quod ii tunc minime possent ob aeris intemperiem ad Concursum accedere, postulabatur, indictum Concursum ad aliud tempus differri. Adversus praefatam deputationem statim reclamarunt memorati Sacerdotes, habito ad Sacram Congregationem recursu. Proposito vero dubio: – An Concursus et respective approbatio Thomae de Amata sustineatur, vel potius sit deveniendum ad novum Concursum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 7 Maii 1735.*

169. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 9 Iulii 1735.*

170. Unico tamen comparente intra terminum in Edicto praefixum et vel nolente se examini subiicere vel Parochialem obtinere recusante, novum Edictum est proponendum, et rursum vocandos Oppositores censuit Sacra Congregatio *in Vicentina mense Maii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 43.*

171. Nec aliter censuit Sacra Congregatio, si approbatus et idoneus renunciatus ab Examinatoribus neglexerit vel eum poenituit Parochialem obtinere; tunc enim novum Edictum est promulgandum *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

172. Unde si semel Edicto proposito pro Concursu, vel nemo comparuit, vel ex multis, qui comparuerunt, examinatis nullus repertus est idoneus, tutius agendo debet Episcopus aliud Edictum proponere, nemineque adhuc vero comparente, potest absque Concursu Beneficium conferre, praevio tamen examine *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

Item *in Assisien. Concursus die 11 Februarii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 57.*

173. Novum tamen Concursum ad Parochialem vacantem in mense reservato instituere non potest Episcopus, pendente appellatione ab eius irrationabili iudicio, etiamsi praeelectus in Concursu iam habito supplicatione minime signata a Dataria Apostolica cesserit libere suae praelectioni in manibus eiusdem Episcopi *in Dubium Concursus die 30 Maii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 203.*

174. Imo si quis comparuerit in termino prorogato repelli non potest a Concursu absque legitima causa, alias spreta illius appellatione nulla censetur collatio facta sub falsa narrativa, quod nemo comparuisset in Concursu bis indicto, ideoque novus Concursus indicendus est coram Episcopo viciniore *in Lancianen. Archipresbiteratus die 12 Septembris 1761.*

175. Iamvero post elapsum decem dierum terminum, quem in Edicto publicato die 4 martii 1761 statuerat Archiepiscopus Lancianensis pro Concursu habendo ad vacantem Parochialem Ecclesiam Terrae Arielli illius Diaecesis, novum publicatum fuit Edictum die 15 eiusdem mensis, quo terminus proro-

gabatur ad alios decem dies tunc proximos. Quum tamen duo comparuissent Oppositores, nempe Sacerdos Franciscus Xaverius Tosi de Diaecesi Theatina in termino primi Edicti, et Sacerdos Angelus Andreassi de dicta Terra Arielli die 25 martii praedicti, neutrum Curia Archiepiscopalis admittere voluit ad Concursum. Appellavit Sacerdos Andreassi ad Summum Pontificem: sed Archiepiscopus, spreta dicta appellatione, suis literis commendavit Datariae Apostolicae, ad quam spectabat dictae Parochialis collatio, Sacerdotem Ubaldum Renzetti civem Lancianensem, qui die 4 aprilis obtinuit eamdem Parochialem sibi conferri sub narrativa, quod fuisset – ab Examinatoribus Synodalibus, nemine in Concursu bis indicto comparente, approbatus –. Archiepiscopus contendit, ex defectu veritatis narrativae nutare haud posse Ubaldi Renzetti Apostolicam provisionem, quia Sacerdos Tosi testabatur, sponte se a Concursu recessisse post auditam Archiepiscopi voluntatem praeferendi Diaecesanos, minimeque liti adhaerebat; et quia Sacerdos Andreassi, qui comparuit vigesima prima die post primum Edictum publicatum die 4 martii, legitimus contradictor non erat, quum prorogatio Concursus ad Parochiales ultra vigesimum diem corruat quoad excessum, et post vigesimum diem comparentes amplius non dicantur legitimi Oppositores. Et licet dictus Andreassi comparuerit die 25 martii, quo nullum peractum fuerat examen, attamen comparens post elapsum terminum, etiamsi res esset integra, admittendus non erat, nisi docuisset, se fuisse legitime impeditum, quin legitimum impedimentum esse posset munus Concionatoris, quo functus erat in antecedenti Quadragesima, cum per alium id facere potuisset, et non constaret, eumdem praedicasse de licentia Ordinarii. Plura etiam in eum obiecit Archiepiscopus, ita ut ceu indignus et irretitus vitio simoniae aliisque defectibus, vel saltem ceu de illis diffamatus repellendus esset a Beneficii assequutione. Contra Sacerdos Andreassi falsam dixit narrativam supplicationis, quum ipse et Sacerdos Franciscus Xaverius Tosi revera comparuerint. Nec censuit obstare, quod ipse comparuerit vigesima prima die post affixionem primi Edicti, tum quia comparuerit in termino prorogato, si dies termini non computetur in termino, tum quia descriptus nemo tunc usque fuerat in actis Concursus, nullumque peractum examen; et ideo cum res esset integra et ipse usque ad eam diem fuisset legitime impeditus ob Concionatoris munus expletum in Terra Carpineti, contendit, suam comparitionem fuisse opportuno tempore factam, nec ipsum potuisse a Concursu repelli. Suos etiam defendit mores, pluribus in medium allatis testimoniis.

176. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus relaxationi supplicationis Archipresbiteratus Terrae Arielli favore R. D. Ubaldi Renzetti? *Et quatenus negative.* II. An et ubi sit locus novae convocationi Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Affirmative coram Episcopo viciniore; et amplius – *in Lancianen. Archipresbiteratus die 12 Septembris 1761.*

177. Terminus autem decem dierum vel viginti ad nominandos Clericos ad regendam Ecclesiam Parochialem vacantem idoneos, ut compareant coram Examinatoribus Synodalibus a Concilio praefixus non currit a die vacationis Ecclesiae; sed potest quandocumque ab Episcopo assignari infra tempus electioni magis idoneus praescriptum *in Dubium die 11 Decembris 1621 lib. 12 Decretorum pag. 81.*

Item *in Tyburtina die 28 Aprilis 1629 lib. 4 Decretorum pag. 87; in Assisien. Concursus die 11 Februarii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 57; in Ægitanien. anno 1686 lib. 36 Decretorum pag. 544.*

178. Post haec nullus videtur esse dubitationi locus, quod nisi Collator ordinarius intra sex menses a die vacationis Concursum indicat pro Beneficio Parochiali vacante conferendo, fiat gradatim devolutioni locus; id enim expresse praecipit Constitutio S. Pii V *In conferendis:* hinc itaque fit, ut, elapso semestri, Beneficium, si Episcopalis sit collationis, maneat Apostolicae Sedi reservatum non alias ac si vitiatus aliunde Concursus, si habitus fuerit, comperiatur, uti tradunt unanimiter Corradus in prax. Benef. lib. 3 Cap. 3 n. 5, Reclusius de Concurs. part. 2 tit. 4 n. 39, et Rigantius in Reg. 1 Cancell. §. 10 n. 16

in Valven. Collationis et sanationis die 23 Maii 1857 §. *Nullus.*

179. Quum autem Episcopus intra terminum iure statutum Concursum non habeat et Paraeciam conferat, si iusta adsit causa, indulgetur sanatio et immissio ad praefatam Paraeciam *in Valven. Collationis et Sanationis die 23 Maii 1857.*

180. Siquidem praeviis consuetis edictalibus habitus est Concursus mense iulio 1850 ad Parochialem loci *Raiano* vacatam mense maio praecedentis anni 1849 per obitum Francisci Tedeschi. Unus comparuit Sacerdos Ioannes de Michele Parochus ab anno 1850 in Oppido *Popoli,* qui reputatus est idoneus in Concursu et ad vacantem Paraeciam approbatus. Cum autem votis primorum inter Parochianos, qui suspensionem possessionis expetierunt, ut reditus Parochiales interim erogarentur in eiusdem Ecclesiae reparationes, annuere iudicaverit Episcopus opportunum, ideo tum patentales collationis literae, tum consequens possessionis immissio favore noviter electi Parochi de Michele dilata est. Post triennium suspensionis, et antequam eius tuansiatio sequeretur ad Netensem Cathedram sub finem mensis Iulii 1853 literas collationis Sacerdoti de Michele formiter expedivit cum praefixione bimestris termini ad capiendam possessionem, facta Curiae iniunctione, ut eiusmodi dispositio ad provisi notitiam deduceretur. Interea temporis profectus est Episcopus ad novam Episcopalem Cathedram Netinam, quin monitus fuerit novus provisus nec de literis collationis expeditis, nec de termini praefixione ad capiendam possessionem. Tandem Ioannes de Michele Sacram Congregationem adiit, ut in praedictae Paraeciae possessionem immitteretur. At in propatulo erat nullitas collationis; nam tredecim fere menses elapsi fuerant a vacatione, cum Concursus est habitus pro Parochia Raiani. Accedebat insuper dilata nimius ad triennium institutio Concurrentis approbati, unde novus emergebat defectus ac novus devolutionis titulus. Novus hinc Episcopus institutioni ac sanationi obstabat, cum Ecclesiam illam in Receptitiam convertere censeret; amplissimum tamen testimonium idem Episcopus quoad mores ac ceteras praefati de Michele dotes ac praerogativas ferre non dubitavit. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda sanatio et immissio in casu?–, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus, facto verbo cum Sanctissimo – *in Valven. Collationis et Sanationis die 23 Maii 1857.*

181. Hinc terminus sex mensium intra quem Episcopus tenetur conferre Parochiales ad suam collationem spectantes competit etiam eidem quando locus est simplici examini sine Concursu *in Assisien. Concursus die 11 Februarii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 57.*

182. Nec aliter censuit Sacra Congregatio quoad terminum quatuor mensium, intra quos tenetur eligere digniorem et electionem S. Sedi, ad quam spectat collatio, significare *in Assisien. Concursus die 11 Februarii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 57.*

183. Quum autem quis fuerit reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus et appellaverit ad S. Sedem ab eademque obtinuerit signari supplicationem ob assertam devolutionem, ex eo quod Concursus et respective examen habita non esse contenderet intra terminum quatuor mensium ad formam Constitutionis S. Pii V *In conferendis,* S. Congregatio legitimam convocationem Concursus et reprobationem censuit, arbitrio Emi Pro-Datarii remisit indictionem novi Concursus, atque mandavit, non esse repellendos reprobatos a novo Concursu, quatenus haberetur, salvis exceptionibus etc., quin tamen supplicatio relaxari debeat *in Anglonen. Concursus die 1 Iunii 1737.*

184. Siquidem sequuta sub diem 3 iulii 1736 vacatione Archipresbiteralis et Parochialis Ecclesiae in Oppido S. Quirici pridem erectae, Episcopus Anglonensis, ne aestivus calor aerisque intemperies Presbiteros Diaecesanos Neapoli studiorum causa degentes a praefatae Ecclesiae Concursu et examine, cui exoptabant subiici, deterreret, illum indicere distulit usque ad diem quatuordecim octobris dicti anni 1736, quo, praevia consueti Edicti affixione, omnes ad curam eiusdem Ecclesiae concurrere cupientes excitavit monuitque, ut intra terminum in memorato Edicto praefinitum compareret, seque Concursui post elapsum dictum terminum die 30 dicti mensis octobris habendo describi curarent: postea vero cum duo tantum Presbiteri, nem-

pe Gherardus Durante et Ioannes Manzone in dicta die 30 comparuissent, iique ad Concursum et respective ad examen admissi haud idonei ad animarum curam fuerint reperti, ideoque plenis Examinatorum suffragiis reprobati, propositum inierat Episcopus novum indicere Concursum, ut tandem ex pluribus seligi posset, cui animarum cura aptius committeretur. At Gherardus die 31 dicti mensis octobris appellationem ab asserta mala Examinatorum relatione interiecit, simulque supplicationem a Summo Pontifice signari obtinuit penes Datariam Apostolicam exponens, Parochialem Ecclesiam controversam ad S. Sedem devolutam esse propter Concursum et respective examen intra terminum quatuor mensium in vulgata Constitutione 33 S. Pii V incipien. *In conferendis* non habita; ac insuper efflagitavit, ut ab asserto gravamine sibi per memoratos Examinatores illato vindicaretur. Episcopus contra censuit, tum enunciatum Concursum, tum examen praefatum legitime indictum habitumque fuisse intra quatuor mensium terminum, utrosque dictos Presbiteros iuste adeo ab Examinatoribus fuisse reprobatos, ut collatio Ecclesiae non fuerit ad S. Sedem devoluta, sed novo concursu et examine opus esset. Insuper tam Episcopi relatione, quam nonnullorum Testium depositionibus constare praetendebatur, quatuor fratres dicti Gherardi gravibus minis ab indicto Concursu alios Presbiteros in eum finem deterruisse, ut frater vacantem Parochialem Ecclesiam obtinere posset, eumdemque Gherardum fuisse etiam ob pravam consuetudinem cum quadam Muliere et ob homicidium ipsius mandato patratum pluries inquisitum atque etiam in carceres coniectum.

185. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An constet de legitima convocatione Concursus tempore habili et respective de legitima reprobatione utriusque Concurrentis? *Et quatenus affirmative.* II. An sit indicendus novus Concursus coram Ordinario, seu potius provisio sit facienda per S. Sedem iuxta Constitutionem S. Pii V? III. An in utroque casu sint repellendi ab assecutione Parochialis vacantis S. Quirici tam Sacerdos Durante, quam Manzone, seu potius favore Durante sit relaxanda et exequenda supplicatio iam ejus favore a Sanctissimo signata in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, arbitrio Emi Pro-Datarii. Ad tertium, non esse repellendos a novo Concursu, quatenus habeatur, salvis exceptionibus etc., et supplicationem non esse relaxandam - *in Anglonen. Concursus die 1 Iunii 1737.*

186. Neminem exinde latet, eos omnes, qui intra terminum in Edicto praefixum comparuerunt atque concurrentes descripti sunt, transacto praedicto termino, subiici debent examini certa die indicto, iuxta sanctionem sacri Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 18 de reformatione: - Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerunt, examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab eius Vicario Generali atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus, quam tribus - *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 26 Martii 1735* §. *Adversus.*

187. Idcirco si quis eorum, qui in albo Concurrentium descripti prostant, ab examine absque legitima causa reiectus fuerit, Concursus subinde habitus communiter irritus atque invalidus iudicatur, ad tradita per Garziam de Benef. part. 9 Cap. 2 n. 341, et Pignatellium tom. 1 consult. 1 n. 27 *in Nullius seu Montis Casini Concursus die 26 Martii 1735* §. *Adversus.*

Item *in Asculana Parochialis die 24 Novembris 1781* §. *Causa; in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Quoad; in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854* §. *Quando.*

188. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, omissionem examinis eius, qui intra terminum praefixum in Edicto comparuerat ac descriptus protestatus fuerat, se velle examini subiicere, nullum reddere Concursum; proposito enim dubio: - An omissio examinis Antonii Gnol, qui infra terminum in Edicto praescriptum comparuerat, et descriptus et protestatus fuerat, velle se examini subiicere, sit contra formam substantialem dispositionis a Sacro Concilio Tridentino praescriptam, ita ut Concursus ex hoc capite vitietur? -, Sacra Congregatio respondit: - Omissionem examinis esse contra formam substantialem a Sacro Concilio Tridentino in Cap. 18 sess. 24 de reformatione statutam, ac pro-

pterea Concursus ex hoc capite esse nullum – *in Tarraconen. die 18 Maii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 193.*

189. Hinc probatissima hodie sententia est, irritari omnino Concursum, quoties aliquis ex Concurrentibus iam descriptus ad examen non admittatur; habetur enim uti peractus contra formam substantialem Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 18 de reformatione, ubi praecipitur, quod – omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo atque Examinatoribus –, ita magno eruditionis apparatu firmat Pignatellius consult. 1 tom. 1, Reclus. de Concurs. part. 2 tit. 4 n. 85 et 87, ubi adnotat praefata verba Tridentinae Synodi sess. 24 Cap. 18 implicite quoque contineri in Constitutione Piana 33, in Literis Encyclicis Sacrae Congregationis, et in Benedictina Constitutione; idque pariter decidit Rota in Magistrali Monopolitana Canonicatus Theologalis 25 iunii 1756 coram Stadion., ubi reprobatur sententia alias pandita in Tarraconen. Parochialis 10 novembris 1634 coram Panzirolo, et Sacra Congregatio nedum in resolutionibus allegatis apud Pignatellium, sed praesertim re mature discussa in Tarraconen. Parochialis die 18 maii 1635 *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Quoad.*

190. Quare nullam habendam esse rationem, an omissus aliunde non esset admittendus, explicat Pignatellius in praefata Consult. 1 tom. 1 *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Quoad.*

191. Idcirco si quis iam Candidatorum catalogo adscriptus iniuste per Episcopum ab examine excludatur ac voluntarii homicidii imputatus admittatur, nullus ac irritus censetur ac est Concursus, cum praesertim Episcopus illum explevit, non obstante inhibitione sub poena nullitatis Metropolitani, adeoque novus est indicendus Concursus et acta ad S. Sedem transmitti debent *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841.*

192. Enimvero Episcopus Oritanus die secunda martii 1839 Concursum indixit pro officio Theologi, quo triginta fere ab inde annis caruerat Ecclesia Cathedralis: et inter ceteros adscriptus fuit Candidatorum catalogo Sacerdos Vincentius De Angelis, qui mox, ut socium in Concursus periculo sibi designatum novit Canonicum Mazza, quem veneficii criminis in Perruccium quemdam incusatum noverant apud Regium Criminale forum Hydruntinae Provinciae, instetit solemniter, ut hic veluti ad Beneficia assequenda inhabilis ab examine repelleretur. At Episcopus die 15 martii praefatum De Angelis ab examine exclusit, et Canonicum Mazza cum Pasquale Mággio admisit. Presbiter De Angelis illico coram Episcopali Curia, praesentibus Tabellione et binis Testibus, solemniter protestatus est, imploravitque Concursus suspensionem, quousque Metropolitana ipsa Curia definiisset, an ipse admittendus ac repellendus foret Canonicus Mazza; obtinuitque propitium responsum. Nam re mature discussa, mandavit Archiepiscopus die 17 martii 1839 suspensionem Concursus sub poena nullitatis, quam inhibitionem signficavit per Apparitores Pro-Vicario Generali Curiae singulis Examinatoribus ac ipsi Episcopo. Nihilominus examen suspendere noluit Oritanus Antistes, spretoque Archipraesulis iussu, et Candidatorum experimentum haberi voluit; ac, reiecto Sacerdote De Angelis, scrutinium fieri, quo dignior Canonicus Mazza renunciatus est. Confugit iterum Presbiter De Angelis ad eumdem Metropolitanum, sed hic melius consuit rem universam ad S. Sedem remittere, eo vel magis quod literarum Apostolicarum expeditio ab eadem danda erat, quippe de Beneficio eidem reservato res erat. Qua de re Sacerdos De Angelis nullum esse probavit Concursum, cum is immerito fuisset reiectus; eum quippe probum in ecclesiastica disciplina versatum et quaquaversus commendatum hominem prostare testimonia probabant omni exceptione maiora, quibus consonabat ipse Episcopus Oritanus in dimissorialibus literis eidem datis sub die 30 octobris 1839. Ex adverso Canonicum Mazza voluntarii homicidii imputatum fuisse demonstrabatur; et si nulla adhuc in eum lata fuerat definitiva sententia, iussum tamen servari acta in Archivio: atqui acta in Archivio asservare vi iurisprudentiae Neapolitanae in Codice *di procedura penale art. 613*, idem erat ac processum tenere reseratum viginti annorum spatio, quo tantum elapso, actio praescribebatur, atque hac de causa doctorali laurea theologica spoliatus fuerat a Nea-

politana studiorum Universitate. Nullitas denique Concursus ex capite contemptae Archiepiscopalis iurisdictionis inde eruebatur, quod sub hac expressa poena iusserit Metropolita ab actu quolibet supersederi.

193. Plura quidem Episcopus in medium protulit; sed propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit providendum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative indicto novo Concursu ab Episcopo, qui deinde transmittat acta ad Datariam Apostolicam – *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841.*

194. At non descriptus in albo Concurrentium nequaquam Concursui admittendus est nedum quando examen iam est peractum, licet Beneficium non sit collatum, sed nec etiam est admittendus examine nondum peracto, sed termino in Edicto praescripto iam elapso *in Perusina lib. 2 Decretorum pag. 144.*

Item *in Dubia die 17 Februarii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 159.*

195. Propositis enim dubiis: – I. An sit audiendus non descriptus petens admitti ad examen iam peractum, sed Beneficii nondum facta collatione? II. Et quid, si non est factum examen, sed terminus tantum elapsus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, non esse audiendum. Ad secundum, itidem non esse audiendum – *in Dubia die 17 Februarii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 159.*

196. Si quis vero ex Concurrentibus ultima die termini venerit et admissus fuerit ad Concursus sine aliorum contradictione, validus renunciatur Concursus, eidemque conferri debet Ecclesia Parochialis, cum is dumtaxat optimis moribus imbutus fuerit approbatus *in Murana Parochialis die 12 et die 23 Augusti 1755.*

197. Enimvero vacata mense maio anni 1753 Parochiali Ecclesia Terrae Raponis, Muranus Episcopus, ut Terrae illius Sacerdotibus, quos in visitatione habita sequenti mense iunio necessaria doctrina destitutos agnoverat, tempus studiis vacandi indulgeret, consulto Concursum protraxit ad diem mensis octobris. Adventa die, unus venit Xaverius Pinto, deterritis aliis Sacerdotibus a Michaele eius Patre. His cognitis ab Episcopo, Concursum prorogavit ad diem 23 eiusdem mensis. Duo nomen dederunt, idem Xaverius et Ioannes Chiara, sed hic opera Michaelis ad examen non venit: differri itaque res debuit in diem sequentem, qua uterque ab Examinatoribus reprobatus fuit. Noscens Episcopus, ius devolutum esse ad S. Sedem, literas dedit ad Emum Pro-Datarium, qui censuit, tertio indicendum esse ab Episcopo Concursum; et si vel nullus veniret, vel omnes reprobarentur, Sacerdotem ipse suo iudicio idoneum esse datis literis renunciaret. Indictus itaque fuit tertius Concursus die 11 iulii anno 1754, tres nomen dederunt, Xaverius ille Pinto Michaelis filius, Ioannes Zazzarinus, et alter Xaverius Pinto Antonii filius, qui, licet ultima die termini venerit, admissus tamen fuit sine aliorum contradictione. Reprobati in examine fuerunt duo priores, approbatus fuit Xaverius Pinto filius Antonii. Hunc igitur elegit Episcopus, et cuius favore expeditae fuerunt Literae Apostolicae: retulit itaque, audiendas non esse testificationes contra mores eius atque honestatem a reprobato Xaverio proponendas, quod a Michaeli Patre et Patruo Testes circumventi fuerint; approbatum Xaverium optimis moribus imbutum esse, integrumque vitae scelerisque purum semper fuisse.

198. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Concursus seu de mala relatione Examinatorum et sit faciendus novus Concursus, seu potius substineantur Literae Apostolicae provisionis Parochialis Terrae Raponis Muranae Diaecesis, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Murana Parochialis die 12 Iulii 1755.*

199. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Murana Parochialis die 23 Augusti 1755.*

200. Quin imo Episcopus nequit repellere Candidatum, qui se describi postulat in albo Concurrentium, si dignus et idoneus sit; alias enim Concursus, non obstante protestatione eius, qui fuerit reiectus, perperam gestus, nullus omnino est, ac novus est peragendus, cuius acta transmitti debent ad S. Sedem,

cum ius collationis ad eam spectet *in S. Marci et Bisiniani Concursus die 22 Iunii 1850 et die 18 Septembris 1852.*

201. Enimvero cum Ecclesia Parochialis S. Benedicti Oppidi Citrarii die 3 iulii 1845 suo Rectore viduata fuisset, Episcopus die 24 septembris anni insequentis 1846 Concursum indixit, diemque octavam proximi octobris pro publico specimine praefinivit. Utili tempore Aloisius Romita Ioannes Philippus Pirro Vincentius Laino Aloisius Martini S. Nicolai eodem in Oppido Parochus ac denique Ioseph Lanza, qui viduitatis tempore ad animarum S. Benedicti curam subeundam ab Episcopo adscitus fuerat, Episcopalis Curiae Cancellarium adiverunt, ut in albo Candidatorum describerentur. At vero, qui tres primi recensebantur, ea sub conditione admissi fuerunt, ut peritiae suae dumtaxat periculum faceret vulgo *per requisito:* Martini nomen nullo pacto a Cancellario recipi iussit Episcopus. Cum autem eiusmodi repulsam acerbe tulisset Martinius, die septimo octobris, qui examinis diem praecedebat, per acta Caietani Perroni publici Notarii contra hanc Episcopi rationem protestatus est, huiusque protestationis actum Episcopi Cancellario statim significavit. Nihilominus die praefinito, quin ulla prorsus huius actus ratio duceretur, examen habitum est; in eoque Examinatorum suffragiis Ioseph Lanza adprobatus est, quorum sententiae protinus accessit Episcopi electio, qui idcirco bullares literas eidem die nona octobris expedivit, quibus de more possessionis ineundae facultas conferebatur. Martinius vero, silentibus omnibus ceteris, ad Sacram Congregationem appellationem penes Curiam interiicere non praetermisit, quam tamen nulla prorsus ratione admittere adnuit Episcopus. Itaque idem Martinius ne quid sua iura detrimenti caperent, ipsum appellationis actum ad honestos Viros confestim detulit, eumdemque deinceps Iosepho Lanza significari mandavit. Cum autem Episcopus die 15 eiusdem mensis octobris repertina morte correptus fuisset, Vicarius Capitularis retulit: – Causae exclusionis Domini Archipresbiteri Martini a Concursu Ecclesiae S. Benedicti Citrarii per obitum vacantis habito die 8 octobris 1846 fuerunt sequentes. Quoniam idem Archipresbiter gaudeat immunitate ab omni crimine, prout clare colligitur ex huiusce Curiae regestro, et sit magis idoneus et doctior Iosepho Lanza, Episcopus nuper defunctus timens, ne Ioseph Lanza eidem Episcopo benemeritus succumberet in examine coram Examinatoribus, idcirco reiecit Archipresbiterum Martini, ut sine ullo metu promoveri posset ille ad vacantem Archipresbiteralem Ecclesiam –. Sequebatur deinde – voce publica annunciari et non multis constare –, quod Ioseph Lanza nummis quemdam Curiae Episcopalis Officialem corruperit, Martinio item cumulatissime suffragabatur Fiscalis Promotor, qui nullum edicebat Concursum.

202. Martinius itaque magno documentorum apparatu verum sibi gravamen illatum fuisse acriter depugnavit. Nam ex illis id licebat elicere, eum intra decendium apud Cancellarium Episcopalem institisse, ut suum nomen in Concurrentium tabulas insereretur. Constabat, illum absque legitima causa fuisse exclusum, et Concursum nihilominus absolutum fuisse: imo in propatulo erat magna eiusdem Martini peritia morumque integritas ac religio. Ipsum enim commendabant viginti Municipes ex honestissimis, qui supplicem libellum Episcopo submittere non dubitarunt, quo in Parochum suum enixis precibus exposcebant. Commendabant bullares literae amplissimis laudibus refertae, quibus ab Ordinario Parochia S. Nicolai collata ipsi fuerat; commendabant etiam testimonia Syndici et Cleri Oppidi *di Paola capo di Distretto,* quo in Oppido pluribus annis antequam curam animarum susciperet, commoratus fuerat, publici Ludimagistri ministerio perfungens; commendabat denique testimonium Cleri Oppidi Citrarii. Ex adverso Ioseph Lanza contendit, se optimo iure in Candidatorum notam adscriptum fuisse, se in Concursu canonice convocato doctrinae suae periculum exhibuisse, ac mox approbatum electum ac in possessionem Praebendae Parochialis rite fuisse immissum. Deinde asseruit, appellationis actum oblatum sibi fuisse, postquam peremptorium illud decem dierum spatium praeterlapsum fuerat, nullum Martinio gravamen illatum fuisse, cum a Concursu repulsus fuerit. Neque enim putandus erat, quod Episcopus sine iusta et legitima causa idipsum prae-

stitisset: quae quidem causa, cum ex informata, ut aiunt, conscientia profluere potuisset, nihil erat, quod amplius exquireretur. Post haec ex officio advertebatur, collationem Paraeciae devolutam fuisse ad S. Sedem, cum nedum quatuor, sed et annus supra tres menses a vacatione ob Episcopi negligentiam praeterfluxissent.

203. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus in casu? *Et quatenus Affirmative.* II. An et quomodo sit providendum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et audiatur novus Episcopus – *in S. Marci et Bisiniani Concursus die 22 iunii 1850.*

204. Novus Episcopus retulit, se ab Examinatoribus Synodalibus rescivisse Martinium ab examine occultis, sed iustis de causis fuisse exclusum a Praedecessore de consilio Summi Pontificis (1). Martinius vero protulit testimonium Sacerdotis Vincentii Laino, qui fuerat unus ex Concurrentibus, ubi referebatur, ipsum admissum fuisse ad Concursum sub expressa conditione – pro requisito tantum –, et ante Concursum coactum ab Episcopo fuisse ad subscribendam declarationem renunciationis eiusdem Beneficii, si forte ius ad illud per Concursum acquisivisset; idque factum fuisse, – ut ad ipsum Beneficium promoveri certo posset solus Sacerdos Iosephus Lanza imperitus, Episcopo benemeritus; quod in Diaecesi notissimum est undique –. Repropositis itaque dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, constare de nullitate Concursus. Ad secundum, renovato Concursu, transmittantur acta ad S. Sedem – *in S. Marci et Bisiniani Concursus die 18 Septembris 1852.*

205. Nam plurimi quidem faciendum est Episcopi iudicium, ceu diserte significavit Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud* per haec verba: – Nec parvi pendendum esse testimonium Pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere; facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti interminatione divini iudicii odio vel fraude moveantur et in Sacrorum Canonum singularem iniuriam dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras –: verum ut omnis doli, ac fraudis suspicio arceatur ei, qui repulsam iniuria passus sit, vel appellationis ope, vel aliis extraordinariis remediis consultum voluerunt sacri Canones *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854* §. *Verum.*

206. Triplex siquidem tempus distinguendum est, in quo quis repulsam patitur, primo nempe ante descriptionem, deinde post descriptionem, sed ante inceptum examen, tertio post expletum examen; hoc tertio in casu notum est ex Constitutione Benedicti XIV incipien. *Cum illud,* iis qui gravamen tulere succurri per appellationis remedium, quod audit ab irrationabili iudicio Episcopi, vel a mala relatione Examinatorum: in secundo casu quando scilicet aliquis ex Concurrentibus, qui descriptus fuerit, examini non admittatur, tunc Concursus fit irritus, quia actus fuisse videtur contra formam Concilii Tridentini in sess. 24 Cap. 18 de reformatione: in primo autem casu, si Candidatus aptus esset ac dignus, cum nullus possit a Concursu reiici, nisi indignus et incapax concludenter appareat, tunc ad reparandum huiusmodi praeiudicium fit locus restitutioni in integrum *in Sancti Marci et Bisiniani Concursus die 22 Iulii 1850* §. *Si vero.*

Item *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854* §. *Verum.*

207. Unde quum Episcopus, indicto Concursu ad vacantem Parochialem, aliquos admittere noluerit, quia comparuerunt sine documentis et requisitis eorum idoneitatem comprobantibus, et unus ex iis protestationem super nullitate Concursus cum appellatione emiserit, ac mox expleto Concursu, Summus Pontifex magis idoneo ab Examinatoribus exhibito Parochialem contulerit, simulque

(1) En ipsa verba praefati novi Episcopi, ut in §. Breve – ibi – Venuto il giorno della prova, Monsignor Marsico di fe. me. manifestava nel momento della discussione agli Esaminatori invitati, che per quella provvista parrocchiale Egli aveva consultato direttamente il regnante S. Padre (cui honor laus et benedictio), il quale si era degnato oralmente consigliarlo ad escludere il Martini per motivi alla Santità Sua già rivelati. Dopo di che si procedeva all'esame. Lanza venne incluso, e gli si dava il possesso. Ho attinto tutto questo dagli stessi Esaminatori sotto la santità di giuramento –.

praefatus reiectus eamdem Parochialem ab eodem Pontifice impetraverit, asserto iure devoluto ob non servatam formam Concilii Tridentini, Sacra Congregatio declaravit, neutram supplicationem esse signandam, et iterum indicendum esse Concursum *in Asculana Parochialis die 22 Decembris 1781.*

208. Iamvero indicto Concursu ad vacantem ob resignationem Praeposituralem et Parochialem Ecclesiam sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis Castri Spinetuli, quatuor ex Concurrentibus, nimirum Alexander Pallotta,Emidius Ciabattoni, Paulus Angelini et Angelus Troiani cum eorum requisitis admissi descriptique fuerunt, ceteri nempe Emidius Michelessi, Ioachim Giacopetti et Nicodemus Scarfoli admissi non fuerunt tamquam necessariis requisitis destituti. Habitoque examine sub die 13 novembris 1780 spretaque protestatione super nullitate Concursus in actis emissa ab Emidio Michelessi, ut supra reiecto, alter ex admissis ab Examinatoribus reprobatus fuit, alii tres approbati fuerunt; quos inter primus locus datus fuit Sacerdoti Angelo Troiani, qui pariter, transmissis actis ad Datariam Apostolicam, supra ceteros ab istius etiam Examinatoribus fuit approbatus. Collatio itaque dictae Parochialis Ecclesiae facta fuit eidem Troiani. At vero dum imminens erat expeditio Literarum Apostolicarum super huiusmodi collatione, comparuit in actis Datariae Emidius Michelessi, impetravitque Parochialem praetextu nullitatis Concursus, suaeque impetrationis preces exhibuit. Quaenam ex his geminis supplicatiobus esset retinenda et quae signanda, Emus Card. Pro-Datarius Decreto suo cognitionem ablegavit Sacrae Congregationi. Episcopus retulit, quod Emidius Michelessi fuerit reiectus, utpote qui comparuerit sine documentis ac sine requisitis eius idoneitatem comprobantibus, – hinc sub futili eius nullitatis obtentu executioni gratiae Angelo Troiani impartitae frustra obsistere videtur –. Siquidem ob non factam comparentis ceteroquin non admittendi descriptionem in albo Concurrentium, invalidum non redditur Concursus, quia pro illius validitate Sacrum Concilium solum exigit Oppositorum descriptionem: - Omnes, qui descripti fuerint, examinentur –. Ad Episcopum enim pertinet et ad alios etiam, qui iuspatronatus habent, nominare Clericos, quos noverit aptos et idoneos ad regendam Ecclesiam eorumque nomina referre in album Concurrentium, ut postea de ipsorum respective scientia aetate et moribus probitate et scientia possit ab Examinatoribus fieri diligens inquisitio. Quo posito examinandum erat, an iure vel iniuria descriptus non fuerat in albo Concurrentium Emidius Michelessi, qui comparuit absque testimonialibus Episcopi absque fide Baptismi et absque documentis illius merita comprobantibus, et quatenus iis etiam deficientibus descriptus fuisset, an potuisset nec ne ab Examinatoribus in scrutinio de illius aetate moribus et probitate fieri diligens inquisitio, maxime cum probaretur, illius mores suaves non esse in regimine Ecclesiae, nec castigatos, ut requiruntur, in Parocho, illiusque personam invisam esse toti Spinetulensi Populo, cum e contra Spinetuli Populus pro eius Parocho Troianum exoptaret laudaret et in eum confideret. Nec rem facere videbatur protestatio cum appellatione ad S. Sedem, quia appellatio adversus futurum explendumque examen non admittitur ex Constitutione Benedicti XIV, quae incipit: *Ad militantis,* sed unicum proponitur remedium adeundi Summum Pontificem pro obtinenda Parochiali iure devoluto. Verum cum collatio dictae Parochialis non ad Episcopum, sed ad S. Sedem pertineret, cognoscendum pariter erat, an illius impetratio, quam Michelessius postulabat iure devoluto ob non servatam formam Concilii Tridentini, etiamsi haec servata vere non fuisset, sustineretur. Id enim negant Doctores: nam Beneficia Summo Pontifici reservata vel affecta devolutioni non sunt obnoxia, quae tantum datur ab inferiore ad superiorem, nimirum ab Episcopo ad Summum Pontificem, non autem ab ipso Pontifice ad Pontificem ipsum.

209. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quae supplicatio et quomodo sit signanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Neutram supplicationem esse signandam, et iterum indicendum esse Concursum; et amplius - *in Asculana Parochialis die 22 Decembris 1781.*

210. Hinc Ordinarius nulliter indicit ac explet secundum Concursum sub praetextu, quod magis idoneus in primo renunciatus sit

inhabilis seu indignus nec non communicatae illi fuerint responsiones ab aliquo ex Competitoribus, cum haec non satis comprobentur; sed est omnino attendendum iudicium ab Examinatoribus editum in primo Concursu *in Salutiarum die 14 Martii 1739.*

211. Iamvero indicto sub diem 11 februarii 1738 Concursu ad Parochialem Ecclesiam S. Michaelis in loco Montis Barcarii, habitoque postmodum examine die 3 martii eiusdem anni, Sacerdos Ioannes Baptista Chiotti omnibus Examinatorum suffragiis ad illam fuit idoneus prae ceteris approbatus: at Vicarius Capitularis sub obtentu, quod dictus Ioannes Baptista responsiones ad sex casus in eo Concursu propositos habuerit ex resolutionibus ibidem datis per Matthaeum Hyacinthum Chirium alterum ex Competitoribus, quod praefatus Chiotti pluribus interfuerit aliarum Parochialium Concursibus, quin unquam meruerit inter idoneos adscribi, nisi in Concursu Alpeasci, in quo, adnitente favore cuiusdam Examinatoris, idoneorum numero praeter consuetum adauctus est usque ad septimum vel octavum, et quod ex gravibus causis aliud conscientia exigeret, novum indixit Concursum, in quo Sacerdos Augustinus Battaglia obtinuit primus inter idoneos renunciari, quod aegre ferens memoratus Chiotti Sacram Congregationem adiit postulans declarari, iudicium ab Examinatoribus Synodalibus in priori Concursu editum ita spectandum fuisse, ut secundus Concursus absque nullitatis ac iniustitiae labe nequiverit haberi. Nam Examinatores, postquam in priori Concursu eum idoneum renunciarunt, suoque functi erant munere, prohibebantur sub nullitatis poena ac iniustitiae labe alium in secundo Concursu in damnum eius, quem aptiorem iudicarunt, seligere: exceptiones a Vicario datae non satis in facto comprobabantur, quasque refellere Chiottius studuit praesidio documentorum, ac praesertim amplissima attestatione ipsiusmet Vicarii Capitularis non diu ante habitum Concursum, nempe sub annum 1735 exarata, in qua praeferebatur, eumdem Ioannem Chiotti esse - Presbiterum bonarum vocis et famae, nulla unquam fuisse ecclesiastica censura irretitum, nec ullo de crimine apud nos Curiamve nostram, quod sciamus, delatum, in iuventute sua pietatis specimen omnibus exhibuisse, nec non a quinquennio in hac Cathedrali Ecclesia curam animarum laudabiliter exercuisse actuque exercere, et in hoc munere tum in administrandis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis, cum in edocendo Populo rudimenta fidei sedulam operam dedisse; ideoque eumdem habilem idoneum et sufficientem ducimus ad obtinendum quodcumque Beneficium ecclesiasticum –.

212. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An iudicium editum ab Examinatoribus Synodalibus in primo Concursu sit attendendum, ita ut non esset locus secundo Concursui indicto a Vicario Capitulari in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Salutiarum Parochialis die 14 Martii 1739.*

213. Si vero quis infamia iuris infectus Literas Apostolicas impetraverit sub praetextu, quod Concursus fuerit nullus, quia ab eo reiectus fuerat, quodque pluries ad exercendam curam animarum approbatus fuerit, non propterea Parochialem assequi potest, cum praesertim Concursus sit validus, ac in eo aliquis approbatus existat, qui pariter Literas Apostolicas obtinuit *in Caputaquen. Parochialis die 27 Augusti 1763.*

214. Iamvero in Concursu habito die 11 ianuarii 1762 ad Parochialem Ecclesiam Sancti Nicolai Latinorum Terrae Pollae, quae vacaverat in Curia ob promotionem possessoris ad Cathedram Policastrensem, ex quatuor Oppositoribus tres approbati fuerunt quoad mores, reprobati autem quoad doctrinam; quartus Ianuarius ab Auria – inter omnes quoad scientiam praevaluit, quo vero ad morum adprobationem Examinatores Pro-Synodales votum ad eius favorem non ausi sunt proferre, attenta notula, iuxta morem eisdem tradita, ex qua apparet, de anno 1735 eumdem D. Ianuarium Auria fuisse processatum et carceratum ab Episcopo Caputaquensi antecessore immediato pro abusu Sacramentalis Confessionis, qua mediante Annam Boccolo Uxorem D. Ioannis Baptistae Colombo induxit ad furandum e domo eiusdem Ioannis Baptistae multa mobilia aurea et argentea nec non magnas pecuniarum summas, dum munus exercebat Concionatoris et Missionarii in Terra Coliani Compsanae Diaecesis, quo furto sequuto,

sibi appropriavit res furatas ab eadem Muliere, prout ex actis, quorum reassumptum fuit factum de actis praesentis Concursus, qua de re affatus D. Ianuarius fuit condemnatus, ut carcer passus cedat in poenam, et ad tempus suspensus ab exercitio Concionatoris etc. cum restitutione bonorum et pecuniarum: contra quem eodem anno alter processus fuit constructus de et super violenta manuum iniectione in personam Clerici Athanasii Curcio, et de violatione immunitatis et libertatis ecclesiasticae nec non de depositione in Causa criminali coram Iudice laico sine licentia Superioris cum condemnatione inde sequuta, prout ex actis; quamobrem licet postea per longum tempus nihil contra eumdem reperiatur deductum, agitur tamen de delicto in primo processu constructo, quod praesefert notam infamiae –. Summus Pontifex, his inspectis, mandavit, ut novus Concursus fieret pro maiori animi instructione. Episcopus itaque novum Concursum indixit pro die 4 maii, in cuius termino solus comparuit Nicolaus Melluso. Verum die prima maii Ianuarius protestationem nullitatis habendi Concursus et appellationem emisit apud acta Concursus. Cancellarius vero asserto Procuratori Francisci coram duobus Testibus eadem die prima maii intimavit replicationem, qua Francisco potestatem faciebat concurrendi, prout et quatenus. Tacuit tamen Ianuarius: hinc completo examine, die 4 maii Nicolaus Melluso approbatus fuit ab Examinatoribus. Tum Ianuarius, apposito in Dataria *Nihil transeat,* idibus maii 1762 Parochialem impetravit ob assertam nullitatem Concursus narrans, quod in Concursu super dicta Parochiali Ecclesia habito forma Concilii Tridentini servata non fuit, quodque ipse ad curam animarum exercendam pluries approbatus fuerat. Contulit nihilominus deinde Summus Pontifex Parochialem Nicolao Melluso uti approbato in Concursu; et Emus Pro-Datarius in contradictorio Partium die 18 augusti 1762 mandavit lacerari *Nihil transeat,* et Causam remisit ad Sacram Congregationem cum clausula: – Non retardata interim exequutione Literarum Apostolicarum favore Instantis –.

215. Contendit itaque Ianuarius Auria, nullum fuisse Concursum ex denegata ipsi a Cancellario admissione ad Concursum, reiectionemque obtegi non posse, aut contraria Cancellarii responsione, quam suspectam habebat, aut delictis enunciatis in primo Concursu, quorum gravitas tanta ipsi non videbatur, ut post viginti septem annorum emendationem obesse posset assequutioni Parochialis. Contra vero Nicolaus Melluso sustinuit, Ianuarii provisionis Literas haud esse exequendas, tum ob vitium subreptionis, quod oriebatur ex reticentia non sequutae approbationis ipsius quoad mores in primo Concursu, tum ob vitium obreptionis orieus ex duplici capite, primo quia non docebat Ianuarius, ipsum ad curam animarum exercendam pluries approbatum fuisse; secundo quia non subsistebat eius asserta reiectio a Concursu, ut probabat replicatio Cancellarii, nec, si subsisteret, Concursum irritaret, postquam is approbatus fuerat quoad scientiam in primo Concursu, solumque suam idoneitatem quoad mores vindicare debebat coram Sanctissimo ratione perpetuae infamiae iuris, quae oriebatur ex delicto stellionatus cum abusu Confessionis, pro quo damnatus fuerat anno 1735.

216. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Literae Apostolicae expeditae favore Nicolai Melluso provisi Apostolici sint exequendae, seu potius exequendae sint aliae impetratae a Ianuario de Auria in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Literas Nicolai esse exequendas, et amplius – *in Caputaquen. Parochialis die 27 Augusti 1763.*

217. Quin imo diffamatus, licet in Concursu approbatus, nequit assequi Decanatum Ecclesiae Cathedralis, cui adnexa est cura animarum *in Bovinen. Decanatus die 26 Aprilis 1755.*

218. Siquidem vacavit mense octobri anno 1753 Decanatus Cathedralis Ecclesiae Bovini, cui animarum cura adnexa erat, et indictus fuit Concursus habendus die 30 ianuarii sequenti anno 1754. Tres ad Concursum venerunt Caputus Cathedralis Mansionarius, Russomandus Canonicus Ecclesiae Collegiatae Terrae Iliceti, et Realis in Episcopali Curia Fisci Advocatus. Omnes propositis quaestionibus ita responderunt, ut nullus reprobatus fuerit, omnes approbati, primum tamen inter approbatos locum obtinuit Realis; de moribus et prudentia Examinatores iudicium dare no-

luerunt, illudque reliquerunt Episcopo. Abstinuit etiam Episcopus, nullaque facta dignioris electione, acta Concursus cum epistola sua, in qua de Concurrentium meritis et qualitatibus agebatur, misit ad Emum Card. Pro-Datarium. Iterum itaque ab Examinatoribus Urbis perpensa acta illa fuerunt, et in doctrina primum etiam ab his locum obtinuit Realis, ceteris tamen requisitis eorum iudicio vicit Russomandus. Factum id dixit Realis, quod Episcopi literas non viderint Examinatores, quia fuerant surreptae. Hinc orta lite inter Realem et Russomandum de adiudicatione Decanatus, Emus Pro-Datarius Causae cognitionem dedit Sacrae Congregationi. Vehementior ratio, quae a Reali proponebatur, erat, quod Russomandus diffamatus esset publice, cui Episcopus anno 1748 ob iustas causas sibi notas facultatem excipiendi Sacramentales Confessiones abstulerit, et quia in Vicarium Foraneum Decretum Episcopale ei denunciantem, dum in choro esset, impetum fecit, domo retentus fuerit loco carcerum, et per integrum mensem spiritualibus exercitiis vacare debuerit; neque audiendos esse Testes, quos dabat Russomandus, ut se purgaret a diffamatione, qui referebant, id factum ab Episcopo, quod Russomandus preces offerre noluerit, quibus impetraret prorogationem facultatis ad aliud tempus, quod inepta nimis haec esset excusatio atque inverisimilis.

219. His mature perpensis, proposito dubio: – An et cui sit adiudicandus Decanatus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Neutri, et fiat novus Concursus – *in Bovinen. Decanatus die 26 Aprilis 1755.*

220. Idcirco inquisitus de homicidio in loco vacantis Ecclesiae Parochialis patrato, licet ex sententia Curiae Archiepiscopalis sit absolutus et liberatus a praedicta inquisitione, ob contractam tamen irregularitatem non est admittendus ad Concursum *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739.*

221. Iamvero Archiepiscopus Capuanus, indicto Concursu, exin iusta de causa terminum in Edicto praefixum prorogavit. At prodiit in scaenam Sacerdos Nicolaus Bartholomaei, qui contendit, Archiepiscopum prorogare non potuisse terminum praedictum, adeoque collationem devolutam esse ad S. Sedem. Archiepiscopus contra retulit, Ecclesiam Parochialem nuncupatam S. Mariam *la Fossa* conferri non posse dicto Sacerdoti, qui sub annum 1734 fuerat in Archiepiscopali Curia de homicidio in loco vacantis Ecclesiae patrato inquisitus. Nam licet per sententiam diei 23 decembris 1734 is fuerit absolutus et liberatus – ab omni inquisitione et inquisitionibus praedictis, et amplius pro causa et causis praedictis non molestari mandaverit –, demandatum tamen fuit in praefata sententia, ut – Nicolaus quoad irregularitatem forsan coram Deo incursam suae consuleret conscientiae; itidemque apponebatur, eumdem Nicolaum haudquaquam fuisse ex capite innocentiae ab imposito homicidii crimine absolutum, adeoque ab illa infamiae nota, quam praesertim in loco, ubi erecta reperiebatur controversa Parochialis, contraxerat, non fuisse expurgatum, ut merito proinde ab assecutione cuiuscumque Beneficii ac praesertim Parochialis praedictae esset arcendus. His itaque perpensis, proposito dubio: – II. An Sacerdos Nicolaus Bartholomaei sit admittendus ad eumdem Concursum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative; et Archiepiscopus mandet, Sacerdotem Bartholomaei abstinere a celebratione Missae, donec docuerit de obtenta dispensatione super irregularitate – *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739.*

222. Unde si quis diffamatione concubinatus cum quadam femina coinquinatus existat, iure ac merito a Concursu reiicitur; adeoque validus renunciatur Concursus mox gestus, licet idem appellaverit re integra et antequam fieret praedictus Concursus *in Tarentina Archipresbiteratus die 7 Decembris 1720.*

223. Siquidem occasione vacationis Archipresbiteratus Collegiatae Terrae Martinae, qui habebat annexam curam animarum, et cuius tamquam primae Dignitatis collatio pertinebat ad Datariam, indictus fuit de more Concursus ab Ordinario ad effectum eum, ut moris est, transmittendi ad eamdem Datariam. Ianuarius Ratticus se Concursui obtulit; sed non fuit ab Ordinario ad Concursum admissus, idemque ad S. Sedem Apostolicam appellavit, et eius appellatio praesentata dicebatur, re integra et antequam fieret Concursus: cumque in Concursu subinde facto fuerit approbatus Isidorus Chirullus cum so-

lita attestatione de magis digno, appositum fuit in Dataria, ne ei fieret collatio Archi presbiteratus - nihil transeat -, suspensaque et retardata Signatura supplicationis, Causa ab Emo Pro-Datario fuit ad Sacram Congregationem remissa. Contendit hinc Ratticus, nullum fuisse Concursum, et se idcirco esse admittendum ad concurrendum, cum haberet omnes qualitates pro obtinendo Archipresbiteratu de iure requisitas, et cum nullatenus subsisteret asserta diffamatio concubinatus cum quadam femina, ita ut fuerit ipse iniuste a Concursu repulsus. Propositis vero dubiis: - I. An constet de nullitate Concursus? *Et quatenus affirmative.* II. An Ratticus sit ad Concursum admittendus? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, satis provisum in primo - *in Tarentina Archipresbiteratus die 7 Decembris 1720.*

224. Qua de re si Episcopus aliquem a Concursu arcere censuerit, quia is penes Curiam Episcopalem inquisitionem super illicita negotiatione frequenti ac diuturno absque habitu clericali vel minus decenti per vias publicas et plateas incessu nec non neglecto plurimum Ecclesiae, cui erat adscriptus, servitio, non propterea nullus redditur Concursus mox habitus, quin proinde locus sit coactioni novi Concursus cum admissione illius *in Triventina Concursus die 30 Martii 1743.*

225. Enimvero indictus ab Episcopo fuit Concursus ad vacantem Parochialem Ecclesiam Oppidi Borelli, atque ex iis, qui ad examen convenerant, Sacerdos Nicolaus de Auro veluti ceteris dignior ab Episcopo renunciatus per Apostolicas Literas Parochialem Ecclesiam obtinuit, eamque administrabat. Verum Sacerdos Liberator de Elisio in Curia Episcopali conquestus, iniuria copiam sibi factam non fuisse subeundi in eo examine propriae aptitudinis experimenti, adversus acta Concursus ad S. Sedem provocavit; et quamquam postea fuisset ab Episcopo admonitus, ut coram eo se sisteret ad audiendam morum correctionem, is tamen iter ad Urbem arripuit contendens, nullum habitum fuisse Concursum, quia nulla omnino adfuerat causa, cur ipse a Concursu arceretur. Nam licet sub annum 1739 ipse fuisset de quibusdam malefactis impetitus, nimirum de illicita negotiatione de frequenti ac diuturno absque habitu clericali vel minus decenti per vias publicas et plateas incessu, deque neglecto plurimum Ecclesiae, cui erat adscriptus, servitio, haec tamen omnia per invidiam afficta sibi fuerant, quum pravae cuiuslibet in se notae suspicionem prorsus refellerent plura, quae proferebat, illibatae suae existimationis et probitatis argumenta. Docuit item, multos abillinc annos datam sibi fuisse a proprio Antistite facultatem audiendi confessiones, eamque semper ad certum tempus confirmatam; pluries se veluti ad curam animarum idoneum fuisse in Concursibus Parochialium adprobatum; praeterea morum suorum integritatem iuge servitium Ecclesiae munus ludimagistri et Coadiutoris Parochi diu ac variis in Ecclesiis a se impensum non parum commendari tum literis olim sibi datis a Vicario Generali, tum etiam pluribus aliorum testimoniis. Sulmonensis Episcopus ope cuiusdam Presbiteri processu oeconomico instituto commendavit eiusdem integram existimationem ac pietatem, nec non calumniosam censuit accusationem inquisitionemque adversus eum pridem in Episcopali Curia confectam. Apostolicus Nuncius retulit, Rectores Universitatis Borelli honorifica dedisse testimonia Sacerdoti de Elisio; ceterum Triventinum Antistitem non ob aliquam privati odii causam, sed iure ac merito eum a Concursu reiecisse, utpote per Episcopalis Curiae inquisitionem de criminibus superius commemoratis notatum.

226. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An constet de nullitate Concursus Ecclesiae Parochialis, de qua agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus coactioni novi Concursus cum admissione Sacerdotis de Elisio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum provisum in primo; et amplius - *in Triventina Concursus die 30 Martii 1743.*

227. Nam a Concursu arceri debet quisquis vel nihil spiritualis utilitatis, vel potius scandalum Populo sibi concredito sit allaturus, quemadmodum per Textus expressos in Cap. *Inter dilectos* 11 de exces. Praelat., et in Cap. fin. de purg. can. docent Abbas in Cap. 10 de iureiuran., Reiffenst. in ius can. lib. 5 tit. 37 n. 60, et Card. De Luca de Paroch. disc. 8 n. 5 et 6 *in Salutiarum Pa-*

rochialis die 28 Februarii 1739 §. *Alterum.*

228. Exploratum hinc est, quod criminosus, maxime si homicida, ut talis damnatus, arcendus omnino sit ab ecclesiasticis Beneficiis, sed vel ipsam homicidii diffamationem, donec ex capite innocentiae diffamatus absolutus non fuerit, ad eum effectum sufficere ad Textum in Cap. *Inter dilectos* de excess. Praelat. et in Cap. *Omnipotens* de accusat. et ad rem Lotterius de Re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 145, Card. De Luca ad Concil. Trident. disc. 12 n. 19, Pignatellius in Consult. 16 n. 6 tom. 7, et Sacra Congregatio in Novarien. 1 octobris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 667 *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Pariter.*

229. Hanc autem infamiam, quae ex facto oritur, non tolli per clausulam – Novis supervenientibus indiciis –, quae accusatum ab inquisitione non eximit eiusque innocentiam excludit, censuit Sacra Congregatio in Vigilien. die 23 septembris 1673 lib. 28 Decretorum pag. 170; et in similibus terminis clausulae – Ex hactenus deductis – tradunt Pignatellius consult. 93 n. 3 tom. 6, Monacellius form. legal. tit. 13 form. 3 n. 37 tom. 2 *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Pariter.*

230. Quin imo diffamatio sufficit pro repellendo Concurrente a Beneficii assequutione, licet non sufficiat ad irrogandam poenam privationis, ut firmant Card. De Luca de Benef. disc. 70 n. 5, et Rota in Recent. part. 12 decis. 172 n. 1 et 2, et decis. 267 n. 8, et part. 19 decis. 501 n. 1 et 2 *in Lancianen. Archipresbiteratus die 19 Septembris 1761* §. *Quocirca.*

231. Diffamatio tamen verificari minime videtur ex dicto solius Ordinarii et paucorum Testium singularium, ceu ad rem Can. *Non solum* quaest. 3, Cap. *Qualiter* de accusat., et Piton. discept. eccles. 109 n. 28 et 29 *in Lancianen. Archipresbiteratus die 19 Septembris 1763* §. *Suos.*

232. Quin imo si diffamatus fuerit promotus, pendente iudicio, ad aliquod ecclesiasticum munus vel Beneficium, et postea innocens repertus sit per sententiam, nihilominus promotionem non convalescere tenet Fagnanus in Cap. *Omnipotens* lib. 5 Decret. tit. 1 n. 19 *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Quod.*

233. Verumtamen, an haec iuris dispositio nullitatem Concursus importet, quoties criminis reus vel diffamatus Concursui intervenerit haud satis apparet: enimvero nihil hic omittitur, quod substantialem formam a lege aliqua praescriptam violet; dispositio autem praedicta vetat quidem, ne Beneficia conferantur indignis et immorigeris, eosque a Concursu merito sinit repelli; ast eorum inclusio nullos reddat actus non explicat. Sacra Congregatio in una Mediolanen. seu Alexandrina Concursus diei 28 novembris 1693, quum a Concursus occasione vacantis Ecclesiae Parochialis Oppidi Carentini Moschenii quidam et ante et post Concursum institissent, ut reiiceretur Iacobus Philippus Bugattus tamquam adhaerens antecessori Paraecia privato, consocius illius criminis malisque moribus instructus, quumque nihilominus in habito Concursu renunciatus fuisset magis dignus prae alio Concurrente Bartholomaeo Salio, acceptis a Vicario Capitulari opportunis notitiis circa Bugatti diffamationem, reque mature discussa, ad dubia proposita: – I. An constet de diffamatione Bugatti? *Et quatenus affirmative.* II. An instituendus Salius, vel indicendus novus Concursus? –, respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, praeeligendum esse Salium –; confirmavitque eamdem resolutionem sub die 3 februarii 1694 reponens: – Praeeligendum esse Salium, et Parochiam eidem adiudicandam et esse conferendam – *in Oritana et Tarentina Concursus die 7 Augusti 1841* §. *Verumtamen.*

234. Unde nedum validus censetur Concursus, si inter Concurrentes neque dignus neque aptus existat, sed imo Fagnanus docet in Cap. *Cum sit ars* de aetat. et qualit. praef. n. 19, posse Episcopum etiam criminosos et scandalosos describere, quia integrum ei est non approbare – *in S. Marci et Bisiniani Concursus die 22 Iulii 1850* §. *Si.*

235. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Clericos criminosos et scandalosos posse admitti ad Concursum Parochialis vacantis, cum in facultate sit Ordinarii eos non approbare *in Dubium sive Patavina ad Cap. 18 sess. 22 de reformatione Posit. 100.*

236. Familiares autem Episcopi eodem

modo ac eius Consanguinei admitti non possunt ad Concursum Parochialium vacantium per resignationem in manibus ipsius Episcopi: ita SSmus ex sententia S. Congregationis respondit *in Cremonen. lib. 2 Decretorum pag. 58.*

237. Siquidem – quaerit Episcopus Cremonensis, an Constitutio Pii V edita Kal. Aprilis anno 1568, quae prohibet Beneficia per resignationem per Episcopum vel alium Collatorem etiam ex iusta causa admissam vacantia conferantur Consanguineis vel Familiaribus Episcopi vel Resignantis, habeat locum in Ecclesiis Parochialibus et Beneficiis curam animarum habentibus, et quæ per Concursum magis idoneis conferri debent ex Decreto Concilii Tridentini Cap. 18 sess. 24, ita ut Familiaris aliquis Episcopi vel Consanguineus Resignantis apparuerit, et in Concursu ad huiusmodi Beneficium Curatum ut supra vacans cum aliis se examinari petierit, admitti non possit, et si admissus ad examen et ut idoneus ab Examinatoribus relatus fuerit, ei Beneficium conferri non possit? Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XIII etiam ex sententia Sacrae Congregationis Concilii declaravit, locum habere; et idem monendum Episcopum, ne huiusmodi Familiares aut Consanguineos admittat ad Concursum – *in Cremonen. lib. 2 Decretorum pag. 58.*

238. Possunt tamen admitti ad Concursum Parochialium vacantium per obitum: ita SSmus declaravit post maturam discussionem et S. Congregationis declarationem, commendando mandavit sic imposterum responderi, scilicet quod ex Bulla S. Pii V Familiares et Consanguinei Episcopi non possint admitti ad Concursus Parochialium vacantium per resignationem, bene vero ad vacantes per obitum, quum decrevit, declarationem Sacrae Congregationis approbatam a fel. mem. Gregorio XIII retinendam esse iuxta terminos Constitutionis piae memoriae Pii V in Parochialibus vacantibus per resignationem admissam per Episcopum et Inferiores Collatores; occurrente autem vacatione Parochialium per obitum, non esse arcendos a Concursu Familiares aut Consanguineos ipsorum Ordinariorum; sed iisdem conditionibus et legibus censendos esse cum aliis Concurrentibus ex forma Concilii Tridentini et Constitutionibus eiusdem Pii V de provisionibus Parochialium *in Dubium die 15 Iunii 1589 ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

239. Similiter Concursui admittendus est Presbiter iterum ad Parochialem vacantem, quam alias libere dimisit, non obstante Constitutione S. Pii V *in Hydruntina die 13 Septembris anno 1675 lib. 29 Decretorum pag. 246.*

240. Hinc multo magis Episcopus potest admittere ad Concursum habentem Canonicatum vel alium Beneficium Curatum *in Bisuntina mense Septembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 48.*

Item *in Lavellen. die 14 Iulii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 49.*

241. Sunt etiam admittendi non nominati a Patronis Concursui Parochialis vacantis de iurepatronatus ecclesiastici *in Florentina die 22 Aprilis 1599 lib. 9 Decretorum pag. 66.*

Item *in Bracharen. lib. 2 Decretorum pag. 261 a tergo.*

242. Liberum enim est unicuique etiam non nominato a Patrono se subiicere examini per Concursum instituto pro collatione Parochialis iurispatronatus ecclesiastici vacantis *in Monopolitana mense Augusti 1588 lib. 5 Decretorum pag. 177.*

243. In collatione vero Parochialis de iurepatronatus laicorum examen per Concursum fit tantum inter praesentatos a Patronis, si plures sunt praesentati, ut ex his, qui in examine idonei ab Examinatoribus renunciati fuerint, Episcopus illum eligat, quem magis idoneum ceteris iudicaverit, et non alterum instituat *in Papien. die 16 Ianuarii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 91.*

244. Quin imo ad Concursum Parochialium nedum Diaecesani, sed etiam Exteri invitandi sunt, ceu ad rem Monacell. formal. Legal. part. 1 tit. 5 form. 10 n. 1 *in Beneventana die 22 Maii 1784* §. *Quatenus.*

Item *in Forolivien. Privilegii die 2 Augusti 1845* §. *In.*

245. Idcirco nullus nequaquam fit Concursus, ex eo quod Episcopus praeelegit exterum ac civem ab Examinatoribus reprobatum posthabuit, licet hic postularetur a Populo et Clero *in Beneventana Parochialis die 20 Augusti 1757.*

246. Enimvero in Concursu indicto pro Ecclesia Archipresbiterali Torrecusii duo prae ceteris examen sustinuerunt, Sacerdos Antonius Faenza exterus, qui in eadem Ecclesia fuerat Oeconomus, et Franciscus de Ambrosio civis ac aetate gravior, quem Clerus omnis atque universitas Torrecusii Parochum postulabant. Cunctis expletis, dignior renunciatus fuit Antonius Faenza, reprobatus Franciscus de Ambrosio. Commovit haec reprobatio Universitatem, cum Franciscus esset civis senior approbatus secundo loco in alio Concursu et postulatus a Populo Clero Concionatore et a Secretis Congregationis, quae habebatur de Theologia morali et ritibus. Quin imo contendit, inutiliter disputari ab Antonio de nullitate Concursus, cum in actis emissa fuerit renunciatio. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Beneventana Parochialis die 20 Augusti 1757.*

247. Limita vero, nisi speciale adsit privilegium, electionem coercens ad certum et circumscriptum genus Personarum *in Beneventana die 22 Maii 1784* §. *Quatenus.*

Item *in Forolivien. Privilegii die 2 Augusti 1845* §. *In.*

248. Quin interim electus praetendere potest exemptionem ab examine, licet adesse videatur speciale privilegium et consuetudo diuturna duorum seculorum *in Lucana Parochialis quoad examen die 27 Februarii 1858.*

249. Siquidem Ecclesia Parochialis S. Mariae Curtis Orlandingorum nuncupata in Lucana Civitate existens Congregationi Matris Dei una cum animarum cura adnexa et suis reditibus ac proventibus perpetuo fuit unita a s. m. Gregorio XIII per Bullam anni 1583, quae incipit: *Ex iniuncto,* in qua haec habentur verba: – Licet dictis Confratribus per se vel per alium vel alios suorum et dictae Confraternitatis nomine Ecclesiae et annexorum iurium ac pertinentiarum ac bonorum praefatorum corporalem realem ac actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere curamque dictorum Parochianorum per se ipsum seu unum vel plures ex eis ad id deputandos, qui alias idoneus seu idonei sint, exerceri facere, ac fructus et proventus praefatos percipere exigere servare ac in suos et praefatae Confraternitatis usus et utilitatem convertere, Diaecesani loci aut cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita –. Porro in vim huius clausulae ab eo tempore usque in praesens reputarunt Patres Congregationis Matris Dei, Sacerdotes eiusdem Congregationis huic Ecclesiae praeficiendos exemptos esse ab onere subeundi examinis ad curam animarum, ceu non ambigebatur, huiusmodi exemptione illos perpetuo gavisos fuisse, quamvis cum dependentia ab Ordinario pro tempore curam exercuerint, et ab eodem literas patentes ad Parochi subeunda officia acceperint. Nihilominus existimans modernus Archiepiscopus haud consistere huiusmodi privilegium exemptionis, contingente itaque vacatione Paraeciae, novum Parochum a praedicta Congregatione designatum ad examen vocare non dubitavit. Quod quidem aegre ferentes Patres eiusdem Congregationis, oraculum Sacrae Congregationis hac desuper re percontari duxerunt. Ipsi enim, praefatum privilegium satis clarum ac manifestum exhibentes, contenderunt, Parochum praedictae Ecclesiae examini Ordinarii haud esse subiiciendum. Quin imo, etsi dubium esset huiusmodi privilegium, in promptu erat consuetudo immemorabilis et diuturna duorum seculorum, quae sic est optima legum interpres, ut tam in linea interpretativa, quam in praescriptiva maximam vim haberet. Nec obesse poterat huiusmodi consuetudinis interruptio, cum haec proximis annis contigerit sub moderno Archiepiscopo pro bono pacis. Contra Archiepiscopus censuit, ex praefato privilegio exemptionem ab examine deduci non posse, cum Summus Pontifex praescripserit, ut idoneus Parochus institueretur: at idoneitas dignosci non poterat, nisi per examen coram seipso peractum. Praeterea in Literis patentibus, quae a Praedecessoribus Curato pro tempore datae sunt, dicebatur: – Constito nobis de idoneitate etc. –, uti patebat ex actis Archiepiscopalis Cancellariae. Ergo saltem cum de idoneitate dubium fuit, electus examen subiit ad curam animarum, alioquin quod de idoneitate constitisset, asseri non potuisset. Quin obesset clausula – Diaecesani loci aut cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita –, cum haec ad postremam dum-

taxat orationis partem referri, non vero ad integrum eiusdem tenorem extendi deberet. His accedebat dispositio Concilii Tridentini in cap. 11 sess. 25 de Regularibus et Constitutio 109 Benedicti XIV, quae incipit: *Firmandis* §. 16.

250. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An constet de exemptione Parochi pro tempore S. Mariae Curtis Orlandingorum ab onere subeundi examen coram Curia Archiepiscopali in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Lucana Parochialis quoad examen die 27 Februarii 1858.*

251. Quapropter, seposito speciali privilegio, Episcopus indicere quidem potest Concursum ac respectivum examen peragere ad animi sui instructionem, non vero formalem, qui adhiberi solet in collatione Parochialium, cum agitur de Canonicatu, cuius possessor Parochum coadiuvare debeat in cura animarum, si praesertim consuetudo asseratur, sed haudquaquam admittere valet ad Concursum seu examen, qui non pollent iure passivo a Summo Pontifice Presbiteris loci tributo *in Nolana Concursus die 13 Ianuarii 1844 et die 22 Iunii 1850.*

252. Iamvero Parochialem Ecclesiam Terrae Visciani in Collegiatam erexit anno 1742 s. m. Benedictus XIV - ita tamen ut Parochialis, ut antea existat - in persona Abbatis: mandavitque, Canonicatus - nonnisi Clericis seu Presbiteris ex dicto Oppido oriundis provideri -, eorumque possessoribus et illud onus adiecit, - ut infirmis in eodem Oppido et morti proximis indesinenter assistere debeant et teneantur -. Alter ex Canonicatibus sic erectis vacavit inde ob mortem Sacerdotis Rufini; factumque est, ut Episcopus Concursum indixerit pro eiusdem collatione ad formam provisionis Parochialium; contra vero de eo obtestatus fuit Oppidi Syndicus tamquam - d'una innovazione lesiva ai diritti del Comune e suoi Cittadini -, attento nempe iurepatronatus passivo, quo Incolae Viscianenses super Canonicatibus potiebantur; admisso enim Concursu, nedum Incolae, sed et universi extra Oppidum iure poterant convenire. Advertebatur insuper, quod Tridentina Synodus, quum Concursus legem imposuit, de iis tantum Parochis locuta fuisse visa est, quibus vere inest cura animarum, non nudum exercitium. Ex adverso Episcopus contendit, sibi licitum esse simplicia etiam Beneficia mediante Concursu conferre pro electione utilius agenda, ut docet Mansi tom. 2 consult. 145 n. 54; id potiori iure facere posse in themate, ubi de dignoscenda agebatur idoneitate Canonici ad opem Infirmis in morti agone suppeditandam.

253. Advertebatur etiam cum Lotterio de re Benef. lib. 2 quaest. 36 n. 36, illum Canonici Iuris sensum esse in permittendo iurepatronatus passivo, ut hoc non importet nisi praelativum ius in certo personarum genere ad Beneficium assequendum, minime vero absolutam necessitatem eos eligendi, qui passiva pollent voce, ita ut, iis deficientibus, vacuum manere debeat Beneficium, usque dum Clericus seu Sacerdos aliquis Viscianensis idoneus haberi valeat. Idcirco deficientibus Viscianensibus, Episcopo fas esse videbatur, aliquem e Nolana Diaecesi Sacerdotem, licet non Viscianensem, ad illam Praebendam designare. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An substineatur Concursus ab Episcopo indictus in casu? *Et quatenus Affirmative.* II. An et quomodo admitti possint ad Concursum Presbiteri non Viscianenses in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo - *in Nolana Concursus die 13 Ianuarii 1844.*

254. Huic Sacrae Congregationis oraculo haud acquievit Nolanus Episcopus, qui die 19 aprilis eiusdem anni 1844 Rescriptum obtinuit: - Iterum proponatur in folio -. Verum diu Causa siluit: tandem Episcopus a Sacra Congregatione excitatus petiit, ut controversia ad trutinam revocaretur. Sustinuit igitur consuetudinem habendi Concursum inter Viscianenses tantum ad animi sui instructionem, non vero ad formam Parochialium, ut electionem utilius perageret eorum, qui partem in animarum cura ferre debebant. Non desunt tamen Doctores, qui examen in Beneficiis simplicibus excludunt: et consuetudo examinis praemittendi in collationibus asserebatur quidem ab Episcopo, minime vero probabatur, prout ipsi excipienti onus fuisset. His itaque perpensis, repropositis dubiis sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit stan-

dum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis quoad Concursum inter passive vocatos. Ad secundum, provisum in primo – *in Nolana Concursus die 22 Iunii 1850.*

255. Non tamen exclusivum et privativum omnino ius oritur de iure ex passiva vocatione ad Beneficia, sed praelatio tantum, ita ut quatenus tempore provisionis extet idoneus inter qualificatos, hic praeferatur non qualificato, licet digniori, iuxta textum in Lege *In Ecclesiis* Cod. de Episcop. et Cler., et Cap. *Si proponente* de Rescriptis, et tenent Reclus. de Concurs. part. 1 tit. 1 n. 109 ad 113, et Corrad. in prax. Benef. lib. 2 Cap. 10 n. 38 et 67 *in Forolivien. Privilegii die 30 Augusti 1845.*

256. Idcirco cum Summus Pontifex indulserit civibus alicuius loci privilegium assequendi prae exteris omnia Beneficia sive simplicia, sive curata, privilegium hoc extenditur quidem ad quoscumque etiam Canonicatus per Concursum conferendos, sed locus esse non potest exclusioni exterorum a Concursu, firmo tamen iure praelationis favore eorum, qui privilegio gaudent, quatenus fuerint approbati in scrutinio *in Forolivien. Privilegii die 30 Augusti 1845.*

257. Enimvero Adrianus VI Civitati Foroliviensi concessit privilegium, quo omnia Beneficia tam Civitatis, quam eius districtus sive simplicia, sive Curata, quovis tempore vacantia, nulli, nisi ex Foroliviensibus Civibus progenito, possent conferri. Quod privilegium ad solos Canonicatus virtute Rescripti a Benedicto XIV ad instantiam Capituli Foroliviensis restrictum, perpetuo Literarum Apostolicarum robore ac firmitate, ita postulantibus ipsis Canonicis, anno 1816 a Pio VII fuit communitum. Vacatio autem secuta die 30 Augusti 1843 cuiusdam Praebendae Canonicalis, quae ex Literis Apostolicis anni 1839, utpote primo loco vacata post illarum datam, iam erecta et instituta erat in Theologalem Praebendam, controversiam excitavit. Indixit enim Episcopus iuxta praescriptum Tridentini ac recentioris Bullae Benedicti XIII *Pastoralis officii* Concursum, ad quem cum omnes vocaverit, nulla facta mentione privilegii praedicti seu exclusione illorum, qui civicam qualitatem non haberent, servata in similibus casibus forma a suis Antecessoribus adhibita, comparuit et inscriptus fuit inter ceteros Aloisius Sacerdos Giammarchi Archipresbiter in ea parte Foroliviensis Diaecesis dominio Etruriae subiecta, ubi etiam natalia traxit. Quo cognito, Capitulares acriter conclamarunt; et duo ex illis, nullo praevio actu Capitulari, coram Episcopali Curia totius nomine Capituli solemniter protestati sunt pro tuitione sui privilegii adversus admissionem seu inscriptionem pro Concursu cuiuslibet, qualitatem civicam non habentis. Hisce tamen non obstantibus, habitus fuit statuta die Concursus, in quo et ipse Archipresbiter Giammarchi sui periculum fecit, licet a Cancellario ostensa ei fuerit Capituli protestatio. At in hac animorum divisione satius duxit Episcopus cum Examinatoribus a scrutinio abstinere, et sigillo occlusis Concurrentium schedis, sapientiam EE. PP. postulare, ut decernerent, utrum privilegium praefatum extenderetur ad Canonicatus etiam per Concursum conferendos, et utrum qualitate civica destituti ab alea Concursus arcendi omnino essent.

258. Episcopus itaque sustinuit, privilegium praedictum eos non afficere Canonicatus, qui per Concursum erant conferendi, quippe quod non contineret expressam derogationem peculiaribus Pontificiis sanctionibus et praesertim pro Theologali Praebenda Constitutioni Benedicti XIII *Pastoralis*, qua omnes admittuntur cum maiori Ecclesiae utilitate, ex eo etiam quod res erat de privilegio generico, quod afficere non poterat casus et leges particulares, nec non de civica vocatione, quae non ex fundatione, sed ex privilegio inerat Canonicatibus, idcirco minus late eadem accipienda esse videbatur, quin officerent verba – tam cum cura, quam sine cura –, quae in Bulla Adriani VI legebantur; hanc enim privilegii latitudinem arctasse Benedictus XIV et Pius VII censendi erant, quum, nulla facta de Beneficiis Curatis mentione, privilegium pure reduxit ad Canonicatus, eo magis quod iuris praesumptio et sacrorum Canonum dispositio faveat Ecclesiae vel Beneficii libertati. Contendit etiam Episcopus, in pluribus, qui habiti fuerant Concursibus post datas Pii VII Literas, admissos fuisse extraneos, ceu contigerat anno 1830 1839 et 1843; hinc extraneos a Concursus alea non

esse omnino arcendos, cum non ius exclusivum, sed praelatio dumtaxat oriatur ex passiva vocatione. E contra Capitulares defenderunt, privilegium ad quoscumque indistinctim Canonicatus protendi per adiecta verba in Literis Adriani VI – tam cum cura, quam sine cura –, quin obesset omnimoda illorum reticentia in Rescripto Benedicti XIV per Pium VII confirmato; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec opus erat speciali derogatione, ubi expresse privilegium impertiebatur Pontifex circa Beneficia – cum cura et sine cura –: sic enim necessario cuilibet contrariae iuris dispositioni derogabatur. Denegarunt inde consuetudinem, quae non existebat; et si aliquis interdum in sinum illorum obrepere conatus est, fuerat continuo iuridice deturbatus. Idcirco admitti non debere extraneos cum civibus ad Concursum probarunt, cum in promptu existeret privilegium: tunc solum licere Episcopo extraneos admittere, ubi, semel ac iterum indicto habitoque Concursu, nemo ex Civibus vel compareret vel reperiretur.

259. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de extensione privilegii ad Canonicatus per Concursum conferendos in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus exclusioni exterorum a Concursu in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; firmo tamen iure praelationis favore Foroliviensium, quatenus fuerint probati in scrutinio – *in Forolivien. Privilegii die 30 Augusti 1845.*

260. Nam ille Canonici iuris sensus est in permittendo iurepatronatus passivo, ut hoc non importet, nisi ius praelativum in certo genere personarum ad assequendum Beneficium, ceu ad rem Lotterius de re Benef. lib. 2 quaest. 36 n. 26, Puteus decis. 282 n. 2 lib. 3, Rota decis. 686 Recent. part. 12, minime vero absolutam necessitatem eos eligendi, qui passiva voce pollent, ita ut, iis deficientibus, vacuum manere debeat Beneficium, uti perpendit Card. de Luca in disc. 29 de iurepatronat. n. 11, ac Beneficia profecto principaliter pro Ecclesiae servitio constituuntur, secundario pro peculiari alicuius generis commodo et utilitate *in Nolana Concursus die 2 Decembris 1843* §. *Haec.*

261. Approbatus vero in Concursu ad Parochialem vacantem, si iam possidet Beneficium Curatum, ut eligi possit magis idoneus, debet licentiam habere ab Episcopo, in cuius Diaecesi praedictum Beneficium Curatum nanciscitur *in Cremonen. die 10 Februarii 1583 Posit. 100 ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione.*

262. Is autem idoneus ad Parochialem reputandus est, qui iustam habet aetatem, sufficienti pollet experientia, bonis moribus est imbutus, nulloque crimine irretitus, atque non mediocris scientiae specimen dedit *in Rheginen. Parochialis die 29 Aug. 1761* §. *Disputat.*

263. Nam approbari non potest, qui de iure incapax et inhabilis est ad curam animarum defectu aetatis praefinitae in cap. *Cum in cunctis* §. inferiora de electione et in Tridentina Synodo sess. 24 cap. 12 de reformatione, ita ut ne admitti quidem ad Concursum debeat, si vera est sententia Narbon. de aetat. annot. 25 quaest. 56 n. 9, et Borgnin. Cavalcan. tom. 2 decis. in Indic. verb. Officialis; quia in Beneficiis Curatis aetas legitima requiritur tempore Concursus, ceu ad rem Fagnanus in dicto §. inferiora n. 12 de electione, Lara de annivers. et capell. lib. 2 cap. 9, Narbon. dicta quaest. 56 n. 10 *In Nepesina die 20 Augusti 1757* §. *ad.*

264. Idcirco neminem ad Parochialis Ecclesiae regimen assumi posse, nisi quintum saltem et vigesimum aetatis annum attigerit, aperte statuit Alexander III in Cap. *Cum in cunctis* §. 7 inferiora de electione, cui adhaerere videtur Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 12; collationem autem Beneficii, quae fiat non habenti aetatem a iure praescriptam, viribus haudquaquam subsistere docent Corrad. in Prax. dispen. lib. 4 tit. 1 n. 17, Garz. de Benef. part. 7 cap. 7 de aetate Benef. n. 82 ad 84, Panimoll. decis. 88 n. 35 *in Viterbien. Concursus die 21 Iulii 1742* §. *Porro.*

265. Qua de re quum in Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Andreae in Plascarano Sacerdos Placidus Secoli in consueto Examinatorum scrutinio tria supra viginti obtinuisset puncta, et Clericus Antonius Colaina viginti quinque, cui Episcopus dictam Parochialem contulit; et praefatus Secoli contendisset, collationem hanc sustineri non pos-

se, utpote cadentem in Clericum, qui eo tempore solam annorum viginti trium ac mensium octo aetatem agebat, sibique veluti magis apto adiudicari debere dictam Ecclesiam Parochialem, propositis dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, vel potius collatio Parochialis Ecclesiae S. Andreae in Plascarano ab eodem Episcopo facta favore Clerici Antonii Colainae sustineatur in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An et cui sit adiudicanda dicta Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, collationem factam ab Episcopo non sustineri. Ad secundum, dilata - *in Viterbien. Concursus die 11 Augusti 1742.*

266. Ceterum defectus aetatis non obstat ad assequendam Parochialem, si quis ea approbetur conditione, quod a Summo Pontifice veniam aetatis impetret *in Nepesina die 20 augusti 1757.*

267. Iamvero ad Concursum indictum die 4 decembris 1756 pro vacanti Parochiali Ecclesia S. Laurentii Terrae Formelli quatuor venerunt, duo eiusdem Terrae Sacerdos Alexander Piordi et Subdiaconus Ciavarrini, duo exteri Sacerdos Cianfloni Diaeceseos S. Severinae et Sacerdos Fabricius Paolangeli Diaeceseos Barensis. Periculo facto in responsis ad casus propositos et in conciuncula, solus ab Examinatoribus approbatus fuit Subdiaconus Antonius Ciavarrini, quod cum renunciatum fuerit Episcopo absenti, hic eumdem Subdiaconum praeelegit - tamquam inter quatuor concurrentes magis idoneum et ab Examinatoribus unice approbatum –, ea tamen adiecta conditione, dummodo veniam aetatis impetraret a Summo Pontifice, erat enim annos natus viginti duos. Id ubi rescivit Sacerdos Paolangeli appellationem interposuit, cui adhaesit Sacerdos Piordi. Inde Sacerdos Paolangeli questus est etiam de Episcopo Nepesino, quod veniam sacri agendi et excipiendi sacramentales confessiones in sua Diaecesi ei denegasset. Contendit itaque Paolangeli, non potuisse Examinatores approbare et Episcopum praeeligere Ciavarrinum, quod iure incapax et inhabilis esset ad curam animarum defectu aetatis. Propositis vero dubiis: - I. An licentia celebrandi Missas et audiendi sacras confessiones denegata R. Fabricio Paolangeli a reverendissimo Episcopo Nepesino sustineatur in casu etc. II. An constet de mala relatione Examinatorum? *Et quatenus negative.* III. An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; et amplius. Ad tertium, Negative; et amplius - *in Nepesina die 20 augusti 1757.*

268. Alias enim promotos ad regimen Ecclesiarum Parochialium ipso iure et absque ulla monitione praecedente privatos existere Ecclesia sibi commissa, nisi infra annum ad Sacerdotium non conscenderint, expresse statutum est in Concilio Generali Lugdunensi sub Gregorio X celebratum, ac refertur in Cap. *Licet* 14 de electione in 6, ubi etiam Canon *Cum in cunctis* §. Inferiora eod. tit. corrigitur, iuxta quem privationis poena non incurrebatur, nisi per sententiam Iudicis ac monitione praemissa *in Spoletana Collationis Parochiae die 14 aprilis 1821* §. *Haec.*

269. Si vero Acolythus in Concursu approbatus fuerit et possessionem Paraeciae obtinuerit, quin tamen intra annum ex iniusta Episcopi reiectione ad Sacerdotium promoveri potuerit, in ea quippe instituendus est, licet intra legitima tempora querimonias suas ad Summum Pontificem non detulerit, et Edicta ad valvas Ecclesiae vacantis pro Concursus indictione non fuerint affixa, praefixo interim termino arbitrio Ordinarii ad suscipiendos sacros Ordines *in Spoletana Collationis Parochiae die 19 Maii 1821.*

270. Nam Episcopus auctoritate interdicendi ascensum ad sacros Ordines abuti non potest, ac praetextu occulti criminis arbitrio suo a sacris Ordinibus impedire, sed prout re ad Gregorium XIII delata rescripsit Sacra Congregatio apud Fagnanum in Cap. *Ad aures n. 22:* - Quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse Metropolitano vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario prius exquirat, cur recusaverit; quo causa legitima non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare - *in Spoletana Collationis Parochiae die 14 Aprilis 1821* §. *Verum*

271. Siquidem acolythus Gregorius Cataldi novem et viginti annos natus idoneus prae aliis ab Examinatoribus in Concursu habitus possessionem Paraeciae S. Crucis ab Episco-

po obtinuit, fideique professionem emisit die 2 martii 1819: sed cum nondum Sacerdotio initiatus esset, Oeconomus Curatus fuit ab Ordinario deputatus, qui Paraeciam interim administraret. Exoravit proinde ab Episcopo collationem sacri Presbiteratus, qui tamen eius votis minime annuit, sed potius alterius vacantis Parochiae vulgo *di Pescia* Concursum suasit; atque in eo etiam die 27 sequentis iulii ab Examinatoribus idoneus habitus fuit. Episcopus vero contra hunc Concursum nonnihil opposuit, et hanc etiam Paraeciam et sacram ordinationem eidem negavit: deinde iterum vocatus fuit ad Concursum tum pro Paraecia S. Crucis tum pro alia, eo quod Concursus publica Edicta ipsius Ecclesiae valvis affixa non fuerint. Ne autem proprio facto quaesito sibi iuri valediceret, conditionem propositam minime acceptandam censuit; sed potius ope cl. me. Card. Mattei factum fuit, ut epistolam a Cancellario datam die 4 aprilis 1820 acceperit, qua ipse ad curae exercitium a nemine eo usque impeditum mittebatur, ac sollicitudo Ordines sacros suscipiendi iniungebatur. Orator tamen sacram Ordinationem assequi non valuit ab Episcopo: sed interea nova facta est eidem Cataldio indictio Concursus pro S. Crucis Paraecia, quae iterum vacare dicebatur, eo quod intra annum Sacerdotium non susceperit. Qua de re cum id ex sua culpa non evenisset, auxilium Sacrae Congregationis imploravit. Vicarius Apostolicus retulit, Episcopum prudenter suspicatum fuisse, Cataldium in utroque Concursu ope alterius Sacerdotis concurrentis responsis satis fecisse, ideoque utrumque excludendum fore decrevit: effluxisse interim annum et ad Sacerdotium non promotum, quin inter legitima tempora appellaverit. In facto tamen erat, quod pluries Cataldius institisset, ut ad sacros Ordines promoveretur; nec iusta afferebatur causa denegatae sacrae ordinationis, ideoque poena caducitatis plecti non poterat. Suspicio autem, quod alter forsan opem ei tulisset, ut responsis satisfaceret, expoliare illum non debebat iure certo. Quod si intra tempus legitimum querimonias non detulerit, modestiae adscribi poterat, eo quod forsan ei nimis grave fuerit, in proprium Episcopum reclamare. Defectus tandem publici Edicti affictionis ad valvas Paraeciae vacantis pro Concursus indictione, si ex eius culpa non processerit, nec in eo puniendus videbatur: praeterea cum nullus postea reclamaverit pro Edictis in Ecclesia vacante non affixis, iuri suo iam omnes cesserant.

272. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An Gregorius Cataldius e iure utriusque Paraeciae exciderit? *Et quatenus negative.* II. An quomodo et in qua sit instituendus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative in Paraecia S. Crucis, praefixo termino arbitrio Ordinarii ad suscipiendos sacros Ordines – *in Spoletana Collationis Parochiae die 19 Maii 1821.*

273. Ad vitanda itaque inconvenientia et praeiudicia, quae in appellationibus a mala Examinatorum relatione et ab irrationabili iudicio Episcopi contingebant, nova merito inducta est forma, qua examen perfici debet; proposito enim dubio: –. An in Concursibus, qui in posterum fient occasione vacationis Ecclesiarum Parochialium praecipiendum sit, ut eadem omnino quaesita omnibus Concurrentibus proponatur, et quod unusquisque ex Concurrentibus intra congruum tempus assignandum debeat in scriptis satisfacere quaesitis propositis; et an ulterius praecipiendum sit, ut unusquisque ex Concurrentibus sermonem scribat super textu Evangelii omnibus concurrentibus assignando? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative per modum instructionis – *in Dubia Concursuum die 16 Novembris 1720.*

274. Praeterea in Literis Encyclicis Sacrae Congregationis datis anno 1721 in sequelam resolutionis captae super dubiis generalibus Concursuum propositis die 1 octobris et resolutis die 16 novembris 1720 et approbatis a Summis Pontificibus Clemente XI et Benedicto XIV cautum fuit, ut Concursus fiat clausis ianuis, e quibus nemo ex oppositoribus antequam scripta conficiat, egredi possit, et – unumquodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario Concursus, verum etiam ab Examinatoribus et ab Ordinario vel eius Vicario, qui Concursui interfuerint, subscribatur – *in Larinen. Concursus die 2 Septembris 1758 §. Haec.*

275. Si haec proinde forma servata non

fuerit, nullus ac irritus censetur ac est Concursus, ac novus est indicendus coram Metropolitano; his enim in terminis proposito dubio: – I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. – III. An sit deveniendum ad novum Concursum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative coram Metropolitano – *in Larinen. Concursus die 2 Septembris 1758.*

276. Quod si revera Concurrentes e conclavi non discesserint, nisi traditis scriptis, iisdem Evangelii diei currentis textus assignatus fuerit, ac in Episcopo perduraverit facultas a Sacra Congregatione concessa eligendi Examinatores extra Synodum cum consensu Capituli, validus renunciatur Concursus, licet responsiones Concurrentium subscriptae ab Episcopo Examinatoribus et Cancellario minime fuerint, sed omnia eorum scripta Episcopus penes se retinuit *in Melevitana Parochialis die 2 Iunii et die 15 Septembris 1764.*

277. Siquidem ad Concursum pro Ecclesia Parochiali S. Philippi de Argilione in Oppido Zebbug Episcopus Melitensis ex quinque admissis selegit atque instituit Felicem Borgh. Non placuit iudicium competitori Iosepho Agius, qui primum appellavit ad S. Rotam, deinde mutato consilio, tamquam de re ad S. Sedem devoluta, Literas Apostolicas pro se obtinuit. Hinc Agius Concursum nullum esse contendit, ut suae Literae exequutionem haberent. Nam dixit, Examinatores non esse Synodales; relationem non fuisse subscriptam a Notario Concursus, eam neque Examinatores simul atque illico subscripsisse, sed separatim ac triduo post; Examinatores de Michaele Angelo Sant uno ex Concurrentibus iudicium non dedisse; Cancellarium Episcopalem non tradidisse antea Examinatoribus epitomen monumentorum, quae de suis meritis Concurrentes ediderant; non fuisse omnibus assignatum eumdem textum Evangelii; Concursum non unico tempore expletum, sed factam potestatem discedendi, ut sero redirent Competitores; eorum responsiones neque ab Examinatoribus neque ab Episcopo neque ab eius Cancellario, uti fièri oportebat, subscriptas. Respondit Borgh, Vicarium Generalem ante examen monumenta omnia per Competitores allata coram Episcopo atque Examinatoribus perlegisse; nihil facere, quod defuerint Cancellarii Episcopi atque Examinatorum subscriptiones in responsionibus datis, ut praescripsit Sacra Congregatio anno 1721; id enim dixit, consilium fuisse, ut quaecumque Cancellarii fraus vitaretur, satis ceterοquin provisum ab Episcopo, qui Concurrentium scripta penes se retinuit. His utrinque perpensis, proposito dubio:– I. An constet de nullitate Concursus, ita ut Literae Apostolicae sint exequendae? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus; et amplius – *in Melevitana Parochialis die 2 Iunii 1764.*

278. At Borgh lapidem omnem movit, ut denuo audiretur. Emus Praefectus rem ad Sacram Congregationem remisit. Hinc Borgh protulit testimonium ipsius Episcopi Vicarii Generalis quatuor Examinatorum aliorumque, quibus probabat, se e conclavi non discessisse, nisi traditis scriptis: idipsum gessisse omnes, qui ad Concursum venerant; eumdem ipsum assignatum fuisse omnibus explicandum textum, scilicet Evangelium diei currentis, hanc esse praxim, quae retinebatur in Urbe; perdurare adhuc facultatem a Sacra Congregatione concessam eligendi Examinatores extra Synodum cum consensu Capituli. Agius plurima quidem protulit ad suam defendendam Causam; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – Recedendum a decisis – *in Melevitana Parochialis die 15 Septembris 1764.*

279. Hinc neque nullus censetur Concursus, ex eo quod idem quidem Evangelium omnibus Concurrentibus propositum fuerit, sed non idem ex eo textu locus, quin obstet, quod certum tempus et determinatum statutum non fuerit, cum praesertim id falsum in facto sit, et quin etiam obstet, quod aliqui ingressi fuerint conclave pro his, quae factu sunt necessaria *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Decembris 1832.*

280. Siquidem tres interfuerunt in Concursu pro Parochiali Ecclesiae S. Clarae in Oppido Acrii legitime indicto, scilicet Franciscus Cofone Philippus de Simone atque Alexander Parvolo: sed Examinatores approbarunt primo loco Alexandrum Parvolo et secundo loco Philippum de Simone, reprobaveruntque ob scientiae defectum Franciscum Cofone; et Episcopus Alexandrum Parvolo adscivit. Aegerrime id tulit praesertim

Cofone, qui contendit, Concursum illum nullum reputandum esse, ex eo quod in eodem minime observatae fuerunt conditiones requisitae in instructionibus anni 1721 contentis in Bulla Benedicti XIV incipiente *Cum illud.* Nam idem textus Evangelii omnibus non fuit propositus; neque tempus certum et determinatum statutum, intra quod quaestionibus Concurrentes responderent, et conciunculam componerent, nec in conclavi Concurrentes clausi fuerunt, etiam omnibus extraneis et consanguineis Alexandri Parvolo data fuit facultas ingrediendi conclave et cum eo loquendi. At ex actis constabat, Episcopum ipsum Evangelium Dominicae undecimae post Pentecosten, reserato fortuito Missali, designasse, ut conciunculae inde argumentum haberetur. Id vero Sacrae Congregationi semper visum est et licitum et legitimum, imo optime factum, ut hinc melius Competitorum doctrina et prudentia in seligendo atque explicando sermone cognoscatur. Qua de re id constat esse ex communi consuetudine et ex praescripto Constitutionis Benedicti XIV, ut nimirum, licet omnibus Concurrentibus idem Evangelium fuerit assignatum, ipsis tamen liberum sit ex eo textu locum explicare, quem quisque opportuniorem nanciscatur, ut inde Populum salubrius adhortetur ad ea amplectenda praestandaque pietatis officia, quibus nostrae constat ratio salutis. Constabat pariter, diem illum integrum iisdem concessum fuisse. Quin imo ex Sacrae Congregationis declaratione Concursus legitimus censetur, licet non fuerit Concurrentibus assignatum tempus. Constabat demum, falsum esse in conlavi Concurrentes clausos non fuisse, et extraneis et consanguineis Alexandri Parvolo datam fuisse facultatem ingrediendi conclave et cum eo loquendi. Ceterum ex memorata Benedicti XIV Constitutione nequaquam vetantur, quae factu sint necessaria, cum illum dumtaxat in finem praescriptum id fuerit, ut scilicet fraudis dolique occasio quaelibet arceatur, ac nemo ex Competitoribus ante absolutum examen de quaestionis explicatione condoceatur.

281. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Decembris 1832.*

282. Qua de re validum pariter edixit Concursum Sacra Congregatio, licet Episcopus eumdem ex eo textu locum non proposuerit, licet temporis spatium determinatum protaxerit, licet aliqui ingressi fuerint conclave pro iis, quae factu necessaria erant, licet intimatio Examinatoribus pridie, non vero diebus octo ante diem Concursus, fuerit expleta, ac licet Examinatores digniorem inter Concurrentes Episcopo exhibuerint; his enim in terminis proposito dubio: – I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 3 Augusti 1833.*

283. Idcirco nullus minime fit Concursus, si nullum fuerit tempus concurrentibus praefinitum, si Cancellarius fame coactus conclavi fuerit egressus, et ingressus Vicarius Generalis, ut finem imponeret, famulus autem Episcopi, ut necessaria humanae vitae pararet *in Civitatis Castelli Parochialis die 25 Ianuarii 1755.*

284. Iamvero vacata in mense Apostolicae Sedi reservato Parochiali Ecclesia S. Mariae *del Vingone,* Episcopus Concursum indixit pro die 9 aprilis anni 1754. Novem Concurrentes in uno conclavi conclusi, nullo iis praefinito tempore, operam dederunt propositis quaestionibus enodandis. At Cancellarius, fame urgente, morae omnis impatiens, egressus est, ut cibum caperet, paullo post reversus; decem iam transactis horis, ingressus est Vicarius Generalis, ut interpellaret Concurrentes, tempus iam esse, ut se se expedirent: etiam famulus quidam Episcopi transiit per conclave, ut curaret aliquid in interiori cubiculo. Re tandem a Concurrentibus expleta, Episcopus magis dignum iudicavit Rampaccium. At nullum edixit Concursum Gianninius, quia contra formam ab Sacra Congregatione praescriptam et a Summo Pontifice Benedicto XIV confirmatam Cancellarius cubiculo egressus fuerat, et Episcopus Vicarius Generalis atque famulus Episcopi ingressi erant, ita ut nimis probabile fieret, Rampaccium instructum fuisse. Contra Rampaccius sustinuit, non fuisse de forma praescriptum, ne alii a Concurrentibus egrederentur aut ingrederentur conclave; et si de forma id esset, non eam fuisse Sacrae Congregationis et Summi Pontificis mentem, cum prece-

perint, ne ullus conclave ingrederetur aut egrederetur, ut vetare vellent, quae necessaria sint, sed ut prohiberent, ne fraus aliqua fieret et instrueretur aliquis ex Concurrentibus; Cancellarium fame coactum egressum fuisse, Episcopum ad Conclave nunquam accessisse, ingressum fuisse Vicarium Generalem, ut post decem horas finem indiceret; famulum, ut pararet necessaria humanae vitae; Testes, quibus Gianninius utebatur, ut suspicionem iniiceret de instructione data Rampaccio, spectandos non esse, cum reprobati fuerint in Concursu, singulares essent et laesae existimationis.

285. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Concursus Ecclesiae Parochialis Abbatiae S. Mariae *del Vingone* in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Civitatis Castelli Parochialis die 25 Ianuarii 1755.*

286. Nec imo nullus censetur Concursus, ex eo quod Concurrentes admissi fuerint ad actum examinis in mansionibus separatis, non autem unitim *in Aesina Concursus die 1 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

287. Iamvero – ad Ecclesiam Parochialem S. Petri Castri Masciani vacantem per obitum ultimi possessoris de anno 1705 in mense Apostolicae Sedi reservato, Episcopus inhaerendo Sacri Concilii Tridentini dispositioni, publicato Edicto Concursum indixit. Decem fuere Concurrentes, quos inter a sex Examinatoribus Synodalibus plenis votis approbati extiterunt Alexander Bosius et Iacobus Sabbatinius, reliqui vero vel inter approbatos recensiti, vel omnino reprobati. Episcopus autem praeeligendo Bosium favorabilem attestationem Emo Pro-Datario directam extradidit, ex qua Bosius ipse praefatae Parochialis Apostolicas literas collationis et possessionis obtinuit, in qua usque modo perseverat. Ab hac porro Episcopi praeelectione supradictus Sabbatinus ac quidam alii Concurrentes provocarunt nedum ob nullitatem Concursus, verum etiam ob irrationabile Episcopi iudicium, recurrentes ad Sanctissimum, precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, propter non servatam formam eiusdem Sacri Concilii, et ex eo praesertim, quod Concurrentes ipsi admissi fuissent ad actum examinis in mansionibus separatis, non autem unitim, prout olim in Concursibus aliarum Parochialium eius Diaecesis practicatum fuisse contendunt, ac ulterius irrationabile evinci putant ex defectu requisitorum Bosii, respectu aliorum Concurrentium. Haec sane non diffitetur praememoratus Antistes, qui de mandato Sacrae Congregationis copiam actorum Concursus transmisit, referens ulterius, sese devenisse ad praeelectionem Bosii in exclusionem Sabbatini, ob maiores qualitates in primo, quam in altero praeeminentes, uti latius in eius relatione in Summario danda –. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus et de irrationabili iudicio Episcopi? *Et quatenus affirmative.* II. An et coram quo sit indicendus novus Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Aesina Concursus die 1 Decembris 1708 lib. 58 Decretorum.*

288. At Iuramentum in Encyclica Sacrae Congregationis praescriptum de forma est substantiali, ut monet Ferrar. in Biblioth. can. verb. *Concursus* art. 2 n. 40 *in Ripana die 21 Iulii 1788* §. *Ad.*

289. Siquidem Sacra Congregatio etiam antequam edidisset praefatam Encyclicam iam declaraverat, nullum esse Concursum, in quo Examinatores Synodales adhibiti non praestiterunt iuramentum ad praescriptum sacri Concilii Tridentini Cap. 18 sess. 24 de reformatione *in Ilcinen. die 9 Martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 66.*

Item *in S. Miniatis die 3 Decembris 1639 lib. 16 Decretorum pag. 279.*

290. Iusta tamen concurrente causa, Sacra Congregatio censuit quidem –, Concursus factos non praestito iuramento ab Examinatoribus Synodalibus fuisse nullos, sed ex gratia convalidandos, facto verbo cum Sanctissimo – *in Bisinianen. die 2 Decembris 1628 lib. 13 Decretorum pag. 571.*

291. Hinc etiam ante promulgationem praedictae Encyclicae nullus renunciabatur Concursus, si Examinatores Synodales praevie ad examen haud iuraverint ad sancta Dei Evangelii sese fideliter munus executuros, si iisdem non palam inter se, sed per suffragia secreta vota sua protulerint, et si praesertim inter eum, qui maiora habuit suffragia, et nonnullos ex praefatis Examinatoribus simo-

niaca labes intercesserit, ideoque deveniendum esse ad novum examen S. Congregatio edixit *in Pennen. Concursus die 23 Iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

292. Enimvero – post vacationem Parochialis Ecclesiae S. Sylvestri loci Cermignani huius Diaecesis, indicto Concursu per Episcopum, quatuor fuerunt Concurrentes, Nicolaus Adrianus, qui ex quinque Examinatoribus cum licentia, uti supponitur, huius Sacrae Congregationis, sed non exhibita, qui examini interfuerunt, quatuor favorabilia vota reportavit, Iosephus Sebastianus et Ioannes Adrianus singuli tria, atque Ioseph de Castellis duo dumtaxat. Peracto examine, renuit Episcopus praeelectionis iudicium proferre, sub pluribus assertis motivis nullitatis dicti Concursus, quod nempe Examinatores praevie ad examen haud iuraverint ad sancta Dei Evangelia sese fideliter munus executuros, quod insuper iidem Examinatores non palam inter se, sed per suffragia secreta vota sua protulerint, quod tandem inter eumdem Nicolaum Adrianum et nonnullos ex Examinatoribus simoniaca labes intercesserit; quapropter instantibus reliquis Concurrentibus, quibus adhaesit Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis, constructus fuit desuper processus, in quo idem Episcopus post Testium examen definitive sententiavit, omnes nullitates propositas per dictum Promotorem Fiscalem obstare, unde novum Edictum decrevit pro novo examine faciendo, uti latius ex copia dicti processus transmissi data in Summario. Recurrit propterea antedictus Nicolaus Adrianus ad hanc Sacram Congregationem, a qua de more requisita Episcopi informatione, idem praemissa approbando una cum praemorato processu acta Concursus transmissit, iussis Sacrae Congregationis obtemperando; ac tenet, reliquos Concurrentes scientia aliisque qualitatibus praecellere supradictum Adrianum. Partibus itaque monitis, proposito dubio: - An constet de nullitate Concursus, ita ut sit deveniendum ad novum examen in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et ad mentem – *in Pennen. Concursus die 23 Iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

293. Ceterum si iustae adsint causae, Sacra Congregatio vel expresse sanationem indulget vel tacite eam concedit, uti validos habens Concursus, quibus interfuerunt Examinatores absque praevio iuramento; quandoquidem ex eo quod Episcopus longius tempus aliquibus Concurrentibus, aliis reclamantibus, indulserit, ac deficientibus Examinatoribus Synodalibus, alios elegerit, quos inter unus numerabatur, qui neque Doctor neque Licentiatus erat, quin iidem iuramentum praestiterint, tamquam validus habetur Concursus, sed reprobatus ab Examinatoribus Parochialem consequi nequit, nec locus est novo Concursui, nec sustinetur collatio Paraeciae, pro qua nullus habitus fuerat Concursus *in Militen. Concursus die 21 Iulii 1753.*

294. Siquidem sexto iam labente mense a vacatione Archipresbiteratus Ecclesiae Terrae Casalis Novi Concursum Episcopus indixit habendum die 21 Octobris 1751: et deficientibus Examinatoribus Synodalibus, alios elegit idem Episcopus, quos inter fuit Archipresbiter Ioseph Alemanni, qui neque Doctor neque Licentiatus erat. Inter Concurrentes numerabantur Leonardus Piromalli Archipresbiter Feruleti Ioseph Antonius Piromalli Archipresbiter Radicenae et Sacerdos Dominicus Calsapietra. Praefixus fuit omnibus trium horarum terminus, intra quem sua quisque munera expleret: soli Ioseph Antonius Piromalli et Dominicus Calsapietra longius tempus obtinuerunt indulgentia Episcopali, reclamantibus aliis. Omnibus expletis, retulerunt Examinatores, nullo praecedenti praestito iureiurando: primum inter approbatos locum obtinuit Dominicus Calsapietra, secundum Ioseph Antonius Piromalli Archipresbiter Feruleti. Excepta Examinatorum relatione, Episcopus, nulla interposita mora (tertia erat noctis hora) vacantem Parochialem Ecclesiam Casalis Novi adiudicavit Iosepho Antonio Piromalli, alteram vero vacaturam Terrae Radicenae Dominico Calsapietra. At Leonardus Piromalli nullum edixit Concursum, quia eo reclamante longius tempus datum fuerat Iosepho et Dominico, et quia inter Examinatores electus fuerat Ioseph Alemanni neque Doctor neque Licentiatus, cum quidquid sit de Examinatoribus Synodalibus, his tamen deficientibus, debeat Episcopus eos eligere, qui Doctores sint aut Licentiati, alias Concursus nullus est, ut tradiderunt Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 83 324 et 342,

Corradus in prax. Benef. lib. 3 cap. 3 n. 32, nec non quia Sacramentum Examinatoribus delatum non fuerat ante Concursum de exercendo munus suum sine partium studiis.

295. His vero perpensis, proposito dubio: – 1. An constet de nullitate Concursus in casu etc. III. An Ecclesia Archipresbiteralis Terrae Casalis Novi sit adiudicanda Sacerdoti Leonardo Piromalli? *Et quatenus Negative.* IV. An sit locus novo Concursui? V. An sustineatur collatio Parochialis Ecclesiae Terrae Radicenae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum tertium quartum et quintum, Negative – *in Militen. Concursus die 21 Iulii 1753.*

296. Unde si examen duplici sessione completum fuerit et inter Examinatores aliqui non Synodales adstiterint, nullum ac irritum quidem est examen et respectiva collatio Parochialis Ecclesiae, sanatum tamen extat per Literas Apostolicas novae provisionis a Summo Pontifice reportatas, quin ideo sit locus novo examini coram alio Episcopo *in Lancianen. Concursus die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

297. Iamvero – defuncto sub die 22 decembris 1704 Alexandro Laudadaeo Archipresbitero Ecclesiae Parochialis S. Nicolai Terrae Arielli, eademmet die Archiepiscopus per Edictum valvis tum Cathedralis, tum dictae Parochialis Ecclesiae affixum omnes concurrere volentes statim praemonuit, ut intra terminum decem dierum comparerent, eoque iam longe praeterlapso absque eo quod aliquis comparuerit, per aliud Edictum sub die 27 februarii superioris anni evulgatum eisdem concurrere volentibus aliorum octo dierum terminum constituit, intra quem apud acta Curiae Archiepiscopalis propria nomina et cognomina describere atque aetatem et patriam suam ostendere tenerentur. Die igitur 28 immediate sequenti eiusdem mensis Sacerdotes Laurentius Cappellettus Terrae Castillorum Pennensis Diaecesis et Sebastianus Cancius Lancianensis comparentes opportuna super aetate patria atque idoneitate sua in actis dictae Curiae documenta dimiserunt, idemque postea praestiterunt etiam Sacerdotes Nicolaus de Virgilio originarius dictae Terrae Arielli, sed incola Terrae Ursuneae Theatinae Diaecesis, et Dominicus Roccus Vitelli de dicta Terra Ursuneae, quorum primus die 3 et secundus die 5 martii subsequentis comparuerunt. Cum vero die 7 dicti mensis martii, quae termini, ut praefertur, in secundo Edicto praefiniti ultima erat, Examinatores ad habendum examen in Palatium Archiepiscopale convenissent, solum praefati Sacerdotes Sebastianus Cancius et Laurentius Capellettus praesto fuerunt, ipsique dumtaxat ad respondendum super decem punctis sibi assignatis admitti ea die obtinuerunt. Animadvertens tamen Archiepiscopus, quod dicti alii duo Sacerdotes Nicolaus nimirum de Virgilio et Dominicus Roccus Vitelli veluti extra Civitatem in dissita Terra Ursuneae longe habitantes ob ingruentem ea die pluviam ad examen forsan accedere non potuerant, terminum illis usque ad diem lunae nonam dicti mensis martii prorogandum esse declaravit, qua die nona ambo comparuerunt, et super eisdem decem punctis sibi quoque assignatis coram Examinatoribus responsiones suas uterque reddidit, posteaque supradictus Nicolaus de Virgilio unanimi omnium Examinatorum sententia dignior magisque idoneus renunciatus est, ita ut praevia Archiepiscopi institutione Parochialis possessionem deinde apprehenderit, et ulterius ut nullitatibus adversus huiusmodi examen et Concursum per dictum Sacerdotem Laurentium Cappellettum obiectis praecaveret, literas Apostolicas novae provisionis obtinere curaverit. Contendens autem idem Capellettus, examen praedictum nulliter fuisse peractum, nedum quia non una, sed duplici sessione completum fuerat, verum etiam quia inter Examinatores aliqui non synodales adstitissent, Sacrae Congregationi supplicavit, ut acta dicti Concursus transmitti mandaret, et deinde statuere dignaretur quidquid iuris esse censeret. Mandante itaque Sacra Congregatione, Archiepiscopus eadem acta transmisit, ex quibus omnia superius exposita confirmatur –.

298. Propositis hinc dubiis: – An examen et collatio curae Archipresbiteralis, de qua agitur, sustineatur? *Et quatenus Negative.* II. An fuerit sanatum per literas Apostolicas novae provisionis a Sanctissimo Domino Nostro reportatas, sive potius sit locus novo examini coram alio Episcopo in casu etc. –. Sacra Congregatio respondit: – Ad primum,

Negative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Lancianen. Concursus die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

299. Imo Concursus renunciatur validus, etiamsi inter sex Examinatores in Synodo electos tres recenseantur electi auctoritate Sacrae Congregationis, ac etiamsi Concursus haberi valeat cum tribus praefatis Examinatoribus in Synodo electis *in Cassanen. Concursus die 16 Decembris 1719 et die 11 Maii 1720.*

300. Enimvero, expleto Concursu pro Vicaria perpetua SS. Annunciationis coram Vicario Generali, qui erat etiam Examinator Synodalis, et coram sex aliis Examinatoribus, quorum tres fuerunt in Synodo electi, aliique tres munus exercebant ex facultate Sacrae Congregationis, Sacerdos Ioseph de Candia unus ex quatuor Concurrentibus nullum illum esse contendit, quia ipse appellationem interposuerat ab interventu trium illorum Examinatorum, qui non fuerant in Synodo, sed ex facultate Sacrae Congregationis electi, utpote sibimet rationabiliter suspectorum, et quia cum tres ad minus adessent Examinatores in Synodo electi, coram quibus poterat haberi Concursus, et tres Examinatores ad effectum, de quo agebatur, sufficerent iuxta cap. 18 sess. 24 de reformatione. Excepit e contra Sacerdos Ioannes Baptista Sifandi praeelectus, Concilium Tridentinum statuisse quidem Concursum esse faciendum coram Examinatoribus non paucioribus, quam tribus, sed id nullatenus impedire, quin Concursus haberi valeret coram pluribus, quam tribus Examinatoribus, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis impressam apud Garziam de Benef. part. 9 cap. 2 n. 53. Et in eo quod attinebat ad Examinatores, auctoritate Sacrae Congregationis deputatos, subdidit, sex ad minus esse singulis annis in Diaecesana Synodo eligendos, iuxta Cap. 18 sess. 24 de reformatione, eosdemque exercere posse suum officium usque ad novam Synodum, licet anno non convocetur, dummodo tamen post annum ex electis in Synodo sex ad minus supersint, quod si transacto anno quatuor aut quinque tantum ex electis in Synodo supersint, superstites officium suum valide exercere non possunt, sed aut nova Synodus est celebranda et in ea Examinatores Synodales sunt eligendi, aut ab Sacra Congregatione facultas est obtinenda, ut Episcopus uti possit superstites, vel alios valeat in locum demortuorum subrogare, et illis uti una cum superstitibus, iuxta praxim relatam apud Monacellium in form. leg. tom 4 p. 6 n. 21 concludendo, quod sic res habuerat in casu praesenti, et consequenter quod Concursus erat validus.

301. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de validitate Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Cassanen Concursus die 16 Decembris 1719.*

302. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 16 decembris 1719? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius – *in Cassanen. Concursus die 11 Maii 1720.*

303. Amplia, validus pariter declaratur Concursus habitus coram tribus Examinatoribus, quorum duo erant supranumerarii et subsidiarie electi vigore facultatis obtentae a Sacra Congregatione, non adhibitis aliis in Synodo electis et non impeditis *in Hydruntina Concursus die 2 Ianuarii 1696 lib. 46 Decretorum.*

304. Quin imo Sacra Congregatio respondit, validum esse Concursum habitum coram quatuor Examinatoribus, quorum duo erant de electis in Synodo de anno 1677 celebrata, alii duo in congressu annuo, qui ex consuetudine celebrabatur in die S. Stephani in Cathedrali, praesentibus Episcopo, Vicariis Foraneis, Parochis universoque Clero Diaecesis *in Concordien. Concursus die 8 Maii 1694 lib. 44 Decretorum.*

305. At nullus est Concursus, si cum Examinatoribus Synodalibus, alii non Synodales adhibentur *in Aesina Nullitatis Concursus die 25 Maii 1641 lib. 16 Decretorum pag. 521.*

Item *in Messanen die 24 Maii 1642 lib. 17 Decretorum pag. 54.*

306. Hinc et nullus renunciatur Concursus habitus coram Episcopo et in quo Vicarius Generalis votum habuit, licet non esset Examinator, aliique Examinatores non fuerunt de electis in Synodo, sed ab Episcopo post annum a Synodi celebratione *in Sypuntina*

Concursus die 14 Februarii 1693 lib. 43 Decretorum.

307. Nullus hinc est Concursus habitus non coram Examinatoribus Synodalibus, sed aliis ab Episcopo deputatis, et Parochialis vacantis collatio est devoluta ad Sedem Apostolicam *in Placentina lib. 2 Decretorum pag. 253*; Item *in Aesina Concursus die 25 Maii 1641 lib. 16 Decretorum pag. 521; in Caeseraugustana die 23 Augusti 1653 lib. 19 Decretorum pag. 272.*

308. Invalidus etiam est Concursus habitus coram Examinatoribus electis in ultima Synodo et elapso iam anno ab eiusdem celebratione, si non sunt numero sex *in Monopolitana die 13 Iulii 1630.*

Item *in Tornacen die 24 Ianuarii 1632 lib. 14 Decretorum pag. 307 et 567; in Umbriaticen. die 4 Septembris 1655 lib. 19 Decretorum pag. 514.*

309. Similiter invalidus est Concursus, deputatis in Synodo quinque tantum Examinatoribus, et habitus est coram tribus ex eis ante lapsum anni a Synodo celebrata *in Umbriaticen. die 4 Septembris 1655 lib. 19 Decretorum pag. 514.*

310. Quin imo nullum est examen factum coram uno vel duobus Examinatoribus, praesente Episcopo vel eius Vicario, vel coram tribus imo etiam sex Examinatoribus, sed absque Ordinario vel eius Vicario *in Caurien. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 111.*

311. Nullum hinc dubium, quin etiam nullus sit Concursus habitus a Vicario Capitulari, Sede vacante, absque Examinatoribus Synodalibus *in Umbriaticen. die 4 Septembris 1655 lib. 19 Decretorum pag. 514.*

312. Ceterum praevia Sacrae Congregationis sententia, iusta intercedente causa, quandoque convalidantur a Summo Pontifice Concursus habiti absque Examinatoribus Synodalibus *in Sabinen. die 13 Ianuarii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 6.*

Item *in Theatina die 15 Novembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 181.*

313. Qua de re multo magis Sacra Congregatio permisit, ut approbatus in Concursu, in quo interfuerunt duo Examinatores in Synodo deputati et alter deputatus ab Episcopo extra Synodum, legitime impeditis vel absentibus aliis Examinatoribus in Synodo deputatis, iuste ac merito possideret Beneficium obtentum *in Zamoren. anno 1587 lib. 5 Decretorum pag. 86.*

314. Unde si publicum eo tempore, quo habitus est Concursus, vigeret impedimentum postulandi ab Sacra Congregatione confirmationem Examinatorum extra Synodum, validus ille ac respectiva collatio Parochialis substineri videtur; quoties enim forma ad actus validitatem per ecclesiasticas leges praescripta servari nequit, actum minime vitiat eius omissio, sed sufficit adimplementum praestari ex ea saltem parte, cuius servandae potestas sit, ut docent in specie Concursus Parisius de resignat. Benef. lib. 7 quaest. 5 n. 19, Rota apud Garciam de Benef. part. 9 cap. 2 n. 87 et 94, et in Recent. decis. 437 n. 7 part. 4 tom. 2 *in Visen. Parochialis die 9 Augusti 1732* §. *Porro.*

315. Quin imo cum Concursus fuerit habitus coram iis, qui nihilominus palam habebantur pro Examinatoribus rite electis ac tali munere publice fungebantur, licet tales non sint, vitiari tamen non videtur Concursus; nam communis error cum titulo colorato coniunctus satis Concurrenti suffragari potest ad evitandam subreptionem et nullitatem collationis Paraeciae a Sede Apostolica ei factae, tamquam approbato in Concursu, ut in affinibus terminis iudicavit Rota in Hortana Parochialis decis. 267 n. 4 tom. 1 coram Molines, cuius etiam meminit Ansaldus in annot. ad decisionem 62 n. 34 *in Visen. Parochialis die 9 Augusti 1732* §. *Praeterea.*

316. Ceterum praedicta decisio 267 coram Molines ad rem non facere videtur; Examinatores enim, coram quibus habitus fuerat Concursus, re ipsa erant Synodales et communiter existimabantur tales, sed dubitabatur, an quoad aliquos expirasset eorum deputatio in Synodo facta; quo vero ad alios, an substineretur deputatio, quam eadem Synodus fecerat de Vicario Generali pro tempore, vel de Religiosis pollentibus certis conditionibus. Quamobrem narrationem a nota falsi immunem censuit Rota, et nihilominus addidit quoque, collationem potuisse substineri ex vi adiectae clausulae – sive praemisso, sive alio quovis modo vacantem –, quae collationem corroborat, ubi narrativa saltem de facto vera sit. Ceterum clausula ista nihil valere

ad effectum, de quo agitur, videtur, ceu ad rem Rota in decis. 561 n. 84 coram Bichio; et communem errorem non suffragari ob Decretum irritans, quod circa collationem Ecclesiarum Parochialium addit S. Concilium Tridentinum, si norma ab eo praescripta non servetur, probat Rota in decis. 479 n. 14 coram Buratto *in Visen. Parochialis die 9 Augusti 1732* §. *Quinto*.

317. Considerandum insuper videtur id, quod alias ab Sacra Congregatione resolutum in una Patavina fuisse testatur Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 85 his verbis: – In una Patavina Sacra Congregatio censuit, quod Episcopus, qui non constituit Examinatores in Synodo, sed ex se ipso deputavit, vel quia priores erant mortui, vel quia nulla aderat facultas congregandi Synodum, nempe propter pestem, nulliter providet de Parochialibus, licet quandoque Summus Pontifex mandaverit, istos tolerari, iniungendo, ut quamprimum, facta Synodo, novi eligantur Examinatores, et quod provisi per Concursum cum Examinatoribus, ab Episcopo solo deputatis, novas provisiones impetrent, vel denuo legitime examinati et approbati ab Episcopo de iisdem Parochialibus provideantur, si in mensibus Ordinariis vacaverint –; idemque tradunt Barbosa ad Concil. Trid. Cap. 18 sess. 24 n. 101 et de Paroch. Cap. 2 n. 69, Pax Iordan. in Lucubrat. tom. 2 lib. 10 tit. 8 n. 147 *in Visen. Parochialis die 9 Augusti 1732* §. *Postremo*.

318. Cum vero probetur, Examinatores fuisse revera Synodales, seu ab Ordinario electos ex auctoritate Sacrae Congregationis, ne dubium quidem, quod collatio Parochialis ei facta, qui ab illis fuerit approbatus sit valida, quin locus sit impetrationi alterius *in Visen. Parochialis die 18 Aprilis 1733*.

319. Siquidem Sede Episcopali iam inde a duodecim annis vacante, cum in annum 1729 incidisset vacatio Ecclesiae Parochialis S. Mariae de Canas, cuius collatio reservata erat Sedi Apostolicae, habitus tunc fuit coram Examinatoribus Concursus, quo fuit approbatus Ioseph de Almeyda, eiusque favore Literae Apostolicae provisionis fuerunt expeditae. At inde eamdem Parochialem a Dataria impetravit Emmanuel de Azevedo de Lacerda ob eam causam, quod collatio antea facta praedicto Iosepho subreptionis vitio infecta esset, propter Concursum vere non factum coram Examinatoribus Synodalibus. Iosephus vero ex testimonio Capituli Cathedralis et Vicarii Capitularis probavit, praefatos Examinatores fuisse vere Synodales, seu ab ipso Vicario Capitulari electos ex potestate eidem facta ab Sacra Congregatione. Proposito hinc dubio: – An sustineatur provisio Apostolica per Iosephum de Almeyda obtenta de Ecclesia Parochiali S. Mariae de Canas, vel potius sit locus impetrationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: -Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Visen. Parochialis die 18 Aprilis 1733*.

320. Validus pariter est Concursus habitus coram Examinatoribus Synodalibus non Magistris seu Doctoribus aut Licentiatis in Theologia aut Iure canonico *in Turritana die 24 Martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 60*.

321. Hinc et validus censetur ac est Concursus, licet Examinatores nullum fecerint verbum de aetate prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, sed implicite tamen et generaliter de qualitatibus Concurrentium ad vacantem Ecclesiam opportunis retulerint, ac etiamsi iidem cuncta non dederint suffragia *in Monopolitana Concursus die 28 Aprilis 1759*.

322. Iamvero inter Concurrentes ad vacantem Ecclesiam SS. Petri et Pauli recensebantur Dominicus Manfredi et Franciscus Zaccaria. At Dominicus Manfredi ab Examinatoribus Pro-Synodalibus – fuit approbatus quoad doctrinam cum suffragiis decem affirmativis, sex negativis; quoad mores fuit unanimiter approbatus cum omnibus votis affirmativis, et quoad habilitatem approbatus cum septem suffragiis affirmativis et septem negativis –: Franciscus Paulus Zaccaria – fuit approbatus quoad doctrinam cum tredecim votis affirmativis et tribus negativis; quoad mores fuit approbatus unanimiter cum omnibus votis affirmativis, et quoad habilitatem etiam unanimiter fuit approbatus cum omnibus votis affimativis –. Episcopus elegit Zaccariam, Dominicus Manfredi appellavit ac nullum edixit Concursum, cum Examinatores nullum verbum fecissent de aetate prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam guber-

nandam opportunis, quin satis esset implicita relatio. Addidit Manfredus aliam nullitatem ex defectu suffragiorum, quae sexdecim esse debebant, et tamen data fuerant quatuordecim. Idcirco novum Concursum aut in Urbe aut coram Metropolitano esse habendum sustinuit. Contra haec disputavit Zaccaria, validum fuisse Concursum, neque eorum officium Examinatores excessisse, quia satis est, eos implicite et generaliter de qualitatibus Concurrentium ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis referre; deficientem suffragiorum numerum non facere, ut nullus dicendus esset Concursus, cum arbitrio Examinatorum sit, quot velint suffragia cuique dare ex eorum iudicio, quod ex qualitatibus Concurrentium fit.

323. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de nullitate Concursus ac de mala relatione Examinatorum, ita ut sit deveniendum ad novum Concursum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Monopolitana Concursus die 28 Aprilis 1759.*

324. Idcirco multo minus Concursus fieri potest nullus, ex eo quod Examinatores electi fuerint in Synodo Diaecesana, quae una die expedita fuerat *in Marturanen. Parochialis die 22 Ianuarii et die 12 Martii 1757.*

325. Siquidem in Concursu habito pro Ecclesia Parochiali Terrae Mottae praelati ceteris fuerunt Bonaventura Funatus et Rochus Santangeli. At Sacerdotes Sacco et Notarianna, qui longe minora puncta obtinuerant, nullum edixerunt Concursum. Contra Santangeli, quem uti digniorem Episcopus elegit, validitatem Concursus substinuit. Nam neque in facto neque in iure subsistebat, quod Examinatores non fuissent in Synodo electi. Unde reiecit etiam nullitatem Synodi, quam duo Sacerdotes contradictores praetendebant, quia una die Synodus expedita fuerat. Cum res sit de Synodo, quae quotannis certa die agitur, et de parva Diaecesi, mirum non erat, Synodum una die expediri, neque ob id nulla dici poterat. His itaque perpensis, proposito dubio:– I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Marturanen. Parochialis die 22 Ianuarii 1757.*

326. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Marturanen. Parochialis die 12 Martii 1757.*

327. Nec nullus censeri potest Concursus, ex eo quod, absente Episcopo, solus Vicarius Generalis eidem interfuerit, et Examinatores Synodales electi quidem fuerint in postrema Synodo Diaecesana, sed eadem suspensa adhuc esset ex difficultatibus adversus illius Constitutiones excitatis, quae tamen nullatenus pertingebant electionem Examinatorum Synodalium *in Isclana Parochialis die 23 Iulii 1718.*

328. Siquidem Sacerdos Thomas Morgioni reiectus in Concursu habito occasione collationis Parochialis S. Spiritus Suburbii Celsae in Civitate Isclana, appellatione interposita post decendium, contendit, Concursum non fuisse validum, quia examen factum fuerat a solo Vicario, cum Episcopus esset absens, et non ab Examinatoribus Synodalibus; nam Concursui interfuerant tres Sacerdotes, qui tales non erant. At Sacerdos Boncore, qui fuit praeelectus, validitatem Concursus sustinuit, quia in eo Vicarius quaesita proposuit et Examinatores suum officium expleverunt in interrogationibus et in scrutinio responsionum, iuxta antiquam praxim Diaecesis Isclanae, et quia impugnari non poterat qualitas Examinatorum Synodalium, cum Sacerdos Morgionus illorum examini se subiecerit, et cum electi in Synodo Diaecesana, quae licet suspensa fuerit et suam executionem eo usque adhuc non habuerit, id tamen processit ex difficultatibus, quae fuerunt excitatae adversus Constitutiones in illa Synodo editas, quod nihil habebat commune cum electione Examinatorum. His utrinque perpensis proposito dubio:–I. An constet de validitate Concursus?–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative – *in Isclana Parochialis die 23 Iulii 1718.*

329. Unde nequit sane Vicarius Generalis exercere munus Examinatoris Synodalis, nisi proprio expresso nomine ad illud deputetur, cum nequeat inesse exercenti huiusmodi Officium, sed attenta antiqua consuetudine et praxi nec non bona fide Sacra Congregatio Concursum sanavit ad cauthelam, licet Examinatores Synodales intra doctrinae limites

tantum sese continuerint *in Policastren. Parochialis die 18 Decembris 1745 et die 28 Maii 1746.*

329. Iamvero in Concursu indicto ad Ecclesiam Parochialem Lacus Liberi praelatus fuit Xaverius Turturella, reiecto uti parum idoneo Gallotto Gallotio, qui nullum praefatum Concursum renunciavit, quia numerus trium Examinatorum a Tridentino praefinitus defuerat, nam ultra duos loco Synodalium electos ab Episcopo, facultate illi data ab Sacra Congregatione, adfuerat Vicarius Generalis, qui munus officiumque Examinatoris gerere non poterat, quod electus ab Episcopo non fuisset, et licet in ultima Synodo habita anno 1675 destinatus fuisset in Examinatorem Synodalem Vicarius Generalis pro tempore, nullum tamen ius ab hac destinatione accipere potuisse praesentem Vicarium Generalem, quod explorati iuris sit, electiones hasce fieri debere individua certarum personarum nominatione, non vero generali Dignitatis alicuius nomine, cum evenire possit, ut, qui dignitate praestat, nec scientia tamen nec morum probitate praecellat, quae duo necessaria sunt in Examinatoribus Synodalibus, ut uno consensu tradunt Pontificii Iuris Interpretes, et pluries etiam Sacra Congregatio, ut est apud Garziam de Benef. part. 9 Cap. 2 n. 334, Barbosam ad Concil. sess. 24 cap. 18 n. 86, et de Paroch. part. 1 cap. 2 n. 56, Massobr. in prax haben. Concurs. requisit. 11 dub. 3 n. 2 et 5 cum aliis per Rotam coram Molin. decis. 267 n. 2 vol. 1, et in specie de Vicario Generali apud Nicol. in Lucubr. iur. can. vol. 1 litt. C tit. 18 de concess. Praeben. Accedebat insuper, quod Examinatores intra doctrinae limites sese continuerunt, nullum vero de moribus aliisque, quae ad Rectorem idoneum Ecclesiae constituendum necessaria sunt, iudicium dederunt, qui defectus nullitatem facit Concursus, ut, aliis omissis, tradit Massobr. in prax. haben. Concurs. requisit. 7 dub. 1 n. 2. Adversus haec Xaverius Turturella sustinuit, munus officiumque Vicarii Generalis secumferre praesumptionem scientiae bonorumque morum, quae in Examinatoribus sunt necessaria; ideoque validam censendam esse nominationem in persona Vicarii Generalis pro tempore tradunt plures Doctores. Accedebat bona fides nec non antiqua consuetudo et praxis, quae saltem locum faciebat sanationi, quam postulavit Turturella.

330. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus Ecclesiae Parochialis Lacus Liberi in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An supplicatio Sacerdotis de Gallottis sit relaxanda, seu potius sit locus sanationi?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, locum esse sanationi ad cauthelam; et ad mentem (1) – *in Policastren. Parochialis die 18 Decembris 1745.*

331. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Policastren. Parochialis die 28 Maii 1746.*

332. Compertum tamen est, cogendos non esse Presbiteros Concurrentes sistere se coram Examinatoribus, quos iuste in suspectos allegaverint *in Lucerina Concursus die 26 Novembris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 724.* Item *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739* §. *In* (2)

333. Quum autem unus ex Concurrentibus allegaverit suspectum Episcopum cum Notario, et Episcopus mandaverit Notario, ut traderet Instanti listam omnium Examinatorum ad effectum eligendi sibi benevisos, eidemque facultatem fecerit deligendi quemlibet Notarium, sed praefatus Concurrens replicaverit, esse citandum ad tradendam listam Examinatorum confidentium, Episcopus vero edixerit, ut procederetur ad ulteriora, Concursus inde rite expletus validus omnino renunciatur, quin ullatenus sit locus novo Concursui *in Adiacen. Concursus die 12 Aprilis 1710 lib. 60 Decretorum.*

334. Siquidem – vacante per obitum ultimi possessoris Ecclesia Parochiali sub titulo

(1) Benedictus XIV in lib. 4 Cap. 7 n. 5 de Synod. Diaecesana testatur, quod Sacra Congregatio – Concursum convalidavit ad cauthelam, sed simul scribendum dixit Episcopo, Vicarium Generalem non posse deinceps Synodalis Examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputetur –.

(2) Massobr. in prax. haben. Concurs. ad Parochial. requisit. 5, dub. 3, n. 1; Gonzalez ad Regul. Cancell. 3, gloss. 9, §. 1, n. 186; Pax Iordan. de Re Benef. lib. 10, tit. 8, n. 190, tom. 3.

SS. Cosmae et Damiani loci nuncupati *Sartenis*, Episcopus de mense septembris 1707 promulgavit Edictum Concursus; eiusque termino pendente, Augustinus Fozanus Canonicus Ecclesiae Cathedralis Adiacensis ad examen accedere satagens quamdam in scriptis comparitionem exhibuit in Curia Episcopali, in qua sub narrativa aversionis in ipsum eiusdem Episcopi et nimiam propensionem in Canonicum Caccionum alium concurrentem, eum suspectum allegavit una cum Notario, instans dari listam Confidentium et Diffidentium pro electione alterius Iudicis, qui examini praesideret, nec non pro deputatione Notarii, atque pro concordatione Examinatorum Synodalium, inter quos pro tunc nominavit dumtaxat suspectum quemdam Violam. Huiusmodi instantiae adhaesit Episcopus mandans Notario, ut traderet Instanti listam omnium Examinatorum, qui tunc septem erant in Civitate praesentes, ad effectum eligendi sibi benevisos, eidemque facultatem fecit pariter deligendi Notarium. Hoc autem Decreto notificato, Fozanus replicavit, esse citandum ad tradendam listam Examinatorum Confidentium. Qua quidem instantia neglecta, Episcopus, relicto Viola allegato nominatim suspecto a Fozano nec non alio Examinatore etiam recusato ab eius oppositore, designavit reliquos quinque Examinatores, mandavitque procedi ad ulteriora in Concursu. Quinque fuerunt Concurrentes, qui examinati coram Vicario Generali alioque Notario deputato, eorum quilibet omnia vota favorabilia reportavit, ac Episcopus inter eosdem magis dignum diiudicavit Canonicum Iosephum Caccionum, cuius favore testimoniales literas ad Datarium direxit. Exinde Fozanus protestatus fuit de nullitate Concursus, adiitque Emum Pro-Datarium, qui Causam definiendam reiecit ad hanc Sacram Congregationem, in qua transmisit acta ipsius Concursus -.

336. Proposito itaque dubio: - An sit locus novo Concursui in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius non esse molestandum Caccionum; et ad mentem - *in Adiacen. Concursus die 12 Aprilis 1710 lib. 60 Decretorun.*

337. At probata praxis est, ut Concursus ad plures Parochiales vacantes indictus uno examine expleatur *in Patavina Parochialis die 27 Ianuarii 1855 §, Praxis.*

338. Iamvero de casu, quo uno eodemque tempore plures contingat vacare Paraecias, quoad omnes quidem indicendus est Concursus, praevia affixione distinctorum Edictorum pro unaquaque Ecclesia, non tamen Episcopus teneatur separata peragere examina, sed Concursus absolvere possit unico Concurrentium examine, actum fuit a Sacra Rota in Causa Maior. Parochialis de Menacor, ut ex decisionibus proditis die 12 iulii 1708 §. Utraque coram Omanna, et 22 februarii 1709 §. Discursus coram Aldrovando, quae reassumptae confirmataeque fuerunt coram Molino, ut ex decisione 1183; quia finis et ratio, propter quam Concilium requirit examen, est ut Ecclesia a dignis et idoneis Parochis gubernetur, quia nulla lege nullaque Pontificia Constitutione Episcopis vetitum legitur, ne unico examine duplicem Concursum pro duabus Ecclesiis Parochialibus absolvere possit, et eodem examine Oppositores pro pluribus Parochialibus Ecclesiis examinare et approbare: quoties enim Episcopus una cum Examinatoribus Synodalibus plures examinant Oppositores pro pluribus Ecclesiis Parochialibus vacantibus, tunc licet examen dici possit unum materialiter, est tamen duplex formaliter, utpote expletum pro duplici Ecclesia Parochiali, uti habetur ex dicta decisione 1183 n. 3 et 4 coram Molino *in Tridentina die 6 maii 1775 §. De casu.*

339. Nec, ut prosequitur eadem decisio n. 5 et 6, huic rei obstat sive dispositio Sacri Concilii Tridentini cap. 18 sess. 24 de reformatione, ibi enim solum decernitur, ut, adveniente vacatione Parochialis Ecclesiae, Episcopus cum tribus Examinatoribus Synodalibus examen faciat, ut, succedente alia vacatione, in novo certamine peragendo, aut eosdem aut alios tres Examinatores, quos maluerit, ex Synodalibus tamen, eligere possit, nullo tamen modo mandat, ut in contemporanea plurium Ecclesiarum vacatione plura etiam et diversa examina fieri debeant; sive Constitutio Piana, siquidem in ea nec verbum quidem est de pluralitate examinis in contemporanea vacatione plurium Parochialium, quemadmodum etiam de hoc nihil cavetur in

novissima Constitutione s. m. Benedicti XIV incipien. *Cum illud:* non relevante, quod approbatus ad Concursum ad unam Ecclesiam Parochialem dici non possit approbatus ad aliam, quia hoc procederet, uti subdit eadem decisio, quoties Concursus fuisset indictus pro una Ecclesia Parochiali et fuissent etiam approbati pro alia Ecclesia Parochiali, quia tunc verificaretur, quod examinatus et approbatus ad unam Ecclesiam Parochialem, pro qua non fuit neque examinatus neque approbatus, nulliter et invalide praeelectus fuisset, secus tamen est, quando Oppositores fuerunt examinati et respective approbati pro utraque Ecclesia Parochiali, licet unico examine; finis enim et ratio, propter quam sacrum Concilium Tridentinum et Pontificiae Constitutiones requirunt examen, est, ut Ecclesia a dignis et idoneis Parochis gubernetur; cum autem Episcopus de maiori vel minori idoneitate et habilitate Concurrentium ad omnes Parochiales eodem tempore vacantes recte valeat se cautiorem reddere iudiciumque efformare sine minima laesione Conciliaris dispositionis mediante unico examine, hinc est, ut, adimpleto primario fine per Concilium volito, nihil de materialitate plurium examinum literaliter non requisitorum in simultanea plurium Ecclesiarum vacatione curandum sit, uti probat Fargna de iurepatronatus part. 5 can. 10 cas. 1 n. 18, et concludit superius adducta decisio coram Molino *in Tridentina die 6 Maii 1775* §. *Quin.*

340. Haec vero, quae locum habent in casu, in quo pro duabus Parochialibus vacantibus sat est, si unicus indicatur Concursus unicumque habeatur examen, si modo nominatim pro utriusque provisione praemissa sunt Edicta, ponderandum, an ex identitate rationis locum etiam vindicent etiam in casu, in quo una tantum vacat Parochialis et alterius vacatio per promotionem seu translationem Rectoris futura est omnino incerta atque eventualis, an huic rei provideatur cauthela exprimendi in Edictis, quod – indictus Concursus adhibebitur etiam in casu pro Parochia vacatura –: et quid censendum, si forte plurium Rectorum translatio et aeque plurium Parochialium consectaria vacatio eveniet; vel denique cum nihil contra cautum legatur, vel a Sacro Concilio, vel a Constitutionibus Apostolicis, urgentibus rationibus evitandi praesertim sumptus atque incommoda Candidatorum, denique ingentis numeri eorumdem, qui confluunt ad Concursus, iusta sit causa, ut aliquid relaxetur de praxi reiterandi Concursus et examina, quod ad meram formalitatem pertinet, ceu ad rem Pignatellius consult. 2 n. 35 tom. 1, dummodo idem sequatur effectus excludendi a regimine animarum minus idoneos, quo nil est, quod magis officiat Ecclesiae Dei, ut ex Innocentio III in Cap. *Nihil est* de electione, Cap. *Cum sit ars artium* de aetate et qualitate, et Alexandro III in Cap. *Cum re* eodem titulo, atque admittendi tantummodo idoneos probatosque viros, qui – se totos Ovibus pascendis exponant Pastoris opere et nomine gloriantes, nil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti Ovium obviare putarent, non quaerentes, quae sua sunt, sed impendentes –, ut ait S. Bernardus lib. 4 Consid. Cap. 2 *in Tridentina die 6 Maii 1775* §. *Haec.*

341. Siquidem Episcopus Tridentinus exposuit: – Ut primum Concilii publicatio hac in Urbe secuta est, constantissima in Tridentina Curia consuetudo invaluit conferendi per Concursus vacantes Parochiales Ecclesias ad normam praesertim a citato Concilio et a fel. rec. Benedicto XIV, proponendo nimirum Candidatos aliquot conscientiae casus, ex quorum discussione cuiusdam Evangelii textus ad Parochialis orationis contextum rite apteque intra aliquot horarum spatium in scriptis elucubrandum tutius experimentum Candidatorum habilitatis circa animarum procurationem haberi possit. Ad huiusmodi Concursus ex universa, qua late patet, Diaecesi, atque adeo ex remotissimis Pagis ad quadraginta semper et quinquaginta Sacerdotes magno ubique sumptu confluunt, neque extat memoria, qua Sacerdos aliquis primo alterove tentamine voti compos factus, potissimum namque praestantium Candidatorum meritum in maiori Concursuum numero nititur, quibus Episcopi Tridentini praesunt, ut facilius opportuniores dignoscant, Paraeciisque vacantibus melius et utilius provideatur. Cum tamen interdum eveniat, ut deceat Tridentinum Episcopum, ob gravissimas ecclesiasticas publicasque causas, E. S. Paraeciam conferre Candidato alias de alte-

ra Ecclesia Parochiali proviso, adeo ut per eiusdem promotionem provisi vacet Ecclesia, opusque foret convocatione novi Concursus. Hinc maximopere a vobis EE. PP. etiam atque etiam peto quaeroque facultatem, ut mihi meisque Successoribus concedatis, ut uno eodemque contextu tam prior, quam posterior Parochialis Ecclesia, quae ob promotionem alicuius Candidati iam Parochi, ad novam, vacaret, provideri possit –. Postulationis suae rationes has proposuit: – Quia in hac mea Diaecesi uno eodemque tempore decem Parochiae vacarent, omnes penitus Candidati, non particulariter ad Paraeciam determinatam A, vel B, sed ad omnes generaliter contendunt. Vigore huius auctoritatis haec Curia Episcopalis Tridentina, quotiescumque se dabit occasio, publicis in monitoriis, quae Ecclesiarum valvis propter indictionem Concursuum affigi solent, specialem declarationem hanc inserat, quod indictus Concursus adhibebitur in casu etiam pro Parochia vacatura, quando ad vacantem, ut supra dictum est, translatio fieret actualis Parochi. Si res ex mea sententia conficiatur, et Candidatorum sumptui incommodisque EE. PP. parcetis, meque ipsum molestia et solicitudine, quam ex eadem re capio gravissimam, omnino liberetis –.

342. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo petitioni Episcopi sit annuendum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Scribatur Episcopo ad mentem – *in Tridentina die 17 Iunii 1775.*

343. Indubitati autem iuris est, Concursum ob spretam Concilii Tridentini sess. 24 cap. 18 formam nullitatis vitio laborare, ac proinde Parochiae collationem ad S. Sedem devolvi, ceu tradit Pignatellius tom. 1 cons. 1 n. 41, et receptum est apud S. Rotam in Monopolitana Praebendæ Theologalis 27 iunii et 5 decembris 1755 coram Stadion, et constans fuit S. Congregationis disciplina *in S. Marci et Bisiniani Concursus die 22 Iulii 1850* §. *Indubitati.*

344. Hinc Sacra Congregatio censuit, Concursum nullum propter non servatam formam a Concilio praescriptam non esse repetendum coram viciniore *in Melphien. Concursus die 22 Septembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

345. Ceterum Constitutio Benedicti XIII, incipien. *Pastoralis Officii,* novam formam introduxit in collatione Theologalis voluitque, ut conferri debeat magis idoneo in formali Concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur *in Casertana Concursus die 17 Decembris 1729* §. *Eadem.*

346. Attamen Concursus in Parochialibus differt a Concursu in Theologalibus, quia in primo ad normam Concilii Tridentini sess. 24 cap. 18 de reformatione requiritur, quod fiat coram Episcopo vel eius Vicario Generali et coram Examinatoribus Synodalibus non paucioribus, quam tribus, absque interventu alterius Examinatoris non Synodalis sub poena nullitatis, ut pluries declaravit Sacra Congregatio, teste etiam Massobr. requisit. 13 dub. 1 et Barbos. ad sess. 24 cap. 18 n. 74, et de Paroch. part. 1 cap. 2 n. 52; et quod iidem Examinatores iurent de fideliter munus exercendo, quacumque humana affectione postposita, iuxta alias resolutiones relatas etiam per Massobr. requis. 14 dub. 1 et 2, Barbos. dicto cap. 2 n. 76, et Card. De Luca de Paroch. disc. 2 n. 4, quamvis non sit necesse, ut iuramentum praestetur in quolibet examine, sed satis sit iuramentum generale publice praestitum in Synodo, ubi fuerunt electi, ut tenent Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 359, et Lotterius de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 94 et 95: in Concursu vero ad Theologales iuxta formam praescriptam in dicta Constitutione *Pastoralis* sufficit, quod ille fiat – coram Episcopo et quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis, in Theologali tamen facultate licentiatis et valde peritis, sive Secularibus, sive Regularibus –, ut sunt verba eiusdem Constitutionis, in qua nullum expresse exigitur iuramentum a praedictis Examinatoribus praestandum *in Casertana Concursus die 17 Decembris 1729* §. *Attamen.*

347. Quamvis enim Constitutio *Pastoralis* Benedicti XIII collationem Canonicatus Theologalis et Poenitentialis exaequet collationi Parochialis Ecclesiae, nihil tamen statuit circa modum explendi Concursum *in Alerien. Canonicatus Poenitentiarii die 19 Aprilis 1777* §. *Tuetur.*

348. Unde quidquid sit de dispositione Epistolae Encyclicae Sacrae Congregationis pro

Paraeciarum Concursibus editae anno 1721, haec sicut et ceterae pro Paraeciis dispositiones locum minime sibi vindicant in Concursu Praebendae Theologalis; tum quod pro Paraeciis eas omnes editas, iustum est, ad Paraecias dumtaxat arctari, eo vel magis quia de Constitutionibus pro Paraeciarum collatione exaratis nunquam mentio exciderit in Constitutione *Pastoralis* pro Theologali et Poenitentiaria conferendis elucubrata; tum quod si postremae huius Constitutionis mens et litera penitius inspiciantur, in uno tantum uterque Concursus Paraecialis et Theologalis aequiparantur, scilicet quoad electionem dignioris, minime quoad formam: - ibi - Conferri debeat Doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, et ceteroquin magis idoneo in formali Concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Paraeciales conferuntur -. Et sane si ad alia etiam relatio protraheretur, iam contradictorium omnino esset, quod immediate sequitur, ut scilicet examen habeatur - coram quatuor Examinatoribus -, iisque etiam non Synodalibus, cum notissimum sit, et ex Tridentina Synodo sess. 24 cap. 18 et ex laudatis Apostolicis Decretis circa Paraecias, tres tantum Examinatores pro Paraeciali Concursu sufficere, dummodo tamen fuerint omnino Synodales *in Forolivien. Concursus die 5 Septembris 1846* §. *Principio.*

349. Quod ratio dictat, auctoritate firmatur: etenim ita ratiocinatur hac super re Reclusius de Concurs. part. 1 tit. 3 n. 88; et, ceteris omissis, Rotale Auditorium in magistrali Imolen. Canonicatus Theologalis coram Molino, ipso vivente Benedicto XIII praefatae Constitutionis auctore edita §. 13: - Quod omissa fuit Evangelii explicatio nec non Conciuncula super eo a Concurrentibus fieri solita, optime respondebatur, quod haec requiruntur in Concursibus Parochialium, iuxta formam traditam in Epistola Encyclica S. Congregationis Concilii anno 1721 edita, et a Summo Pontifice feliciter regnante in sua Constitutione 68 tom. 1, sed nullo modo applicantur seu conveniunt, ubi agitur de conferenda Praebenda Theologali, prout adamussim servari in quamplurimis propinquis Diaecesibus concludebant documenta ab Archipresbitero Cosci adducta. Haud officiente, in laudata Constitutione Benedicti XIII peraequatam fuisse formam providendi Praebendas Theologales cum altera conferendi Ecclesias Parochiales, ita ut quemadmodum in istarum Concursu explicari debet Evangelium et exarari Conciuncula, ita oporteat idipsum servari in Concursu Theologalium. Quoniam peraequatio huiusmodi non sit generaliter et indefinite, sed dumtaxat quoad Concurrentium idoneitatem; sicque tenet ex parte eorum, qui providendi sunt, nec afficit Examinatores et formam Concursus - *in Forolivien. Concursus die 5 Septembris 1846* §. *Quod.*

350. Idcirco neminem latet, tam in Concilio Tridentino sess. 24 cap. 18, quam in Constitutione *In conferendis* S. Pii V de Parochiali loquentibus, praescriptum fuisse quidem ineundum Concursum, non autem fuisse praescriptum illius formam et modum, in voce scilicet, vel in scriptis; adeoque validus censetur Concursus pro Poenitentiaria, licet voce expressa, non scriptis fuerit initus *in Alerien. Canonicatus Poenitentiarii die 10 Maii 1777.*

351. Siquidem mense martio 1755 per obitum Canonici Angeli Ioannis Suzzoni vacato in Cathedrali Ecclesia Aleriensi Canonicatu Poenitentiario sub titulo S. Laurinae de Curte et S. Petri de Alexano nuncupato, Aleriensis Antistes Concursum indixit, et ex geminis tantum Concurrentibus ab Examinatoribus Synodalibus verbo tenus examinatis et aeque approbatis praeelegit Sacerdotem Dominicum Giacobbi eiusdem Cathedralis Ecclesiae iam actu Canonicum, etsi Doctorali laurea nondum insignitum, posposuitque Sacerdotem et actu Doctorem Antonium Matra. Haec praeelectio approbata confirmataque fuit a Metropolitano sententia sua, a qua gravatum ulterius se sentiens Matra postulavit, ut novum in Urbe fieret doctrinae periculum, attenta nullitate Concursus, tamquam voce expressa, non scriptis initi, contra formam in conferendis Parochialibus Ecclesiis praescriptam. Proposito vero dubio: - An sustineatur collatio Canonicatus Poenitentiarii in persona Canonici Iacobbi, seu potius sit locus novo examini in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius - *in Alerien. Canonicatus Poenitentiarii die 10 Maii 1777.*

352. Hinc multo minus nullus ac irritus censetur Concursus pro Praebenda Theologali habitus, licet duo vel tres Examinatores doctorali gradu carerent, ac licet iidem Examinatores nonnisi scrutinii acta suo nomine subsignaverint, quin ad formam Encyclicae Sacrae Congregationis anno 1721 editae unumquodque responsum et unusquisque sermo fuerint ab ipsis et Cancellario et Ordinario, qui Concursui interfuerint, subscripti *in Forolivien. Concursus die 5 Septembris 1846 et die 24 Aprilis 1847*.

353. Nam Rota in dicta magistrali Imolen. Canonicatus Theologalis coram Molino, ipso vivente Benedicto XIII Constitutionis *Pastoralis* auctore edita §. 10 et 11 sic disserit: – Quamquam quoad Examinatores extra synodales in Constitutione Benedictina dicatur «in theologali facultate licentiatis et valde peritis», nihilominus cum passim accidat, ut quis sit valde peritus, nec tamen sit licentiatus sive doctorali laurea insignitus, cum scitum unicuique satis sit, ad assequendos hos gradus in publicis etiam Academiis nec multam doctrinam requiri, ut monet Mynsiger etc. Quin imo huiusmodi gradus conferri posse etiam impuberibus demonstrat Rota in celebri Romana seu Firmana. Hinc valde consonum est menti et voluntati Summi Pontificis, ut dum voluit Examinatores esse debere licentiatos et valde peritos, dictionem «et» apposuisse dicatur pro disiunctiva, vel ita ut sufficiat vel esse licentiatos, vel valde peritos; dictio enim praedicta adiecta inter duo, quorum utrumque producit eumdem effectum, semper resolvitur in disiunctivam, ut post Textum etc., proindeque cum summa facultatis Theologalis aliarumque scientiarum peritia in laudatis Examinatoribus cumulatissime concurreret, iam habebant eam praecipuam qualitatem alternatim cum doctoratu a Summo Pontifice requisitam – *in Forolivien. Concursus die 5 Septembris 1846* §. *Post*.

354. Iamvero die 25 Octobris 1843 facto vix Concursu pro Praebenda Theologali Cathedralis Ecclesiae Foroliviensis, cui interfuerunt Eugenius Zavatti Oppidi vulgo *Marsigliano* Parochus et Sacerdotes Angelus Brunetti et Vincentius Masotti, orta quaestio fuit, an Paraeciae sicut et ipsius Civitatis Canonicatus solis civibus conferri deberent, sui muneris esse duxit Episcopus scrutinium differre, et Concursus acta ab unoquoque Concurrente pro sua parte subsignata ac omnino clausa et sigillo Pro-Vicarii Generalis munita, eidem Pro-Vicario tradere custodienda usque ad exitum controversiae, qua tandem Sacrae Congregationis oraculo definita, peractum fuit die 30 septembris anni 1845; placuitque moderno Episcopo, ceteris approbatis, praeferre laudatum Parochum Zavatti, quem ceteris digniorem in Domino iudicaverat. Appellarunt Brunettius et Masottius, Concursus acta nullitatis redarguentes duplici ex capite, scilicet quia duo vel tres Examinatores doctorali gradu carebant, nec forma servata integre fuit ab Encyclicis literis ab Sacra Congregatione editis anno 1721 et a S. M. Clemente XI confirmatis praescripta. Etenim Examinatores nonnisi scrutinii acta suo nomine subsignarunt; adeoque, nullo declarato Concursu, novus indici debebat Concursus: quandoquidem in Encyclica praedicta et a Benedicto XIV relata in Constitutione *Cum illud* praescribitur, ut – unumquodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit atque a Cancellario Concursus, verum etiam ab Examinatoribus et Ordinario, qui Concursui interfuerint, subscribantur –. Neque haec adeo facile contemni posse sustinuerunt, quod in eadem Encyclica clausula apposita fuerit – ut, si quis tamen Ordinariorum aliter ac supra descriptum est Concurrentium examina instituere perrexerit, perget et ipsa Sacra Congregatio more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis praevia probatione, indulgere –. Nec dubium esse contenderunt, quod haec pro Parochialibus praescripta observari deberent pro Praebenda Theologali, cum Benedictus XIII in Constitutione *Pastoralis officii* mandaverit, eam esse conferendam – eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur –. Id ipsum confirmarunt quoad defectum subscriptionis Examinatorum ad evitandas pariter scripturarum, quae in privatas manus incederent, suppositionem, et ad actorum identitatem rite probandam. Accedebat consuetudo ipsius Ecclesiae Foroliviensis, quin imo vel ipsa praxis id ipsum sibi velle videbatur in casu praesentium, ubi

scrutinium factum fuerat, transacto triennio. Quo vero spectabat ad defectum doctorales gradus, attulerunt dispositionem praefatae Benedictinae, qua iubetur examen perfici – coram quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis et deputandis, in Theologali tamen facultate licentiatis et valde peritis–.

355. Contra vero nihili faciendas esse huiusmodi exceptiones propugnavit Zavattius: nam quidquid sit de dispositione Epistolae Encyclicae Sacrae Congregationis pro Paraeciarum Concursibus editae, haec minime sibi locum vindicare sustinuit in Concursu Praebendae Theologalis. Plura siquidem in praefata Constitutione *Pastoralis officii* praestituuntur, quae locum non obtinent in Concursu Parochialium, cum examen pro Theologali et Poenitentiaria fieri debeat – coram quatuor Examinatoribus –, iisque etiam non synodalibus, et – conferri debeant Doctori et ceteroquin magis idoneo in formali Concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur –. Quin imo nec nullitatem id inducere contendit, si leges pro Parochialibus observari deberent: cuique enim legenti Sacrae Congregationis Encyclicas literas evidenter patet, universa, quae circa formam in iis descripta sunt, non per modum praecepti ibidem iniuncta fuisse, sed punctim – ex Sacrae Congregationis sententia suasione et consilio servanda proponuntur –; et non obligantur Ordinarii iis legibus adhaerere, sed solummodo – hortantur –. Nec obesse poterat clausula praefatis Sacrae Congregationis Literis adiecta, de appellatione scilicet accipienda, nulla gravaminis praevia probatione, si aliter ac describitur Concursus habitus fuerit. Etenim ex his nullitas actorum minime descendit, sed id unum sequitur, appellationem super mala relatione Examinatorum vel irrationabili iudicio Episcopi recipi, non probato gravamine; dum contra, si designata forma servata fuerit, appellari non posse, nisi probato gravamine, in superiori periodo indulgebatur. His in iure praemissis, contemnenda esse censuit Zavattius, quae de adversa consuetudine contra disserebantur, cum praesertim in casu fraus de facto non contigisset. De altero demum defectu doctoralis gradus in aliquibus Examinatoribus disserens Zavattus probavit ex doctrina Rotae in Imolen. Canonicatus Theologalis coram Molino ipso vivente Benedicto XIII edita, particulam – *et* – quoad personam Examinatorum interiectam, ut nempe – in Theologali facultate licentiati sint et valde periti – disiunctive prorsus accipiendam fore. Accedebat insuper ipsa praxis universalis omnium Diaecesum, quin Sacra Congregatio unquam obmussitaverit.

356. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Concursus, ita ut sit locus novo Concursui in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Forolivien. Concursus die 5 Septembris 1846*.

357. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Forolivien. Concursus die 24 Aprilis 1847*.

358. At nullus renunciatur Concursus pro officio Poenitentiariae habitus, si tres tantum Examinatores fuerint adhibiti, licet adsit consuetudo Diaecesis ac tacita Datariae Apostolicae approbatio, cum praesertim non satis constet, quod Examinatores examen habuerint de permultis exhibitis aliorum Concurrentium requisitis, ac electus ab Ordinario inquisitus fuisse duobus criminibus videatur *in Tranen. Poenitentiariae die 29 Iulii 1848*.

359. Enimvero anno 1845 vacata Praebenda, cui Poenitentiariae officium inhaerebat, Antonius Di-Renzo Thomas de Lollo et Iacobus Caressa periculo subeundo sese obtulerunt; unde expleto vix periculo, secretum coram Antistite scrutinium habitum est, ac huiusmodi iudicium prodiit: – Perlectis resolutionibus et solutionibus datis unanimi Examinatorum voto Concurrentes approbati sunt. Illustrissimus vero et Reverendissimus Dominus, perspectis eorum meritis et requisitis aetatis idoneitatis vitae aliisque iure praescriptis, censuit ac decrevit approbari admodum Reverendum Dominum Antonium Canonicum Di-Renzo ad obtinendum officium Poenitentiarii ut supra vacatum ad normam illius –. Id gravate ferentes de Lollo et Caressa triduo a Decreti prolatione appellationem interposuit ad Sacram Congregationem, ut nullus pronunciaretur Concursus ex vitio formae; quia scilicet tres tantum adhibiti Examinatores

fuere, quorum unus doctorali vel licentiatus gradu carebat, alteri duo fraterno inter se consanguinitatis vinculo copulabantur, nullus autem eorum Synodalis Examinatoris qualilitate, prout ab Archiepiscopo asserebatur, praeditus, et quia nulla exhibuerat Di-Renzo ad acta requisita, et nullum ab Examinatoribus de permultis exhibitis alioram Concurrentium requisitis habitum examen, nullumque prolatum iudicium fuit, quia dein collatio facta fuerat favore eius, qui pluribus criminibus coinquinatus iure eiusmodi officio inhabilis prorsus erat renunciandus. Vicarius Capitularis, e vivis interim erepto Archipraesule, ad petitionem Di-Renzo inquisitionem instituit ac plures spectabiles Viros examini subiecit, quorum attestationibus innixus Vicarius in sua epistola strenue tuendum sumpsit Canonicum Di-Renzo ac professus est, nonnisi malis artibus et per summam calumniam in discrimen ex adverso adductam fuisse illius vivendi rationem, quam contra undique commendabilem tum ante, tum post susceptum ab eo Poenitentiariae officium affirmavit. At contra afferebatur monumentum Curiae, unde patebat, Di-Renzo fuisse inquisitum duobus criminibus de incontinentia et de usura, atque anno 1838 primo crimine fuisse suspensum a divinis; ex altero crimine confecto iuridico processu fuisse in eum latam sententiam, qua declarabatur, praefatum Di-Renzo foenus exercuisse, ac proinde denuo fuisse a divinis suspensum, damnatumque, ut sancta exercitia perageret in domo religiosa, quae quidem sententia, licet aliquantulum temperata a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, addebatur tamen, – Canonicum Di-Renzo esse monendum, ut se abstineant a similibus –.

360. His itaque in facto positis, de Lollo et Caresse Patrocinator nullitatem Concursus arguit, ex eo quod ab Examinatoribus disquisitio et iudicium nullimode de Concurrentium requisitis habitum fuerat, quae quippe disquisitio si strictim ad Beneficia Parochialia habenda est, eo vel magis in gravissimo Poenitentiarii munere locum habere debebat. Aliam Concursus nullitatem praefatus Patrocinator desumpsit ex defectu quatuor Examinatorum, quin obesset consuetudo Diaecesis adhibendi tres tantum Examinatores, cum Constitutio *Pastoralis officii* munita esset clausula – sublata – et – Decreto irritanti –. Nec obesse poterat, quod anteacti Concursus approbati fuissent a Dataria Apostolica, etiamsi coram tribus Examinatoribus habiti: nam ad vim praefatae Constitutionis tollendam non tacita, sed expressa necessaria erat Summi Pontificis derogatio, quemadmodum oportebat, ut de eiusdem scientia constaret ad rationabilem consuetudinem inducendam. Quin imo licet abusus Tranensis Curiae notus Summo Pontifici fuisset, derogatio afficere ad summum potuisset casus eos, pro quibus ipsa emissa fuit, neutiquam tamen illos complecti, qui adventuri erant, qui a Papa ignorabantur, quive diversitatem circumstantiarum prae se ferebant. Nonnulla demum protulit, ne sanatio, quam defunctus Archipraesul petierat, concederetur, cum praesertim in evidens praeiudicium iuris tertio quaesiti cederet. Contra Orator Canonici Di-Renzo contendit, nec incapacitatem nec indignitatem inesse in persona eiusdem, ne assequi et retinere posset officium Poenitentiarii. Validum autem censuit Concursum, cum teste Archiepiscopalis Curiae Cancellario quinquaginta ferme abillinc annis tres Examinatores fuissent adhibiti, quin obesset clausula – sublata –; nam non praesumpta, sed expressa Pontificis voluntas Benedictinam Constitutionem in desuetudinem abire permiserat. Ceterum posito Apostolicae Datariae facto, dubitari haud poterat, Tranensem Archiepiscopum eam consuetudinem bona fide retinuisse, ita ut haud aequum videretur, Concursum minus utique solemniter gestum, at bona fide peractum, destrui posse. Negavit defectum scrutinii; nam eo ipso, quod Examinatores omnes Concurrentes approbaverint, eorum scientiam qualitatesque scrutatos fuisse dicendum erat, quin ulla lege tenerentur cunctas explicite Concurrentium qualitates referre. Demum sanationem Concursus imploravit, cum alias ingens damnum, teste Vicario Capitulari, Tranensis Ecclesia sentiret, si Canonicus Di-Renzo ab officio Poenitentiarii deponeretur.

361. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus in casu? *Et quatenus negative.* II. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu? –, Sa-

cra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo - *in Tranen. Poenitentiariae die 29 Iulii 1848.*

362. Ceterum si Concursus, ad Canonicatum Poenitentiarium indictus, fuerit expletus a tribus non vero a quatuor Examinatoribus, iisdemque extra synodalibus, et omissum videatur ab ipsis iuramentum, nullus quidem ac irritus censetur ac est, sed attentis peculiaribus rerum circumstantiis Sacra Congregatio respondit, consulendum esse Sanctissimo pro sanatione eiusdem *in Ripana die 19 Ianuarii et die 12 Iulii 1788.*

363. Siquidem indicto ad Canonicatum Poenitentiarium Cathedralis Ecclesiae Ripanae Concursu, unus Sacerdos Paschalis Goberti Episcopalis Seminarii Rector approbatus fuit. Aegre id ferens alter ex reprobatis Sacerdos Bonfinius Gervasi, interposita appellatione, nullum edixit Concursum. Nam producta non fuerunt autographa requisita, iuxta Encyclicam Sacrae Congregationis ad Episcopos datam anno 1721, et a s. m. Benedicto XIV confirmatam anno 1742; Examinatores deputati fuere extra Synodum absque facultate S. Congregationis, ac tres tantum, non quatuor contra formam Constitutionis Benedicti XIII, quae incipit *Pastoralis Officii*, neque constabat, in sacra Theologia licentiatos fuisse, ut Constitutio ipsa praescribit, ac monet Rota in Imolen. Canonicatus Theologalis 2 aprilis 1735 §. 6 coram Card. Molino; atque demum aliorum reprobatorum Concurrentium ac singularis hominis testimonio probarunt, cuique exteriorem ianuam Conclavis, in quo casus solvebantur, patuisse, omniaque coram omnibus, ac Examinatoribus ipsis cum Vicario Generali per Conclave deambulantibus, tumultuarie gesta fuisse, contra praescriptum Encyclicae. Promotor Fiscalis vero sustinuit, cuncta recte gesta fuisse, quin praeordinata fuisset electio Goberti; falsum esse, quod non exhibuisset Gobertus authographa sua requisita, contrarium testante Cancellario Episcopali; Conclave ingressos fuisse quidem Examinatores cum Vicario Generali, sed neminem ab opere distraxisse, neminem de propositis casibus alloquutos fuisse; et commentitium esse assertum tumultum. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An constet de nullitate Concursus, ita ut sit locus novo examini in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative - *in Ripana die 19 Ianuarii 1788.*

364. Recessum autem a decisis postulavit Sacerdos Bonfinius; nam Constitutio Benedicti XIII *Pastoralis officii* quatuor pro forma ac sub Decreto irritanti Examinatores requirit in Concursu Poenitentiariae, nec valide idcirco fieri potuit Concursus per extra synodales Examinatores tres, ut in terminis dixit Rota in Melphicten. Poenitentiariatus 28 novembris 1732 §. Ad narrationem coram Card. Calcagnino: omissum praeterea dixit iuramentum in Encyclica Sacrae Congregationis praescriptum, quod de forma pariter est substantiali, ut monet Ferrarius in Bibl. Can. verb. *Concursus* art. 2 n. 40. Nec facile credendum esse contendit, quod illud Examinatores in praecedentibus Concursibus praestitissent, ut ex ore Cancellarii Episcopalis deponebant Testes. Duo enim ex ipsis, Neronius nempe et Thomasius praecedens Examinatorum munus non probabant, tertius cognomine Grammacius, si novis credendum erat Gervasii Testibus, numquam ante Concursum Poenitentiariae Examinator fuit. Reproposito itaque dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Consulendum Sanctissimo pro sanatione Concursus, et amplius - *in Ripana die 12 Iulii 1788.*

365. Convocandus tamen est Concursus etiam in electione Canonici Poenitentiarii ad formam Constitutionis Benedicti XIII, quae incipit *Pastoralis,* et omnes de Clero seculari admitti debent, quin obstent praetensa privilegia per eumdem Pontificem concessa *in Beneventana die 22 Maii et die 21 Augusti 1784.*

366. Siquidem Benedictus XIII anno 1692, dum Ecclesiam Metropolitanam Beneventi regeret, in ea - sacrum Poenitentiariae officium pro uno Canonico Presbitero Poenitentiario nuncupando - instituit ad formam sacri Concilii Tridentini, quod sequuta vacatione contulit Benedicto Mariella, qui erat eiusdem Metropolitanae Canonicus, nec non anno 1695 contulit Sacerdoti Vincentio de Vita, qui pariter erat Metropolitanae Ecclesiae Canonicus. Et similiter in aliis successivis vacatio-

nibus collatum fuit officium Poenitentiarii uni ex Canonicis ad annum usque 1728, quo tempore, cum idem officium iterum vacasset iamque prodiisset laudati Pontificis Constitutio *Pastoralis,* cuius vigore Praebenda Poenitentiarii ad instar Parochialium conferri mandavit per Concursum, necesse proinde fuit indicere Concursum. Tribus itaque successivis vacationibus, scilicet dicto anno 1728, 1734, et 1746 semper Canonico dictae Metropolitanae Ecclesiae Praebenda Poenitentiarii fuit collata. Anno autem 1755 Archiepiscopus Pacca praetulit Felicem Sbordone, qui erat Mansionarius praedictae Ecclesiae. At obstitit Capitulum contenditque, quod in provisionem Poenitentiarii vel Concursus habendus non esset, vel saltem Canonici tantum Metropolitanae admitti ad Concursum deberent. Card. Pro-Datarius vero reservavit ius Capitulo deducendi rationes suas, si quas haberet in Sacra Congregatione Concilii intra terminum unius anni, quo termino elapso, aut in casu, quo Capitulum succumberet, declaravit, quod ex nunc pro tunc Canonicatus et Praebenda praefati in Canonicatum et Poenitentiariam nuncupatam Praebendam primo dictae Ecclesiae perpetuo erecti censerentur. Acquieverunt ab eo tempore Canonici usque ad annum 1780: eo enim anno rursus antiquam praetensionem sustinuerunt. Propositis itaque dubiis: – I. An in electione Canonici Poenitentiarii sit convocandus Concursus in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An ad Concursum admitti debeant soli Canonici Ecclesiae Metroplitanae Beneventi, seu potius omnis de Clero seculari in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Beneventana die 22 Maii 1784.*

367. At inde animadvertebatur, quod Benedictus XIII, dum adhuc erat Archiepiscopus Beneventanus, Poenitentiariae Officium contulit Sacerdoti Benedicto Mariella die 12 augusti 1692, et in Bulla institutionis haec legebatur expressio: – Cum itaque hac eadem die in dicta nostra Metropolitana Ecclesia, servata forma Sacri Concilii Tridentini, per nos canonice erectum fuerit Poenitentiariae Officium –. Rursus in collatione eiusdem Officii ab eodem Pontifice facta Kalendas septembris anni 1727 legebantur pariter ista verba apposita in Bulla provisionis: – Cum itaque postmodum Officium Poenitentiariae nuncupatum maioris Ecclesiae Beneventanae per unummet eumdem ex dictae Ecclesiae Canonicis etiam cum suis Canonicatu et Praebenda absque dispositione Apostolica obtineri solitum ... Nos volentes dilectum filium Ianuarium Boraglia... in Concursu super Officio huiusmodi ad formam Constitutionis nostrae, quae incipit: *Pastoralis,* habito approbatum fuisse –, Ac demum in Bulla provisionis expedita die 7 martii 1746 favore Canonici Mariella Cardinalis Landi tunc Archiepiscopus Beneventanus Concursum indixisse testatus est:–Nos, indicto Concursu etc.– Repropositis hinc dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum et secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis. Ad secundum, praevio recessu a decisis, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Beneventana die 21 Augusti 1784.*

368. Quum autem exorta fuerit controversia, an Praebenda Theologalis Ecclesiae Collegiatae Terrae Magdaloni conferenda esset praevio Concursu ad formam Constitutionis Benedicti XIII *Pastoralis,* et an esset validus Concursus ob id gestus, vel locus sit novo examini, Sacra Congregatio rem ad Emum Praefectum remisit, iuxta mentem *in Casertana Concursus die 14 Ianuarii 1730.*

§. II.

CONCURSUS QUOAD INTERPOSITIONEM APPELLATIONIS A MALA RELATIONE EXAMINATORUM ET AB IRRATIONABILI IUDICIO EPISCOPI.

1. S. Pius V in sua Constitutione 3 Bull. tom. 2 §. 7 et 8, ut non solum dignis, sed magis idoneis Parochiales Ecclesiae conferrentur, decrevit, quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possent ii, qui fuissent reiecti a mala huiusmodi electione, ad Metropolitanum vel ad Sedem Apostolicam appellare, et praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis Iudice et eius Examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, quod Parochialis conferatur magis idoneo, et quod denique appellatio interposita interim non impediat aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Porro.*

Item *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Quamvis; in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Haec.*

2. Quamvis enim vacante Parochiali Ecclesia Concursus indici debeat, ut de singulorum meritis fiat inquisitio et habeatur experimentum, nihilominus sicuti contingere quandoque potest, Episcopi et Examinatorum iudicium aut falli aut fallere, idcirco saluberrima hac de re edita Constitutione incipien. *In conferendis* statuit S. Pius V: – Quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint a mala relatione huiusmodi appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis Iudice et eius Examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio provisio vel institutio spectabit – *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Quamvis.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Ut; in Urbinaten. Concursus die 27 Martii 1819* §. *In.*

3. Quocirca post Bullam memoratam cessat controversia, quae olim aderat, an scilicet appellari tantum posset a reprobatione Examinatorum, vel etiam ab electione et iudicio Episcopi: appellatio siquidem ab electione et iudicio Episcopi expresse admittitur in memorata Piana Constitutione, uti bene ponderat Fagnanus in Cap. *Eam te* de aetat. et qualitat. *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Porro.*

4. Voluit tamen praelaudatus Summus Pontifex S. Pius V, ne appellatio in suspensivo, sed tantum in devolutivo admitteretur *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Quamvis.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Ut.*

5. Idcirco ne in iudiciis Episcoporum quidquid gratia et favor sibi vindicet, satis prospexit consultissima Constitutio S. Pii V *In conferendis* et Encyclica s. m. Benedicti XIV *Cum illud,* ex quibus fas est ab irrationabili iudicio Episcopi in devolutivo appellare *in Savonen. Archipresbiteratus die 15 Iunii 1816* §. *Nulla.*

6. Notum hinc etiam est, Sacrum Concilium Tridentinum in cap. 18 sess. 24 de reformatione voluisse, quod Examinatorum relationem nulla devolutio aut appellatio etiam ad Sedem Apostolicam impedire valeret in suspensivo *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Porro.*

7. Quapropter reiectus ac postpositus appellare potest a mala relatione Examinatorum vel ab irrationabili iudicio Episcopi, aut Parochiam uti devolutam ad Apostolicam Sedem ob Concursus nullitatem impetrare, ceu tradit Rota in Monopolitana Praebendae Theologalis 25 iunii 1756 §. 7 coram Stadion *in Policastren. die 28 Aprilis 1745* §. *Altera.*

Item *in Asculana Parochialis die 24 No-*

vembris 1781 §. Nec; in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854 §. Haec.

8. Unde Concursus reiteratur in casu appellationis a mala relatione Examinatorum vel ab irrationabili iudicio Episcopi, non autem eo in casu, quo servata non fuit Concursus forma; tunc enim remedium superest obtinendi collationem, iure devoluto, a Summo Pontifice, iuxta Rotalem decisionem in dicta Monopolitana §. Quandoquidem *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854 §. Haec.*

9. Quod, si absque culpa et dolo Ordinarii atque Examinatorum Synodalium, actus Concursus nulliter expleantur, solet a Sacra Congregatione sanatio nullitatis impertiri *in Policastren. die 28 Aprilis 1745 §. Adversus.*

Item *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854 §. Haec.*

10. Si vero dubitetur, an Concursus nullitas revera fuerit commissa, gratia, ut aiunt, sanatoria ad cautelam conceditur, iuxta resolutionem in praefata Policastren. die 18 septembris 1745 *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854 §. Haec.*

11. Hinc appellatio adversus futurum explendumque examen non admittitur, prout ex Constitutione s. m. Benedicti XIV, quae incipit: *Ad militantis* §. Inhaerentes et §. Item firmat Rota in Monopolitana Praebendae Theologalis 5 decembris 1755 §. 6 coram Stadion *in Asculana Parochialis die 24 Novembris 1781 §. Nec.*

12. Idcirco si Candidatus aptus sit ac dignus, cum nullus possit a Concursu reiici, nisi indignus et incapax concludenter appareat, ceu ad rem Reclusius in part. 1 tit. 3 n. 48, tunc ad reparandum huiusmodi praeiudicium confugiendum esse videtur ad remedium restitutionis in integrum, quam dari, quoties non datur appellatio, docet Reclusius de Concurs. part. 2 tit. 4 n. 39, in statu proinde ac terminis, quibus res ante descriptionem versabatur; quod reapse peractum fuisse apparet in Asculana Parochialis 22 decembris 1781, ubi proposito dubio: – At et quae supplicatio et quomodo sit signanda in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Neutram supplicationem esse signandam, et iterum indicendum esse Concursum; et amplius – *in S. Marci et Bisiniani Concursus die 22 Iulii 1850 §. Si vero.*

13. Datur tamen, absoluto Concursu, appellatio a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi *in Asculana Parochialis die 24 Novembris 1781 §. Nec.*

14. Quare non tantum inquirendum est, si minus dignum digniori Episcopus praetulerit, quam si dignum posthabuerit, ut indigno gratificaretur *in Savonen. Archipresbiteratus die 15 Iunii 1816 §. Ut vero.*

15. Compertum autem est, quod ad ineptas coercendas appellationes, quae a non approbatis in Concursu interponuntur, nec non ad incongruas avertendas provocationes ad novum examen, non praeventive docto de gravamine, Sacra Congregatio statuit, appellationem vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi interponi debere intra decem dies; proposito enim dubio: – II. An et quantum tempus praefigèndum sit illis, qui intendunt appellationem interponere, vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi? –, praefata Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, esse praefigendum tempus decem dierum ad appellandum – *in Dubia Concursuum die 16 Novembris 1720.*

Item *in Perusina Prioratus die 30 Martii 1776 §. Ceterum; in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783 §. Contra.*

16. Idcirco si quis appellationem non interposuerit intra decendium non est locus ordinario remedio appellationis, sed extraordinario restitutionis in integrum, quod non datur sine laesione, et consequenter sine probatione gravaminis, ut innuit Card. De Luca in disc. 7 n. 8 de Parochis *in Isclana die 23 Iulii 1718 §. Additur.*

17. Actum deinde fuit in Sacra Congregatione de modo ac forma interponendi appellationem; ideoque literis datis die 10 ianuarii 1721 et a s. m. Clemente XI adprobatis praescriptum fuit, ut nonnisi intra decem dies a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi liceret appellare, utque acta Concursus ad Iudicem appellationis transmitterentur, – ex quibus actis vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic ut praemittitur examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio

Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit: quemadmodum et in iudicio appellationis prosequi ius suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi Concursus, vel saltem ex attestationibus et documentis extraiudicialibus etiam, sed non levibus – *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Actum.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Post.*

18. Idcirco sic illegitime appellationem reprobatus ab Examinatoribus interponit post lapsum decem dierum a die scientiae gravaminis, (quin etiam opus sit, quod huiusmodi scientia iudicialiter habeatur per intimationem Decreti) ut nec sit locus revisioni actorum Concursus, nec trasportanda propterea sint originalia acta eiusdem Concursus; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An legitime appellaverit Sacerdos Englen, ita ut locus fuerit revisioni actorum Concursus in casu etc. – *Et quatenus affirmative.* II. An sint transportanda originalia acta Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, provisum in primo – *in Hieracen. et Rheginen. Concursus die 14 Augusti 1824.*

19. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. *Et quatenus recedendum.* II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Hieracen. et Rheginen. Concursus die 19 Novembris 1825* (1).

20. Hinc et Benedictus XIV in sua Constitutione diei 14 decembris 1742 incipien. *Cum illud* expresse mandavit, quod – peracto Concursu collataque ei, qui magis idoneus iudicatus fuerit, Ecclesia Parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala Examinatorum relatione, aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur – *in Montis Alti Parochialis die 17 Iulii 1802* §. *Presbiter.*

Item *in Hieracen. seu Rheginen. Concursus die 24 Iulii 1824* §. *Illud; in Tudertina Concursus die 24 Aprilis 1847* §. *Haec* (2).

21. Hinc terminus legitimus ad appellandum a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi statutus incipit a die scientiae gravaminis, uti apprime docet Reclusius in part. 1 de Concurs. tit. 5 n. 5 *in Tudertina Concursus die 24 Aprilis 1847* §. *Tertio.*

22. Siquidem Sacra Congregatio iamdiu declaravit, a reprobatione Examinatorum dari appellationem ad effectum devolutivum a die scientiae *in Urbinaten. die 4 Maii 1592.*

23. Quamobrem admittenda videtur appellatio a mala relatione Examinatorum seu ab irrationabili iudicio Episcopi a die habitae notitiae gravaminis, cum praesertim nondum fuerint expeditae Bullae electionis seu collationis Paraeciae *in Tudertina Concursus die 24 Aprilis et die 5 Iunii 1847.*

24. Siquidem indicto Concursu pro Archipresbiterali Ecclesia Oppidi Fractae ad diem 23 aprilis 1846, quatuor suum in Episcopali Curia nomen dederunt. Vix autem in vulgus prodiit, Episcopum elegisse Antonium Ferdinandi, primus inter approbatos recursum ad S. Congregationem interposuit Petrus Angeli, qui mox die 18 maii, formali emissa declaratione, de hoc Curiam certioravit, ne ad aliud in ipsa procederetur, cui deinde accessit Ioachim Misericordia. At Promotor Fiscalis contendit, reiiciendam esse appellationem, quia interpositam dixit post decendium a lege praescriptum, cum declarationem Angeli intempestive accepit; nam a die vigesima quarta aprilis ad diem decimam octavam maii, qua protestationem emisit, iam elapsi erant viginti quatuor dies. Ex appellantibus autem alter iuri suo valedixit, ex quo ad aliam regendam Paraeciam vocatus fuit, alter nihil exhibuit. Hinc

(1) Species Causae huius prostat in verb. *Appellatio*, §. I, n. 327 ad 341, Tom. II.

(2) Vehementer erravit Extensor folii, ubi praefata dispositio attribuit S. Pio V in Constitutione *In conferendis*, dum eam fecit Benedictus XIV in memorata Constitutione *Cum illud.*

Ioachim Misericordia sustinuit, appellationem legitime fuisse interpositam, quia Sacerdos Angeli, cum quo communem habebat ipse causam, ita ut eius appellatio sibi quoque prodesse deberet ex Fagnano in Cap. *Cum propter* de iurepatronatus n. 56, revera provocavit intra decem dies post factam ab Episcopo Concursus et Personae in Parochum eligendae approbationem. Porro ad hanc facti circumstantiam oppugnandam nihil aliud a Promotore Fiscali afferebatur, quam quod protestatio coram Episcopali Curia post dies viginti quatuor ab expleto Concursu proposita fuerit: at id haud probabat, infra tempora legitima non fuisse reapse provocatum, quum imo eadem protestatio moneret, recursum ad S. Congregationem iam antea fuisse interpositum. Insuper dixit: esto etiam, appellatum ab Angelo fuisse elapso decendio, adhuc tamen integram rem esse et fatalia tempora minime pertransiisse dicendum erat. Nam ex Constitutionibus S. Pii V et Benedicti XIV decendium computari debet a die collationis Paraeciae, quae nihil aliud est iuxta Corradum in lib. 5 cap. 1 n. 77, – quam libera translatio seu concessio iuris in Beneficio vacante, unde etiam dicitur donatio –. At haec iuris translatio seu donatio consistere nequit ex simplici designatione in officium Parochi assumenda, bene vero ex Bullarum expeditione, ex qua ius in re proprie derivat et titulus ad possidendum transfertur. Ideoque apprime cohaeret dispositioni Constitutionis Benedictinae *Cum illud,* cuius verba, ubi mature perpendantur, aperte duplicem actum distinguere videntur, scilicet iudicium Ordinarii, quo digniorem inter approbatos designat, et actum collationis Paraeciae, post quem tantum decendium ad appellandum concessum decurrere statuitur. In facto autem erat, quod nihil aliud eousque Tudertina Curia expleverit, quam Personae designationem. Quin imo fatalia nondum elapsa fuerunt, etiamsi decendium a Parochi designatione computaretur. Etenim sicuti in qualibet appellatione, ita punctim in ea, de qua agebatur, legitimus terminus nunquam incipit, nisi a die scientiae de prolata ex adverso sententia, uti apprime docet Reclusius in part. de Concurs. tit. 3 n. 5. Cum itaque appellantes vix habita gravaminis notitia provocaverint, legitime eos provocasse sequebatur, quocumque demum tempore appellaverint: ceteroquin a Curia probandum esset concludenter, ipsos gravaminis notitiam infra decendium accepisse, nedum quia haec praesumi non poterat in facto peculiari et inter Episcopalis aulae parietes sequuto, sed etiam ex generalis iuris dispositione, ex qua ignorantia semper praesumitur, nisi scientia probetur, ut decrevit Bonifacius VIII in Cap. *Praesumitur* de regulis iuris, teste Mascardo de probat. tom. 2 Conclus. 88 n. 1. Demum quacumque in hypothesi appellationem, probato rite gravamine, recipiendam esse contendit per viam saltem restitutionis in integrum, ceu de hac indubia iuris dispositione in terminis examussim appellationis a mala relatione Examinatorum fidem facit Reclusius de Concurs. part. 1 tit. 5 n. 8. Et gravamen iniuste sibi illatum fuisse censuit ex voto et sententia Theologorum Urbis, qui plenam sibi fidem vindicabant, se unum dumtaxat approbationem meruisse, ceteros autem omnino esse excludendos.

25. Contra Promotor Fiscalis defendit, peremptam omnino esse appellationem. Nam Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud* referens Encyclicam Epistolam hac super re a Sacra Congreatione iam editam ad alteram Bullam S. Pii V *In conferendis* statuit, quod non admittatur appellatio aut a mala relatione Examinatorum aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur –, quin referret *collationis* nomen, quod idem sonat ac provisio ex Cap. *Eum* de Praebendis in 6, latum est ac veluti genus, sub se complectens modos omnes providendi, uti docet Reiffenstuel in lib. 3 decret. tit. 5 §. 5 n. 125, illudque generaliter accipi quoque pro institutione, ad tradita per Rebuffium in prax. Benef. de infirm. gloss. 4 n. 6, et Corradum in prax. Benef. lib. 4, Cap. 6 n. 22; ita ut hoc sub respectu neutiquam lapsum terminum fuisse videretur, quia neque Bullae expeditae adhuc fuerant, nec data institutio. Siquidem dictionem illam, in casu, de quo agebatur, potius innuere actum designationis ac electionis Personae in Parochum suadebant mens et voluntas S. Pii V, qui in praefata sua Constitutione legem condens in Concursibus servandam, postquam terminum decem dierum ad

appellandum a die collationis constituit, addidit: – haec tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitae mandetur exequutioni –, quae sane verba supervacanea fuissent, ubi vocula illa *electio* pro Bullarum expeditione seu institutione, a qua fatalia decurrere debent, accipi velit (1).

26. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An sit admittenda appellatio in casu? –, Sacra Congregatio die 24 aprilis 1847 respondit: – Iterum proponatur –; sed mox reproposito dubio sub eadem formula, responsum tulit: – Ad primum, Affirmative – *in Tudertina Concursus die 5 Iunii 1847.*

27. Quod si quis appellet post decendium causa aegritudinis, quin aliquid proponat, cur Examinatores male retulerint et irrationabiliter Episcopus iudicaverit, haudquaquam queri potest, etiamsi in praeelectum exorta fuerit aversio Populi, longe tamen post possessionem Paraeciae nactam, et causa ipsius appellantis *in Burgi S. Domnini Parochialis die 13 Septembris et die 20 Decembris 1749.*

28. Enimvero indicto Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem Oppidi S. Victoris, duo tantum venerunt ad Concursum Sacerdotes Pompeius Maccagnini et Petrus Maria Guelfi, qui ambo probati fuerunt plenis suffragiis in moribus, in scientia vero unum tantum habuit suffragium Pompeius, omnia Petrus. Episcopus igitur Petrum ut magis dignum praeelegit, et eidem nec intra iuris terminum appellante Pompeio literas praeelectionis dedit, quibus inde editis in Dataria Apostolica, Petrus Guelfi Parochialis Ecclesiae collationem obtinuit ac possessionem nactus est. Appellavit post decendium Pompeius a mala Examinatorum relatione et irrationabili iudicio Episcopi, simulque emisit protestationem, non potuisse intra terminum appellare adversae aegritudinis causa. Episcopus exposuit, invisum esse Populo Petrum Guelfi, debuisse tamen eum praeeligere, quod probatus fuisset ab omnibus Examinatoribus. Hinc disputavit Petrus, nihil proponi a Pompeio, cur male retulerint Examinatores et irrationabiliter iudicaverit Episcopus; aversionem Populi longe post nactam possessionem exortam in eum fuisse ab ipso Pompeio; appellatum ab eo non fuisse, ut id ageret, non quod adversa detineretur valetudine, cum si voluisset, potuisset appellare, dato mandato ad appellandum. His autem perpensis, proposito dubio: – An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata ad primam post aquas, remoto interim Oeconomo – *in Burgi S. Domnini Parochialis die 13 Septembris 1749.*

29. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Burgi S. Domnini Parochialis die 20 Decembris1749.*

30. Idcirco si Appellantes exceptiones contra Praeelectum Examinatores et ipsum Episcopum propositas non probant, mala Examinatorum relatio et irrationabile iudicium Episcopi censeri non potest, cum praesertim praeelectus documentis dictas exceptiones e medio tollat, et appellatio interposita fuerit post lapsum decem dierum *in Perusina Prioratus die 27 Aprilis 1776.*

31. Enimvero in Concursu habito die 2 decembris 1774 ad vacantem Parochialem seu Prioratum Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Terrae Marsciani, Examinatores Synodales quoad scientiam pares habuerunt Canonicum Petrum Hieronymum Cenci et Felicem Calindri, locumque secundum assignarunt Ugolino Corradini, quo vero ad merita aliaque requisita, primum assignarunt locum aeque Felici Calindri et Ugolino Corradini, postremum Canonico Petro Hieronymo Cenci. Episcopus tamen uti digniorem Cencium praeelegit, eidemque contulit Prioratum, cuius etiam possessionem fuit adeptus. Hanc praeelectionem aegre tulit Calindrius, qui ceteroquin appellationem interponere praetermisit, licet

(1) Post haec extensor folii immediate addit: — Verumtamen cum hac super re resolutionum volumina pervolutarim, ut scirem quamnam sententiam hactenus sequuta fuerit Sacra Congregatio, nullum licuit mihi ad rem exemplum reperire –. At aderat relata Urbinaten. die 4 maii 1592; idque clare arguebatur ex foliis resolutionum in Burgi S. Domnini Parochialis die 13 septembris et die 20 decembris 1749, in Perusina Prioratus die 30 martii et die 27 aprilis 1776, in Feretrana Parochialis die 8 februarii 1783, in Hieracen. et Rheginen. Concursus die 14 Augusti 1824 et die 19 Novembris 1825, et in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 3 augusti 1833.

eam sub die 12 decembris eiusdem anni hora quarta noctis exhibuerit Notario domi suae, sed irritum, quia Notarius, iuxta stylum Perusinae Curiae prohibentem receptionem iuridicae instantiae post occasum solis et extra publicum officium, exhibitam appellationem recipere recusavit. Siluit etiam Calindrius per subsequens trimestre tempus, dum non prius, quam mense martii 1775 preces obtulit Sacrae Congregationi, conquerens de mala relatione Examinatorum deque irrationabili iudicio Episcopi et postulans, sibi tamquam digniori Prioratum esse conferendum. Mox et Corradinus, audita reclamatione Calindri, in istius et Cencii contradictorem se praebuit. Is enim contendit, in praeelecto Cencio nihil aliud concurrere praeter nobilitatem eius prosapiae, cum vix excederet aetatem viginti septem annorum,quin ullis literarum ac scientiarum studiis unquam vacasset. De indoctis redarguit etiam Examinatores Synodales nec non ipsum Antistitem eiusque Vicarium Generalem, quin tamen id concludentissime probaret, cum de iure semper praesumitur, quod aliquis sit dignus in Ecclesiis. Quin imo luculentissima documenta per Cencium exhibita probabant, ipsum incubuisse studiis Grammaticae Philosophiae ac Theologiae tum moralis tum dogmatice, et quidem assidue docte omniumque cum plausu laude et admiratione, nec non ipsum esse Theologicis disciplinis et in sacrorum Canonum studiis versatissimum, eiusque pietatem eiusque mores aliaque virtutum merita, quibus ornabatur, eum omnibus reddere suavissimum. Idcirco nec mala Examinatorum relatio nec irrationabile dici poterat iudicium Episcopi. Advertebatur etiam, Calindrium et Corradinum non esse audiendos, cum appellationem interposuerint post lapsum decem dierum.

32. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum et de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An et cui adiudicandus sit Prioratus Terrae Marsciani in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo; et amplius – *in Perusina Prioratus die 27 Aprilis 1776.*

33. Qua de re si quis dignior ad vacantem Ecclesiam Parochialem censeatur, irrationabile dici nequit iudicium Episcopi, licet minora habuerit vota ab Examinatoribus, cum praesertim qui maiora retulit vota post decendium appellaverit, ac valida renunciatur eiusdem collatio facta a Vicario Generali ante obitum Episcopi, licet Bullae collationis relaxatae fuerint postero die eadem fere hora, qua Episcopus alibi extra Diaecesim occubuit *in Montis Alti Parochialis die 17 Iulii 1802.*

34. Iamvero vacata Ecclesia Parochiali S. Mariae de Casalicchio Oppidi Montis Monaci per liberam resignationem Iosephi Vetri, in Concursu ob id habito die 11 iulii 1798 Presbiter Ioannes Sanctes del Duca habuit vota undecim, Presbiter Carolus Altieri vota quatuordecim, Presbiter Carolus Angelini vota tredecim, et duo Clerici Guerrini et Troiani vota quindecim pro quolibet. Vicarius Generalis, qui, absente Episcopo, Concursui praefuit, cuique ab Episcopo mandata erat potestas – ad Curata vacantia Concursum indicendi et eadem digniori conferendi –, sero diei 11 iulii gratiam collationis signavit favore Ioannis del Duca ipsius vacantis Paraeciae tunc Oeconomi, quem digniorem reputavit. Sequenti vero die Cancellarius Episcopalis Bullas collationis dedit sub datam diei 11 iulii,quo gratia signata est. Factum est, ut illamet die duodecima iulii Episcopus in proxima Civitate Asculi hora fere undecima occubuerit. Huiusmodi mortis rumor pervenit ad Civitatem Montis Alti vesperescente caelo. Nihilominus Sacerdos del Duca postera die 13 iulii nactus est possessionem Paraeciae. At cum nonnulli Parochiani eius electionem aegre ferrent, anno 1800 recursum habuerunt ad Vicarium Capitularem, et acclamarunt in Parochum Presbiterum Altieri, qui in Concursu maiora obtinuerat suffragia. Facta hinc est criminalis inquisitio in Parochum del Duca, qui suspensus a divinis in carcerem detrusus est. At provocante ad suum Metropolitanum Civitatis Firmi omnino absolutus fuit ex capite innocentiae et ad sua munia Parochialia reintegratus, simulque damnatus Vicarius Capitularis Montis Alti ad damna et expensas. Nihilominus Carolus Altieri preces obtulit Sacrae Congregationi, in quibus reclamavit a iudicio Ordinarii, qui Presbiterum del Duca

praetulerat in collatione praefatae Paraeciae, atque ex pluribus capitibus illius collationis nullitatem deduxit. Alterius itaque se digniorem putavit tum ex actis Concursus, in quo ab Examinatoribus plura vota, quam del Duca, consequutus erat, tum iudicio Ordinarii, qui eum selegerat in Confessarium Monialium, tum ex electione ab Oppidanis Montis Monaci, tandem ex multis Testibus, qui commendabant ipsius doctrinam Sacerdotales mores diligentiam per octo fere annos in exercendis muniis Capellani Curati. Presbiter vero del Duca negavit, in controversiam adduci posse iudicium Ordinarii, cum Alterius intra decendium non appellaverit. Ceterum praeter Confessarii munus, quod ab anno 1788 exercebat, saepe alias curam gessit animarum, sive qua Capellanus Curatus, sive qua Oeconomus in ipsa Paraecia S. Mariae de Casalicchio, cum eius senescens Rector huic muneri esset impar, testimonio Parochorum et Decurionum probavit, – che ha esercitato il suo officio con comune soddisfazione –. Adversus Testes non timuit, quippe suspectos, postquam ipse, quamquam accusatus suspensus in vinculis coniectus, nihilominus postea absolutus fuit ex capite innocentiae. Attulit tandem acclamationem plurium ex Patribusfamilias suae Paraeciae. Valida autem dicenda erat eius collatio cum constaret, quod Vicarius Generalis die 11 iulii gratiam collationis signaverit et postera die hora fere undecima Bullae collationis relaxatae fuerint sub eadem fere hora, qua Episcopus occubuit. Quare cum actus delegatae iurisdictionis exerceri cepit ante obitum mandantis, forte poterat ad finem perduci, licet interea Delegans defunctus sit, ad Textum in lege *Et quia* de iurisdict. omn. iud., Cap. *Relatum*, Cap. *Gratum*, Cap. *Licet* de offic. et potest Delegati.

35. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi, et de validitate collationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit, – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Montis Alti Parochialis die 17 Iulii 1802.*

36. Quin imo si in primo et secundo Concursu nullus ex Concurrentibus repertus fuerit idoneus, validus censetur tertius Concursus, ac recta Examinatorum relatio ac rationabile iudicium Episcopi, quin obstet oppositio eius, qui fuit merito reprobatus in secundo Concursu, cum praesertim appellationem non interposuerit intra decendium *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783.*

37. Siquidem in Concursu habito die 10 iulii 1781 ad vacantem Parochialem Ecclesiam SS.Petri et Pauli Oppidi Frontini, omnes Concurrentes fuerunt reprobati, praeter Clericum Silvestri, qui propter aetatem Parochiam assequi non potuit. Necesse proinde fuit novum Concursum indicere, habendum die 7 augusti eiusdem anni. Praestituta die tres comparuerunt Sacerdotes Scaglioni et Ravogli in praeterito Concursu reprobati, accessitque etiam alter Sacerdos Vincentius Benvenuti. Nullus tamen ex his ab Examinatoribus idoneus inventus fuit ad assequendam Parochiam. At die 18 dicti mensis augusti Sacerdos Benvenuti apud Sacram Congregationem de mala Examinatorum relatione conquestus est. Requisito autem Episcopo auditaque illius relatione, mandatum eidem extitit, ut – procederet ad convocationem novi Concursus ad formam iuris et Sacri Concilii Tridentini –. Tertium itaque Concursum indixit Episcopus, praefinivitque diem 29 sequentis octobris. Expleto examine, Sacerdos Ravogli habuit vota favorabilia quinque, contraria quatuor. Hunc Episcopus praeelegit, ac suis literis testimonialibus Emo Pro-Datario commendavit. Sacerdos Benvenuti, qui in secundo Concursu reprobatus et in tertio non comparuerat, contradictorem se praebuit. Contendit enim, quod si perpenderetur iudicium Examinatorum panditum ad ea, quae ab ipso in secundo examine et scripta et responsa sunt, illico apparebat minus rectum Examinatorum iudicium, cum magis probata visa fuerint, quae ipse in secundo examine scripsit et respondit, quam quae in tertio examine respondit et rescripsit Sacerdos Ravogli. Probari idcirco non poterat tertius Concursus, quoties in vim secundi Concursus sibi adiudicanda erat Paraecia, quin obstarent impicta crimina, cum haec non bene probarentur ex depositione Testium, quorum assertiones prosternebantur ab aliis Testibus, de probitate bonisque moribus et pietate deponentibus. Contra vero Sacerdos Ravogli advertit, nunquam in Curia Episcopali

Feretrana Sacerdotem Benvenuti appellasse a mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi, et cum recursus Sacrae Congregationi fuerit exhibitus elapso iam mense, postquam et relatio et iudicium prodierant, hinc sustinuit, hanc litem ab eo promoveri non posse, quia iuxta Constitutionem Benedicti XIV huiusmodi appellationes non admittuntur, nisi infra decendium interpositae fuerint. Fortius quia audita Episcopi relatione, ipsa Sacra Congregatio mandavit, ut tertius Concursus convocaretur. Rectam inde dixit relationem Examinatorum, cum ex responsionibus datis a Benvenuto secundo et tertio casui atque ex sermone super Evangelii textu, satis deprehenderetur eius insufficientia pro subeundi Parochi munere, quin irrationabile dici posset iudicium Episcopi; nam ei querelae Populi Castri Frontini contra Benvenutum pervenerant. Nec obesse addidit, quod ipse in praecedenti examine reiectus fuerit; respondit enim, posthabendum esse quidquid in aliis Concursibus actum esset, solumque inquirendum, an rite recteque Examinatores in tertio Concursu suam dederint relationem et impartiale prodierit Episcopi iudicium.

38. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sustineatur tertius Concursus, et cui sit adiudicanda Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Affirmative; et Parochiam adiudicandam esse Dominico Ravoglio, et amplius – *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783.*

39. Hinc multo minus is malam dicere potest relationem Examinatorum, qui nedum appellationem interposuit post lapsum decem dierum et sacrarum disciplinarum reapse nescius existat, sed et ob id Examinatores eiusdem requisita honestatis morumque admiserunt, ne vituperetur Parochiale ministerium, quo indigne fungebatur *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 3 Augusti 1833.*

40. Enimvero habito Concursu ad vacantem Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Oppidi Belvederii, Examinatores Pro-Synodales adprobarunt primo loco Antonium Lupinacium, secundo loco Philippum de Simone, tertio loco Alexandrum Parvolum, quarto loco Angelum Guidium, et quinto demum loco Octavium Candia. Episcopus praeelegit Antonium Lupinacium, quem ipsi Examinatores digniorem renuntiaverant, illumque Parochum dixit. Octavius Candia appellavit a mala relatione Examinatorum. At ut de recta Examinatorum relatione tuto pronunciari posset ac praesertim de sacrarum disciplinarum peritia, quam Candiae responsa portendebant, rogatus fuit vir probandis id genus commendationibus praepositus aliisque muneribus spectatissimus: is porro Examinatorum iudicium apprime commendavit, nec feliciori censura de ipsis dicendum arbitratus fuit: Insuper Episcopus testatus est, - Examinatores requisita honestatis et morum Octavii Candiae admisisse, ne vituperetur Parochiale ministerium, quo iste indigne fungitur, quodque in animarum infortunium ab Episcopis praedecessoribus impetravit –. Notavit etiam, illum – infra terminum decem dierum pacificae possessionis partis appellatae iuxta praescriptum Benecti XIV non appellasse, sed potius libello famoso, eo elapso termino, EE. VV. molestiis afficere, ac ius ad honorem et probitatem ab Examinatoribus Pro-Synodalibus aliisque Curiae Bisinianensis plurimos per annos acquisitum impetere praesumpsisse –. His itaque perpensis, proposito dubio: - II. An constet de mala relatione Examinatorum in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 3 Augusti 1833.*

41. Unde si plura concurrunt, quae magis idoneum reddunt praeelectum, irrationabile renunciari non potest iudicium Episcopi, licet Adversarius maiora retulerit suffragia ab Examinatoribus Synodalibus, cum praesertim appellationem interposuerit post lapsum decem dierum, et iam tres permutaverit Parochiales, ita ut quamdam Ecclesiarum negotiationem videretur instituere velle *in Ariminen. Concursus die 7 Maii 1735.*

42. Enimvero indicto Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S.Martini in Riparupta, ab omnibus quinque Examinatoribus fuit approbatus Caesar Fabri, et quatuor dumtaxat Examinatorum suffragia confluxerunt in Matthaeum Baldi. Episcopus vero die 13 februarii

1734 praeferendum iudicavit eumdem Matthaeum, qui postmodum, exhibitis testimonialibus literis suae approbationis, praefatam Parochialem Ecclesiam sibi ab Apostolica Sede conferri obtinuit. Interposita appellatione die 4 martii, praedictus Caesar Fabri exposuit, se iam quartum supra sexaginta annum agere, Doctoris laurea in utroque iure esse insignitum, diu in Caesenatensi et Ariminensi Seminario humaniores literas Pueros docuisse, per quadragesimam conciones aliisque temporibus habuisse panegiricos sermones, Vicarii Foranei Poenitentiarii nec non Examinatoris Synodalis muneribus fuisse perfunctum, et demum ob animarum curam in tribus Ecclesiis eo usque sedulo gestam optimum sui nomen aeque ac desiderium apud earum Populos reliquisse. Secus vero, dixit, Matthaeum Baldi non excedere aetatem triginta quinque annorum, nec aliis eum posse gloriari exercitis muniis, quam quod in nonnullis Oppidis pueros humanis literis erudierit, sacramentales Confessiones paucis annis exceperit, et postremo Vicarium Basilicae Lateranensis in ea Diaecesi et Rectorem Seminarii ibidem egerit. Addidit, dictum Matthaeum in actu Concursus fuisse instructum de responsionibus ad quaestiones dandis, uti de audito ab altero ex Concurrentibus deponebat quidam Sacerdos, et ex aliorum testimonio constare, quod Episcopus Matthaeum Baldi praetulerit, ut fidem suam, quam ipsi Matthaeo ob familiarem quamdam consuetudinem inter illum et eiusdem Episcopi coniunctos intercedentem vivente adhuc Parocho antecessore praestiterat, liberaret. E converso Episcopus praemisit, appellationem Baldi non esse admittendam utpote interiectam post decem dies: deinde dixit, se multas ob causas praeelegisse Matthaeum Baldi doctrina prudentia morumque integritate ab ipso non mediocriter commendatum; primo quia Caesar Fabri iam fere septuagenarius ac tibiarum morbo laborans non aeque idoneus esset ad occurrendum necessitatibus gregis in Parochia Saludecii latum habente circuitum pluresque dissitas domus; secundo quia tres Parochiales Ecclesias eo usque permutaverat, adeo ut quamdam Ecclesiarum negotiationem videretur instituere velle; tertio quia Ecclesiam S. Martini in Riparupta, quam tunc possidebat, incomptam neglectamque retinere deprehensus fuerat in S. Visitatione peractam anno 1729; quarto quia turbam habebat Nepotum ex Fratribus et Sororibus inopia laborantibus, quorum aliquos apud se retinebat, ita ut etiam hac de causa Matthaeus Baldi, facultatibus pollens neque consanguineis stipatus, acceptior Populo evaderet.

43. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Parochialis, de qua agitur, sit adiudicanda Caesari Fabri in casu etc. – Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Ariminen. Concursus die 7 Maii 1735.*

44. Quin imo etiamsi appellans grandioribus in speciem requisitis cumulatus existat, non propterea irrationabile dicere potest iudicium Episcopi, si ob eius levitatem inconstantiam vel amplioris semper proventus cupidinem iam tres alias dimiserit Parochias ac invisus Populo videatur *in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792.*

45. Enimvero acto ad Parochialem Ecclesiam S. Mariae Montis Lauri Concursu, cunctis quatuor approbatus fuit suffragiis Sacerdos Seraphini, quatuor alii Sacerdotes, quos inter Angelus Ridolfi Parochus Montis Siccardi per tria suffragia, per totidem Sacerdos Antonius Barbanti, absque suffragio quarti Examinatoris Ioannis Baptistae Barbanti, qui se ab eo ferendo, tamquam germanus illius frater abstinuit, et Sacerdos tandem Franciscus Andreatini ob suffragiorum paritatem nec approbatus nec reprobatus. Inter approbatos elegit defunctus Episcopus Barbantium, uti magis idoneum, eiusque iudicio acquievit Seraphinius, licet ab omnibus approbatus, aliique ex reliquis tres. Unus reclamavit Ridolphius. At Episcopus retulit, duplici se ratione Ridolphium neglexisse, quamvis grandioribus in speciem requisitis cumulatum, ob eius nempe levitatem inconstantiam vel amplioris semper proventus cupidinem, qua tres alias in diversis Diaecesibus dimisit Parochias. – Unde quod tam volubilis ingenii vir praeferretur, perinde ac magis idoneus, videbatur non expedire –; et ob vulgatas quasdam delationes supplicesque instantias Vicarii Foranei Patrumfamilias Montis Lauri et adiacentium Parochorum, – ne

Oratorem, utpote virum expleri difficilem nec facilem obsecundari, suis in votis favorem-. Barbantius itaque in se concurrere, dixit, Tridentinae Synodus requisita. Licet namque senior esset Ridolphius pluribusque approbatus suffragiis, iam tamen Concursus tempore Sacerdos erat Barbantius, iisque omnibus testimonio Episcopi praeditus, quae in provectioribus quandoque desiderantur. Barbantii insuper gravitatem probabat qualitas Confessarii utriusque sexus, curaeque animarum exercitium in Pisaurensi Civitate, doctrinam approbatio in diversis Concursibus; ac mores prudentiamque quinque finitimi Parochi omnesque fere Montis Lauri Patresfamilias, cum contra Ridolphius invisus esset Populo. Contendit altera ex parte Ridolphius, necessario ad controversam Parochialem eligi debuisse digniorem, seque ipsius Episcopi testimonio dixit – grandioribus in speciem requisitis cumulatum –. Praestare siquidem sustinuit aetate annorum 43, doctrina, antiquiori promotione ad Sacerdotium, maiori ex quatuor administratis Parochiis experientia, ac diu exercita Confessarii Concionatoris et Vicarii Foranei munera cum plausu et commendatione Populorum, quos rexerat, ostentavit. Se autem de inconstantia vel cupidine lucri in iteratis Parochialium dimissionibus ex insalubritate purgavit respectivi aeris, de quo tamen aliter referebant medici chirurgi Testes. Nihilque se obesse dixit aversionem Populi, nisi de iusta doceretur illius causa, secundum Lambertini de iurepatronat. lib. 2 part 2 quaest. 9 art. 11 n. 3.

46. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. *Et quatenus Affirmative.* II. An et cui sit adiudicanda Parochia S. Mariae Montis Lauri in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo; et amplius – *in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792.*

47. Cetérum Sacra Congregatio probe animadvertens, nullam certam methodum in peragendo examine desumi posse, vel ex Decreto Concilii Tridentini sess. 24 cap. 18 de reformatione, vel ex Constitutione S. Pii V *In conferendis;* atque perpendens, saepe numero querelas ex diversa unius atque alterius examinis methodo excitari, formam praescripsit die 10 ianuarii 1721 ubique servandam, quam postea sa. me. Clementis XI approbavit, deindeque confirmavit etiam Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud.* In hac autem constitutione quoad modum transferendi acta ad Iudicem appellationis haec habentur: – Si quis autem hoc intra spatium appellaverit actaque Concursus petat ad Iudicem appellationis transferenda, mittantur vel acta ipsa originalia Concursus clausa et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum a Cancellario Concursus atque altero Notario collatum et auscultatum coram Vicario vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adiungendi electio pertinebit; nec non ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concursui interfuerunt, subscriptum – *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Sacra.*

48. Idcirco si necessitas urgeat, antequam Sacra Congregatio decidat, an constet de mala Examinatorum relatione, mandat, ut integra acta exhibeantur aut eorum authenticum exemplum ad formam Constitutionis *Cum illud* s. m. Benedicti XIV *in Lucana Concursus die 21 Maii die 17 Decembris 1803 et die 15 Decembris 1804.*

49. Enimvero in Concursu habito ad vacántem Parochialem Ecclesiam S. Ioannis Baptistae Plebis Foscianae in Caferonia, Sacerdos Antonius Pesetti a tribus ex quinque Examinatoribus fuit approbatus, et Presbiter Vincentius Marazzini Pelliccioni a tribus fuit reiectus. Hinc Archiepiscopus illum huic anteposuit. Pesettus Literas Apostolicas expedivit, ex quibus in Paraeciae possessione versabatur. Aegre tulit id Pelliccionius, et ad Sacram Congregationem reclamavit ab irrationabili iudicio Examinatorum. Secretarius S. Congregationis votum ex officio commisit Theologo Urbis, dum Pelliccionius alterum Theologorum votum circumferebat: sed Theologus ex officio deputatus, actis Concursus matúre perpensis, ita conclusit: – Cum tribus partibus constet experimentum in Concursu e Concurrentibus sumptum, nempe ex relatione casuum moralium, ex versione Canonis supra relati in italum sermonem, et ex concione super Evangelium adsignatum; quaestionibus quidem e casibus propositis mediocri-

ter, et si placet, etiam bene respondit Pesetti, versionem non fecit accuratam Canonis, cuius sensum non est assequutus, et concionem penitus omisit. Quid ergo pro sola casuum solutione merebitur approbationem, ut idoneus Parochus habeatur, nullo exhibito experimento peritiae suae in concionando exponendisque Evangeliis, quae ex officio Populo debet exponere? Vel ergo ostendenda est eius concio, si forte in trascribendis actis exciderit, vel si non ostenditur, Examinatorum iudicium saltem comparativum minime iustum videtur. Ut autem hoc decidatur censeo, ipsa acta originalia ex Episcopali Curia Lucana exposcenda. His itaque animadversis, censeo, insinuandam Archiepiscopo reformationem formae examinis in Concursibus ad Parochiales Ecclesias ad normam eius, quae Romae et alibi communiter viget. Iuxta communem hanc formam expensis utriusque Concurrentis actis, computatisque calculis, deprehendetur imputando singulis casibus, ut assolet, tria puncta, unum expositioni Canonis et concioni item unum, Vincentium Pelliccioni adprobandum esse punctis seu calculis ex undecim saltem decem, Nicolaum vero Pesetti ex undecim meritum esse quinque vel ad summum sex. De eius approbatione aut reprobatione nihil ausim affirmare, cum acta illius pleniori indigeant disquisitione, quae fieri non potest ex transmissorum actuum defectu –. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili iudicio Examinatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et afferantur integra acta Concursus – *in Lucana Concursus die 21 Maii 1803.*

50. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et amplius non reproponatur, nisi exhibeantur integra acta vel eorum authenticum exemplar ad formam Constitutionis *Cum illud* s. m. Benedicti XIV – *in Lucana Concursus*[1] *die 17 Decembris 1803.*

51. Allatum tandem est exemplar actorum Concursus a Cancellario Nicolao Christofani atque alio Notario Salvatore Dalli collatum et auscultatum coram Sacerdote Bonamici Canonico Cathedralis, quem una cum Notario Dalli Cancellario adiuncto elegit Archiepiscopus, nec non subscriptum a quatuor Examinatoribus Pro-Synodalibus, cum interea quintus Examinator occubuerit. His autem perpensis, reproposito praefato dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et ad mentem – *in Lucana Concursus die 15 Decembris 1804.*

52. Hinc Episcopus acta Concursus transmittit ad Datariam Apostolicam nulla pandita animi sui sententia, cum agatur de reservatione ob vacationem in Curia, non autem ratione mensium, ut declaravit Benedictus XIV in Encyclica *Cum illud* §. 20 *in Caputaquen. 'Parochialis die 30 Iulii 1763* §. *Nihilominus*

53. Quum autem dubium sit, cuinam spectet collatio Parochialis Ecclesiae et onus incumbat transmittendi acta Concursus, Sacra Congregatio mandat, ut coadiuventur probationes, citatis etiam Ministris Datariae *in Farfen. seu Firmana Parochialis die 26 Augusti 1719.*

54. Siquidem instante Promotore Abbatiae Farfensis, excitata fuit in Sacra Congregatione praetensio, quod acta Concursus habiti ab Archiepiscopo Firmano occasione vacationis Ecclesiae Curatae Sanctorum Ioannis et Benedicti Terrae Montis Georgii Firmanae Diaecesis ad Emum Abbatem transmitterentur. Cumque iuxta morem scriptum fuisset Archiepiscopo pro informatione, et ipse respondisset, sibi non fuisse exhibitas collationes praedictae Ecclesiae factas ab Abbatibus commendatariis, sed ultimam provisionem factam fuisse a Sede Apostolica, et sic se non posse memorati Concursus acta ad dictum Emum Abbatem transmittere, nisi consentiente Emo Pro-Datario, die 3 septembris 1718, cum de hac re actum fuerit inter summaria precum, responsum fuit, quod poneretur in folio, citatis Datariae Ministris. In huius Rescripti executionem Emus Abbas praetendit pro se militare ultimum statum; licet enim anno 1680 haec eadem Ecclesia Parochialis fuerit a Sede Apostolica provisa, id tamen factum fuit per viam resignationis, non per obitum: cumque in dicta Bulla expresse legeretur, quod Ecclesiae collatio provisio et omnimoda dispositio, cessantibus reservationibus et affectionibus, spectabat et pertinebat ad Abbatem commendatarium Monasterii Abbatiae Farfensis, hinc arguit Emus Abbas, nullam de pertinentia collationis quaestionem

moveri posse; et supposita collationis pertinentia, conclusit, acta Concursus ad se esse transmittenda. Propositis interim dubiis: – I. An ius conferendi Parochialem seu Praeposituram S. Ioannis de Monte Georgio spectet ad Emum Card. Abbatem commendatarium Farfensem? *Et quatenus affirmative.* II. An Archiepiscopus Firmanus teneatur transmittere acta Concursus eiusdem Parochialis ipsi Emo Abbati in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, in utroque coadiuventur probationes; et proponatur Causa, citatis Ministris Datariae et Archiepiscopo–*in Farfen. seu Firmana Parochialis die 26 Augusti 1719.*

55. Quin imo post Constitutionem S. Pii V *In Conferendis* et Literas Encyclicas Sacrae Congregationis anni 1721 accessit memorata Constitutio *Cum illud* Benedicti XIV, ubi Pontifex ille nonnulla praefatis Literis addenda, nonnulla vero tacite breviterque ibidem tradita clarius censuit explicanda. Illud tamen praecipue cavit, – ut in ferenda sententia ac reparando gravamine idem Iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti Concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis iuribus attestationibus requisitis aliisque meritorum documentis, idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus ac districte mandamus, ne dictae attestationes et fides tam iudiciales, quam extraiudiciales et documenta quaecumque studiose conquisita et post Concursum, ut aiunt, expiscata, ullo modo recipiantur; non obstantibus supramemoratis Literis a Sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721 editis, quibus ad praemissum effectum derogamus, illis tamen in reliquis una cum omnibus in eis contentis firmiter in suo robore permansuris – *in Firmana Parochialis die 22 Ianuarii 1763* §. *Secundo.*

Item *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Quibus; in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Accessit; in Sorana Participationis et Praecedentiae die 28 Iulii 1860* §. *Tandem.*

56. Qua de re ante Concursum produci debent a singulis Concurrentibus scientiae dignitatisque testimonia seu authographa requisita, iuxta Encyclicam Sacrae Congregationis ad Episcopos datam anno 1721 et a s. m. Benedicto XIV confirmatam anno 1742, de qua Rigantius ad Reg. 37 Cancell. n. 11 tom. 3, cum necessaria sit in actis Concursus singulorum Concurrentium iurium exhibitio; quod absque nullitatis labe fieri non posse probat Ferrarius in Biblioth. can. verb. *Concursus* n. 5 *in Ripana die 19 Ianuarii 1788* §. *Nullum.*

57. Nam in materia Concursus omnia ex actis seu processu patere debent, quin defectus huiusmodi suppleri valeant ex iudicio Ordinarii, ut Sacra Rota definivit in Cassanen. Parochialis 1751 coram Migazzi *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Neque.*

58. Idcirco recentiora documenta exhibita extra processum Concursus haud admitti atque attendi videntur pro retractanda Examinatorum relatione ac iudicio Ordinarii: nam cum appellatio interponatur non ex capite doctrinae, sed aliarum qualitatum, olim tenebatur appellans docere de gravamine aut ex actis primi Concursus, aut ex aliis documentis saltem extraiudicialibus ab ipso exhibendis, ut resolutum fuit a Sacra Congregatione in Causa *Dubia Concursum* die 12 Decembris 1720 ad quartum dubium, atque praescriptum in Literis Encyclicis Sacrae Congregationis anno 1721 editis §. *Quemadmodum;* hodie vero Iudex Appellationis in ferenda sententia atque gravamine reparando inniti tantum debet probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinae, quam meritorum, uti in Constitutione *Cum illud* §. *Si quem Clericorum* mandat Benedictus XIV *in Lucana Concursus die 27 Ianuarii 1855* §. *Advertendum.*

59. Unde acta Concursus unice sunt inspicienda ad cognoscendum, an Examinatores etiam de moribus et prudentia retulerint *in Asculana Parochialis die 15 Decembris 1764* §. *Addit.*

60. Alienum propterea est, quod Examinatores iudicium reddere valeant ex informata conscientia, cum habilitas non aliter dignoscenda est, quam instituto examine vel per Concursum, vel in forma privata, si res sit de praesentato a Patrono laico ad Ecclesiam Parochialem *in Isclana Parochialis die 29 Maii 1852* §. *Et.*

61. Quapropter approbati ab Examinatori-

bus, qui eorum imprudentiam et ebrietatem ex actis haud agnoverunt, nec non reprobati qualitates ab eodem non exhibitas ignorarunt, ius ad Parochiam per approbationem acquisitum non amittunt, licet Episcopus de praedictis defectibus ex diffamatione contestetur, ita ut haudquaquam nullus renunciari valeat huiusmodi Concursus *in Mutinen. Concursus die 2 Martii 1844.*

62. Enimvero Examinatores Pro-Synodales in Concursu ad vacantem Parochialem Ecclesiam sub titulo de Monte Albano pari iudicio per bina favorabilia ex tribus votis adprobatos renunciarunt Aloisium Rasponi et Iosephum Lotti, reprobaruntque Iosephum Corsinotti, cui votum unum arriserat. Episcopus vero contestatus est, patere de imprudentia Lotti, sicut et de ebrietate Rasponii ex diffamatione; nec non unum ex Examinatoribus asserere, se ob id votum Iosepho Corsinotti non dedisse, quia ignorabat eiusdem merita et qualitates; ac alterum ex iisdem Examinatoribus deponere, se votum favorabile dicto Corsinotti dedisse non propter examen, in quo erravit, sed quia probe eiusdem qualitates et doctrinam pernoscebat. Idcirco Episcopus petiit, ut declararetur, num dictus Concursus fuerit nullus ac irritus. At ex actis Concursus constabat, exhibita a quolibet Candidato fuisse tempore habili requisita, eaque a Cancellario iuxta ritum in epitomen redacta perlecta et narrata fuisse Examinatoribus. Duplici tamen ex capite nullitas Concursus praetendebatur, quod nempe Examinatores merita exclusi ignoraverint, et defectibus approbatorum non attenderint, ex eo quod Cancellarius acta secreta iisdem non exhibuerant ante relationem. Ad primum autem quod spectabat, inquirendum erat, num importare valerent nullitatem Concursus in themate, ubi si praesumptas Corsinotti qualitates et requisita ignorarunt Examinatores, id non ex actis male digestis aut non plene cognitis evenisse ferebatur, sed quod revera nihil huiusmodi a Corsinotti exhibitum fuerat praeter Parochi fidem, de eius bene morata vivendi ratione testantis. Quoad alterum nullitatis caput, perpendebatur quidem sufficere diffamationem, ut quis a Beneficii assecutione repellatur, ac maximi faciendum esse testimonium Episcopi; ast quidquid sit in casu de diffamationis probatione legitime conficienda iuxta Canonem *Non solum* 11 quaest. 3, et Cap. *Qualiter* de accusatione, Piton. discept. Eccles. 109 n. 28, et de persona contradicentis Concursui, illud probe notandum videbatur, rem esse de tollendo approbatis iure ad Parochiam per approbationem acquisito; qua in re pensanda etiam qualitas defectuum, qui opponebantur, num tales essent, ut indignos redderent probatos assecutione Paraeciae. Si enim ex diffamatione vere indigni fuissent Paraecia Lottus et Rasponius, ambigi tum poterat, an eorum, uti talium, ad Concursus admissio eius nullitatem importaret, seu potius tantum eorumdem reiectionem a Parochi officio assequendo et exercendo.

63. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de nullitate Concursus in casu? – Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Mutinen. Concursus die 2 Martii 1844.*

64. Quum itaque Ordinarius eum praeelegerit, qui ex actis Concursus praeponderantia meritorum potiebatur, irrationabile eius iudicium censeri nequit, licet reprobatus seu posthabitus alia in gradu appellationis requisita ac exceptiones producat *in Firmana Parochialis die 21 Augusti 1762 die 22 Ianuarii et die 25 Iunii 1763.*

65. Siquidem Dominicus Nicolaus Passarini appellationem ab irrationabili iudicio Archiepiscopi interposuit, ex eo quod in Concursu habito ad Parochialem Ecclesiam Castri Orticini non ipsum, sed Caietanum Moretti is praeelegerat. Nam ipse ab omnibus Examinatoribus., et Caietanus Morettus a duobus tantum fuerat approbatus; nec non alia praeter ea, quae in epitome meritorum descripta legebantur, requisita habebat. Insuper indignum censuit Moretti, ob passam praeteritis annis remotionem a munere Confessarii Monialium Montis Floris. Verum Caietanus Moretti praeelectionem suam defendit, cum Archiepiscopus potuerit eum eligere, quem digniorem putavit, licet minori suffragiorum numero decoratum. Nec sibi obesse contendit praetensam amotionem a munere Confessarii, cum munus praedictum sponte dimiserit, ob rigidum aerem suae valetudini contrarium. Proposito autem dubio: – An constet de irrationabili iudicio Archiepiscopi, ita ut Paro-

chia S. Hieronymi Orticini sit adiudicanda Sacerdoti Passarini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit – Affirmative in casu, de quo agitur – *in Firmana Parochialis die 21 Augusti 1762.*

69. Impetrata mox nova audientia, certamen renovavit Caietanus Moretti, multosque exhibuit Testes et documenta ad confutandos eos, qui a Passarino adducti fuerant in antecedenti propositione, et ad elidendas exceptiones sibi obiectas, quas nonnisi ex quorumdam paucorum astu et odio iniuria conquisitas suadere conatus est; iudiciumque Archiepiscopi et suorum meritorum praeponderantiam duplici argumento defendit. Primum quia, praeter iudicium Archiepiscopi, accesserat sui favore iudicium etiam Vicarii Generalis, qui Concursui et praeelectioni interfuit, quique institutionem et possessionem Parochialis tradidit Moretto; ideoque si minus firmum videri posset iudicium Archiepiscopi ratione morbi apopletici, non esset aeque spernendum iudicium incolumis Vicarii Generalis. Secundo quia, praeter acta Concursus, ex quibus resultabat praeponderantia meritorum ipsius Moretti, nequaquam admittendae erant aliae probationes a Passarino exhibitae in gradu appellationis. His itaque perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Recedendum a decisis – *in Firmana Parochialis die 22 Ianuarii 1763.*

67. Quaestionem instauravit Dominicus Passarini contendens, standum esse in primo loco decisis. At Moretti sustinuit, sua etiam merita minora non esse illis Passarini, inspectis probationibus ab actis Concursus elicitis, ut sancitum est in Constitutione Benedictina *Cum illud.* Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Firmana Parochialis die 25 Iunii 1763.*

68. Quin imo licet Archiepiscopus testaretur, quod Examinatores retulissent, tum quoad scientiam, tum quoad alias qualitates, cum tamen ex actis Concursus ad Sacram Congregationem transmissis minime deprehenderetur, quod ipse Archiepiscopus asserebat de perscrutatis qualitatibus et requisitis Concurrentium deque iudicio super iisdem edito, nam praeter scrutinium super scientia nihil quoad requisita deduxisse videbantur sive Examinatores sive Archiepiscopus, Sacra Congregatio declaravit, esse locum novo Concursui *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848 die 26 Ianuarii die 23 Februarii die 18 Maii et die 22 Iunii 1850.*

69. Enimvero habito periculo ad obtinendam Paraeciam S. Petri Castri Terzonis, novemdecim cum dimidio Cyrillus Clivi, octo supra viginti Aloisius Bigioni suffragia retulit. Ambo iuxta legem Synodalem ab Examinatoribus fuerunt approbati. Hinc Archiepiscopus nihili pendens maiorem suffragiorum numerum, posthabito Bigionio, magis idoneum ad paraecialia munia obeunda Cyrillum iudicavit, eique Paraeciam contulit. Appellavit Bigionius: sed interim concordia inter eosdem sic inita videbatur, ut Clivius Paraeciam assequi deberet, quam necessario ad illam, de qua res erat, obtinendam Bigionius dimitteret. Verum inde concordiam retractans, noluit Clivius amplius dimittere Paraeciam. Renunciatio tamen obesse non poterat, quippe quae meri tractatus *conciliativae* permutationis haud praetergressa fuisse videbatur. Bigionius itaque totis contendit viribus, relationem Examinatorum haudquaquam esse attendendam, cum iidem relationem Archiepiscopo exhibitam tantum ad scientiam cohibuissent, ceteris omnibus rationi et arbitrio Ordinarii remissis, quin huiusce defectus relationis suppleri posset vel ex oretenus facta ab Examinatoribus mentione qualitatum aliarum, cum facta minime praesumatur, et in materia Concursus omnia ex actis seu processu patere debeant, ut tradit Rota in Cassanen. Parochialis 1751 coram Migazzi, vel ex iudicio Ordinarii perinde ac si hoc satis esse posset ad formam a Concilio Tridentino praefinitam servandam, cum et Sacra Congregatio et S. Rota etiam nunquam sufficere rescripserint, quibus adhaerent Doctores, quos longa manu referuntur in memorata Cassanen. §. Sane. Quod si quodcumque etiam iustum Episcopi iudicium mederi nequeat relationis vitio, eo minus id valeret iudicium Ordinarii, ut in casu apparebat, prorsus irrationabile: ac plura protulit, ut id ostenderet. E

contra plura pariter in medium afferebantur, quibus rationabile videbatur iudicium Episcopi. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de renunciatione, ita ut et quomodo ea sit exequenda in casu? *Et quatenus Negative*. II. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et scribatur ad Archiepiscopum iuxta mentem: mens est, ut referat super asserta permutatione, et de omissione examinis qualitatum et consuetudine Diaecesis hac super re – *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848.*

70. Archiepiscopus retulit, intercessisse quidem tractatus concordiae inter Clivium et Bigionium; sed Clivius, posthabitis inde suasionibus per decem dies ab eodem Archiepiscopo repetitis, renuit subscribere folium concordiae a Bigionio exhibitum. Nam dum Clivius tranquillitate fruebatur in Ecclesia Parochiali Terzonis, cuius oeconomatum a die vacationis gessit, Capitulum Collegiatae, cui adscriptus erat Parochus S. Donati, aegre ferebat, quod Bigionius Parochiam illam dimitteret, et Parochiani Episcopum enixe adprecabantur, ne sineret, ut ab eo relinqueretur. Ratio autem habendi Concursus iuxta consuetudinem Archidiaecesis hanc esse dixit: – Habita notitia vacationis Ecclesiae, publico evulgatur Edicto notitia Concursus, congruo et praefinito tempore celebrandi. Eveniente die Concursus, Concurrentibus assignatur ab Archiepiscopo explicanda una vel altera periodus alicuius capitis sacrosancti Tridentini Concilii, et illico ferunt Examinatores secretum suffragium, deinde casus et quaestiones solvendae dictantur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii traditur ab Archiepiscopo. Postridie congregantur Examinatores coram Archiepiscopo, qui singulorum Concurrentium peritiam expendunt in responsionibus ad quaestiones; et in conciuncula dato themati accommodata, ferendo semper singulis suffragia secreta globulis albis rubris et nigris in urna iniectis. Hinc expenduntur vota, et qui ultra medietatem reportat plura vota favorabilia, hic habetur quoad scientiam aptior; dein perscrutatis aliis qualitatibus ad regimen animarum necessariis, consideratisque locorum et personarum circumstantiis una cum Examinatoribus eligitur, qui magis idoneus ad certam illam Ecclesiam existimatur. Ita factum est in Concursu Ecclesiae Parochialis S. Petri Terzonis in agro Leonissae –. Advertebatur tamen, ex actis Concursus Sacrae Congregationi transmissis minime deprehendi, quod ipse Archiepiscopus asserebat de perscrutatis qualitatibus ac requisitis Concurrentium deque iudicio super iisdem edito, quum praeter scrutinium super scientia nihil quoad requisita deduxisse viderentur sive Examinatores, sive Archiepiscopus; tantumque inibi fieret mentio de votis a pluribus Parochianis pro Clivio porrectis.

71. His igitur perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1850 respondit: – Dilata ad primam, et ad mentem –. Atque die 23 februarii eiusdem anni 1850 rursus respondit: – Dilata –. Hinc et die 18 maii 1850 respondit: – Dilata ad proximam. – Demum praefatis dubiis respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, esse locum novo Concursui iuxta votum Archiepiscopi – *in Spoletana Concursus die 22 Iunii 1850.*

72. Unde cautum merito in iure est, Examinatores, qui canonice uti periti habentur, Rota coram Ansaldo decis. 64 n. 10, Pitonius in collectione Decretorum S. Congregationis Concilii pro Concursu n. 1389, in iudicio efformando rationem habere debere de iis tantum, quae quoad Concurrentis vitam et mores ipsis constant tempore Concursus, quin de vitio aliquo occulto, quod post expletum Concursum et datam approbationem proditur, iudicare possint, alioquin Episcopalem iurisdictionem invaderent, arg. Test. in Cap. *Electio* de elect. in 6, ibique Corradus prax. Benef. lib. 5 cap. 4 n. 22 *in Lucana Concursus die 27 Ianuarii 1855* §. *Non.*

73. Nam Sacra Congregatio declaravit, non pertinere ad Examinatores Synodales, sed ad solum Episcopum iudicare, quis ex Concurrentibus ad Parochialem vacantem sit magis idoneus *in Conchen. anno 1599.*

74. Qua de re Episcopus iure pollet eum etiam eligendi ad praebendam Theologalem et Poenitentiariam, quem ipse inter approbatos in formali Concursu digniorem iudi-

caverit, non autem illum eligere tenetur, quem magis idoneum in eodem Concursu Examinatores renunciaverint *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829.*

75. Enimvero in Cathedrali Ecclesia Aversana alterutram ex Praebendis Theologali vel Poenitentiaria, ubi vacare contingebat, Concursus indicebatur ad formam Constitutionis sa. me. Benedicti XIII, quae incipit *Pastoralis;* et Examinatores, perpensis singulorum Concurrentium moribus scientia aliisque dotibus, referre solebant Episcopo quot et quo gradu probandos, quosque reprobandos ipsi iudicaverint. Quoniam vero nonnulli Examinatores vacantem Praebendam ei omnino ab Episcopo conferendam esse putabant, in quem maior collatus fuerit suffragiorum numerus, ideo Episcopus Xaverius Durini, qui Examinatorum sententiam sanctioni iuris minus consonam existimabat, sibique arbitrabatur ius esse eum eligendi, quem inter approbatos in formali Concursu magis idoneum ipse iudicabat, quin Examinatorum opinionem sequi teneretur, Sacrae Congregationis oraculum sibi exquirendum censuit, ut firmissima et certa sibi suisque Successoribus hac super re innotesceret regula. Proposito itaque dubio:- An Episcopus polleat iure eum eligendi ad Praebendam Theologalem et Poenitentiariam, quem ipse inter approbatos in formali Concursu digniorem iudicaverit, seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eodem Concursu Examinatores renunciaverint in casu?-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829.*

76. Idcirco non licet ex verbis Benedictinae Constitutionis *Pastoralis* discrimen iniicere inter dispositionem, quae respicit collationem Ecclesiarum Parochialium ac Praebendae Theologalis seu Poenitentiariae: siquidem verba - conferri semper debeant ... magis idoneo in formali Concursu ab Examinatoribus renunciato -, haud ita sunt accipienda, ut in provisione Praebendae Theologalis praeter iudicium approbationis liceat Examinatoribus decernere etiam comparative super maiori approbatorum idoneitate, quod iudicium unice spectare ad Episcopum, quippe qui praeomnibus informatus praesumitur de vita et moribus gregis sibi commissi, tralatitium in iure Canonico est. Sensus autem dictorum verborum, quae prima fronte id praeseferre videntur, optime attemperatur, si adiiciantur eiusdem periodi verba, quae absque intervallo sequuntur - eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur- *in Urbevetana Concursus die 11 Iulii 1846* §. *Quin.*

77. Nec dubium, quia eamdem legem Pontifex Benedictus XIII servari iusserit in collatione tam Praebendae Theologalis, quam Poenitentiariae, nam in §. Postremo decrevit: - Quaecumque hactenus de Praebenda Theologali et S. Scripturae lectione sancivimus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii ... eiusque Concursum, deputationem - *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829* §. *At.*

78. Quamobrem si electio dignioris inter approbatos ad Parochiales Ecclesias pertinet ad Episcopum, non autem ad Examinatores; si Praebenda Theologalis et Poenitentiaria eodem conferenda est modo, quo conferuntur Parochiales, patet, ad Examinatores quidem absolute maxime super doctrina moribus aetate aliisque dotibus necessariis ad munus Theologi et Poenitentiarii rite obeundum spectare ius renuntiandi quot et quo gradu idoneos iudicaverint, sed ius eligendi digniorem inter approbatos in formali Concursu unius Episcopi esse proprium *in Pinnen. Canonicatus Theologalis die 28 Februarii 1761* §. *Episcopus.*

Item *in Terracinen. seu Setina 5 Septembris 1818* §. *Post; in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829* §. *Igitur; in Urbevetana Concursus die 11 Iulii 1846* §. *Sed.*

79. Quin imo tantum abest, ut electio Canonici Poenitentiarii ac Theologi tribui possit Examinatoribus, et denegari Episcopis, ut ab Sacra Congregatione pluries definitum fuerit, ad Episcopum spectare electionem dignioris inter plures approbatos in Concursu, quamvis ageretur de Praebendis iurispatronatus ecclesiastici; ideoque ex iuris dispositione ius eligendi magis idoneum ipsi Patrono foret reservatum *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829* §. *Quin.*

80. Nam ad Patronum ecclesiasticum ius tantum honorificum praesentandi electum ab Episcopo competere potest *in Pinnen. Canonicatus Theologalis die 28 Februarii 1761* §. *Et hoc.*

Item *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 27 Novembris 1829* §. *Quin.*

81. Hinc ex his plene elici posse videtur, iuri minus consentaneam esse opinionem Auctoris in additionibus ad Ferrarium Biblioth. can. art. 9 n. 123 aientis, electionem Personae ad Praebendam Poenitentiariam spectare ad Examinatores post Constitutionem Benedicti XIII *Pastoralis,* ceu resolvit Sacra Congregatio in Salernitana die 21 iulii et die 1 septembris 1753: praeterquam enim in praefata Salernitana Canonicatus Poenitentiarii 21 Iulii et 1 septembris 1753 quaestio minime vertebatur inter Episcopum et Examinatores, sed inter Episcopum et Capitulum, cuinam illorum ius esset eligendi Poenitentiarium, illud quoque accedebat, quod cum Sacra Congregatio responsum dederit, electionem esse faciendam ab Archiepiscopo, satis aperte innuit, ipsi liberum esse, eum inter approbatos eligere, quem digniorem existimaret, quin relationem Examinatorum sequi cogeretur; secus iudicium Ordinarii haud electionis, sed vix approbationis nomen mereretur, et iniuria coram Sacra Congregatione pluries certatum fuisset, an constaret de mala Examinatorum relatione et de irrationabili iudicio Episcopi, cum potius disceptari oportuisset de irrationabili iudicio Examinatorum: huiusmodi dubiorum formulae passim occurrunt, ac praesertim in Urbanien. Praebendae Theologalis 23 iunii 1764, in Pinnen. Theologalis 20 septembris 1760, et in Terracinen. seu Setina Praebendae Theologalis 3 septembris 1818 *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829* §. *Ex his* (1).

82. Idcirco cum etiam res sit de Canonici Theologi electione, compertum cuique est, digniorem ac magis idoneum esse non eum, quem sola scientia commendat, sed spectandas esse alias eligendi qualitates, de aetate maximam habendam rationem, de moribus de prudentia de existimatione, quam de eo habeat Clerus et Populus *in Urbanien. Praebendae Theologalis die 23 Iunii 1764* §. *Digniorem* (2).

83. Unde Sacra Congregatio censuit, soli Episcopo competere facultatem, ex Decreto Concilii in Cap. 18 sess. 24 de reformatione concessam, approbandi et reprobandi in Concursibus Parochialium vacantium, non vero Capitulo *in Hispalen. anno 1592 lib. 7 Decretorum.*

84. Quapropter electio magis idonei ex approbatis ab Examinatoribus in Concursu Parochialis vacantis spectat ad Vicarium Capitularem, si peracto Concursu factaque per Examinatores renunciatione idoneorum, Episcopus coram quo peractum fuit examen, non facta electione magis idonei, praemoriatur, nec locus est novo Concursui *in Dubium Concursus die 1 Iulii 1679 lib. 30 Decretorum pag. 355.*

85. Si vero electus renunciet, deveniri non potest ad praeelectionem alterius absque alio novo examine, cum per electionem primi finitus iam sit Concursus, nec deveniri potest ad novam electionem sine novo Concursu, iuxta firmata per Garciam in cap. 2 de Benef. part 9 n. 221, et Massobr. in prax. habendi concurs. requis. 3 dub. 11 per totum *in Casertana Concursus die 19 Decembris 1729* §. *Circa.*

86. Unde si spectetur sanctio Tridentinae Synodi sess. 24 cap. 18 de reformatione Examinatorum Synodalium munus est renunciare, quot ex Concurrentibus reperti fuerint idonei, non autem quis eorum sit dignior, quum Episcopo reservetur, eum quem ipse dignio-

(1) Species et resolutio praefatae Salernitanae Canonicatus Poenitentiarii prostant in verb. *Canonicatus* §. VII, n. 76 ad 78; in verb. autem *Canonicatus* §. VIII n. 131 ad 184 Tom. IV antiquas et recentiores habes resolutiones post Benedictinam Constitutionem *Pastoralis* editas, quibus manifesto apparet, ius eligendi Canonicum Theologum et Poenitentiarium in formali Concursu spectare absolute ad Episcopum, non vero ad Examinatores, qui non alias ac in Concursibus pro Ecclesiis Parochialibus conferendis institutis exhibere tantum possunt Episcopo idoneos ad obtinendas Praebendas Theologales ac Poenitentiarias, quos inter Episcopus eligit, quem melius in Domino iudicaverit.

(2) Rota in Barchinonen. *Canonicatus* Poenitentiarii 4 februarii 1733 §. 4 coram Calcagnino; in Imolen. Canonicatus Theologalis 2 aprilis 1713 coram Molino.

rem iudicaverit eligere, ut cum aliis notant Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 108, et Ventriglia in prax. for. Eccles. part. 2 annot. 5 §. 1 n. 49 *in Casertana Concursus die 17 Decembris 1729 §. Circa.*

Item *in Nullius seu Sublacen. Concursus die 22 iulii 1741 §. Porro; in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 iunii 1833 §. Id.*

87. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, – Examinatores debere denunciare, quot idonei reperti fuerint, non autem quis eorum dignior sit; Episcopum autem suo iudicio debere eligere digniorem – *in Abulen. die 1 Decembris 1593 lib. 7 Decretorum pag. 139 a tergo.*

88. Idcirco Examinatores Synodales, ne fines eorum muneris excedant, referre debent, qui sint idonei, numquam vero renunciare quis sit magis idoneus, quod ad solum Episcopum pertinet *in Firmana Parochialis die 24 Iulii 1762 §. Et inspectis.*

Item *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829 §. Iamvero; in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Decembris 1842 §. Quoad.*

89. Non desunt vero, qui arbitrantur, partes Examinatorum esse, referre Episcopo nedum quis dignus ex concurrentibus, sed etiam quis dignior sit, ut ait Barbosa in cap. 18 sess. 24 n. 14, et Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 109, qui tamen sub numero 110 subiungit, posse eos renunciare quis sit magis idoneus, petente Episcopo *in Casertana Concursus die 17 Decembris 1729 §. Circa.*

Item *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 iunii 1833 §. Id.*

90. Nam verum quidem est, non posse Examinatores sine nullitatis labe magis idoneum renunciare ad tradita per Garciam in part. 9 cap. 2 n. 105 ad 108; at nullam committi nullitatem, si volente et rogante Episcopo, id fecerint Examinatores, probat idem Garcias loc. cit. n. 110, Vivianus de iurepatronatus lib. 10 cap. 1 n. 4, et Sacra Congregatio in Casertana Concursus 17 decembris 1729 *in Ferentina Capellaniae quoad Concursum die 17 Septembris 1842 §. Ad quartum.*

91. Possunt autem Examinatores sua suffragia secum communicare, vel ea seorsim ferre; nec interest, utrum secreto, an palam ferantur, cum nihil de hac re fuerit a Tridentino sancitum: possunt etiam de moribus aliisque postulantium qualitatibus simul vel de singulis eorum distincta dare suffragia, ad tradita per Fagnanum in cap. *Eam* de aetat. et qualit. n. 16 et 17, quo fieret, ut, collatis tandem suffragiis, maiora eadem in alterum ex adprobatis, et minora in alterum ut plurimum inferantur, atque inde in actis describatur, eos vel primo, vel secundo loco, vel inferiori loco probatos fuisse; si itaque honesta huiusmodi suffragatione pateat ex ipso suffragiorum numero, quinam dignior ab ipsis censeatur, constat, verbis id eos posse portendere, quin de Concursus vi ambigere fas sit, dummodo liberum de electione iudicium ac ius omne plene reservetur Episcopo *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833 §. Id.*

92 Ceterum de tempore, quo stata dies Concursus Examinatoribus indicenda sit, nec a Tridentina Synodo, nec a Summis Pontificibus, qui de Parochiarum Concursu peculiares Constitutiones ediderunt, neque a Sacra Congregatione quidquam sancitum est *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833 §. Sed.*

93. Idcirco Episcoporum arbitrio permittitur quid sibi satius videatur decernere, vel consuetudo attendenda esse videtur, quum in iis, quae non ex scripto descendunt, attendendam potissimum consuetudinem esse, nemo est, qui nesciat *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833 §. Sed.*

94. Quod si in Tribunali Cardinalis Urbis Vicarii id in instituto positum sit, quod Honorantes refert, – ut nempe diebus octo ante diem Concursus intimetur omnibus Examinatoribus, ut die statuta pro Concursu ad solitum examinis locum se conferant, – est id quidem commentatione dignum; at non protenditur ad alias Diaeceses, ut ibi necessario servandum sit: illius quippe praescriptionis extra ea loca, quae Cardinalis Urbis Vicarii regiminis subsunt, nulla vis est, L. 2 §. de legibus, et Cap. fin. de Constit. in 6 *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833 §. Sed.*

95. Nec de tempore habendi scrutinium

aliquid decernitur in Constitutione Benedictina *Cum Illud*, sed sub §. 16 n. 5 ita concluditur: – Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem – *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770 §. Sacra.*

96. Alia tamen iuxta praxim Urbis observantur, quae nec in Decreto diei 10 Ianuarii 1721 Sacrae Congregationis, nec in Benedictina Constitutione continentur, sed referuntur ab Honorante in prax. Secret. Tribunalis Emi Card. Urbis Vicarii n. 19, quaeque respiciunt custodiam resolutionum et explicationum, quas Concurrentes exaraverint, nec non diem scrutinii atque interessentiam ipsorum Concurrentium in loco scrutinii. De primo sic legitur: – Elapso termino duarum horarum, colliguntur resolutiones et explicationes a Concurrentibus confectae et coram supradictis duobus Examinatoribus claudantur in quadam capsula, quae sigillo Emi Vicarii consignatur Secretario ad effectum illam custodiendi usque ad diem scrutinii – De altero vero habetur: – Die postera vel alia subsequenti die intimatur de more scrutinium –. Ac tandem de tertio dicitur: – Die igitur et hora in intimatione praefinita coram Eminentia Sua etc. vocantur per ordinem Concurrentes unus post alium, et lectis per Secretarium coram Votantibus, ipsoque Concurrente, primum Conciuncula postea resolutionibus ac dimisso Concurrente etc. – *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770 §. Praeter.*

97. Hanc Urbis praxim S. Congregatio imitandam proposuit ceteris Curiis ecclesiasticis his verbis: – Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, Sanctissimo annuente, statuit (quod per praesentes Literas encyclicas exequitur) omnes et singulos Episcopos aliosque Praelatos, penes quos sit ius et auctoritas faciendi Concursum, hortari, ut examen huiusmodi instituere non graventur, quale iam et multae Diaeceses et Urbs ipsa observat atque Apostolica etiam Dataria postulat – *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770 §. Hanc.*

98. At ex Concilio Tridentino sess. 24 cap. 18 ex Piana Constitutione 33, ex Epistola Encyclica Sacrae Congregationis, iussu et auctoritate Clementis XI ad Ordinarios directa, ac demum ex Constitutione Benedicti XIV *Cum illud* praescribitur, ut examen descriptorum in actis pro Ecclesiae vacantis provisione faciendum sit ab Episcopo vel eius Vicario Generali cum Examinatoribus Synodalibus capitulariter, ut aiunt, cum eodem congregatis in loco designato *in Lucana Concursus die 27 Ianuarii 1855 §. Archiepiscopus.*

99. Hinc iudicium in Concursibus ad Parochiales Ecclesias ita Romae et alibi communiter solet institui, ut ab Examinatoribus communi scrutinio et deliberatione super singulas examinandi seu Concurrentis responsiones ad propositas casuum quaestiones habito coram Episcopo, ipso probante, conveniatur de singulis, quo calculo unaquaeque responsio digna sit, et calculus scripto ad unamquamque responsionem notetur. Id ipsum de concione seu expositione fieri solet. His exactis, fit computus punctorum seu calculorum, ex qua computatione palam fit, quinam sit adprobandus, et qui reprobatus hac lege, ut qui exempli gratia ex undecim punctis non habuit, nisi medietatem aut infra, is reprobatus censeatur, puta si quinque aut quatuor tantum e decem habuerit. Sin vero ultra medietatem habuerit, erit approbationis gradus maior vel minor, prout ad numerum undecim aut accedit, aut distat: ita qui undecim tulit puncta, adprobatus censetur in primo gradu, qui novem in secundo *in Lucana Concursus die 21 Maii 1803 §. Animadvertendum.*

100. Episcopus autem, vel Vicarius Generalis tum dumtaxat habent votum decisivum in approbando examinatos, cum Examinatores fuerint pares vel singulares in suis votis: proposito enim dubio: – Utrum Episcopus vel Vicarius habeant votum decisivum in approbando examinatos ab Examinatoribus in Synodo deputatis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – habere, si Examinatores fuerint pares aut singulares in suis votis – *in lib. 1 Decretorum pag. 158.*

101. Idcirco Episcopus non habet votum in Concursibus, nisi quando Examinatorum vota sunt paria *in Aurien. die 11 Ianuarii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 2.*

102. Nam ubi Examinatores sunt pares, Episcopus habet votum decisivum *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

103. Hinc habet arbitrium accedendi cui vult ex approbatis habentibus singulis dimidiam partem suffragiorum *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

104. Quapropter Episcopus, unico comparente et examinato atque a duobus Examinatoribus approbato et a duobus reprobato, habet arbitrium illum approbandi, vel reprobandi *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

105. Unde approbatus a duobus Examinatoribus in Concursu vacantis Ecclesiae Parochialis et a duobus reprobatus, si Episcopus accedat duobus approbantibus, prout ei licet ex Decreto Concilii in cap. 18 sess. 24 de reformatione, potest tamquam magis idoneus eamdem Parochialem obtinere *in Nucerina die 11 Martii 1604 lib. 10 Decretorum pag. 84.*

106. Quum autem Episcopus inter duos aequaliter approbatos praeelectionem expleverit per sortes, et alter ob id appellaverit, Sacra Congregatio, quin declararet, an huiusmodi provisio per sortes sustineretur, cunctis ad rem facientibus perpensis, mandavit, Paraeciam adiudicandam esse iam praeelecto, qui reapse amplioribus praeditus erat meritis *in Asculana die 27 Ianuarii 1728.*

107. Siquidem quum Parochialis Ecclesia S. Petri Terrae Arquatae fuerit derelicta a possessore, Episcopus indixit Concursum, in quo Ferdinandus Eupitius et Claudius Antonius Bucciarellus fuerunt aequaliter approbati. Episcopus, implorato Sancti Spiritus lumine, nomina dictorum Concurrentium in calice posuit declarans, quod ab ipso praeelectus enunciaretur, cuius nominis schedula a calice remotior exiisset. Sors favit Bucciarello, et Literae in eiusdem favorem, nulla de ratione adhibita facta mentione extractionis schedularum per sortes absque praeiudicio litis pendentiae et iurium collitigantium, fuerunt expeditae. Ferdinandus appellavit, atque contendit, praeelectionem per sortes non sustineri. Proposito vero dubio: – An provisio Bucciarelli sustineatur? *Et quatenus negative,* an et cui sit adiudicanda Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Parochialem esse adiudicandam Bucciarello – *in Asculana die 27 Ianuarii 1728.*

108. Nam in paritate suffragiorum illi adiudicanda est Parochia, qui amplioribus pollet requisitis *in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792* §. *Se autem.*

109. Idcirco quando in Concursu duo ab omnibus Examinatoribus aequaliter fuerunt approbati, dignior et praeferendus potest renunciari ab Episcopo ille, qui modestior ac prudentior iudicio ac fide dignarum personarum existimatur, et alias laudabiliter Parochialem iam administravit, licet non tam perite, sufficienter tamen calleat linguam regionis, in qua est Parochia *in Melphien. Concursus die 21 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

110. Unico tamen comparente et a tribus Examinatoribus examinato, quorum duo illum reprobarunt, alter approbavit, non potest Episcopus accedere approbanti; quia examinatus censetur reprobatus *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

111. Nam Episcopus non potest habere rationem de eo, qui fuit reprobatus ab Examinatoribus, ut notat Pignatellius in Consult. 149 tom. 2 n. 5, multoque minus eumdem eligere *in Pinnen. Theologalis die 23 Augusti 1760* §. *Iudicium.*

Item *in Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii die 21 Novembris 1829* §. *Iamvero.*

112. Ex pluribus vero examinatis, quorum unus omnia suffragia favorabilia ab Examinatoribus reportavit, alii ultra dimidiam partem habuerunt, Episcopus potest eligere unum ex istis, relicto eo, qui omnia vota reportavit *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

113. Quod si ex duobus examinatis in Concursu accedit ad eum, qui unicum suffragium habuit, relicto alio, qui habuit duo, non censetur approbare, quia facit paritatem *in Tarvisina lib. 2 Decretorum pag. 86.*

114. Pariter ubi duo ex tribus Examinatoribus aliquem idoneum renunciaverunt, tertius vero illum reprobavit, non potest Episcopus huic tertio approbanti accedere, nec novum Concursum instituere; sed debet accedere approbantibus *in Brixien. ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

115. Hinc Sacra Congregatio declaravit, si, ex duobus Concurrentibus ad Parochialem vacantem et a tribus Examinatoribus Synodalibus examinatis, alter eorum ab omnibus tribus fuerit approbatus, alter vero ab uno

approbatus et a duobus reprobatus, debere utique Episcopum tamquam magis idoneum eligere illum, qui omnia suffragia pro se tulisse proponitur; itaque ad electionem procedendum, atque approbato petenti acta omnia ab ipso Episcopo esse exhibenda *in Callien. die 13 Aprilis 1595 lib. 8 Decretorum pag. 120.*

116 Nullum tamen dubium, quin valeat Episcopus eligere illum, qui maiorem partem suffragiorum tulit, si eum digniorem existimet, omisso alio, qui ab omnibus Examinatoribus fuerit approbatus *in Aquilana die 13 Iunii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 17.*

117. Nam et dignior praeficiendus Ecclesiae Parochiali vacanti de iurepatronatus ecclesiastico et eligendus est ab Episcopo, quando institutio fit a Summo Pontifice vel ab alio quam Episcopo; si vero institutio ab Episcopo est facienda, eligendus est a Patrono *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

118. Amplia, hoc habet locum, etiamsi Beneficium vacaverit in mense Apostolicae Sedi reservato *in Hispanen. anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 44.*

119. Hinc Sacra Congregatio censuit, si Parochia sit iurispatronatus Ecclesiastici et institutio ad Episcopum pertineat, facultatem eligendi digniorem inter approbatos ab Examinatoribus spectare ad Patronum Ecclesiasticum, et Episcopum teneri instituere eum, quem dictus Patronus iudicaverit digniorem et ipsi Episcopo praesentavit *in Barchinonen. anno 1573 lib. 1 Decretorum pag. 167.*

120 Ceterum ad Episcopum spectat qualificatio in Beneficio Curato iurispatronatus vacante, in quo duo Concurrentes aeque fuerunt ab Examinatoribus ut idonei approbati, si institutio spectat ad Patronum; e contra vero spectat ad Patronum qualificatio, si institutio ad Episcopum pertinet *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

121. Quod si praesentatus a Patrono laico ad Ecclesiam Archipresbiteralem nec moribus satis castigatis nec scientia ad gerendam curam animarum necessaria praeditus sit, haud malam relationem Examinatorum et irrationabile iudicium Episcopi dicere potest *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851.*

122. Enimvero quum exeunte mense novembris anni 1850 Archipresbiter Collegialis Ecclesiae S. Mariae Terrae Moroli ex hac vita migrasset, Princeps Columna, qua Patrotronus, motus etiam officiis Magistratus loci, ad vacantem animarum curam Sacerdotem Eusebium Canale e Collegio Canonicorum eiusdem Ecclesiae nominavit, qui Praesuli Anagnino nominationem obtentam rite praesentavit, ut inde canonicam institutionem assequeretur. Ad tramites Concilii Tridentini Episcopus praesentatum coram tribus Examinatoribus Pro-Synodalibus accersivit, ut idoneitatis experimentum de eo fieret, quod tamen contrarium quaquaversus Eusebio cessit; siquidem et in secreto scrutinio de vita et honestate nominati unanimiter Iudices senserunt, non expedire, quod ipsi regimen committeretur animarum, et quoad scientiae specimen in scriptis exhibitum longe ille minora puncta consequutus est, quam quae sufficerent ad idoneitatem comprobandam. Preces hinc Eusebius Sacrae Congregationi obtulit, ut, inspectis actis, Examinatorum relationem iudiciumque Episcopi deleret, cum aequivocatio oborta esset in lectione resolutionum casuum facta a Cancellario. Rogatus Episcopus pro informatione et voto festinus accivit Pro-Synodales Examinatores, ut novo examini subiicerent responsa a Canalio exarata. Maturius igitur omnibus perpensis, sententia Examinatorum in melius revera immutata est; non ita tamen, ut scientiae idoneitas inde scateret. Episcopus itaque retulit: - Resolutiones Canale ad quaestiones propositas adeo miserae fuerunt atque adeo erroribus plenae tantaque confusione, ut vix tales dedisset, qui Theologiam moralem vel a limine salutasset. Ast nil mirum, quod noster Canale in hoc subeundo examine male se gesserit: licet enim sufficienti ingenio ipse praeditus sit, a die tamen, quo a Seminario Diaecesano egressus est, non ad colendas theologicas, sed potius ad secularia vel ruralia negotia totum se dedit. Nunquam se exercuit in audiendis Christifidelium confessionibus, nunquam ad Populum sacras conciones habuit. Sed restat adhuc quod peius est, nempe quod eius mores satis castigati non sint, nec apud Concives suos gaudeat ipse illa existimatione, quae adeo necessaria est habenti animarum curam.

Sentio, Eusebium Canale carere idoneitate ad animarum curam necessaria, tum ratione scientiae, cum ratione probitatis morum ac vitae; proindeque denegandam illi esse institutionem ad vacantem Paraeciam Archipresbiteralem –. At Eusebius Canale contendit, haud agi in themate de Concursu plurium ad Paraeciam liberae collationis, nec de cura animarum in populosa Civitate gerenda; sed rem esse de laico Patrono, qui Tridentini moniti gnarus digniorem inter postulantes ad Paraeciam Oppiduli nominavit: praesumptionem hinc exurgere pro nominati idoneitate, adeo ut praesentationi pedissequa ac necessaria prorsus agnosceretur institutio. Examen vero ex iure novissimo institutioni praemittendum pro forma tantum exigi, satis esse in electo sufficientem reperiri scientiam et idoneitatem. Nec ambigi posse subdidit de Eusebii idoneitate ex pluribus exhibitis documentis de profectu in studiis, in sacro ministerio assiduitate, in animarum salute procuranda sollicitudine, in comitate benevolentia in morum probitate, ut vix illo parem in Clero Moroli invenire datum esset. Quae testimonia maximi facienda, utpote prolata a Clero Proceribus nec non Magistratu. Hinc et septem Urbis ecclesiastici viri, in Theologica facultate praestantes, in ipso idoneitatem agnoverunt.

123. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An constet de mala relatione Examinatorum et de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Ecclesia Parochialis S. Mariae Moroli sit adiudicanda Sacerdoti Eusebio Canale in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum Negative – *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851.*

124. Nec irrationabile dici potest iudicium Episcopi cum praesentatus ad vacantem Parochialem S. Luciae Auximanae Civitatis a Patrono Marchione Pini in examine fuerit reprobatus, nam ex suffragiis 51 favorabilia tantum habuit merito viginti quatuor; his quippe in terminis proposito dubio: – I. An constet de irrationabili iudicio Emi Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Auximana Parochiae die 18 Martii 1797.*

125. Nam et reprobatus censetur, qui tria tantum ex septem votis in examine reportavit; et ideo non potest eligi, ut magis idoneus ad Parochialem vacantem *in Beneventana anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 177.*

126. Quum autem praesentatus Vicario Capitulari a Patrono laico ad vacantem Ecclesiam Parochialem reprobatus fuerit a tribus ex quatuor Examinatoribus, interposita appellatione a mala eorum relatione, Sacra Congregatio post maturam discussionem censuit, eum remittendum esse arbitrio novi Episcopi *in Tudertina Parochialis die 11 maii 1709 die 11 Ianuarii et die 15 Martii 1710 lib. 59 et 60 Decretorum.*

127. Enimvero – dudum vacante Parochiali Ecclesia Divae Mariae de Agello Castri Gruptium huius Diaecesis de iurepatronatus laicorum, fuit ad eam infra legitima tempora a Duce de Caesarinis, ad quem illud spectat, praesentatus coram Vicario Capitulari Tudertino Sacerdos Ioseph Brunorius, qui admissus ad examen coram quatuor Examinatoribus Synodalibus, ab eorum tribus extitit reprobatus. Provocavit exinde Brunorius ab irrationabili Examinatorum iudicio ad hanc Sacram Congregationem, a qua praefatus Vicarius iussus acta examinis transmisit cum responsionibus dubiorum ipsius examinati, quae dantur in Summario una cum eiusdem Vicarii relatione–. Propositis interim dubiis: – I. An reprobatio Iosephi Brunorii ab Examinatoribus Synodalibus facta substineatur? *Et quatenus Affirmative.* II. An sit locus novo examini coram aliis Examinatoribus et quibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Tudertina Parochialis die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

128. Mens autem fuit – ut exquireretur secreta informatio super moribus et idoneitate Oratoris, quae nuper transmissa a duobus vicinioribus Antistitibus, quibus fuit commissa, durante tunc etiam Sedis Episcopalis Tudertinae vacatione, nuper tamen provisae, exhibebitur originaliter perlegenda EE. VV. in actu ipsarum supremi Consessus, ut reassumpto folio diei 11 maii currentis anni, ac perpensis noviter pro parte Oratoris deducendis, prodeat prudentissima resolutio –. Repropositis tamen praefatis dubiis, Sacra Congregatio die 11 ianuarii 1710 rursus respondit: – Dilata, et ad mentem –. At mox

repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit:-Remittendum esse arbitrio Emi Episcopi-*in Tudertina Parochialis die 15 Martii 1710 lib. 60 Decretorum.*

129. Manifestum hinc est, quanta cura studuerit semper Ecclesia, ut ii ad regimen animarum assumentur, qui possent verbo et exemplo oves suas dirigere, eisque salutaria pascua praebere: id porro testantur passim edita sacrorum Canonum statuta, tum quae iuxta rerum circumstantias prodierunt, tum quae omnibus Episcopis pro recta agendi norma tradita sunt; praescriptum enim est, ut Parochi praesertim exemplo sint fidelium in verbo in conversatione charitate in fide, atque attendant sibi et doctrinae, instantes in istis, ut et seipsos salvos faciant et eos, qui se audiunt. Hinc Fagnanus in Cap. *Eam te* de aetat. et qualit. praef. n. 21 asserit, iuxta communem Sacrorum Canonum dispositionem nonnisi praestantiores et digniores ad curam animarum esse assumendos; idque etiam praescriptum pluribus Sacri Concilii Tridentini Decretis praesertim vero sess. 24 cap. 18 de reformatione testatur s. m. Benedictus XIV in notissima Constitutione his verbis: - Provide consultum est, regimen Ecclesiarum Parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad provectiores annos per disciplinae Ecclesiae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione ac potiori doctrinae morum ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare - *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Quanta.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Sacrorum; in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854* §. *Sacrorum.*

130. Siquidem Beneficia Ecclesiastica conferenda esse dignioribus eisque, qui aetate moribus doctrina et prudentia ceteris antecellunt, statutum habetur in Can. *Si forte* dist. 63, Cap. *Quoniam* de iurepatronatus, et Cap. *Constitutis* de appellatione *in Verulana Archidiaconatus die 16 Septembris 1769* §. *Beneficia.*

131. Id autem ut exacte impleretur in collatione Ecclesiarum, sive eae sint de iurepatronatus ecclesiastico, sive de libera Ordinarii collatione, certam normam omnino servandam praescripsit Concilium Tridentinum in cap. 18 sess. 24 de reformatione, ubi inter alia haec praestitit:-Peracto examine, renuncientur quotquot in his idonei iudicati fuerint aetate moribus doctrina prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex his Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illi et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre - *in Verulana Archidiaconatus die 16 Septembris 1769* §. *Beneficia.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Verum.*

132. Exploratum propterea est, non doctrinam tantum esse spectandam, sed aetatem quoque mores prudentiam et alias res ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunas, ut legitur in Cap. 18 sess. 24; et statutum fuit in Decreto Sacrae Congregationis anni 1721: - Cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior seu magis idoneus ad regimen habeatur, vel etiam habendus sit - *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Quod.*

Item *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Verum; in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Consonant; in Urbinaten. Concursus die 27 Martii 1819* §. *In; in Mutinen. Concursus die 13 Ianuarii 1844* §. *Circa.*

133. Hinc Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud,* postquam loquutus est de Concurrentium doctrina, sic pergit: - Parem nisi forte maiorem solertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda - *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Quod.*

134. Ex quibus colligitur, reprehendi non posse Examinatores, si eum, qui minus docte se gesserit, inter approbatos numerent, eique etiam praeferant, qui maiori elegantia doctrina atque eruditione propositis quaestionibus satisfecerint *in Verulana Archidiaconatus die 20 Ianuarii 1770* §. *Quod.*

135. Ne autem ab Examinatoribus ignorari possent praedictae qualitates, Benedictus XIV

in praefata Constitutione *Cum illud* praecepit, quod Concurrentes ante diem Concursus infra terminum ab Episcopo Edictis assignatum coram Cancellario Episcopali suarum qualitatum meritorum et munerum probationes et attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude careant, exhibeant: ubi secus actum fuerit, ut si doctrinae tantum Iudices essent Examinatores, Concursum declarat nullitate laborare, ac refert apposite plura Decreta in lib. 4 de Synod. Diaeces. Cap. 8 n. 3, ac praesertim quum Episcopus Abulensis sciscitaretur, an de sola literatura relatio Examinatorum sufficeret, Sacra Congregatio respondit: - Teneri (Examinatores) facere relationem etiam circa mores, aetatem, et reliqua -; aliter nullum esse Concursum declaravit in Montis Regalis 2 augusti 1607 *in Mutinen. Concursus die 13 Ianuarii 1844* §. *Circa.*

Item *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Ubi; in Lucana Concursus die 26 Augusti 1855* §. *Quandoquidem.*

136. Hinc etiam a Cancellario efformandum esse et legendum epitomen meritorum cuiusque Candidati in praelaudata Constitutione praescribitur; ac ex his omnibus, quae exhibita sunt, iudicium Examinatorum derivandum: et profecto Iudicis cuiusque officium est ex actis probatisque iudicare, ceu etiam Rota docuit in Cassanen. Parochialis 28 iunii 1751 §. 4 coram Migazzi *in Cassanen. Parochialis die 21 Novembris 1761* §. *Defendit.*

Item *in Asculana Parochialis die 15 Septembris 1764* §. *Addit; in Mutinen. Concursus die 13 Ianuarii 1844* §. *Hinc.*

137. Idcirco quoties mancum fuerit quavis ex parte iudicium Examinatorum, nullitate Concursum laborare non dubitatur *in Mutinen. Concursus die 13 Ianuarii 1844* §. *Hinc.*

Item *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Ubi.*

138. Quin imo si Examinatores relationem Ordinario exhibitam tantum ad scientiam cohibeant, ceteris omnibus rationi et arbitrio eiusdem remissis, hinc veluti cassa pariter nulliusque roboris tum relatio, tum Ecclesiae Parochialis collatio est reputanda, ut pluries Sacra Congregatio definivit, praesertim in Urbinaten. 15 iunii 1605, et S. Rota in Cassanen. Parochialis die 28 iunii 1751 coram Migazzi *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *At.*

139. Idcirco cum Examinatores retulerint quoad scientiam tantum, et quoad alias conditiones seu qualitates rem iudicio Episcopi remiserint, Sacra Congregatio declaravit constare de mala eorum relatione, atque mandavit deveniendum esse ad novum Concursum coram Metropolitano *in Larinen. Concursus die 2 Septembris 1758.*

140. Siquidem in Concursu ad vacantem Ecclesiam Archipresbiteralem S. Georgii Terrae Chieuti Examinatores Synodales approbarunt Franciscum Peta et Liborium Sasso, - cum hac tamen distinctione, ut R. Franciscus Peta tamquam magis idoneus capax et prudentia praeditus aliisque causis prout ex actis sit approbatus in primo loco, R. vero D. Liborius Sasso in secundo loco, sed in infimo gradu tamquam multo minus idoneus; et hoc secundum puncta plus aut minus notata, ut in lectura foliorum quoad doctrinam tantum: quo vero ad natalia aetatem vitam et mores remittimus nos informationi per Episcopalem Curiam captae ac prudentiae et cognitioni illustrissimi et reverendissimi Episcopi -. Episcopus autem die sequenti approbavit R. D. Franciscum Peta et mandavit expediri literas testimoniales in forma, et harum testimonialium causa collata fuit eidem Peta Parochialis Ecclesia a Dataria Apostolica, et immissus fuit in possessionem eiusdem Ecclesiae. Appellavit Liborius Sasso atque contendit, malam fuisse Examinatorum relationem, quia magis idoneum renunciarunt, quod eisdem non licebat, sed Episcopo datum est iudicium eligendi, - quem ceteris magis idoneum iudicaverit -; accedere, quod praefati Examinatores contra formam a Sacro Concilio Tridentino praefinitam de scientia dumtaxat renunciarunt, de ceteris vero qualitatibus nulla ab ipsis ratio habita fuerat, cum sese expresse retulerint - ad informationem per Episcopalem Curiam captam et ad prudentiam et cognitionem illustrissimi et reverendissimi Episcopi, - quae verba ita clara erant, ut nullo colore obtegi posset nullitas, ceu ex perpetua Sacrae Congregationis sententia tradunt Fagnanus in Cap. *Eam te* 15 de aetate et qualitate, Garcias de

Benef. part. 5 cap. 7 n. 11 et part. 6 cap. 2 n. 227 et part. 9 cap. 2 n. 108, Ventriglia in prax. part. 2 annot. 5 §. 1 n. 46. Contra Franciscus Peta sustinuit, Examinatores de ceteris etiam qualitatibus retulisse, relicto dumtaxat reverentiae causa iudicio prudentiae Episcopi, neque ob id nullum dici posse Concursum, iuxta doctrinam Lotterii de Re Benef. lib. 2 quaest 31 n. 99 et 100, Corradi in prax. Benef. lib. 3 cap. 4 n. 9 et 10. Addidit, Liborium triplici crimine notatum non debuisse ad Concursum admitti.

141. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – II. An constet de mala relatione Examinatorum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An sit deveniendum ad novum Concursum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative coram Metropolitano – *in Larinen. Concursus die 2 Septembris 1758.*

142. Nam Concursus redditur nullus, si Examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates tam quoad scientiam, quam quoad mores, prout S. Concilium Tridentinum in cap. 18 sess. 24 de reformatione requirit *in Montis Regalis anno 1606 lib. 11 Decretorum pag. 11.*

143. Unde communiter receptum est, eum magis dignum ad animarum curae onus obeundum censeri, qui minori licet scientia instructus alios exemplo prudentia morumque honestate praecellit, uti cum aliis animadvertunt Barbosa ad Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 18 n. 118, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 4 n. 112, Card. De Luca de Parochis disc. 37 n. 28 *in Nicien. Concursus die 27 Iulii 1737* §. *Verumtamen.*

144. Nam ex Sacrorum Canonum praescripto non ille ad animarum curae onus obeundum est assumendus, qui maioris dumtaxat scientiae specimen in examine praebuerit, sed qui, licet scientia inferior, alios aetatis maturitate prudentia morum honestate ac etiam peritia in animarum cura exercenda antecellere comperiatur *in Reatina Parochialis die 3 Septembris 1740* §. *Haec.*

Item *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Verum.*

145. Nota hinc sunt verba S. Tomae Aquinatis 8 q. 4 art. 6, ex cuius monitu norint Episcopi, – non oportere semper eligere meliorem simpliciter; sed eum, qui sit melior ad hoc officium – *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Haec.*

146. Concursus enim dum celebratur, dignior iudicandus absolute non est quicumque praestat aetate et antiquioritate sacerdotii, ceu ad rem Rota in decis. 429 n. 20 coram Ansaldo; sed dignioritas inquirenda est relative ad vacantem Ecclesiam *in Portuen. Parochialis die 25 Iunii 1763* §. *Cum tamen.*

147. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, posse Episcopum inter examinatos et approbatos ab Examinatoribus eligere etiam Clericum, omissis Sacerdotibus, si eum digniorem iudicaverit *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de Reformatione Posit. 100.*

148. Idcirco si qui sint Populo invisi nullamque vel saltem nondum pacificam Parochialis Beneficii possessionem obtinuerint, provide factum videtur, si animarum cura iis minime committatur, ne ex ipsorum odio gravia forte generentur incommoda, uti colligitur ex Canone *Nullus invitis* dist. 61, Canone *Si forte* dist. 63, adeo ut sufficiens videatur impedimentum, quominus alicui Parochialis conferatur Ecclesia, indignatio ac malevolentia Populi, etiamsi minus iusta et irrationabilis dignoscatur, ad notata per Lambertinum de iurepatronatus part. 2 lib. 2 quaest. 9 art. 11 *in Reatina Parochialis die 3 Septembris 1740* §. *Haec.*

149. Nam in seligendis Pastoribus ii semper praeferendi sunt, qui Populi affectione potiuntur, ut innuit Textus in Canone *Nec emeritis* dist. 61; et firmant Pitonius in discept. eccles. 109 n. 24, Vivianus de iurepatronat. lib. 2 cap. 9 n. 18, Monacellius tom. 2 tit. 15 n. 21, Rota in Lunen. Sarzanen. Parochialis 14 ianuarii 1707 §. Et denique coram Omanna, in Firmana Parochialis 23 iunii 1752 §. fin. coram Emo Molino, decis. 551 n. 6 coram Buratto, decis. 269 n. 7 coram Ansaldo *in Portuen. Parochialis die 25 Iunii 1763* §. *Quamobrem.*

Item *in Aquinaten. Parochialis die 17 Ianuarii 1765* §. *Addit.*

150. Idcirco dici nequit irrationabile Episcopi iudicium, quod elegerit iuniorem, si acceptus sit Populo, alter vero licet senior, invisus; tunc enim prior illius curae aptior est per Te-

xtum in Cap. *Quod Dei timorem,* ibique Barbosa n. 4 de aetat. monach., Bellett. disquisit. Cleric. part. 1 de cleric. §. 10 n. 6, Card. De Luca de Paroch. disc. 17 n. 7: secundus autem nedum a consequenda arceri Parochia, sed ab illa etiam obtenta dimitti potest, ad Textum in Cap. *Nisi cum pridem* de Renunciat, Piton. Discept. Eccles. 34 n. 39, Reiffenst. in ius Can. lib. 1 Decret. ad tit. 9 de Renunciat. §. 2 n. 35 *in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792* §. *His.*

151. Limita, dummodo tamen iusta probetur aversionis causa, ad tradita per Lambertinum de iurepatronatus lib. 2 part. 2 quaest. 9 art. 11 n. 3 *in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792* §. *Se autem.*

152. Quapropter cum indignatio Parochianorum in praeelectum et ab omnibus Examinatoribus approbatum existere videretur, sed minus iusta et irrationabilis, non propterea irrationabile iudicium Episcopi dixit Sacra Congregatio; adeoque valide eidem collata extitit Parochialis Ecclesia *in Reatina Parochialis die 3 Septembris 1740.*

153. Enimvero in Concursu habito ad vacantem Ecclesiam Parochialem Castri Marcitelli duo tantum ex quinque Presbiteris fuerunt ad animarum curam approbati, Antonius nempe de Bonis, qui in eius Oeconomum deputatus fuerat, et in quem omnium Examinatorum suffragia confluxere, nec non Constantinus Petronius, qui a binis ex tribus Examinatoribus fuit idoneus renunciatus, reliqui vero tres, inter quos Horatius Stanislaus Marzocchi, ab uno tantum Examinatore obtinuerunt approbari. Competitores appellationem interposuerunt, ac praesertim Marzocchius iudicium Episcopi irrationabile ac iniustum fuisse contendit; primo scilicet, quod ipse ceterique competitores multo melius, quam Antonius de Bonis casibus conscientiae responderint, atque Conciunculam super Evangelio longe elegantiorem exaraverint; secundo quod idem Antonius nonnisi annum vigesimum octavum tempore habiti Concursus agens paullo ante ad confessiones virorum dumtaxat excipiendas fuerat approbatus, contra vero alii Concurrentes nedum maioris aetatis praerogativa, sed considerabili quoque morum gravitate illum praecellerent, et praecipue idem Horatius, qui ex ipso Marcitelli Castro oriundus ac in anno trigesimo quinto constitutus Parochiali huic Ecclesiae ad septennium circiter praefuit, deindeque ea dimissa aliam obtinuit Parochiam in loco nuncupato Caseprodae in Sabinis, et tandem Archipresbiteratum adhuc a se retentum in Ecclesia Montis S. Mariae Farfensis est assecutus; et tertio demum quod Antonius de Bonis tempore, quo Oeconomi munus in controversa Ecclesia exercuit, invisus adeo Parochianis evasit, ut isti sub initium sese etiam armis opposuerunt, ne possessionem Parochialis obtineret, nec nisi censurarum metu coacti ab incepta oppositione destiterint, in praesens vero conspicientes illius inscitiam et negligentiam in obeunda animarum cura enixe postularent, eamdem Parochialem, Antonio ab eius possessione amoto, sive Horatio Marzocchi, sive Constantino Petrucci conferri, nisi satius ducerent EE. PP. praecipere, ut novum in Urbe examen decerneretur. Contra Episcopus iudicium suum propugnavit, Antonius vero de Bonis nullum eo usque documentum, quo se a notis impictis vindicaret, exhibuit. Videbatur itaque sufficiens esse impedimentum, quominus illi conferretur praefata Ecclesia Parochialis, si reapse indignatio Populi, licet minus iusta et irrationabilis, existeret.

154. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio Episcopi in collatione Ecclesiae Parochialis Castri Marcitelli? *Et quatenus affirmative.* II. An et cui ex approbatis in Concursu sit conferenda supradicta Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Reatina Parochialis die 3 Septembris 1740.*

155. Unde si etiam exterus magna cum meritorum praeponderantia praeelectus fuerit, haudquaquam irrationabile edici potest iudicium Episcopi, licet opera Consanguineorum indigenae posthabiti Populus et Communitas in praeelectum ingentes excitaverint clamores, eumdemque odio prosequantur *in Aquinaten. Parochialis die 2 Martii et die 18 Maii 1765.*

156. Iamvero vacante Ecclesia Parochiali Beatae Mariae in Caelum Assumptae, cuius curae bina Oppida Castricaeli seu Palatioli et Collis suberant, ex septem Concurrentibus duo tantum a quatuor Examinatoribus approbati

fuerunt, Secundinus Grossi e Palatiolo et Thomas Basi e Rocca Casicca. Episcopus elegit Thomam Basi, et Literas ad Emum Pro-Datarium suae electionis transmisit. Magnae tunc excitatae sunt turbae a fautoribus Secundini contra Basium exterum hominem, sed clamores non effecerunt, ut Literae Apostolicae Basio non darentur. Utraque hinc Communitas locorum iura Grossi acriter tueri studuit; ipsa enim contra Basium Populi universi odium ostendit, plura et in iure et in facto de hac indignatione et odio cumulavit, causam iustae oppositionis narravit, suum Grossum amplexus est, de eo supplicavit. Hinc Secundinus uti irrationabile iudicium Episcopi taxavit, de se de sua origine multa praedicavit; se idcirco praeferendum fuisse atque esse, speciatim dum de sui Populi cura agebatur. Addidit, se acceptissimum omnibus, una voce ab omnibus postulatum, ideoque utiliorem futurum, quam invisus atque exterus. Contra Basius contendit, Episcopi iudicium ac electionem summi esse ponderis, iustissimam omni casu existimandam, nisi clarissime error frausque et dolus probaretur; suam maiorem doctrinam clarescere ex Concursu ipso, suas qualitates exornavit, experientiam et prudentiam; tum in Urbe, et in Diaecesi Confessarium egisse, adiuvasse Parochos, ac non solum in ea Diaecesi pro aliis Parochialibus approbatum, sed etiam Romae ab Examinatoribus Cleri pro vacante cura insignis Ecclesiae S. Mariae ad Martyres. Sustinuit itaque, Grossium contradictorem paria non habere merita, iustissime se ab Episcopo praelatum, nec nisi per calumnias et Romae et alibi retardatam Literarum expeditionem; non attendendam in Grossio qualitatem municipalem, aptiorem omnino indiscriminatim eligendum esse, et praecipue pro animarum cura. Demum defendit, contemnendos clamores turbasque non bonis artibus a Contradictoris Consanguineis motas, qui Patruum habuit priorem Parochum, Patrem habebat Medicum non infimae apud suos auctoritatis, cuius non parum intererat, ne bona Parochiae e familia exirent, et cuius opera Communitas in scenam venerat, rem mali exempli esse, suos etiam et quidem non perpaucos inibi fautores habere.

157. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1765 respondit: – Dilata, et ad mentem; sed mox reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Aquinaten. Parochialis die 2 Martii 1765.*

158. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendam a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Aquinaten. Parochialis die 18 Maii 1765.*

159. Quapropter reprobatus ab Examinatoribus frustra queritur de irrationabilitate iudicii Ordinarii, licet probatus fuerit in alio Concursu, sit civis et postulatus a Populo et Clero, et Syndicus instet, ut praeelectus repellatur, uti invisus a Populo, sed Paraeciae adiudicanda est ei, qui fuerit probatus ab Examinatoribus et uti dignior ab Ordinario electus, cum praesertim eum Populus revera odio non prosequatur, sed potius laudibus *in Beneventana Parochialis die 20 Augusti 1757.*

160. Siquidem in Concursu ad vacantem Ecclesiam Archipresbiteralem Torrecusii dignior renunciatus fuit Antonius Faenza exterus, reprobatus vero Franciscus de Ambrosio civis aetate gravior et probatus secundo loco in alio Concursu. Commovit haec reprobatio Universitatem, adeoque Syndicus contendit, Parochiam Antonio Faenza adiudicandam non esse, quia invisus erat Populo, et quidem ex factis moribus et criminibus Antonii, non ex malitia Populi. Hinc et Franciscus sustinuit, praeelectionem Archiepiscopi haud congruere rectae rationi, dum reprobato cive Seniore, approbato in alio Concursu, postulato a Populo et Clero, Concionatore et a Secretis Congregationis, quae habebatur de Theologia morali et Ritibus, digniorem censuerit exterum iuniorem et Populo invisum. Contra Antonius exposuit, iudicium Archiepiscopi notari non posse, cum uti digniorem Franciscum praeeligere nequiret, reprobatum ab Examinatoribus. Negavit, Franciscum de Ambrosio praestare qualitatibus, sed pares esse censendos, doctrina vero esse inferiorem; civicam sprevit qualitatem aetatem graviorem et munera Sacerdotii et Confessarii longiori tempore a Francisco gesta; non licere laicis a praeelectione Episcoporum provocare, neque esse audiendum Syn-

dicum, cum Populus Antonium odio non prosequeretur, sed laudibus ob bene gestum munus Oeconomi.

161. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An constet de irrationabili praelectione Archiepiscopi, et cui sit adiudicanda Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative; et esse adiudicandam Parochialem Antonio Faenza, et amplius – *in Beneventana Parochialis die 20 Augusti 1757.*

162. Siquidem tanta est praerogativa originis, ut iuncta cum simplici etiam idoneitate superet quascumque exterorum fulgentes praerogativas; – primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito praeferantur –, inquit Caelestinus Papa in Canone *Nullus* distinct. 61, et concordat Textus in Canone *Obitum* eadem distinctione, et in Canone *Sacrorum* distinct. 63, Pignatell. consult. 118 n. 3 et 9 tom. 1, Piton. discept. eccles. 109 n. 18 ad 22, et Rota decis. 269 n. 5 coram Ansaldo *in Portuen. Parochialis die 25 Iunii 1763* §. *Quamobrem*

163. At limita, oriundus extero praeferendus est, ceteris paribus: non autem si praecellant in extero meritorum praerogativae, ut tradunt Rigantius ad Reg. 17 Cancell. n. 100, Rota in Valentina Beneficii 18 februarii 1729 §. Extremum coram Aldrovando *in Portuen. Parochialis die 25 Iunii 1763* §. *Quamobrem.*

164. Idcirco si oriundus paria non habeat merita, haud in eo attendenda est qualitas municipalis, ceu ad rem Rota coram Falconerio decis. 5 n. 10 de sent. et mand., coram Herrer. decis. 118 n. 2, in Compostellana Parochialis 12 martii 1756 §. Quod adeo coram Emo Bussio; nam aptior omnino indiscriminatim eligendus est, Cap. *Decorem* 5 de Instit., Lambertin. de iurepatronat. part. 1 lib. 2 art. 24 quaest. 7 n. 18, Rot. decis. 217 Recent. part. 17, n. 6, et praecipue pro animarum cura *in Aquinaten. Parochialis die 19 Ianuarii 1765* §. *Grossium.*

165. Nam oriundus extero praeferendus quidem est ceteris paribus, sed si Episcopus exterum praeelegerit, qui ex actis Concursus praeponderantia meritorum potiebatur, haudquaquam irrationabile dicendum est ipsius iudicium, licet favore indigenae concurrat acclamatio Populi, et Examinatores Synodales eumdem in primo loco approbaverit *in Portuen. Parochialis die 30 Iulii 1763.*

166. Enimvero in Concursu habito ad Parochialem Ecclesiae Terrae Cerveteris Diaecesis Portuensis, singulis bene accurateque perpensis, per Examinatores Synodales – in primo loco approbatus fuit R. D. Dominicus Calabresi a Cervetere, in secundo loco approbatus fuit R. D. Carolus Salvucci de Bassano Sutrinae Diaecesis –. Cum tamen praeelectus fuerit Carolus Salvucci secundo loco approbatus, Dominicus Calabresi appellavit ad Sacram Congregationem. Nam praeterquamquod ipse ob plura, quibus potiebatur, merita, praeferri debebat, cum dignioritas inquirenda sit relative ad Ecclesiam, de cuius provisione agitur, et inspectis dotibus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, nulla ratione praeferri poterat Salvuccius alienae Diaecesis Presbiter, cum tanta sit praerogativa originis, ut iuncta cum simplici etiam idoneitate superet quascumque exterorum fulgentes praerogativas; in casu praesertim, ubi concurrebat Populi acclamatio, quia in seligendis Pastoribus ii semper praeferendi sunt, qui Populi affectione potiuntur, ut inquit Textus in Canone *Nec emeritis* distinct. 61, et firmant Pitonius discept. 109 n. 24, et Rota in Lunen. Sarzanen. Parochialis 14 ianuarii 1707 §. Et coram Omanna, et in Firmana Parochialis 23 iunii 1752 §. fin. coram Molino. Contra Salvuccius contendit, suam meritorum praeponderantiam probari ex actis Concursus, quibus constabat, eum esse antiquiorem aetate et Sacerdotio et magis peritum pro Cura exercenda, ob alia munera laudabiliter gesta iuxta ea, quae notant Benedictus XIV Inst. eccles. 7 n. 7, Rota in decis. 429 n. 24 coram Ansaldo. Nihilque autumavit prodesse Calabresio aut originem et Populi acclamationem aut approbationem obtentam primo loco, quia oriundus extero praeferendus est ceteris paribus, non autem si praecellant in extero meritorum praerogativae: Populi vero dilectio etiam sui favore concurrebat, iuxta exhibitas post assumptum ibidem animarum regimen plurium Civium Vicarii Foranei et Capellani Curati declarationes; et Examinatorum nullius ponderis esse, dixit, iudicium, cum spectaret ad Episcopum

eligere digniorem. Et etiamsi res dubia esset subdidit, retractandum non esse iudicium Episcopi, cum non constaret de tanta meritorum et praerogativarum inaequalitate, ut appareret ille manifestus et inexcusabilis excessus, quem requiri firmat Rota in decis. 429 n. 19 coram Ansaldo.

167. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Ecclesia Parochialis Cerveteris sit adiudicanda Dominico Calabresi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et amplius; et ad Emum Praefectum ad mentem – *in Portuen. Parochialis die 30 Iulii 1763.*

168. Unde si Episcopus praeelegerit exterum, qui maiora suffragia reportavit et maiorem habeat aptitudinem ad regendam Ecclesiam, posthabitus, licet sit originarius loci et per plures annos ibidem curam animarum exercuerit, irrationabile dicere non potest iudicium eius, cum praesertim etiam benevolentia Parochianorum de facto accedat *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850.*

169. Siquidem postquam Episcopus Sarsinatensis frustra iterum iterumque Concursum indixisset ad vacantem Praeposituram S. Mariae Mercati Saraceni, tertio tandem periculum aggressuri comparuerunt Fridericus Randi alienae Diaecesis Presbiter et Aloisius Angeli Diaecesanus et eiusdem Oppidi, in quo erat dicta Praepositura. Facto ab Examinatoribus Pro-Synodalibus scrutinio, ambo Concurrentes adprobati fuerunt. Verumtamen Examinatores Friderico potius, ob eius scientiam aptitudinem ac morum probitatem magis inspectam, studere consilio hinc inde collato arbitrati sunt; et Episcopus eorum sententiam ratam habens, eidem Literas relaxavit commendatitias Datariae Apostolicae, ut Bullas institutionis consequeretur, exhibendas, ceu reapse factum est. Appellavit Aloisius: nam seposito Pro-Synodalium Examinatorum iudicio, quo perpaucis Friderico inferior fuit ipse declaratus, cunctis tamen simul perpensis, Adversarium praecellere contendit. Et primo ob maiorem idoneitatem, eo quod calleret experientiam, dum ipse per annos plurimos curam exercuerat in ipsa Parochiali Ecclesia; secundo praelationis rationem aliam posuit in praestito et quidem gratuito servitio per septennium in ipsa controversa Praepositura; tertio demum rationem originis addidit, quum ipse esset Diaecesanus, imo eiusdem Oppidi, in quo Paraecia erat. E converso Episcopus praeelectionem defendit: nam Fridericus ab Examinatoribus quoad scientiam habuit octo suffragia cum dimidio favorabilia ac tria cum dimidio contraria; quoad mores vero et aptitudinem, omnia favorabilia. Contra Aloisius quoad scientiam retulit septem suffragia favorabilia et quinque contraria, quoad mores et aptitudinem novem suffragia favorabilia et tria contraria. Idcirco Episcopus sustinuit, sibi de iure licuisse praeeligere Fridericum, cum Ordinarius eum etiam praeferre valeat, qui minora suffragia reportaverit. Alienum autem a veritate esse dixit, quod Aloisius gratuitum praestitisset servitium. Et quoad originis praerogativam id sentiendum videbatur, ut ea aliquid tantum operetur ac eligentis animum moderari valeat, quando ceteris paribus in originario verificetur, quod magis diligat Ecclesiam facilius promptiusque indigentiis Parochianorum succurrat nec non patriae suae benevolentiam ad se magis prae oppositore trahere valeat. Ast de Aloisio id haudquaquam sperandum fore Episcopus censuit ac probavit. Unde Populus Fridericum libenter ac plausu iam exceperat.

170. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Paraecia sit adiudicanda favore Aloisii Angeli in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et amplius – *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850.*

171. Nec itaque mala Examinatorum relatio et irrationabile iudicium Episcopi censeri possunt, si probatus et praeelectus fuerit exterus prae Diaecesano, quum is cunctis expensis conditionibus dignior praeseferatur ac extet *in Urbinaten. Parochialis die 20 Septembris 1766.*

172. Iamvero Carolus Antonius Calistri e Firminiano Urbinatensis Diaecesis conquestus est de electo ad Ecclesiam S. Venerandae Parochialem Patriae Antonio Maria Mauro Feretrano. Contendit, male Examinatores retulisse, irrationabile iudicium fuisse Archiepiscopi. De sua doctrina, dixit, haberi inter

monumenta Causae suas responsiones, suam Conciunculam, ac iudicium de his duorum insignium Theologorum Urbis; haberi omnia, quae scripserat Maurus, ut videri posset, se iniuste reiectum; Examinatores de doctrina tantum retulisse, non potuisse igitur contra veritatem apertam praeferre alium. Sua merita et qualitates exposuit, sua studia de philosophia de utroque iure de morali de historia sacra; se esse Oppidanum, habere testimonium pro se ac desiderium totius Populi. Extenuavit merita et qualitates Mauri, qui nihilo melior erat, imo multo inferior, ac non solum non praeferendus, sed sine alio dubio posthaberi debuisset. Eadem prorsus de se et contra Calistrum praedicavit Maurus, ad ipsam scripturam utriusque appellavit, simile pro se iudicium Theologorum attulit. Addidit, se maiorem aetate, se multo a tempore in sacramentalibus Confessionibus audiendis exercitum, ad multas alias Parochias approbatum antea, tunc Cathedralis Urbinatis Vicarium Curatum iam a biennio egisse.

173. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum? *Et quatenus affirmative.* II. An constet de irrationabili iudicio Archiepiscopi, ita ut Parochialis Ecclesia S. Venerandae Castri Firminiani adiudicanda sit Carolo Antonio Calistri? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Urbinaten. Parochialis die 20 Septembris 1766.*

174. Multo minus igitur mala dici potest relatio Examinatorum, cum ea ab aliis Theologis expensa magnum non intercedat discrimen, nec propterea irrationabile censeri potest iudicium Episcopi, si praeelegerit, qui minora puncta quidem reportavit, sed bonis imbutus moribus ac pluribus praeditus requisitis, quin obsit, quod ipse sit exterus, ac posthabitus civis non bonis tamen instructus moribus *in Tiburtina Archipresbiteratus die 22 Augusti 1807.*

175. Siquidem vacata in mense Apostolico Ecclesia Archipresbiterali Oppidi S. Gregorii, in Concursu ad eam conferendam habito duo ab Examinatoribus approbati fuerunt, Presbiter Franciscus Giarè eiusdem Oppidi S. Gregorii, cui data fuere puncta sexdecim cum dimidio, et Sacerdos Camillus Lucchetti e ditione Neapolitana, qui puncta viginti unum consequutus est. Quum Episcopus huic testimoniales Literas dederit, Presbiter Giarè ad S. Congregationem appellavit a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi, oblatis ad hoc precibus, quae Antistiti Tiburtino pro informatione delegatae fuere die 13 novembris 1806 cum clausula, – non retardata provisione Paraeciae –. Ne vero in Dataria Apostolica interea supplicatio relaxaretur favore Lucchetti impedimentum parare curavit Sacerdos Giarè, emissa in officio protestatione cum clausula – nihil transeat –, quam tamen die 21 novembris eiusdem anni 1806 lacerandam mandavit Emus Cardinalis Pro–Datarius addens in Decreto, - et pars citata utatur iure suo in S. Congregatione Concilii –. Hinc Presbiter Giarè institit penes Secretarium praelaudatae S. Congregationis, ut inhiberetur Sacerdoti Lucchetti, quominus Literas Apostolicas expediret, aut possessionem Archipresbiteratus nancisceretur. Quam instantiam dimisit Decreto: – Mandavit Partes uti iure suo ad formam Epistolae S. Congregationis diei 13 currentis –. Postulavit tum Presbiter Giarè a Summo Pontifice, ut Causa decideretur a Sacra Congregatione de voto Rotae, sed hanc instantiam reiecit R. P. D. Auditor Sanctissimi, edito Decreto die 23 februarii 1807: – Facto verbo cum Sanctissimo, mandavit Partes uti iure suo coram Sacra Congregatione Concilii, quae tamen procedat servatis servandis, et praesens Decretum mandavit stare loco commissionis –. Attulit itaque praefatus Giarè votum Theologorum Urbis, qui casus oblatos una cum responsionibus utriusque Concurrentis expenderunt, et puncta decem novem cum dimidio Lucchetto, puncta viginti sex Presbitero Giarè danda esse censuerunt. Theologus vero de officio deputatus, cunctis mature expensis, censuit, Sacerdoti Giarè puncta saltem viginti cum dimidio, Presbitero Lucchetto puncta ad summum septemdecim cum dimidio esse adscribenda.

176. Hinc Presbiter Giarè se digniorem putavit natalibus, quia natus erat in ipso Oppido et in eadem Diaecesi, et Presbiter Lucchetti ab extera venerat ditione; aetate, cum annum ageret quadragesimum tertium et ab anno 1788 Sacerdotio insignitus; scientia, quia

approbatus fuerat ab anno 1789 ad excipiendas sacramentales confessiones, praevio examine, et in sex Concursibus Paraeciarum idoneus habitus fuit; muneribus exercitis, cum coadiuvaverit Parochum Terrae Casapii et ipsum Archipresbiterum S. Gregorii; acceptatione Populi, cum Decuriones Oppidi S. Gregorii testatum facerent, Populum postulare eumdem Giarè in Archipresbiteratu; paupertate, cum alia Beneficia ecclesiastica non possideret. Quoad mores tamen plura imputavit ei Episcopus, et haec ex processibus constare affirmavit, scilicet tempore proximi tumultus anno 1789 interfuisse cum copiis militaribus, dum Oppidum Ceciliani depopulabatur, et subripuisse quinque Porcos; consuetudinem habuisse cum Muliere nupta non boni nominis non sine offensione Populi; in spretum Baronalis Edicti panem ab Oppido extraxisse et ab Executoribus in fraude comprehensum fuisse, ita ut S. Congregatio Immunitatis, licet monendos iusserit Exequutotores, attamen iniunxit Presbitero Giarè spiritualia exercitia; suspensum fuisse a divinis a proprio Episcopo, et licet ad Summum Pontificem reclamaverit, nihil tamen obtinuisse; anno 1803, instantibus – li Maestri di strada di S. Gregorio –, accusatum et inquisitum fuisse ob vastationem publicae viae, et ab anno 1804 inquisitum pari modo fuisse – per abuso del Santissimo Nome di Dio per avere sparlato in pubblico che in privato, e per avere insidiata l'onestà di una Donna maritata –; electum fuisse a munere Ludi Magistri et Secretarii Communitatis, atque frustra ad Congregationem Boni Regiminis reclamante, minime obtinere potuisse reintegrationem; rumorem fuisse in vulgo, – Presbiterum Giarè Uxorem fratris sui ad societatem flagri sollicitasse, et a Germano impetitus per fenestram se dimisit, unde crus illi fractum fuit –. Ut ab hisce se purgaret Presbiter Giarè, plura proferre curavit, ut et suos bonos mores probaret. Presbiter autem Lucchetti ab undecim annis et per decem annos sacramentales excepit Confessiones, et coadiuvavit Archipresbiterum Poli et Parochum Casapii in cura animarum; Oeconomus deinde eiusdem Paraeciae Terrae Casapii et in quatuor Concursibus approbatus; Concionator per quatuor annos tempore Adventus et per tres annos tempore quadragesimae; Rector in Ecclesia rurali Terrae Poli cathechesim Ruricolis explicavit, et singulis sabbatis praecedentibus cuiusque mensis tertiam Dominicam conciones habebat ad Populum; praeceptor electus in Seminario Diaecesano Signino, et institutor scholae Puellarum. Negavit demum, attentatam fuisse possessionem Paraeciae, cum appellatio in devolutivo dumtaxat de iure locum haberet.

177. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum et de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. II. An constet de attentatis et quomodo sint purganda in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et amplius – *in Tiburtina Archipresbiteratus die 22 Augusti 1807*.

178. Quin imo Episcopus non tenetur praeeligere, qui maiora suffragia Examinatorum Synodalium quoad scientiam reportaverit, sed eum magis idoneum declarare potest, qui, simpliciter approbatus quoad literaturam, aliis excellentius fruitur qualitatibus maxime necessariis pro exercenda cura animarum *in Albinganen. Concursus die 18 Septembis 1723*.

179. Iamvero cum in mense Apostolicae Sedi reservato vacasset Ecclesia Parochialis Nazarii et Celsi loci Mar, indictusque fuisset de more Concursus die 12 septembris 1722, ac tres essent Examinatores Synodales, omnium trium vota conspirarunt favore Vicarii Generalis Albiganensis et Sacerdotis Nicolai Marualdi, Sacerdosque Bernardus Cascionus duo habuit vota favorabilia et unum contrarium; cumque Vicarius Generalis renuntiasset cuicumque iuri sibi ex Concursu quaesito, resque redacta esset inter Marualdum et Cascionum, Episcopus secum reputans maiorem idoneitatem ex sola scientia non desumi, sed magis idoneum pro Parochiali esse posse illum, qui est simpliciter inter approbatos quoad literaturam, sed aliis excellentius fruitur qualitatibus maxime necessariis pro exercenda cura animarum, magis idoneum pro Parochia declaravit Sacerdotem Cascionum, et appellatione interposita a Sacerdote Marualdo, non potuit esse locus eidem, nisi in devolutivo, ita ut, relaxatis a Dataria Bullis, Sacerdos Cascionus possessionem obtinuerit Parochialis, et Sa-

cerdoti Marualdo ius tantummodo remanserit prosequendi appellationem in devolutivo, et proponendi in Sacra Congregatione dubium super praetenso irrationabili Episcopi iudicio. Expensis itaque quaestionibus cum respectivis utrinque responsionibus, scribens pro Sacerdote Marualdo contendit, eum nedum esse doctum, sed etiam Doctoris privilegio decoratum, esse omnibus acceptissimum et a Parochianis summopere exoptatum, esse insigni prudentia praeditum; et e contra Sacerdotem Cascionum esse Clero et Populo invisum, esse vilibus Parentibus ortum, esse prae paupertate incapacem ad subveniendum necessitati Ecclesiae Parochialis, non esse humilem, non prudentem, nec bona quoad mores fama praeditum, tum quia ex Altari praedicavit, sola contritione posse indulgentias acquiri, tum quia suspectas cum habuit mulieribus amicitias. At scribens pro Sacerdote Casciono eius qualitates extulit, cum esset maior aetate, cum esset antiquior in Sacerdotio, cum usque ab anno 1715 fuerit approbatus ad audiendas Confessiones, et curam animarum exercuerit tamquam oeconomus, et quidem cum magna laude, cum esset denique, teste Episcopo, virtutibus humilitatis et prudentiae insignitus, in nihilum urgentibus vel suspecta amicitia, cum mulier esset persona honestissima et optimae famae, vel exaggerata imprudentia, cum ad lucrandam indulgentiam per modum suffragii pro defunctis non sit necessaria confessio nec communio, sed actus contritionis sufficiat cum proposito quamprimum peccata confitendi.

180. His igitur aliisque ad rem perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio rerpondit: – Negative, et amplius – *in Albiganen. Concursus die 18 Septembris 1723.*

181. Siquidem Sacra Congregatio iamdiu declaravit, posse Episcopum ex Concurrentibus ad Parochialem vacantem eligere minus doctum; sed bonis moribus praeditum, postposito doctiore, si cuius vitae sit ignoretur, vel quod malae vitae sit habeatur *in Patavina lib. 2 Decretorum pag. 28.*

182. Quin imo Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud* statuit, – Examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis essent idonei et commendabiles, probitate morum laboribus praestito antea Ecclesiae obsequio ceterisque dotibus –, quas Parochialis curae atque disciplinae ratio requirit *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833* §. *Ostendit.*

183. Compertum hinc est, nullum esse Concursum et male retulisse Examinatores, cum hi nullum verbum fecerint de aetate prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ut traditum est a Fagnano in cap. *Eam te* de aetate et qualitate, Lotterio de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 97, Garzia de Benef. part. 5 cap. 7 n. 11, Leurenio for. Benef. part. 1 quaest. 192 n. 1, Navarro in Sum. Bullar. Comment. 45 n. 22, aliisque frequenter *in Monopolitana Concursus die 28 Aprilis 1759* §. *Disputat.*

Item *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Ubi; in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854* §. *Quandoquidem.*

184. Liberum tamen est Examinatoribus Synodalibus, implicite et generaliter de Concurrentium qualitatibus ad regendam Ecclesiam opportunis pronunciare *in Monopolitana Concursus die 28 Aprilis 1759* §. *Contra.*

Item *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833* §. *Qui.*

185. Idcirco mala censeri nequit relatio Examinatorum, si in scrutinio de scientia tantum Concurrentium ad Praebendam Theologalem iudicaverint, sed in relatione Episcopo facta genericam etiam de meritis habuerint *in Pinnen. Theologalis die 20 Septembris 1760.*

186. Iamvero Sacerdos Ioannes Octavius de Sanctis reprobatus in Concursu habito ad Praebendam Theologalem Ecclesiae Cathedralis Pinnensis appellavit a mala relatione Examinatorum, quia licet rationem de Concurrentium scientia tantum habuerint in peracto scrutinio, in quo solum – perpensis resolutionibus et responsionibus ad dubia proposita, nemine discrepante, fuit approbatus R. D. Franciscus Fonzi, et D. Ioannes Octavius de Sanctis fuit ab eisdem reprobatus –, nihilominus retulerunt Episcopo, Concurrentium peritiam expendisse, et notula compendiaria requisitorum accepta a Cancellario, parem nisi forte maiorem solertiam ad-

hibuisse in perscrutando - morum honestatem gravitatem prudentiam praestita hactenus Ecclesiae obsequia acquisitam in aliis muneribus laudem aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda –; hisque omnibus coniunctim expensis, Franciscum Fonzi approbasse et idoneum iudicasse. Quantum sane discrepabat haec relatio a tenore scrutinii, in quo nihil de his meritis actum fuit, tantum praetendebatur adversari formae traditae in Constitutione *Cum illud* Benedicti XIV, quae praecipit, ut Examinatores in scrutinio ipso perpendant scientiam simul et merita Concurrentium, - hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient –, ita ut, omisso meritorum examine, scrutinium de sola scientia peractum irritum reddatur. Excepit contra Franciscus Fonzi, rite processisse Examinatores, licet in scrutinio de singulis Concurrentium meritis non iudicassent, sed genericam de illis mentionem habuerint in relatione Episcopo facta. Haudquaquam vero irrationabile dici poterat iudicium Episcopi, quia cum Octavius fuisset reprobatus ab Examinatoribus, non poterat Episcopus de ipso rationem habere, ut notat Pignatellius Consult. 149 n. 5 tom. 2.

187. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi, ita ut reprobatio Sacerdotis de Sanctis non substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et amplius - *in Pinnen. Theologalis die 20 Septembris 1760.*

188. Nec itaque mala censenda est relatio Examinatorum, si implicite et generaliter de qualitatibus Concurrentium ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis retulerint, nec irrationabile dici potest iudicium Episcopi, si digniorem de facto elegerit *in Monopolitana Concursus die 28 Aprilis 1759.*

189. Siquidem indicto Concursu ad vacantem Parochialem Ecclesiam SS. Petri et Pauli Civitatis Monopolis, ab Examinatoribus Pro-Synodalibus Dominicus Manfredi - fuit approbatus quoad doctrinam cum suffragiis decem affirmativis et sex negativis, quoad mores fuit unanimiter approbatus cum omnibus votis affirmativis, et quoad habilitatem approbatus cum septem suffragiis affirmativis et septem negativis–. Franciscus Paulus Zaccaria vero – fuit approbatus quoad doctrinam cum tredecim votis affirmativis et tribus negativis, quoad mores fuit approbatus unanimiter cum omnibus votis affirmativis, et quoad habilitatem etiam unanimiter fuit approbatus cum omnibus votis affirmativis –. Episcopus elegit Zaccariam, eique, Sede Apostolica tunc vacante, Parochiam contulit. Appellavit Manfredius; ac sustinuit, male retulisse Examinatores, quia hi nullum verbum fecerant de aetate prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, uti constabat ex supra relatis scrutinii verbis, quin satis esset implicita relatio, quia non fuerant Concurrentes idonei ab Examinatoribus renunciati per universalem indefinitam orationem, sed specialiter designatis aliquibus qualitatibus, quod faciebat, ut Examinatores eorum officium excessisse dicerentur et male retulisse, ceu distinguunt Lotterius de Re Benef. quaest. 192 n. 2 lib. 2, Rota in decis. 299 n. 1 coram Cavallerio. Zaccaria vero contendit, validum fuisse Concursum, neque eorum officium Examinatores excessisse, quia satis fuit eos implicite et generaliter de qualitatibus Concurrentium ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis referre, ut Episcopus assequi posset, quem ipse magis putaret idoneum collatis invicem approbationibus, quod et ab ipso Episcopo agnitum fuit, cum inquit: - de Concurrentium respective maiori et minori idoneitate fuisse ab Examinatoribus praedictis sibi renunciatum –. Defendit inde, digniorem elegisse Episcopum, munerum aetatis et meritorum enumeratione facta.

190. His utrinque perpensis, proposito dubio: - I. An constet de nullitate Concursus ac de mala relatione Examinatorum, ita ut sit deveniendum ad novum Concursum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Parochialis sit adiudicanda Manfredo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque, et amplius – *in Monopolitana Concursus die 28 Aprilis 1759.*

191. Hinc non constat de mala praeelectione in personam Viti Antonii Pastore, cum Examinatores Vitum Antonium Pasto-

rem a scientia aetate moribusque commendaverint, Simonem Fanellum vero idoneum renunciaverint quoad aetatem et scientiam, sed nequaquam quoad mores aliaque necessaria ad animarum curam obeundam; his enim in terminis proposito dubio: – II. An constet de mala praeelectione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Monopolitana Concursus die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

192. Idcirco haudquaquam mala Examinatorum relatio et irrationabile iudicium Episcopi censeri possunt, si reprobatus diffamatione quoad mores infectus existat, et praeelectus sit dignior quoad scientiam et alia requisita *in Cassanen. Parochialis die 21 Novembris 1761 et die 13 Martii 1762.*

193. Enimvero in Concursu habito ad vacantem Ecclesiam Parochialem Terrae S. Dominicae approbatus fuit ab Examinatoribus Pro–Synodalibus Franciscus Grisolia – quoad scientiam aetatem mores et alia requisita ad administrandam Ecclesiam Parochialem praedictam –; Sacerdos Ioannes Viguiero reprobatus fuit quoad scientiam, et quoad aetatem et mores tantum approbatus: at Sacerdotem Angelum Lamboglia iidem Examinatores approbarunt quoad scientiam, – et quoad mores reprobarunt –. Episcopus praeelegit Franciscum Grisolia, qui proinde a Dataria Apostolica, attenta vacatione sequuta in mense reservato, provisus fuit de Parochiali praedicta. Angelus autem Lamboglia appellationem interposuit a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi; nam obiecit Francisco Grisolia, quod medicam artem Clericis interdictam dudum exercuerat. At Franciscus Grisolia contendit, merito reprobatum fuisse quoad mores Angelum Lamboglia, quia ex actis Concursus constitit per fidem Cancellarii Episcopalis, eumdem Angelum biennio ante fuisse a Testibus designatum auctorem illiciti commercii cum quadam Muliere de eadem Terra S. Dominicae, quae alterum Clericum de stupro accusaverat; et rursus sub die 22 decembris 1760 admissum fuisse ex gratia ad solvendam mulctam ducatorum decem et ad peragenda exercitia spiritualia per decem dies, ob spretum praeceptum eidem iniunctum de non conversando cum altera suspecta Muliere pariter de eodem loco, cum reservatione eiusdem praecepti adhuc vigentis sub graviori poena ducatorum centum: nec, censuit, deferendum esse Testibus extraiudicialibus mores et honestatem eiusdem Angeli Lamboglia laudantibus, quia praevalebant magis probationes de illius suspectis moribus resultantibus ex actis iudicialibus Curiae Episcopalis. Defendit insuper Grisolia, quod ipse praeferri debuit Angelo Lamboglia ratione scientiae et meritorum, etiam praecisive ab illius diffamatione. In facto enim erat, Franciscum Grisolia maiori praeditum esse scientia ac maioribus meritorum requisitis pollere.

194. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi sive de mala relatione Examinatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Cassanen. Parochialis die 21 Novembris 1761.*

195. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Cassanen. Parochialis die 13 Martii 1762.*

196. Unde cum ex voto insignis Theologi Urbis, qui acta Concursus de officio mature expendit, luculenter constet, quod reprobatus ab Examinatoribus minora etiam vota mereretur, haudquaquam mala censeri potest eorumdem relatio *in Spoletana Concursus die 21 Augusti 1802.*

197. Siquidem indicto per Antistitem Spoletanum die 31 martii 1802 Concursu ad vacantem Paraeciam S. Blasii Villae Casciae, unus tantum adfuit Presbiter Aloisius Amori, qui se examini subiecit. At omnibus ab Examinatoribus, perlectis Concursus actibus scrutinioque facto, per secreta suffragia reiectus fuit dictus Presbiter Amori, cum ex duodecim votis vix quinque secunda, reliqua septem adversa consequutus est. Hinc Episcopus novum Concursum indicendum putavit die 25 aprilis eiusdem anni 1802. Tum Sacerdos Amori reclamavit ad Sacram Congregationem de irrationabili iudicio Examinatorum. Ut igitur dignosceretur quomodo se ab examine expedierit Presbiter Amori, Secretarius Sacrae Congregationis acta Concursus submittenda censuit iudicio insignis Theologi Romani, qui, cunctis mature perpensis, conclusit,

quod Examinatores Pro-Synodales, quam par esset indulgentiores fuerunt in Presbiterum Amori, cum hic non quinque, sed vix quatuor suffragia mereretur. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili iudicio Examinatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Spoletana Concursus die 21 Augusti 1802.*

198. Qua de re cum in propatulo sit defectus scientiae, reprobatus haudquaquam malam Examinatorum relationem renunciare potest *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Decembris 1832.*

199. Siquidem Examinatores Synodales in Concursu habito ad vacantem Parochialem Ecclesiam S. Clarae in Oppido Acri approbarunt primo loco Alexandrum Parvolo et secundo loco Philippum de Simone, reprobaveruntque ob scientiae defectum Franciscum Cofone. Episcopus praeelegit Alexandrum Parvolo. Franciscus Cofone appellationem interposuit a mala relatione Examinatorum. At Episcopus retulit, – ipsum scilicet iure meritoque ab Examinatoribus fuisse reprobatum, uti ecclesiasticae scientiae expertem, proindeque ad curam animarum ineptum –. Huic insuper Episcopi sententiae consonum plane erat iudicium, quod viri et munerum gravitate et pluribus nominibus spectatissimi tulerunt de Cofonii scriptis, quae ipsis ostendenda censuit Secretarius Sacrae Congregationis pro ipsius muneris ratione, eumque nacti fuerunt nec in Theologicis disciplinis satis versatum, nec ad Evangelium exponendum atque ad pascendum scientia et doctrina Populum idoneum, nec proinde dotibus commendari, quibus animarum Curatores oportet pollere. Aequissimum idcirco iisdem visum fuit Examinatorum de Cofone iudicium, quos nimiae in Alexandrum Parvolo indulgentiae accusandos non esse testati sunt, cum iure ac merito dignum ipsum habitum fuisse agnoverint, qui ad Parochiale officium nancisceretur. His igitur perpensis, proposito dubio: – II. An constet de mala relatione Examinatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Negative – *in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Decembris 1832.*

200. Nec etiam constat de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi, si praeelectus, cunctis bene expensis, praeferri videatur *in Tricaricen. Concursus die 2 Iunii 1731.*

201. Siquidem cum Dignitates et Canonicatus Ecclesiae Tricaricensis consuevissent conferri praevio Concursu, propterea quod a singulis continue exercebatur cura animarum in ea Civitatis parte, quae cuique assignabatur, facta vacatione Cantoratus, quae erat secunda Dignitas, duo inter ceteros fuere Concurrentes ad examen, videlicet Nicolaus Minichella et Dominicus Antonius Nordandrea. Examinatores primum approbationis locum tribuerant Nordandreae, cui proinde Episcopus Cantoratum adiudicavit, quique etiam eius possessionem adeptus fuit. At Minichella appellationem interposuit; ac circa doctrinam subiectis sub oculis EE. PP. quaesitis ab Examinatoribus propositis cum responsis ab ipso datis, exposuit, se Doctoris laurea decoratum fuisse in Romano Archigymnasio, Canonicatum cum cura animarum in eadem Cathedrali Ecclesia iam inde ab anno 1718 possidere, officium Advocati Pauperum gessisse, Vicarii Capitularis munere se esse functum, Sede Episcopali vacante, a praesenti etiam Episcopo deputatum olim fuisse Pro-Vicarium Generalem, nec non occasione eius absentiae Locumtenentem suum pro omnium Causarum cognitione, Alumnos Seminarii Episcopalis Theologiam Dogmaticam per annos quinque docuisse, Monialium pluries excepisse confessiones, ac denique etiam examini promovendorum ad Ordines interfuisse. Nordandrea vero exposuit, se esse Archipresbiterum cum cura animarum Terrae Croci, Monialium Confessarium, Examinatorem Synodalem, et in praesens Pro-Vicarium Generalem Episcopi, qui etiam testabatur, eum in tuendis Ecclesiae Cathedralis iuribus multum elaborasse.

202. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Tricaricen. Concursus die 2 Iunii 1731.*

203. Hinc non censetur mala relatio Examinatorum nec irrationabile iudicium Episcopi, cum omnes simul sumptae conditiones ad Parochialem Ecclesiam regendam opportunae maiorem non innuunt potioritatem in appel-

lante *in Civitatis Castelli Parochialis die 25 Ianuarii 1755.*

204. Enimvero nullum ex Concurrentibus ad Ecclesiam Parochialem S. Mariae *del Vingone* Examinatores plene approbarunt, Gianninius Octavius dumtaxat et Rampaccius Andreas approbati fuerunt in scientia a duobus Examinatoribus et a tertio reprobati: uterque optime Concilii caput vertit, uterque approbatus fuit in moribus ab Examinatoribus, sed in Evangelio explicando et in prudentia vicit apud Examinatores Rampaccius, victus fuit Gianninius. Episcopus igitur magis dignum iudicavit Rampaccium, qui a Sede Apostolica Parochialem obtinuit. Appellavit Gianninius atque contendit, male retulisse Examinatores, quod ipse enodaverit propositas quaestiones, non bene Rampaccius, ut probabat luculenta, quam dabat, apologia et animadversionibus in responsa Rampaccii, iudicium Episcopi irrationabile fuisse; quia, spreto digniori, qualis erat Gianninius, minus dignum praetulerat. Contra Rampaccius sustinuit, Testes, quibus Gianninius utebatur, ut suspicionem iniiceret de instructione data Rampaccio, spectandos non esse, cum reprobati fuerint in Concursu, singulares essent et laesae aestimationis; frustra a Gianninio querelas proponi contra Examinatores, cum reprobatus non fuerit, sed approbatus: frustra apologiam et animadversiones scripsisse, cum non deessent errores in suis responsis; potuisse Episcopum praeferre Rampaccium satis dignum in Concursu Gianninio, quem iustis sibique notis de causis postponendum censuit,

205. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – II. An constet de mala relatione Examinatorum, ita ut sit deveniendum ad novum examen in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut dicta Ecclesia Parochialis sit adiudicanda Sacerdoti Octavio Giannini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum et tertium, Negative; et amplius – *in Civitatis Castelli Parochialis die 25 Ianuarii 1755.*

206. Nisi enim evidenter de metu incusso vel fraude ac dolo constet, Examinatorum relatio, qua quis reprobatur, posthabenda non est *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854 et die 27 Ianuarii 1855.*

207. Iamvero inter ceteros Concurrentes ad obtinendam vacantem Paraeciam S. Mariae vulgo *del Giudice* admissus fuit Sacerdos Coselli, qui licet unus ab Examinatoribus approbatus ab Archiepiscopo tamen fuit reiectus. Appellationem hinc Cosellius interposuit: sed Examinatores Pro–Synodales testabantur, quod iidem quoad scientiam dumtaxat suffragia tulissent, cum Cosellius exercitii gratia tantum periculum examinis subierit; idque etiam Archiepiscopus enixe affirmavit, ac plura in eumdem obiecit, quibus haud idoneus ad regimen 2340 animarum apparebat. Contra Cosellius contendit, testimonium Examinatorum nullius roboris esse habendum, quia in actibus Concursus ipse approbatus dicebatur generice ac sine ulla limitatione, quia praesumendum erat, Examinatores iudicium ad tramites Benedictinae Constitutionis dedisse, quia pluribus post diebus a peracta relatione, controversia pendente, testimonium seu declaratio edita fuerat, et quia ex Episcopi dicto dumtaxat ipsis constitit, Cosellium exercitii gratia concurrisse. Falsum autem esse dixit, quod ipse exercitii gratia concurrerit; nam declaratio ab se edita evenit post expletum Concursum, ad quem ab Ordinario libere admissus fuerat, hinc ius quaesitum per Concursum perimi non poterat per verba illa: – di esser pronto a riportare sotto i miei casi questa mia dichiarazione, cioè di esser concorso, per solo esercizio –, quae nullatenus renunciationem praeseferebant, quaeque ex metu iniusto et gravi extorta fuerunt. Quin imo ostendit, nullam Ordinarium iustam habuisse causam, ut Cosellium adigeret ad concurrendum exercitii gratia. Nec se contra Canones deliquisse sustinuit, cum Cancellarium laicum virum ad civile Tribunal vocaverit. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de legitima reiectione in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et interim iidem Examinatores Pro–Synodales adhibiti in Concursu referant etiam super ceteris qualitatibus Sacerdotis Coselli ad formam Constitutionis *Cum illud* Benedicti XIV – *in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854.*

208. Ad tramites huius Rescripti iterum quinque convenerunt Examinatores Pro-Synodales in Concursu adhibiti ac, praesente Archiepiscopo, maiori suffragiorum numero iudicarunt, Sacerdotem Coselli qualitatibus ad Paraeciam S. Mariae *del Giudice* regendam necessariis carere. Contra Examinatorum relationem acriter insurrexit Cosellius, ex eo quod nequibat Archiepiscopus, cuius adversa contra ipsum voluntas ac firmum propositum eumdem a Paraeciae consequutione arcendi manifestum erat, coetui Examinatorum praeesse: quam quidem praesumptionem non destrui subdidit, contraria Examinatorum declaratione, qua protestati sunt, se liberos in suffragiis fuisse, ut adeo passi non sint, Archiepiscopum ab conventu decedere. Fretus enim dicto trium Examinatorum advertit, Examinatores iuxta Archiepiscopi relationem iudicium efformasse. Contendit inde, nedum posteriores post Concursum, sed irrationabiles etiam ac illegitimas causas reiectionis ab Archiepiscopo productas esse, cum obiectas imputationes tum testimonio virorum probatissimorum, tum factis penitus explodere ac diluere satageret. Protulit etiam attestationes plurium Parochorum ac eorum praesertim, qui de scientia propria loquebantur, quibus cum conveniebant plurimi ecclesiastici ordinis ac laici viri, qui omnes Cosellii mores scientiam probitatem ceterasque eximias eius dotes summopere commendabant, ita ut dignissimum eum iudicarent, qui Paraeciae regimini praeficeretur. Constabat insuper, Cosellium canonicam retulisse approbationem anno 1851 in Concursu ad Plebaniam S. Ianuarii et 1853 in Concursu ad Beneficium Curatum de *Portigliano,* ad quod etiam ab Ordinario electus fuit. Demum relatio Examinatorum dubio procul suspecta efficiebatur, cum constaret, tres ex illis, a quibus Cosellius reiectus fuit, nonnullos in utroque Concursu illum quoad omnia a sacris Canonibus requisita approbasse. Contra advertebatur, praesentiam Archiepiscopi vel eius Vicarii Generalis de iure necessariam fuisse; et relationem Examinatorum, nisi evidenter de metu incusso vel fraude ac dolo constaret, posthabendam non esse, cum id non praesumitur in viris perspectae probitatis ac probatae fidei, prout erant Examinatores Pro-Synodales, qui examen expleverunt, qui praeterea in suffragio ferendo sese liberos omnino declararunt.

209. His utrinque perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Lucana Concursus die 27 Ianuarii 1855.*

210. Idcirco quum in Concursu habito ad Ecclesiam Parochialem Civitatis Lacus liberi praelatus fuerit Xaverius Turturella, reiecto uti parum idoneo Gallotto Gallotio, et satis constaret, quod etsi doctrina praestaret Gallotius, aetate tamen vincebatur aliisque meritis, quibus ornabatur Xaverius, qui etiam gratior erat Populo et Clero Civitatis, propositis dubiis: – III. An constet de mala relatione Examinatorum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. An sit locus provocationi Sacerdotis Turturella ad novum examen? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative. Ad quartum, provisum in tertio – *in Policastren. Parochialis die 28 Maii 1746.*

211. Examinatorum autem relatio efficitur suspecta, ex eo quod semel habilis approbatus quis fuerit, postea vero ut inhabilis reiectus, quamvis non iidem sint Examinatores, qui semel approbarint, postea reiecerint, ceu tradit Rota in Calaguritana Beneficii coram Taia decis.372 part. 14 n.11 Recent. et in Barchinonen. Parochialis coram Vicecomite *in Lucana Parochialis Concursus die 27 Ianuarii 1855* §. *Iamvero.*

212. Hinc licet Episcopus ei, qui per Examinatores pluribus suffragiis supra omnes fuit approbatus, significaverit per Epistolam, iam ipsius favore expeditionem Bullarum demandasse, non propterea irrationabile censeri potest ipsius iudicium, si mox eumdem renuerit instituere in Parochum, cum novisset, nimis faciles erga ipsum fuisse Examinatores, quia a prima ad ultimam responsionem ad propositos casus erraverat *in Hortana Parochiae die 28 Martii 1801.*

213. Enimvero in Concursu ad vacantem Parochiam sub invocatione Terrae Canepinae per Hortanos Examinatores pluribus Sacerdos Paulus Pelliccioni, qui Capellanus erat Curatus in Oppido Montis Romani, suffragiis supra omnes approbatus fuit: reque per Vicarium Generalem Hortae ad Episcopum de-

lata, eam hic sibi gratam Pelliccionio significavit monuitque per epistolam, iam ipsius favore expeditionem Bullarum demandasse. Aliqua tamen huic expeditioni interposita mora ex delationibus, dubitare cepit Episcopus de recta Pellicionii approbatione deque illius moribus, eumque propterea instituere renuit in Parochum. Compertum enim habuit Episcopus, nimis faciles erga examinatum fuisse Examinatores nedum iudicio plurium Theologorum suae Diaecesis, sed insignis etiam Theologi Romani, qui singulas ad propositos casus responsiones scite reprehendebat. Siquidem a prima ad ultimam responsionem ad propositos casus Pelliccionius erravit. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Hortana Parochiae die 28 Martii 1801.*

214. Qua de re si de doctrina aliisque qualitatibus satis constet, competit appellanti Praebenda seu Participatio cum praecedentia, licet Examinatores Pro-Synodales adversam eidem relationem exhibuerint, ac Episcopus eam ipsi denegaverit *in Sorana Participationis et Praecedentiae die 28 Iulii 1860.*

215. Siquidem indicto Concursu die 24 iulii 1857 ad formam Brevis *Impensa* s. m. Pii VII pro Participatione quadam minori cum onere in subsidium exercendi curam animarum in Receptitia Ecclesia S. Donati; eoque absoluto, ordine sequenti approbati fuerunt, primo loco Raphael Gramegna, secundo Aloisius Camilli, tertio Antonius Gentilucci, reiecto Paschale Cicilli. Dum vero Episcopus deliberaret, quem ex approbatis magis idoneum instituere deberet, vacaverunt interim aliae duae Participationes minores in eadem Receptitia Ecclesia: hinc Episcopus pro hisce vacantibus Participationibus, suspensa prioris Participationis collatione, novum indixit Concursum, in quo praeter alios Candidatos iterum periclitati sunt praedicti Raphael Gramegna Aloisius Camilli et Antonius Gentilucci. At cum plura interea temporis delata essent Episcopo super minus probatis moribus Raphaelis Gramegna, qui anteacto etiam tempore pluries ob suae vitae rationem conquerendi eidem Episcopo occasionem praebuerat, factum proinde est, ut antequam ad Concursum admitteretur ope Cancellarii Episcopalis oretenus iussu Episcopi significacatum ei fuerit, nullum ob expositam causam ius sibi ex Concursu quaesitum iri, qui nihilominus periculum facere non dubitavit. Sed edito scrutinio constitit, inter approbatos recenseri tantum Aloisium Camilli et Antonium Gentilucci, excluso Raphaele Gramegna, utpote qui praestitutum punctorum numerum non attigit. Quamobrem Episcopus, praemissa morum inquisitione, primam Participationem vacantem Aloisio Camilli contulit; et quoad alias subinde vacatas, alteram Antonio Gentilucci detulit, alteram vacantem reliquit. Hinc Raphael Gramegna appellationem continuo ad Sacram Congregationem interposuit contra malam relationem Examinatorum pro altero Concursu, tum contra irrationabile iudicium Episcopi; ac postulavit, ut, reiectis institutis Camilli et Gentilucci, sibi prior participatio una simul cum praecedentia adscriberetur, vel saltem, ne amoverentur instituti ab Participationum possessione, sibi conferretur ab Episcopo tertia Participatio vacans, sed cum honore praecedentiae ante institutos Camilli et Gentilucci. Secretarius Sacrae Congregationis acta Concursus expendenda commisit duobus in facultate Theologica Urbis apprime peritis, eorumque votum in eo fuit, ut primo loco quoad scientiam in utroque Concursu ponendus esset Sacerdos Gramegna. Patronus Gentilucci et Camilli plura in medium protulit, ut demonstraret, immerito D. Gramegna conqueri tum de Examinatorum Synodalium relatione, cum de Episcopi iudicio. Is enim contendit, appellationem Sacerdoti Gramegna nec in devolutivo competere: nam iuxta Bullam *In Conferendis* S. Pii V huiusmodi appellatio non competit, nisi in unico casu, quo Episcopus – affectu carnalitatis – dignum elegerit praedigniori. Unde Doctores praesertim Pax Iord. lib. 10 tit. 8 n. 231, Marescott. cap. 52 lib. 1, Gonzalez ad Regul. 8 gloss. 4, Massobr. de requisit. dub. 5 n. 24, et Barbos. alleg. 6 de offic. et potest. Episcop. n. 104 tradunt, locum esse appellationi in devolutivo, quando Episcopi dolus et fraus evidenter demonstretur intercessisse in electione; in casu praesertim, ubi appellatio interposita non fuerat intra decendium. Addidit, Episcopum amplissima pollere facultate eligendi, quem sibi magis idoneum

ad Paraeciae munus expedire visum fuerit inter approbatos. Quin imo electio digni et docti prae digniori et doctiori sustinenda est, ceu uno ore tradunt Pax Iord. lib. 10 tit. 8 n. 181, Barbos. de offic. et potest. Episcop. alleg. 60 n. 124, et de officio et potest. Parochi part. 18 cap. 2, Massobr. in prax. requisit. 50, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 4, Piasec. in prax. cap. 50, Garz de Benef. part. 9 cap. 20, Ricc. in prax. for. eccl. decis. 45, Rot. in Barchinonen. Parochialis 29 novembris 1613 coram Buratto. Idcirco conclusit, iustum aequumque fuisse iudicium Episcopi, cum praesertim Gramegna mores non undequaque boni fuerint ad annum 1852. At Defensor Gramegna haec omnia satis refutare curavit.

216. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi super Concursu diei 24 iulii 1857 pro minori Participatione in Ecclesia Receptitia S. Donati vacata per obitum R. D. Ioannis Salvucci in casu? II. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi super Concursu diei 12 octobris 1857 pro duabus aliis minoribus Participationibus in eadem Ecclesia, vacatis per ascensum RR. DD. Francisci Rufo ac Ioannis Baptistae Salvucci ad maiores Participationes in casu? *Et quatenus Affirmative.* III. An et quae ex tribus Participationibus et quae praecedentia competat Sacerdoti Raphaeli Gramegna in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, providebitur in tertio. Ad tertium, dandam esse Sacerdoti Gramegna Participationem vacantem cum praecedentia – *in Sorana Participationis et Praecedentiae die 28 Iulii 1860.*

217. Quando igitur constet de mala relatione Examinatorum, Ecclesia Parochialis adiudicanda non est ei, quem Episcopus praeelegit *in Militen. Concursus die 21 iulii 1753.*

218. Iamvero in Concursu ad vacantem Archipresbiteralem Ecclesiam Terrae Casalis Novi primum inter approbatos locum obtinuit Dominicus Calsapietra, secundum Ioseph Antonius Piromalli, inter approbatos fuit Leonardus Piromalli. Episcopus praeelegit Iosephum Antonium Piromalli. Leonardus Piromalli appellavit a mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi. Iniustam hinc malamque relationem Examinatorum demonstravit Leonardus ex propriis meritis et virtute ac doctrina supra ceteros probata a Theologis Urbis: unde arguit, aut Ecclesiam Casalis Novi sibi uti digniori et magis idoneo esse adiudicandam, aut novum saltem Concursum in Urbe habendum esse, iuxta cognitissimam S. Pii V Constitutionem 33. Propositis itaque dubiis: – II. An constet de mala relatione Examinatorum? *Et quatenus affirmative.* III. An Ecclesia Archipresbiteralis Terrae Casalis Novi sit adiudicanda Sacerdoti Iosepho Piromalli? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius. Ad tertium, Negative – *in Militen. Concursus die 21 Iulii 1753.*

219. Quod si constet de nullitate Concursus, nec disquirendum est de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Tranen. Poenitentiariae die 29 Iulii 1848.*

220. Si quis autem fuerit merito reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus, de iure novus expletur Concursus, quin inde constet de irrationabili iudicio Episcopi, cum posthabitus maiores non haberet qualitates *in Feretrana Concursus die 28 Novembris 1789.*

221. Enimvero indicto ad Parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli Maceratae Feltriae Concursu, unus coram tribus Synodalibus Examinatoribus sui periculum fecit Sacerdos Petrus Rossini Parochus S. Theodori eiusdem Oppidi, ac per sex suffragia (tria enim singuli Examinatores ex instituto tulerunt) reprobatus fuit. Appellavit Rossinius, et Sacra Congregatio die 7 februarii 1789 rescripsit: «Ostendatur, non retardata interim provisione Paraeciae». Novo hinc expleto Concursu, cunctis approbatus est suffragiis Sacerdos Ioannes Baptista Dominici Oppidi Petracutae Archipresbiter, quem val de Episcopus commendavit. Rossinius interim

devolutivum prosequens iudicium, contendit, se habere qualitates per Tridentinum requisitas, et quoad doctrinam recte quaestiones eidem propositas resolvisse. Iis tamen perlectis ceterisque expensis qualitatibus, proposito dubio: - An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative - *in Feretrana Concursus diei 28 Novembris 1789.*

222. Qua de re quum Franciscus Canonici et Sebastianus Maria omnia quinque pro quolibet affirmativa vota reportaverint, sustinetur praeelectio facta ab Episcopo in personam Francisci Canonici pro Ecclesia Archipresbiterali S. Nicolai Terrae Montis Fortis, attenta eiusdem maiori aetate et diutino Oeconomatus exercitio; his enim in terminis proposito dubio: – II. An praeelectio facta ab Episcopo in personam Francisci Canonici sustineatur, vel potius deberet praeelegi Sebastianus Maria in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Abellinen. Concursus die 28 Februarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

223. Hinc praelatio in Concursibus ad Parochiales Ecclesias ei semper decernenda esse videtur, qui gratis in respectivae Ecclesiae servitio operam et laborem consumpsit, iuxta textum in Canone *Nullus* dist. 61: – Habeat unusquisque fructum suae militiae in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit aetatem: in aliena stipendia minime alter obrepat, nec aliis debitam alter sibi vindicare audeat mercedem –; et consonat Pax Iordan. in tom 2 lucubrat. lib. 10 tit. 8 n. 203, Rota in Recent. decis. 210 n. 21 part. 11 *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Rursus.*

224. Idcirco si ambo Concurrentes mediocri praediti sint scientia probata vita integra fama ac pari meritorum praerogativa, sed unus ex eisdem approbatus cum praelatione et praeelectus fuerit ab Episcopo, nequit alter queri de mala Examinatorum relatione et irrationabili iudicio Episcopi *in Isclana Parochialis die 21 Augusti 1762.*

225. Siquidem ad Parochialem Ecclesiam S. Leonardi Casalis Panzae vacatam in mense reservato Concursum bis indixit Episcopus, solumque duo comparuerunt Agnellus et Archangelus Politi, et peracto examine - propter necessitatem loci paupertatem Paraeciae et deficientiam aliorum Concurrentium ambo approbati – a tribus Examinatoribus, quorum duo haec addiderunt: – sed cum revera R. D. Agnellus Politi aliqualiter melius se gesserit, debet habere praelationem –. Episcopus Agnellum uti digniorem commendavit Emo Pro-Datario, qui propterea, decreta laceratione *Nihil Transeat* appositi a contradictore Archangelo, relaxari mandavit supplicationem favore Agnelli signatam a Summo Pontifice pro collatione dictae Parochialis. Istam aegre ferens praelationem Archangelus Sacram adiit Congregationem, et questus est de mala relatione Examinatorum et de irrationabili iudicio Episcopi, quod ipsum reputassent minus dignum, licet Competitorem praecelleret meritorum praerogativa, maioris scientiae specimen dedisset in peracto examine, charior esset Populo, et passivum haberet iuspatronatus ex dispositione Mathiae Politi, qui auxerat Ecclesiae dotem. At Agnellus probavit, haudquaquam existere iuspatronatus; nec non sustinuit, Examinatores utrumque approbando iniuriam neutri attulisse, et digniorem iudicando Agnellum haud nocuerunt Archangelo, cum Episcopus in hac parte non teneretur sequi eorumdem iudicium. Merita hinc inde utriusque perpendens, eadem censuit aequalia: quare arbitratus est, in pari meritorum praerogativa irrationabile dicendum non esse iudicium Episcopi in alterutrius praeelectione, cum in dubio censeatur, Episcopum praeelegisse, quem in Domino digniorem iudicavit, ut firmat Rota in decis. 269 n. 4 coram Ansaldo, et in Firmana Parochialis 26 iunii 1752 §. 8 coram Card. Molino. Archangelus postulavit, ut, dilata Causae resolutione, demandaretur novum examen in Urbe faciendum, et praeciperetur Episcopo transmissio actorum originalium, licet in libello oblato Curiae Episcopali solam copiam ipse petiisset.

226. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi et mala relatione Examinatorum, seu potius Literae Apostolicae sint exequendae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad

ad secundam; et amplius – *in Isclana Parochialis die 21 Augusti 1762.*

227. Qua de re quum in Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Pauli Apostoli in Villa Turricellae Examinatores Antonium Pompa et Dominicum Iordani approbaverint – quoad scientiam aequaliter, quoad requisita vero magis et primum locum dederunt Antonio Pompa et speciatim ob postulationem tam Cleri, quam Universitatis Villae Turricellae –, et Episcopus Examinatorum relationem sequutus fuerit et digniorem Antonium renunciaverit, sed Dominicus appellationem interposuerit, quin tamen, licet pluries vocatus et monitus in iudicium venire vellet, Sacra Congregatio declaravit, haudquaquam constare de irrationabili iudicio Episcopi, adeoque mandavit, ut Parochialis adiudicaretur praefato Antonio Pompa; propositis enim dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio Episcopi? *Et quatenus affirmative.* II. An Parochialis sit adiudicanda Dominico Iordani? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in antecedenti; et amplius – *in Aprutina Parochialis die 21 Iulii 1764.*

228. Unde si Episcopus praeelegerit, quem Examinatores Pro-Synodales idoneum retulerunt in priori gradu et commendarunt utpote aptiorem et digniorem, frustra alii approbati malam inclamant relationem eorum et irrationabile iudicium Episcopi, cum reapse praeelectus dignior prae ceteris existat *in Tudertina Concursus die 7 Augusti 1847 et die 26 Februarii 1848.*

229. Iamvero Examinatores Pro-Synodales in Concursu habito ad vacantem Archipresbiteralem Ecclesiam Oppidi Fractae ex suffragiis numero quadraginta quinque triginta duo dederunt Antonio Ferdinandi et Petro Angeli, triginta praeter unum Ioachim Misericordia et Aloisio Bartolomei; iidemque Examinatores, attenta praesertim provectiori aetate munerisque Parochialis exercitio, arbitrati sunt, quod posset Episcopus praeferre Ferdinandium in collatione praefatae Ecclesiae Parochialis. Episcopus ad calcem eorumdem actorum apposuit haec verba: – Approviamo quanto sopra in forza della nostra coscienza –. Vix autem in vulgus prodiit, Episcopum elegisse Ferdidinandium, querelae auditae sunt de mala relatione Examinatorum deque irrationabili iudicio Episcopi. At ex appellantibus alter iuri suo valedixit, alter nihil exhibuit. Ioachim Misericordia vero totis contendit viribus, sibi uni Paraeciam adiudicandam esse. Constabat enim ex voto et sententia Theologorum Urbis, se unum dumtaxat approbationem promeruisse, ceteros omnino excludendos. Constabat item ex pluribus testimoniis exhibitis, singulari doctrina et morum integritate ab omnibus commendari, eumdem septem ab annis officio fungi praeceptoris humanarum literarum in Oppido Massae, ubi praeclara ingenii ac diligentiae specimina praebuit in suo munere obeundo, fidelium confessionibus excipiendis operam dedisse, Parochoque in pastorali ministerio opem assiduam suppeditasse. Demum et pro ipso preces ad Sacram Congregationem oblatae a Patribusfamilias Oppidi Fractae edocebant, valde iis acceptum fore, si illi Ecclesiae praeficeretur. Contra patebat, Episcopum praeelegisse, qui in priori gradu ab Examinatoribus positus fuerat et commendatus etiam, qua animarum cura peritior, utpote qui plures annos in Paraecia administranda versabatur. Porro – si in hac materia magis idoneus est ille, qui maiorem habet aptitudinem ad curam exercendam, certe dubitandum non est, aptiorem et digniorem esse, qui in actu practico curam exercuit comparatione ad oppositorem, qui nil aliud habet quam theoricam –, ceu tradit Pitonius in discept. eccles. 109 n. 17 et Rota in Recent. part. 13 decis. 168 n. 7, eo minus profecto dubitandum de recto Episcopi iudicio. Accedebat, Ferdinandium aetate maiorem et Sacerdotio priorem esse, quae duo summopere prae oculis habenda esse docet Rota, quando praesertim de Curionum officio quaestio est, ut in Recent. part. 1 decis. 61 n. 1. Tandem ipsum quam maxime fore Populo ipsius loci Fractae gratum pandebat supplex libellus nomine Patrumfamilias ad acta S. Congregationis exhibitus, qui tamen a nemine eorum erat subsignatus nec ulla auctoritate munitus.

230. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi in casu? II. An et cui sit adiudicanda

Paraecia in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative favore Sacerdotis Ferdinandi – *in Tudertina Concursus die 7 Augusti 1847.*

231. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Tudertina Concursus die 26 Februarii 1848.*

232. Idcirco cum praeelectus fuerit, qui ab omnibus ex tribus Examinatoribus dignior primo loco fuerit renunciatus, et reapse cunctis simul expensis conditionibus talis appareat, frustra queritur, quem secundo loco idoneum duo Examinatores censuerunt, ac unus reiecit omnino *in Anglonen. Parochialis die 12 Martii 1746.*

233. Siquidem in Concursu ad vacantem Ecclesiam Archipresbiteralem Bollitae primo loco digniorem Sacerdotem Franciscum Bianco unanimiter Examinatores renunciarunt; Sacerdotem Carolum Viccari primus Examinator reiecit omnino, duo alii secundo loco dignum reputarunt; Nicolaum Gizzum autem uti indignum omnes repulerunt. Iudicium Examinatorum probavit Episcopus, qui Sacerdotem Bianco ad S. Sedem remisit, ad quam spectabat collatio Ecclesiae vacatae in mense reservato. Obstitit Sacerdos Viccari in Dataria, sed nihil ei profuit; idcirco ad asylum Sacrae Congregationis confugit. Episcopus exposuit, Sacerdotem Bianco aetate praestare et doctrina, cum Doctor esset Theologiae, meritis quoque antecellere, quod electus fuerit Synodalis Examinator ab anno 1728, quod probatus fuerit secundo loco in Concursu ad alium Archipresbiteratum Orioli, quod laudabiliter perfunctus fuerit munere Vicarii delegati in Parochiali Ecclesia S. Iosephi maioris Neapolis, quod in excipiendis confessionibus atque in praedicatione verbi Dei occupatus et exercitus fuerit, quod demum summo Parochianorum consensu receptus esset: quarum omnium et virtutum et praerogativarum expertem esse Sacerdotem Viccari, quod vinceretur aetate soloque medicinae atque artium gradu honestaretur, ut necesse ei fuisset dispensationem obtinere, quo posset ad ecclesiasticos Ordines promoveri, praeter munus excipiendi confessiones nullum aliud exercuisse, nullaque alia praestare praerogativa; imo inquisitum esse ob exercitium medicae facultatis accepta mercede, et ob interceptionem pecuniae et frumenti a fidelibus oblati, ut repararetur Ecclesia, acerbo publicoque convicio Vicarium Generalem proscidisse, quia Sacerdotem Bianco praetulerat, discessisse demum post querelam propositam, deserto servitio Ecclesiae, cui erat adscriptus. Contra Sacerdos Viccari consanguinitatis et amicitiae insimulavit Adversarium cum Examinatoribus: dixit, cum primo ex illis, a quo repulsam passus est, inimicitias sibi fuisse, unde eum suspectum habuerat, antequam fieret Concursus; certiorem hac de re fecisse Vicarium Generalem, qui tamen eum non removit. Provocavit dein ad acta examinis gesti, ex quibus patere posse putabat, quantum ipse vinceret doctrina Adversarium, cum et Pontificii Iuris Doctor esset et artium et medicinae gradu honestaretur, quae summo in pretio erat apud Incolas regionis illius, ex eo quod in ea deerant, qui medicinam facerent. Addidit, se cathechesim et conciones antelucanas habuisse per agros atque alta nemorum, opiliones agricolasque imbibisse fidei praeceptis, Populo universo auctorem fuisse instituendi pias preces divo Francisco Paulano, ut a minis ob terraemotum, qui acciderat praeteritis annis, incolumis servaretur; civem et incolam esse illius Ecclesiae, longoque servitio tum de ea, tum de Populo universo benemeritum, cum et stipem collegerit et pecuniam suam contulerit, qua restitui posset et in ampliorem formam redigi. Crimina demum ab Episcopo obiecta diluit, cum quoad pecuniam oblatam a piis hominibus in Ecclesiae reparationem plures iurati Sacerdotes testarentur, eum antequam discederet rationes reddidisse dati accepti integras et plenas, frumentum collatum esse adhuc penes Oeconomum Cleri, ne uno quidem grano surrepto. Aliud crimen arreptae fugae sine consensu et scientia Episcopi ex eo diluit, quod veniam dare noluerit, ut Romam ad defendendam suam Causam peteret.

234. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio

respondit: – Negative, et amplius – *in Anglonen. Parochialis die 12 Martii 1746.*

235. Nec itaque irrationabile censeri potest iudicium Episcopi, cum iuxta leges fundationis praeelegerit approbatum in primo loco ab Examinatoribus, quique reapse sit prae ceteris dignior *in Verulana Archidiaconatus die 16 Decembris 1769 et die 10 Februarii 1770.*

236. Enimvero in Concursu habito, iuxta legem fundationis ad vacantem Archidiaconatum Cathedralis Ecclesiae Verulanae, Examinatores Synodales, perspectis scientia moribus aliisque Concurrentium qualitatibus, idoneum in primo gradu renunciarunt Canonicum Petrum Speranza, in secundo Dominicum Pirillium, in tertio Salvatorem Tullio. Quare Episcopus digniorem censuit praeelegitque Canonicum Speranza, quem testimonialibus ac familiaribus etiam literis Emo Pro-Datario commendavit. Appellationem ab irrationabili iudicio Episcopi interposuit Tullius, sed illam reiecit Emus Pro-Datarius, datis Literis Apostolicis Canonico Speranza, qui earum vigore Archidiaconatus possessionem adeptus est. Acriter tamen conquestus est Tullius: hinc Canonicus Speranza rem definiendam proposuit Sacrae Congregationi contendens, ipsum fuisse in primo gradu approbatum ab Examinatoribus Synodalibus, qui circumstantias omnes ac Concurrentium qualitates et requisita prae oculis habuerunt. Innumera retulit ipsius merita dotes praerogativas ac qualitates. Advertit, ipsum fuisse etiam Fundatori Archidiaconatus dilectum, quum ab eodem fuerit nominatus ad alterum ex tribus Canonicatibus ab eo institutis; his omnibus accedere unanime iudicium Capituli Ecclesiae Cathedralis Decurionum et Parochorum omnium Civitatis. Idcirco irrationabile dici non poterat iudicium Episcopi, cum plura essent ipsius merita et requisita, quorum e conspectu spernendam dixit Parochi qualitatem, qua Sacerdos Tullio gloriabatur, attenta etiam vili eiusdem conditione ac domesticis praeiudiciis, quorum causa nequaquam expedire existimabat, ut praeferretur in assequutione Archidiaconatus, quae dignitas ad augendum Cathedralis Ecclesiae splendorem ac decus erecta fuerat. Silente itaque Sacerdote Tullio, proposito dubio: – I. An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Verulana Archidiaconatus die 16 Septembris 1769.*

237. Beneficio autem novae audientiae Sacerdoti Tullio impertito, is ante omnia suspectum dixit exemplar actorum Concursus, cum Canonicus Speranza repugnaret in producendis actis originalibus; et ex informi, ut ipse asserebat, actorum elenco satis deprehendi sustinuit, duas alias horas ultra praefixum terminum Canonico Speranza fuisse concessas, ut suas complere posset responsiones; scrutinium ipsum protractum fuisse ad octo dies, eoque tempore potuisse Canonicum Speranza ex defectu custodiae suas responsiones corrigere, ac tamen nullum ex Concurrentibus ad scrutinium fuisse vocatum. Expendit deinde Conciunculam et responsiones a Canonico Speranza traditas, pluribusque verbis ostendere insudavit, eas vel erroribus scatere, vel confusas esse et incongruentes, vel a quaestione prorsus alienas. Subdidit, minimi faciendas esse attestationes duorum Theologorum Urbis, qui summis extulerant laudibus responsiones a Canonico Speranza datas, illas vero ipsius Sacerdotis Tullio reprobarunt. Advertit enim, huiusmodi testimonium extraiudiciale esse, iuramento carere, et alterum ex iis Theologis amicitiae studio nosci abreptum. Plura deinde cumulavit de suis meritis et requisitis, et praesertim quod civis esset Verulanus origine descendentia et patrimonio, proindeque praeelectus a Testatore, qui voluit, ut, paribus requisitis, praeferretur civis et nobilis. Plura etiam dixit de vili cognatione Canonici Speranza, deque documentis post Concursum ab eo expiscatis et productis. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Verulana Archidiaconatus die 10 Februarii 1770.*

238. Hinc si quis magis dignus ab Examinatoribus renunciatus ac uti talis subinde probatus ab Episcopo fuerit praeelectus, nequit appellans habilis tantum ad curam animarum praetendere novum examen, cum praesertim de stupro diffamatus semel iterumque

in exilium missus fuerit *in Cassanen. Archipresbiteratus die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

239. Siquidem – Examinatores Synodales in Concursu ad Parochialem Ecclesiam S. Leonis Oppidi Saraceni unanimiter Scipionem Perrone magis idoneum, Innocentium Basilium habilem ad curam animarum renunciarunt. Episcopus, attenta vita aetate et moribus, magis dignum et idoneum dictum Perrone pronunciavit, qui Literis Apostolicis expeditis Parochiam assequutus fuit. A iudicio Episcopi uti irrationabili appellavit Basilius, et plurium Sacerdotum testimonium exhibet super eius vita et moribus; e contra vero Scipio Perrone docet, ab anno 1708 fuisse Rectorem Parochiae S. Mariae de Gambio, alias de anno 1712 fuisse pro hac ipsa Parochia ab Examinatoribus approbatum, pluraque documenta producit, ut probet aequum et iustum Episcopi iudicium, neque sine causa Basilium oppositorem fuisse reiectum, semel iterumque in exilium missum de stupro diffamatum. Quare – proposito dubio: - An Innocentio Basilio appellanti sit concedendum novum examen in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Cassanen. Archipresbiteratus die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

240. Qua de re multo minus irrationabile censeri potest iudicium Episcopi, si praeelegerit, qui maiora retulit suffragia, et posthabitus res falsas et calumnias exposuit, ita ut, attenta translatione praeelecti, novus Concursus sit indicendus, non vero eidem Paraecia conferri debeat *in Urbinaten. Concursus die 27 Martii 1819.*

241. Iamvero sex fuerunt, qui examinis periculum subierunt in Concursu ad vacantem Parochialem Ecclesiam S. Clementis Castri Pagini: duo fuerunt reprobati. Renunciante eo, qui primum obtinuerat gradum, electus ab Archiepiscopo fuit, qui in secundo fuerat constitutus nomine Sacerdos Andreas Calzini. Id aegre ferens Sacerdos Antonius Venturini, qui tamquam tertius fuerat approbatus, statim apposuit - Nihil transeat –, tum in Curia Archiepiscopali, tum apud Datariam Apostolicam. Nihil tamen profuit: nam ex Decreto Emi Pro–Datarii lacerato – Nihil transeat –, Apostolicae Literae expeditae fuerunt, et data est possessio Sacerdoti Calzini, ac tantum aperta fuit Venturino via experiundi iura sua in iudicio. Is itaque contendit, quod licet Calzinius secundo loco et ipse tertio in examine probati extiterint, non ex hoc inferendum, Calzinium esse digniorem, cum praeter scientiam ceterae requirerentur qualitates; nec – si quis est doctior, is etiam aptior seu magis idoneus ad regimen habeatur, vel etiam habendus sit –, ut monuit Sacra Congregatio in Literis datis die 10 ianuarii 1721 a s. m. Clemente XIII approbatis, et statutum fuit in Synodo Diaecesana Urbinatensi a S. Sede confirmata. At Examinatores Synodales unanimiter retulerunt, ob Populi desiderium Ecclesiae utilitatem et personales qualitates Beneficium conferendum esse non Calzinio secundo loco approbato, sed Venturino. Atque ex hac unanimi Examinatorum relatione nedum irrationabilem, sed et nullitatem deduxit iudicii Archiepiscopi, tum sess. 24 cap. 18 Concilii Tridentini, tum ex Synodi Diacesanae Urbinatensis praescripto. De Venturino Testes ferebant, ab ingenua ac pia familia ortum duxisse, diligentia pietate modestia ac doctrina, tum ceteris in scholis, tum in Altaris ministerio exemplar fuisse; summa diligentia et animarum utriusque sexus salute Confessarii munus exercuisse, in Calliensi Diaecesi per quatuordecim fere annos Parochi officium cum laude gessisse, et in praesens publicos Repraesentantes hominum Paraeciae postulasse: Calzinium e contra ex vili conditione natum testabantur, post obtentam Paraeciam S. Andreae in Terra Ocrensi non laudabilem nec a turpis lucri vitio alienam vitam duxisse, pluriesque explicationem Evangelii omisisse, Pueros fidei rudimenta non docuisse, processum in ipsum confectum fuisse, et a S. Poenitentiaria absolutionem obtinuisse, peractis prius spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua religiosa domo. Contra vero Episcopus retulit: – Quoad praetensam electionis nullitatem tria tantum Orator affert, quae animadversionem mereatur, iactatam scilicet electionem ante scrutinii finem, praepeditum Examinatoribus praecipuorum ex ipsius Oratoris requisitis examen, et electi demerita. Falsitas intempestiva electionis ex praecedenter dictis patet, apertissime falsum esse impedimentum praedictum

non obscure eruitur ex iisdem recursus verbis –. Hinc Episcopus falsum quidquid exposuit Venturinus ostendit, eumdemque calumniatoris nota affecit; adeoque nequaquam ei Paraecia conferri poterat.

242. His utrinque perpensis, propositis dubiis:–I. An constet de irrationabili iudicio Archiepiscopi quoad collationem Paraeciae Castri Pagini favore Sacerdotis Andreae Calzini in casu? *Et quatenus negative.* II. An eadem Paraecia sit conferenda Sacerdoti Antonio Venturini in casu?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et, attenta translatione Parochi Calzini, indicendum esse novum Concursum. Ad secundum, provisum in primo – *in Urbinaten. Concursus die 27 Martii 1819.*

243. Quin imo si Sacra Congregatio constare dixerit de irrationabili iudicio Episcopi audito tantum eo, qui ab eo appellaverit, nullatenus ambigit recedere a decisis, cum praeelectus novam audientiam obtineat, ac iustum fuisse demonstret iudicium Episcopi *in Uxentina Parochialis die 11 Maii et die 7 Septembris 1720.*

244. Siquidem indicto Concursu occasione vacationis Parochialis Ecclesiae S. Nicolai Terrae Salvi Uxentinae Diaecesis, praeelectus fuit ab Episcopo Sacerdos Guarinus, et Sacerdos Ioannes Felix Lecci appellationem interposuit ab irrationabili iudicio Episcopi; atque contendit, Ecclesiam Parochialem sibi esse adiudicandam, nedum quia ipse etiam fuit ab Examinatoribus approbatus, sed etiam quia suas asserebat qualitates et requisita id exposcere, habita praesertim ratione demeritorum Sacerdotis Guarini, quae latissime in informatione per manus circumferebat. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili iudicio Ordinarii, ita ut Parochialis Ecclesia S. Nicolai Terrae Salvi sit adiudicanda Ioanni Felici Lecci in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Uxentina Parochialis die 11 Maii 1720.*

245. Prodiit haec resolutio, inaudito Sacerdote Guarini, impetrataque per ipsum nova audientia, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Recedendum a decisis – *in Uxentina Parochialis die 7 Septembris 1720.*

246. Nam dum ad Episcopum collatio spectat, certum est, sequendum esse ipsius iudicium, nisi evidenter iniustum sit, vel manifesto errore ac dolo peccet: vetus canonica haec regula est, quam Tridentinum apertissime approbavit *in Aprutina Parochialis die 23 Iunii 1764* §. *De iudicio.*

247. Casu vero, quo Ecclesiarum collatio ad Pontificem pertinet, post indictum ab Episcopo Concursum, et postquam is proposuit, quem magis idoneum ad Ecclesiam regendam censet, videndum, quanti eius faciendum sit iudicium ex Constitutione *Cum illud* Benedicti XIV *in Aprutina Parochialis die 23 Iunii 1764* §. *De iudicio.*

248. Nam compertum est, Episcopi iudicium ac electionem summi esse ponderis, iustissimam omni casu existimandam, ut ad rem Card. De Luca ad Concil. Trid. disc. 22 n. 2, Pax. Iord. Lucubrat. can. lib. 10 tit. 8 n. 122, nisi clarissime error frausque et dolus probetur *in Aquinaten. Parochialis die 19 Ianuarii 1765* §. *Episcopi.*

249. Siquidem Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud* statuit: – Sciant porro Iudices ... nec parvi pendendum esse testimonium illius Pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas cognoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut, non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur, et in sacrorum Canonum singularem iniuriam dicant malum bonum, bonum malum, et ponentes tenebras lucem et lucem tenebras – *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Verum.*

Item *in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Consonant; in Lucana Concursus die 26 Augusti 1854* §. *Sacrorum.*

250. Idcirco, ut irrationabile censeri possit iudicium Episcopi in praelatione unius ex Concurrentibus approbati, requiritur ad hunc effectum manifestus et inexcusabilis excessus, ut ex mente Constitutionis *In Conferendis* S. Pii V firmat Rota coram Ansaldo decis. 269 n. 4, et decis. 419 n. 19, nec non in Firmana Parochialis 26 iunii 1752 coram Emo Molino *in Firmana Parochialis die 24 Iulii 1762* §. *Ad.*

Item *in Urbinaten. Parochialis die 30*

Augusti 1766 §. *Rota; in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Hinc; in Perusina Prioratus die 30 Martii 1776* §. *Iudicium; in Perusina Parochialis die 28 Iulii 1781* §. *Allegrius; in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Quod; in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851* §. *De moribus.*

251. Eoque potissimum probari debet excessus, dum firmum in iure est, quamlibet interpretationem esse pro iudicio Episcopi sumendam, ad Textum in cap. *In praesentia* de renunciatione, Gonzal. ad reg. 8 Cancell. gloss. 4 n. 124 et 133, Pignatell. tom. 1 consult. 98 n. 5, et Rot. coram Buratto decis. 22 n. 28; ea adstipulante ratione, quia nemo est, cui mores Concurrentium innotescere magis possint, quam Ordinario: ex quo inferunt Doctores, quod Ordinarius tenetur illum praeferre, cuius mores sunt sibi magis noti, ut his verbis prosequitur Pignatellius loc. cit. Barbos. de offic. et potest. Episcopi part. 3 alleg. 60 n. 101, Marescott. var. res. lib. 1 Cap. 52 n. 25, Rota coram Celso decis. 5 n. 4, coram Ansaldo decis. 269 n. 6 *in Perusina Prioratus die 30 Martii 1776* §. *Iudicium.*

Item *in Perusina Parochialis die 28 Iulii 1781* §. *Allegrius.*

252. Liberum enim non est Episcopi iudicium de iniustitia redarguere, nisi concludentissimae afferantur probationes, ex quibus resultet unum potius, quam alium dolo ac fraude fuisse praeelectum *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Sustineri.*

Item *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Haec.*

253. Qua de re Rota in decisione 429 n. 19 coram Ansaldo haec habet: – Fundamentum resolutioni praebuit ineluctabilis et undique firma propositio, quod ad hoc, ut iudicium Episcopi praeeligentis magis unum, quam alterum in huiusmodi Concursibus possit obiurgari et rescindi tamquam irrationabile, expostulatur tanta meritorum et praerogativarum inaequalitas, ut pariat manifestum et inexcusabile excessum, ita ut si non dolo positivo, immodicae saltem et non tollerabili affectioni imputanda veniat eadem praeelectio, quemadmodum de mente ipsius Sacrosancti Concilii Tridentini nec non Pianae Constitutionis citra contradictorem stabiliunt Fagnanus etc. – *in Verulana Archidiaconatus die 16 Septembris 1769* §. *De.*

Item *in Tyburtina Archipresbiteratus die 22 Augusti 1807* §. *Hinc; in Savonen. Archipresbiteratus die 15 Iunii 1816* §. *At; in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Decembris 1832* §. *Verum; in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Quod.*

254. Unde Sacra Congregatio declaravit etiam, iudicium Episcopi non fuisse irrationabile, cum recusaverit executionem dare Literis Apostolicis resignationis Parochialis in forma dignum attenta inhabilitate Resignatarii, propter quam Examinatus fuit reiectus ab Examinatoribus, nec non attentis amentia Resignantis, deficientia congruae eiusdem post dimissam Parochialem, asserta labe simoniaca in resignatione commissa, atque defectu mandati Procurae, propter non archiviationem eiusdem *in Forolivien. Resignationis die 19 Iulii et 20 Septembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

255. Luculentissimum hinc est, quod irrationabile dici nequeat iudicium Episcopi, si appellans nihil deducere curat, ut illud tale ostendat *in Tudertina Parochialis die 2 Septembris 1758.*

256. Iamvero in Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Silvestri Civitatis Tuderti Oliverius suffragia 22, Baldaccius 20, Fabrius 22, Bartolus 19, Pardius 15; omnes igitur fuerunt approbati. Episcopus praeelegit Nicolaum Baldaccium a Parochianis Curae vacantis petitum, commendatum a Decurionibus Civitatis et Parochis vicinorum locorum Castro Turrium; eumque in possessionem Paraeciae immisit. Appellavit Fabrius, sed inde nihil, ut ostenderet irrationabile iudicium Episcopi, deducere studuit. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Tudertina Parochialis die 2 Septembris 1758.*

257. Nam si appellans nullam afferat probationem, nequaquam irrationabile censeri potest iudicium Episcopi, qui approbatum ab Examinatoribus praeelegerit *in Perusina Parochialis die 28 Iulii 1781.*

258. Enimvero in Concursu habito ad va-

cantem Parochialem Ecclesiam S. Savini Lacus Trasimeni Pro-Synodales Examinatores quoad scientiam in primo loco Laurentium Allegri et in secundo loco Vincentium Turrini approbarunt; quo vero ad merita ambo approbati fuerunt, sed Turrinius primum locum obtinuit, secundum autem Allegrius. Episcopus praeelegit Vincentium Turrini, eumque in possessionem Parochialis Ecclesiae S. Savini immisit. Sacerdos Allegrius appellationem interposuit ac postulavit declarari, fuisse Episcopi iudicium irrationabile, et Paraeciam eidem uti digniori esse adiudicandam, quin tamen aliquid in medium ad id probandum protulisset. Proposito hinc dubio:- An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Parochialis S. Savini adiudicanda sit Laurentio Allegri in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et amplius - *in Perusina Parochialis die 28 Iulii 1781.*

259. Hinc censeri nequit irrationabile iudicium Episcopi, si ab eo appellantes nihil deducere curent ad effectum probandi, quod illud sit reapse irrationabile *in Marturanen. Parochialis die 11 Decembris 1756 die 22 Ianuarii et die 12 Martii 1759.*

260. Iamvero inter octo Concurrentes ad vacantem Ecclesiam Abbatialem et Parochialem Terrae Mottae praelati ceteris fuerunt Bonaventura Funatus et Rochus Santangeli. Episcopus Rochum Diaecesanum iurisperitum sacrorum Canonum lectorem pluribusque aliis qualitatibus praeditum uti digniorem elegit. Hinc non obstantibus oppositionibus Sacco et Notorianna, qui longe minora puncta obtinuerant in Concursu, expeditae fuerunt literae provisionis: sed iidem appellarunt ad Sacram Congregationem a iudicio Episcopi, quin tamen aliquid deducere curaverint. Proposito hinc dubio: - II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. -, Sacra Congregatio die 11 Decembris 1756 respondit: - Dilata ad primam post Reges etiam unica-; ac inde responsum dedit:- Ad secundum, Negative-*in Marturanen. Parochialis die 22 Ianuarii 1757.*

261. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Marturanen. Parochialis die 12 Martii 1759.*

262. Idcirco cum appellans plura quidem ac aliquid vix credibile etiam asserat, sed revera non probet, irrationabile censeri nequit iudicium Episcopi *in Bisinianen. Parochialis die 3 Aprilis 1756.*

263. Enimvero indicto Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Mariae Assumptae Terrae Acris, tres ad illum venerunt Parochi, Ianuarius Capalbo, Iulius Caesar Bernardus, et Ioseph Luzzi, qui omnes ab Examinatoribus approbati fuerunt plenis suffragiis, cum distinctione tamen, quod Ianuarius Parochus Capalbo fuit in primo loco approbatus quoad Conciunculam. Episcopus elegit et digniorem iudicavit Ianuarium Capalbo. Ab hoc iudicio provocavit Ioseph Luzzius et disputavit, nullum fuisse Concursum, quia Examinatores Synodales nullo unquam tempore iusiurandum praestiterant, irrationabile fuisse iudicium Episcopi, quia ipse putavit, eosdem Examinatores retulisse ex discussione actorum Concursus ac iudicio circa Concurrentium mores requisita et qualitates animarum regimini consentaneas, et quia Ianuarius Capalbo fuit respectu Conciunculae primo loco approbatus, quorum utrumque insubsistens esse dixit, cum Examinatores nullam de aetate prudentia moribus disquisitionem habuerant, sed de doctrina dumtaxat, ut patebat ex actis Concursus et ex Testibus, fuisse Capalbum ab Examinatoribus approbatum primo loco respectu Conciunculae a vero alienum esse, cum ab uno tantum ex tribus Examinatoribus approbatus fuerit. Addidit, humani aliquid passum Episcopum, qui Capalbum elegit actuali eius servitio addictum, ut testificationem faciebant Decuriones Bisinianenses, quod tamen vix credi poterat, cum Capalbus in loco diverso, in ipsa nempe Terra Acris Parochus esset. Capalbus nihil deducere curavit. Proposito tamen dubio: - An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative, et amplius - *in Bisinianen. Parochialis die 3 Aprilis 1756.*

264. Unde Paraecia adiudicanda est ei, qui ab omnibus ex quinque Examinatoribus fuerit probatus ac mox praeelectus, quin obstet appellatio a mala eorum relatione et irrationabili iudicio Episcopi, cum id nullatenus probetur *in Auximana Concursus die 12 Augusti et die 2 Decembris 1757.*

265. Siquidem in Concursu ad vacantem Praeposituram Ecclesiae S. Mariae Montis Philoptrani Marius Rondinius plenis quinque Examinatorum suffragiis reiectus fuit, Ioseph Rondinius eius frater unum tantum suffragium secundum eum obtinuit, Sebastianus Ghirardellius quatuor habuit suffragia, in Iosephum autem Dominici omnes convenerunt Examinatores. Cum collatio ad Sedem Apostolicam spectaret, placuit Episcopo Ghirardellium praeeligere, qui, sententia Episcopi probatus, obtinuit Literas Apostolicas et Parochialis possessionem nactus est. Sacerdos Dominici et fratres Rondinii appellarunt a mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi, quin ullam probationem afferrent. Propositis hinc dubiis: - I. An constet de mala relatione Examinatorum? II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi? *Et quatenus affirmative.* III. An et cui sit adiudicanda Parochialis, de qua agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, provisum in praecedentibus –*in Auximana Concursus die 12 Augusti 1757.*

266. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Auximana Concursus die 2 Decembris 1757.*

267. Unde si quis asserat, sed non probet, se melius propositis in examine casibus respondisse maioresque praeseferre qualitates, frustra queritur de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 18 Novembris et die 2 Decembris 1724.*

268. Iamvero Parochialis Ecclesia S. Vitalis Mirteti vacavit anno 1721, indictoque de more Concursu, tres fuerunt examinati, Antonius videlicet Ceccoperius Franciscus Ceccoperius et Dominicus Boldrinus; cumque omnes fuissent ab Examinatoribus approbati, Parochialis collata fuit Dominico Boldrino, et appellatione interposita transmissisque actis, cum Antonius Ceccoperius conquereretur de mala relatione Examinatorum et de irrationabili iudicio Episcopi, quaerebatur, quid esset statuendum. Controversia vigebat inter Antonium Ceccoperium et Dominicum Boldrinum, Franciscus enim Ceccoperius nullas deducebat rationes, cum aliam Ecclesiam Parochialem hoc interim obtinuerit; et in eo quod attinebat ad praedictum Antonium, ipse contendit, se propositis in examine casibus bene respondisse, et e contra sufficienter non fuisse iisdem responsum a Dominico Boldrino, et suas ulterius qualitates maximopere praeponderare qualitatibus Adversarii. Proposito vero dubio: – An constet de mala relatione Examinatorum aut de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Parochialis Ecclesia sit adiudicanda Canonico Antonio Ceccoperio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 novembris 1724 interim respondit: - Dilata, et proponatur omnino in prima etiam unica –; ac mox reproposito dubio sub eadem formula responsum tulit: - Negative - *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 2 Decembris 1724.*

269. Quin imo in dubio censetur, Episcopum praeelegisse, quem digniorem in Domino iudicavit, ex traditis per Rotam coram Ansaldo decis. 269 n. 4, et in Firmana Parochialis 26 Iunii 1752 §. 8 coram Molino *in Perusina Prioratus die 30 Martii 1776* §. *Non.*

Item *in Perusina Parochialis die 28 Iulii 1781* §. *Quo; in Terracinen. seu Setina Praebendae Theologalis die 5 Septembris 1818* §. *Post.*

270. Siquidem pro Episcopi iudicio omnis iuris praesumptio militat, dum magis dignum et probitate et scientia praeelegisse censetur *in Assisien. Parochialis die 27 novembris 1773* §. *Sustineri.*

Item *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Haec.*

271. Idcirco in dubio standum est iudicio Ordinarii, qui praesumitur informatus de vita et moribus aliisque qualitatibus Concurrentium *in Rheginen. Parochialis die 29 Augusti 1761* §. *Contra.*

Item *in Anagnina Parochialis die 20 Novembris 1851* §. *De moribus; in Patavina Parochialis die 27 Ianuarii 1855* §. *Quibus.*

272. Nam eligere digniorem solius Episcopi iudicio reservatum est a Sacro Concilio Tridentino sess. 24 cap. 18 et a Constitutione *Cum illud* s. m. Benedicti XIV *in Perusina Prioratus die 30 Martii 1776* §. *Non.*

Item *in Perusina Parochialis die 28*

Iulii 1781 §. *Quo; in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Episcopus; in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Hisce.*

273. Sat propterea est, quod omnes ab Examinatoribus approbati sint, ut iure possit Episcopus eum seligere, quem tamquam approbatum digniorem putavit, licet quoad meritorum praerogativam secundo loco decoratus existat, ut animadvertunt Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 109, Card. De Luca de Paroch. disc. 1 n. 17, Rota in Firmana Parochialis 26 iunii 1752 §. 5 coram Molino, et passim censuit Sacra Congregatio *in Perusina Prioratus die 30 Martii 1776* §. *Post.*

Item *in Perusina Parochialis die 28 Iulii 1781* §. *Quo; in Terracinen. seu Setina Praebendae Theologalis die 5 Septembris 1818.*

274. Unde sequi non tenetur Episcopus sententiam Examinatorum, eumque etiam postponere valet, qui non plura, sed omnia eorum suffragia reportavit; ita enim ab Sacra Congregatione decisum refert Gallemart in sess. 24 cap. 18 Sacri Concilii Tridentini verb. *caveantque*: - An si, pluribus examinatis, aliqui ultra dimidiam vocum fuerint consequuti et sic approbati, et unus omnia suffragia prospera reportavit, Episcopus facta per Examinatores relatione possit, postposito illo, in quem omnia suffragia confluxerunt, alium ex eis eligere, qui ultra dimidiam partem habuerunt, Sacra Congregatio respondit: – Posse – *in Hortana Parochiae die 28 Martii 1801* §. *Huic.*

Item *in Tyburtina Archipresbiteratus die 22 Augusti 1807* §. *Hinc; in Savonen. Archipresbiteratus die 15 Iunii 1816* §. *Nulla; in Terracinen. seu Setina Praebendae Theologalis die 5 Septembris 1818* §. *Post; in Sorana Participationis et Praecedentiae die 29 Iulii 1860* §. *Addit.*

275. Liberum namque est Episcopo eum, qui minora suffragia habuerit, praeferre: si quippe aliter constitueretur, non Episcopus, sed Examinatores eligerent, quod esset contra universae Ecclesiae receptam doctrinam, quae Episcoporum de hoc iudicio et de hac electione conscientiam et religionem reposcit, quibus animarum cura mandata est, et e quorum manibus sanguis Ovium deperditarum a Principe animarum Pastore et Redemptore Christo exquiretur *in Firmana Parochialis die 24 Iulii 1762* §. *Et.*

Item *in Melevitana die 14 Aprilis 1764* §. *De*; *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Sustineri; in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792* §. *Ridolphium; in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Episcopus; in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *E converso; in Sorana Participationis et Praecedentiae die 28 Iulii 1860* §. *Addit.*

276. Quod optimo quidem consilio sancitum est:-Quum enim Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in Concursu, inspectis tam scientia, quam moribus, ille idoneus ab Examinatoribus renuncietur, cui foeda aliqua vitii labes ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta -, ceu bene animadvertit in Constitutione *Cum illud* §. 14 Benedictus XIV *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Episcopus.*

Item *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Quod.*

277. Animadvertendum enim est, quod licet aliorum Concurrentium requisita maiora essent propter aetatem doctrinam et exercita munia, non tamen ex hac redargui posset Episcopi iudicium; quia sicuti peculiares quaedam qualitates reddere valent electum magis idoneum ad curam animarum, ita intrinseca vel extrinseca earumdem qualitatum notitia movere potuit Episcopum ad illum tamquam magis idoneum eligendum, ceu ad rem Barbosa de offic. et potest. Paroch. part. 1 cap. 2 n. 141, Card. De Luca ad Concil. Trid. disc. 32 n. 21 *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *De Sacerdote.*

278. Quapropter si Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, eligat quem ipse magis idoneum censeat, ob aliquam sibi dumtaxat exploratam qualitatem, id Iudici, ad quem appellaverint, pro causae instructione poterit significare, ut iniustae praeelectionis nota detergatur *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Episcopus.*

279. Nam licet quis maiora habuerit suffragia, non propterea irrationabile dicere potest iudicium Episcopi, cum ex iustis causis alium

ab Examinatoribus approbatum praeelegerit *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833.*

280. Enimvero habito Concursu ad vacantem Parochialem Ecclesiam Raitensem titulo S. Mariae Gratiarum, Examinatores Synodales de petentium virtutibus gestisque muneribus et doctrina pronunciarunt, atque – ex suffragiis numero sexaginta, quoad scientiam et ex totidem suffragiis quoad mores et cetera requisita, fuerunt tributa Parocho D. Salvatori Consiglio quadraginta octo quoad scientiam, et quinquaginta quoad mores et cetera requisita; ex totidem pariter suffragiis sexaginta fuerunt tributa quadraginta quoad scientiam D. Matthaeo de Caesare et totidem quoad mores et reliqua requisita, et hinc ambo ad curam animarum idonei –. Verum Episcopus visa adprobatione ex iustis causis Matthaeum Caesarium elegit, pro quo octoginta tantum suffragia lata fuerunt, licet Consiglius nonaginta octo per se recenseret, eumque Ecclesiae illi praefecit, cum reservatione pensionis super persona Matthaei de reditibus Paraeciae annuorum ducatorum triginta, ex quibus ducata sex ipsi Salvatori Consiglio attribuit, donec vitam degeret Caesarius, reliqua vero viginti quatuor Parochiali Ecclesiae Alborensi, cui tunc idem Consiglius praeerat. At Consiglius nedum pensionem hanc repudiavit, sed etiam adversus iudicium Episcopi ad S. Congregationem appellavit. Is enim contendit, usu ac scientia earum rerum, quibus praeditum animarum Curatorem esse convenit, longe se praestare, qui plures annos in Paraeciarum procuratione versatus erat. Addidit, se etiam aetate maiorem et Sacerdotio priorem esse, quae duo summopere pensanda esse tradit Rota, quando praesertim de Curionali officio quaestio sit, ceu in decis. 61 part. 1 Recent. n. 2. Contra Episcopus praeelectionem Matthaei defendit, cum ius sibi esset, quem ex adprobatis aptiorem regendae Paraeciae magisque idoneum ex iustis causis iudicaverit, licet praeelectus minora suffragia habuerit. Et has iustas causas, quibus ex informata conscientia in eligendo permotus est, monet Benedictus XIV in Constitutione *Cum illud* §. 7, – esse indicandas per literas familiares Iudici appellationis, qui nec illas revelare nec postulare poterit, ut eae iuridice probentur –, cum non dolo malo non iniusta animi affectione non studio partium abreptus Episcopus id consilii suscepit, quod animarum bonum gravesque causae suggesserunt.

281. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Ecclesia Paraecialis S. Mariae Gratiarum in Pago Raiti adiudicanda sit Salvatori Consiglio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833.*

282. Quum itaque Examinatores renunciare debeant, quot idonei reperiantur, non autem quis eorum sit dignior, Episcopus inter approbatos praetermittere potest, quem Examinatores nedum idoneum, sed et adiectis verbis – cum magis – proclamaverint, quin iudicium Episcopi irrationabile censeri valeat, nisi aliud obstet *in Nullius seu Sublacen. Concursus die 22 Iulii 1741.*

283. Siquidem sequuta vacatione Archipresbiteralis Ecclesiae in Castro Serani Abbatiae Sublacensis erectae per liberam illius resignationem a Blasio Manni possessore factam, in Concursu Sacerdos Amadei fuit a duobus ex tribus Examinatoribus reprobatus, Petrus Proprii et Dominicus Perelli tunc temporis Diaconi approbati fuere, sed quoad Petrum Proprii addita fuerunt verba haec – cum magis –, qui propterea appellationem interposuit, cum Emus Abbas Commendatarius Dominicum Perelli praeelegisset. Vicarius Generalis exposuit, – Petrum de Propriis superasse Dominicum Perellum in uno puncto cum dimidio; at cum neuter eorum illam punctorum quantitatem attigerit, quae necessaria iudicabatur pro consecutione trium votorum, Examinatores duo vota utrique attribuerunt, sed Petro de Propriis ratione dicti, etsi minimi, excessus, operae pretium duxerunt quoddam veluti distinctivum assignare, adnotari faciendo in actis Concursus, illum fuisse approbatum a duobus « cum magis » –. Contendit vero Vicarius Generalis ad Ordinarium spectare praeelectionem illius, qui ceteris magis idoneus iudiceretur, cum Examinatores debeant tantum renunciare, quot idonei reperiantur, non autem quis eorum sit dignior. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili iudicio Emi Abbatis Commenda-

tarii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius; et ad Emum Praefectum iuxta mentem – *in Nullius seu Sublacen. Concursus die 22 Iulii 1741.*

284. Idcirco licet alter ex Concurrentibus maiora reportaverit suffragia ab Examinatoribus et postulatus fuerit a Parochianis, non propterea irrationabile dici potest iudicium Episcopi, cum omnibus mature perpensis alius magis dignus magisque idoneus censeatur ad vacantem Parochialem Ecclesiam *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 5 Aprilis et die 21 Iunii 1783.*

285. Iamvero peracto examine in Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Michaelis Oppidi Trebiani, Sacerdos Daniel Frateschi octo favorabilia habuit suffragia, quinque Sacerdos Bartholomaeus Ratto. Hunc Episcopus praeelegit, et Emo Pro-Datario commendavit. De Episcopi iudicio conquestus est apud Sacram Congregationem Sacerdos Frateschi. Namque contendit, irrationabile fuisse iudicium Episcopi, dum praeelegit Ratto, se ipso posthabito, qui doctrina et experientia magis probatus fuerat, quin obesset praesumptio militans pro recto iudicio Episcopi, cum praesumptio cedat, quando ex coniecturis constaret, Episcopum humana quadam affectione fuisse allectum. Hanc affectionem erga Sacerdotem Ratto desumpsit ex illius relatione ad Sacram Congregationem transmissa, utpote quae multa continebat a veritate aliena. Alienum a veritate esse dixit, quod Populus Trebiani ad Episcopum tumultuarie accesserit, et ab eo petierit eligi in Parochum ipsum Sacerdotem Frateschi, quod Parochorum subscriptiones, appositae in precibus ipsius favore Episcopo porrectis, fuerint expiscatae, quod sanior Populi pars pro Sacerdote Ratto supplicaverit. Sustinuit enim, postulationem Sacerdotis Frateschi factam fuisse a Deputatis in publicis comitiis ad id electis; Parochianos autem coram Praetore locali preces obsignasse. Ac praeterea pluribus attestationibus probare studuit, Sacerdotem Ratto esse Populo invisum. Episcopus defendit, quod ipse omnibus mature perpensis Ratto magis dignum magisque idoneum ad regendam Parochialem Ecclesiam Trebiani deprehendisset.

286. His utrinque perpensis, proposito dubio: –An constet de irrationabili iudicio Episcopi? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 5 Aprilis 1783.*

287. Reproposito dein dubio sub formula:– An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 21 Iunii 1783.*

288. Hinc multo minus irrationabile censeri potest iudicium Episcopi, si praeelegerit qui minora reportavit suffragia, cum postpositus praeter odium Parochianorum malis infectus existat qualitatibus *in Savonen. Archipresbiteratus die 13 Iulii 1816.*

289. Enimvero ad obtinendam vacantem Archipresbiteralem Ecclesiam Pagi Vadorum, tres in Concursu adstiterunt, Ioseph Toso Praepositus Ecclesiae Parochialis Oppidi Varaginis, qui octo tulit puncta, Sacerdos Ioannes Baptista Torre ex Capuccinorum familia atque ex Rescripto Summi Pontificis habilis factus ad consequenda Beneficia quantumvis Curata, cui septem suffragarunt vota, Antonius Saccarelli, qui sex suffragia consequutus est. Episcopus censuit inter ceteros magis idoneum Sacerdotem Torre declarare. Praepositus appellavit ad Archiepiscopum Ianuensem, sed mox Curia illa deserta, provocavit ad laicam potestatem Ministri Cultorum, qui re cognita eumdem reiecit. Post triennium preces Sacrae Congregationi obtulit, ut irrationabile ediceret iudicium Episcopi, cum is pluribus Examinatorum suffragiis fuisset approbatus. Episcopus vero retulit, quod Praepositus Toso esset – vir apprime imprudens rixosus avarus Pauperum aspernator, quique Ecclesiae Parochialis Varaginis gregem sibi creditum non uti Rector, sed uti mercenarius oves mungit, nonnisi quae sua sunt quaerens, ut propterea pluries in ipsum animadvertere oportuerit, praesertim eo ipso anno 1812, quo ad sedandas turbas contra ipsum merito excitatas, et ad sedandam Praefecti Provinciae iracundiam, qui iustis de causis depositionem illius deposcebat, ipsum in Clericorum Seminarium ad plures menses relegavi, ex quo post per eumdem ultro satisfactam partem egressus ad suam rediit sedem sub melioris vitae protestatione. Malae consuetudinis habitudo et odibiles dicti Sacerdotis qua-

litates in causa fuerunt, quare universa Populi Vadorum Congregatio Concursus praedicti tempore formalem tum coram Praefecto, tum apud me protulit oppositionem contra dictum Sacerdotem, ne ad vacantem Ecclesiam eligeretur –. Accedebat, quod Tosius ad obtinendam dictam Paraeciam ad laicam potestatem recurrisset. Hoc enim facto ex Constitutionibus Martini V et Innocentii VIII *Officium nostrum* incidit in censuras et a Beneficiis decidit, ut propterea, licet ad amissionem Beneficii necessaria sit sententia declaratoria, ut statuit Rota in decis. 83 Recent. part. 7 n. 3, attamen recursus ille sacris Canonibus reprobatus impediebat, quominus Beneficium, pro quo recurrit, consequeretur. Contra notavit Episcopus, quod Parochus Torre rite ad Paraeciam institutus a triennio illam pacifice possidebat.

290. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Praeposito Iospho Toso sit conferenda Paraecia, seu potius Sacerdos Torre sit manutenendus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et Praepositus Toso consulat conscientiae suae – *in Savonen. Archipresbiteratus die 13 Iulii 1816.*

291. Unde irrationabile censeri nequit iudicium Episcopi, licet praeelegerit, qui minora, et posthabuerit, qui maiora reportaverat suffragia, si hic diffamatione inhonestae vitae infectus existat *in Nicien. Concursus die 27 Iulii 1737.*

292. Iamvero in Concursu habito ad vacantem Ecclesiam Parochialem loci *Robione* omnibus Examinatorum suffragiis fuit ad animarum curam approbatus Sacerdos Ioseph Audoli. At quia Pro-Vicarius Capitularis, aliis quoque conditionibus inspectis, in assecutione dictae Parochiae praeferendum iudicavit Iosephum Blanchi, licet in istius approbationem minora confluxerint Examinatorum suffragia, memoratus Ioseph Audoli appellationem interposuit; ac sustinuit, iniustum ac irrationabile fuisse iudicium Pro-Vicarii Capitularis, nam ipse inter Competitores approbatus primum ob maiorem scientiam obtinuit locum, annum secundum supra quinquagesimum agens tum aetatis, tum antiquioris Sacerdotii praerogativa longe praecedebat Iosephum Blanchi, assumptis iamdudum partibus aegrotantis Parochi loci *Bogli* Sacramenta administravit, divini verbi praeconem egit, et ecclesiasticas explevit functiones, novissime munus Vice-Curati in controversa Parochiali Ecclesia spatio decem annorum, quibus Honoratus Chiamporsin ultimus eiusdem Ecclesiae Parochus gravi infirmitate fuit detentus, sedulo et laudabiliter gessit, et demum ob probatos vitae mores in magna erat apud omnes aestimatione, Populoque eiusdem Ecclesiae plurimum acceptus. Verumtamen Ioseph Blanchi exposuit, se quoque, licet secundo loco, fuisse ab Examinatoribus ad curam animarum dictae Ecclesiae approbatum, ab anno 1728 licentiam sacramentales excipiendi confessiones ab Episcopo Niciensi reportasse, subindeque in Vice-Curatum controversae Parochiae electum, ibidem summa charitate et diligentia in spiritualem Populi sibi commissi profectum totis viribus intendisse, ita ut a Syndico et Consiliariis loci *Robione* peculiariter commendaretur. E converso autem, famam Iosephi Audoli, subdidit, non esse integram, cum in regione constans invaluerit rumor, eumdem procreasse filiam ex inhonesta consuetudine diu habita cum Anna Maria Ugo, ideoque ab Ordinario merito fuisse postpositum ac repelli omnino debere ab assecutione huius Parochiae, ne grave inde scandalum in Populo generaretur; ac censuit, satis evinci veritatem et pondus oppositae diffamationis, tum ex plurium Testium depositione, tum ex relatione Pro-Vicarii Capitularis nuperrime transmissa.

293. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Ordinarii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Nicien. Concursus die 27 Iulii 1737.*

294. Nam ea est iuris censura, quod prohibeat, ne animarum cura iis committatur, qui ex turpi et inhonesta vivendi ratione apud probos honestosque viros auctoritatem et aestimationem amiserint, uti per Textus expressos in Cap. *Inter dilectos* 11 de excess. Praelatorum, et in Cap. fin. de purg. can. docent

Abbas in Cap. 10 n. 3 de iureiurando, Reiffenstuel in ius can. lib. 5 tit. 37 n. 60, Sgmalzgrueber eod. loc. n. 141, Card. De Luca de Benef. disc. 20 n. 3, et de Paroch. disc. 8 n. 5 et 6, et disc. 37 n. 28, Monacellius in form. legal. for. eccles. part. 2 tit. 15 form. 2 n. 21 *in Nicien. Concursus die 27 Iulii 1737* §. *Verumtamen.*

295. Qua de re dubio procul Episcopo licet unum ex approbatis in Concursu praeeligere, quem ad Ecclesiae regimen et animarum curam exercendam magis aptum existimaverit, posthabitis aliis, qui maioribus polleant requisitis, ut ad rem Rota coram Ansaldo decis. 269 n. 3, cum praesertim peculiaris concurrat qualitas, quae illum magis idoneum constituat *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Sustineri.*

296. Iamvero in Concursu habito ad vacantem Archipresbiteralem Ecclesiam S. Mariae Assumptae Oppidi Bictonii omnes Concurrentes, scilicet Sacerdotes Ioachim Sgariglia Petrus Emilii Franciscus Zappi Carolus Bassi Vincentius Pellegrini et Ioannes Valeri, pari suffragio ab Examinatoribus Synodalibus idonei fuerunt renunciati. Episcopus praeelegit Sacerdotem Carolum Bassi, quem suis testimonialibus literis Emo Pro-Datario enixe commendavit. Hinc alii Concurrentes suas querelas adversus Episcopi iudicium proposuerunt Emo Pro-Datario, qui illos ad Sacram Congregationem remisit, ut sua iura coram ea experirentur, et interim Literas Apostolicas concessit Sacerdoti Carolo Bassi, quarum vigore possessionem Archipresbiteralis Ecclesiae Bictonii nactus est. Quare transmissis actis Concursus, omnes, exceptis Vincentio Pellegrini et Ioanne Valeri, qui a lite recesserunt, probare studuerunt, praefatum Bassi in florida nimis aetate viginti octo annorum versantem nec mediocri pollere scientia, cum etiam in ipsis Grammaticae regulis esset penitus rudis, nec morum gravitatem nec probitatem in munere Confessarii Monialium S. Catharinae in eodem Oppido Bictonii exercito ostendisse. Contra alii Concurrentes, plura recensentes requisita, contenderunt, quod ipsi et morum gravitate ac aetate et doctrina Sacerdotem Bassi antecellerent. Sacerdos Bassi vero observavit, se pluribus fortunae bonis ditatum esse, quibus Paraeciae indigentiis occurrere posse, cum praesertim Ecclesia suppellectilibus indigeret, eiusque bona deteriorationem passa fuerint, seque acceptissimum esse Populo, cui praeesse debebat. His ergo perpensis circumstantiis, merito se fuisse praeelectum sustinuit, cum huiusmodi requisitis alios superexcederet. Verum animadvertit, quod licet aliorum Concurrentium requisita maiora essent propter aetatem doctrinam et exercita munia, non tamen ex hoc redargui poterat Episcopi iudicium; quia sicuti peculiares quaedam qualitates reddere valent electum magis idoneum ad curam animarum, ita intrinseca vel extrinseca earumdem qualitatum notitia movere potuit Episcopum ad illum tamquam magis idoneum eligendum.

297. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Episcopi et mala relatione Examinatorum in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Assisien. Parochialis die 18 Decembris 1773.*

298. Haud dubium hinc est, posse quidem Episcopum inter approbatos ad Paraeciam obtinendam eligere quem vult, ceu monet Card. De Luca in disc. 8 de Parochis n. 3, verum illico Auctor praeclarissimus subiungit, id arbitrii haud liberum ac effraenatum esse, – sed potius tamquam boni viri regulandum esse, praeeligendo illum, qui, omnibus qualitatibus ac circumstantiis simul ponderatis, reputetur dignior –; alias enim Constitutio S. Pii V frustra admitteret appellationem ab electione Episcopi, ceu perpendit Rota in Recent. decis. 61 part. 3 n. 2 *in Caven. Concursus die 7 Septembris 1833* §. *Verumtamen.*

Item *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Haud.*

299. Nam licet inter approbatos possit quemlibet Episcopus eligere, ne tamen haec electio temere fiat, mens Concilii est, ut super magis idoneo seu super eo, quem digniorem suo iudicio Episcopus ipse deprehenderit, electio versari debeat; hinc cum Iudicis munus sit, ius suum unicuique tribuere, sequitur, quoties ex una parte merita praevaleant, hanc alteri esse praeferendam, alioquin futile appellationis beneficium evaderet, quod S. Pius V in sua Constitutione *In conferen-*

dis 15 Kal. aprilis 1566 magis idoneo indulsit, qui ab Episcopo posthabitus inferiori fuit *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Neque.*

300. Ne igitur admittatur id absurdi, tenendum omnino quod, si constet de iusta appellantis reclamatione, quia Episcopus non digniorem inter approbatos elegerit, collatio Parochialis stare nequit, quippe quae subreptitia et irrita prorsus censenda est, ut clare docet Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 4 n. 136 *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1748* §. *Neque.*

301. Episcopi enim in Parochialium collationibus ex sacri Concilii Tridentini dispositione Iudices sunt constituti, ut digniorem eligant *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 15 Martii 1783* §. *Contendit.*

202. Nec obstat, quod praesumptio stet semper pro rationabili iudicio Episcopi, quia quando apertissime – omnes qualitates magis praeponderant in uno, quam in alio, ex maiori earum parte inducitur irrationabilitas Episcopi –, ut ait Pignatellius in consult. 173 n. 3 tom. 1, ubi etiam refert, Sacram Congregationem in quadam Bracharen. declarasse nullam collationem, eo quia Parochialis non fuerat collata magis idoneo *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Nec.*

303. Nam despicienda est praesumptio militans pro recto iudicio Episcopi, cum praesumptio cedat, quando ex coniecturis constat, Episcopum humana quadam affectione fuisse allectum *in Lunen. Sarzanen. Parochialis die 15 Martii 1783* §. *Despiciendam.*

304. Idcirco in huiusmodi praeelectione nequit Episcopus proprio arbitrio procedere, sed adstrictus est certam iudicii formam servare, ad tradita per Pitonium in discept. eccles. 108 n. 1 part. 4; unde ad evitandas fraudes, quae oriri possent, liberum cuique est ab illius iudicio reclamare, si forte contra sacrorum Canonum statuta prodierit *in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Itaque.*

305. Qui enim pluribus personalibus meritis ornatus existit, tamquam dignior praeferri omnino debet ab Episcopo, uti sancitum est a Sacro Concilio Tridentino in sess. 24 cap. 18 de reformatione *in Salernitana seu Caputaquen. Parochialis die 9 Februarii 1760* §. *Et.*

306. Siquidem Sacrum Concilium nedum voluit, quod Concurrentes examinarentur ab Episcopo vel ab eius Vicario Generali et ab Examinatoribus Synodalibus non paucioribus, quam tribus, sed et quod Episcopus eum eligeret, quem ceteris magis idoneum iudicaret, habita ratione aetatis morum doctrinae prudentiae et aliarum qualitatum, quae sunt opportunae ad gubernandam Ecclesiam Parochialem *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Porro.*

307. Nam – in hac materia magis idoneus est ille, qui maiorem habet aptitudinem ad curam exercendam –, ut optime monet Pitonius in discept. eccles. 109 n. 17, et S. Rota in Recent. decis. 168 n. 7 part. 13 *in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *Porro.*

Item *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Ab his.*

308. Nec itaque certe dubitandum, aptiorem et digniorem esse, qui in actu practico curam exercuit comparative ad oppositorem, qui nihil aliud habet, quam miserabilem et valde arctam theoricam ostensam in examine, quam fallibilem et praxi postponendam tamquam securiori in his terminis dixit Rota in bene multis decisionibus *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Ab his.*

309. Hinc ex Concurrentibus is praeeligendus est in Concursu ad Parochialem, tanquam magis idoneus, qui ceteros praecellit nedum scientia, sed etiam aetate, moribus, prudentia, et aliis rebus ad curam animarum, et Ecclesiam gubernandam opportunis *in Cassanen. Parochialis die 21 Novembris 1761* §. *Quum itaque.*

Item *in Firmana Parochialis die 24 Iulii 1762* §. *Ad reliquas; in Melevitana Parochialis die 14 Aprilis 1764* §. *De secunda; in Ripana die 19 Ianuarii 1788* §. *Quibusdam; in Pisauren. Parochialis die 21 Iulii 1792* §. *Contendit* (1).

310. Idcirco praeelectio Vicarii Apostolici, non vero praeelectio et successiva provisio Episcopi sustinetur, cum illa magis vere ido-

(1) Concil. Trident. sess. 24 cap. 18 de Reformatione; Constit. Benedicti XIV, quae incipit: *Cum illud* §. *Merentes*; Rot. in Firmana Parochialis 26 iunii 1752 coram Card. Molino.

neum pertingit *in Forosempronien. Praeelectionis ad Parochialem die 16 Novembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

311. Siquidem – vacante de mense martii proxime elapsi Parochiali Ecclesia S. Andreae Castri Laureti huius Diaecesis, Episcopus Fabri tunc vivens Concursum per Edictum subscriptum a Vicario Apostolico indixit, habendum vel coram ipso, vel coram eodem Vicario Apostolico, ob eiusdem Episcopi gravescentem aetatem, iussu SS. D. N. illi Diaecesi praeposito. Post itaque publicatum et affixum Edictum sub die 3 eiusdem mensis cum termino decem dierum habitus fuit et absolutus Concursus coram dicto Vicario Apostolico ac tribus Examinatoribus Synodalibus sub die 13 saepedicti mensis. Septem fuere Concurrentes, quos inter Regius Coppa et Battellus omnium Examinatorum favorabilia vota unusquisque reportavit, reliqui vero cum duorum tantum Examinatorum suffragiis inter approbatos recensiti extiterunt. Successive sub die 15 eiusdem mensis idem Episcopus uti magis dignum praeelegit praefatum Coppam, mandavitque ad eius favorem Bullas expediri, quemadmodum fuerunt expeditae cum subsequuta possessione. Sed eademmet die Vicarius Apostolicus vigore suarum facultatum protestatus fuit in Cancellaria Episcopali, Bullas fore expediendas ad favorem Regii tamquam magis idonei, qui similem protestationem emisit appellando, et pro nulla redarguendo praeelectionem Episcopi. Exinde Regius recursum habuit ad S. D. N. huius Causae cognitionem ad hanc Sacram Congregationem remittentem, a qua (interim e vivis erepto Episcopo) fuit iussus informare idem Vicarius Apostolicus, qui a praemissis non discedendo, merita Regii usquequaque recensuit, ut ex eius relatione una cum literis suarum facultatum in summario dandis –. Proposito hinc dubio: – An sustineatur praeelectio Vicarii Apostolici, sive potius praeelectio et successiva provisio Episcopi in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Forosempronien. Praeelectionis ad Parochialem die 16 Novembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

312. Unde constat de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi, si approbatus et praeelectus fuerit, qui sex ab annis gravissima damnatus fuerat poena, quin tamen appellanti adiudicari debeat Paraecia, sed faciendus est novus Concursus coram Metropolitano *in Suessana Parochialis die 12 Februarii 1757.*

313. Enimvero in Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Luciae Casalis Cellularum Leo de Martino Parochus Casalis S. Caroli et Sacerdos Paschalis Matano in scrutinio approbati fuerunt, sed in scientia maiora tulit puncta Matano: Episcopus tamen Leonem praeelegit, eumque immisit in possessionem Parochiae. Appellavit Matano; petiitque, ut non acta tantum Concursus, sed etiam Processum criminalem, anno 1745 contra Leonem tunc Parochum Casalis Fontis Radinae a Curia Episcopali factum, Episcopus transmitteret. Datis Epistolis, acta quidem Concursus transmisit Episcopus, non Processum criminalem, cum repertus non fuerit. Decretum tamen exhibuit Matano, quo Episcopus acceptabat renuntiationem Parochialis illius Ecclesiae fontis Radinae, quam fecerat Leo de Martino, inflicta tamen poena – pro tanta temeraria et non probata causa abdicationis dictae Parochiae vix per decem menses possessae et tam negligenter administratae, ut in posterum ad Parochiales Ecclesias per Concursus obtinendas omnino inhabilis remaneret, ac Sacramentales confessiones non solum Parochianorum Diaecesis, sed etiam dictae Parochiae Fontis Radinae audire nequiret –. Electionem defendit Episcopus, cum praefatus Leo de Martino praestaret aetate moribus et exercitiis in gubernio animarum nec non approbationibus in aliis Concursibus, e contra Matano simplex esset Sacerdos et Grammaticae Ludimagister. Nullam habendam esse rationem, addidit, Processus criminalis, nam – ipse de Martino ad evitandas vexationes exulum vulgo banditorum, me contradicente, renunciavit Parochiam Fontis Radinae, et ad ipsum mortificandum capere feci informationem super quibusdam levitatibus; ac decrevi, non amplius admitti ad alios Concursus. Attamen transactis annis sex circiter ab anno 1745 ad 1751, novo Decreto fuit admissus et approbatus in Concursibus –. Conclusit denique Episcopus: – Et quia cognosco oves meas, in animam meam, quam in hac suprema aetate spero Domino reddere, testor, nullum aptio-

rem habuisse prae oculis in dicta praeelectione, quam dictum Parochum de Martino –. At Sacerdos Matano non solum se doctiorem, sed et in aliis praestantiorem dixit, propria numerans merita.

314. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de mala relatione Examinatorum et praeelectione seu irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Paraecia sit adiudicanda Paschali in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, et fiat novus Concursus coram Metropolitano; et amplius – *in Suessana Parochialis die 12 Februarii 1757.*

315. Quum itaque praeponderantia doctrinae aliarumque qualitatum manifesta perhibeatur, Sacra Congregatio nedum declaravit constare de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi, sed et mandavit, indicendum esse novum Concursum coram Metropolitano *in Urbanien. Praebendae Theologalis die 23 Iunii 1764.*

316. Siquidem in Concursu habito die 19 aprilis 1759 ad Praebendam Theologalem Urbaniensem omnes quatuor Examinatores reprobaverunt Philippum Gatti, Petrum Aloisium Baiardi vero Episcopi Urbaniensis fratris filium mira unanimitate omnes approbaverunt. Gattius tamen, ne Baiardus adolescens aemulus dispensationem super aetate obtineret nequicquam conatus est; qui idcirco, expeditis super ea Literis Apostolicis, Praebendae ab Episcopo possessionem obtinuit, eamque retinebat. Gattius autem appellavit a mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi. Namque contendit, de sua doctrina nullam probationem meliorem esse ea, quae patebat ex responsionibus ad quaestiones in Concursu oblatas datis, et non minus de sua doctrina, quam de sua pietate, spectata morum integritate, inculpato anteactae vitae cursu, sine ullius unquam querela et offensione, amplissima praeberi testimonia a Capitulo et Clero omni Urbaniensi nec non a publico Magistratu. Addidit, se iuris studio in Urbe triennium integrum dedisse operam, in ea Licentiatum esse, quemadmodum et in Sacra Theologia; Confessarium Monialium, Canonicum esse ab anno 1732, Episcopis, qui praecesserunt, acceptissimum, summo in honore apud eos non minus, quam apud finitimos habitum; pluries etiam ab moderno Episcopo Examinatorem Synodalem renunciatum, et ad ipsam Praebendam Theologalem usque ab anno 1729 in simili Concursu plenis suffragiis approbatum fuisse. Demum de aemulo sibi non comparando plura dixit, plura de non bona fide et sinceritate gestorum omnium. Contra Baiardus Gattii responsiones refutavit obiurgavitque, illum ob perpetuas animi anxietates aliaque incommoda ad hoc munus gerendum omnino ineptum praedicavit, Examinatores defendit, et quae ante Concursum gesta sunt et quae secuta, omnia cum bona fide acta esse, contrarias assertiones de calumnia notandas, non solum abesse fraudem ullam et dolum, qui alioquin probandus fuisset, in Examinatoribus et in Episcopo, licet Patruo, sed abesse vel minimum ullius doli ac fraudis suspicionem. Multa congerere curavit de suis studiis iuris philosophiae theologiae, de graecae atque hebraicae linguae peritia.

317. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum? *Et quatenus affirmative.* II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Praebenda Theologalis sit adiudicanda Canonico Philippo Gatti in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo; et indicatur novus Concursus coram Metropolitano; et amplius – *in Urbanien. Praebendae Theologalis die 23 Iunii 1764.*

318. Quin imo si unus inter omnes reprobatus appellationem interposuerit, sed ea non obstante Ordinarius novum expleverit Concursum, in quo unus tantum idoneus et habilis renunciatus fuit, ille tamen probaverit, se iniuste fuisse reprobatum in primo Concursu, Sacra Congregatio declaravit, constare de irrationabili iudicio Ordinarii; ac mandavit, signandam esse supplicationem favore reprobati in dicto primo Concursu, quin celebrandus esset novus Concursus *in Rheginen. Parochialis die 12 Decembris 1761.*

319. Iamvero indicto Concursu ad vacantem Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Ruris Valanidi, in termino praefixo quatuor comparuerunt Oppositores, quos inter Sacerdos Hyacinthus Capparella pluribus praeditus meritorum requisitis; sed Examinatores omnes quatuor praedictos Concurrentes, singulis

mature consideratis, reprobarunt. Denuo itaque Vicarius Capitularis Concursum indixit: hinc praeter alios quinque ad illum comparuit Paschalis Barillà annum agens vigesimum nonum, quem tantum habilem et idoneum Examinatores renunciarunt, aliis omnino reprobatis. Vicarius Capitularis testimonialium expeditionem decrevit favore eiusdem Barillà, et quatenus opus dignioris; et cum praedictis testimonialibus acta quoque Concursus fuerunt successive transmissa ad Datariam Apostolicam, in qua facienda erat collatio eiusdem Parochiae vacatae in mense reservato. Interea Hyacinthus Capparella appellavit ad Sacram Congregationem; probavitque, iniustam fuisse suam reprobationem et irrationabile iudicium Vicarii Capitularis. Contra Paschalis Barillà defendit nedum Vicarii Capitularis iudicium, quod ferri non poterat favore reprobati ab Examinatoribus, sed etiam Examinatorum relationem, quae iniusta non reddebatur a concurrentia requisitorum Capparellae, cum ille potuerit aliis carere qualitatibus ad curam animarum requisitis a Sacro Concilio Tridentino, ad quas Examinatores in Concursu respexisse censebatur, et in dubio standum esse iudicio Ordinarii, qui praesumitur informatus de vita moribus aliisque Concurrentium qualitatibus; ac potuisse impune sperni appellationem uti frivolam et ad effectum suspensivum prohibitam a Sacro Concilio Tridentino.

320. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio R. D. Vicarii Capitularis quoad R. D. Hyacinthum Capparella reprobatum in primo Concursu? *Et quatenus affirmative.* II. An signanda sit supplicatio favore ipsius Capparella, vel potius celebrandus sit novus Concursus? III. An constet de attentatis commissis pro secundo Concursu habito, pendente appellatione a primo, ita ut circumscribenda sint omnia in eo gesta? *Et quatenus negative.* IV. An constet de irrationabili iudicio R. D. Vicarii Capitularis lato favore R. D. Paschalis Barillà approbati in secundo Concursu? *Et quatenus negative.* V. An signanda sit supplicatio favore ipsius Barillà tamquam approbati ab eodem Vicario Capitulari in secundo Concursu, vel potius celebrandus sit novus Concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium quartum et quintum, provisum in antecedentibus – *in Rheginen. Parochialis die 12 Decembris 1761.*

321. Nam cum in propatulo sit mala Examinatorum relatio ac agendi Episcopi ratio, ne dubium quidem, quin Ecclesia Parochialis ei conferri debeat, qui iure ac merito appellationem interposuerit, licet pendente lite alius eamdem Parochialem Ecclesiam a Sede Apostolica impetraverit *in Minerbien. Archipresbiteratus die 10 Decembris 1746 et die 14 Ianuarii 1747.*

322. Siquidem dimissa a Francisco Graeco Ecclesia Archipresbiterali Oppiduli Montis Milonis, quae reditum annuum praestabat ducatorum trium auri Camerae, proposita fuerunt Edicta et praefinita dies habendi Concursum: sed cum intra spatium octo mensium nullus accessisset, Episcopus Minerbiensis ad S. Sedem, ad quam devoluta fuerat collatio, direxit Sacerdotem Ianuarium Bellezza, qui eam impetravit, commissa Episcopo exequutione. Contradictorem repente hic invenit Sacerdotem Franciscum Fagilla, cui similes testimoniales literas tradiderat Episcopus, sed superata contradictione hac, ad examen accessit. Tres ab Episcopo dati Examinatores propositis novem conscientiae casibus implicitis equidem et involutis, dura facie gravi supercilio, responsum illico postularunt, non concessa mora aliqua aut quiete in sepositio et secretiori loco, ut fieri mos est. Quantum temporis angustia et Iudicum iniquitas patiebatur quaestionum nodos docte solvit Bellezza, quem tamen Examinatores, morum censuram sibi vindicantes, reprobarunt adiecta nota, – et tamquam indignum cura animarum existimamus –. Dum ille appellavit, Sacerdos Carminus Cicoria, similibus literis testimonialibus habitis ab Episcopo, Archipresbiteratum a Dataria impetravit uti vacantem. Emissa protestatione a Sacerdote Bellezza, Episcopus ea spreta Cicoriam admisit, sed ob imperitiam reiectus fuit, addita clausula, – ne amplius ad examen accederet –. Provocavit Cicoria ad Sacram Congregationem, sed Episcopus eum imperitissimum dixit et gravibus criminibus irretitum. Interim Sa-

cerdos Bellezza dimissoriales literas habuit ab Episcopo, quibus eum probae vitae esse dixit. Adventus Romam Bellezza petiit, ut acta examinis, quae pervenerant, remitterentur ad Examinatores Urbis, unde Sacra Congregatio respondit: - Emo Urbis Vicario, qui, auditis Examinatoribus Urbis, dignetur rem perpendere, et votum suum aperire –. Examinatores Urbis censuerunt, iuste reprobatum Sacerdotem Cicoria, inique vero Sacerdotem Bellezza; hinc Emus Urbis Vicarius respondit, literas Apostolicas eiusdem Sacerdotis Bellezza exequendas esse; mandavit itaque Sacra Congregatio, ut in folio Causa describeretur, citato Cicoria. Dum iura utrinque parabantur, Sacerdos Victorinus Villari, novis literis testimonialibus ab Episcopo habitis, Archipresbiteratum obtinuit a Dataria, silentio praeterita lite, quae in Sacra Congregatione pendebat. Protestationem emisit Sacerdos Bellezza, sed Episcopus, ea spreta despectaque maiestate Sacrae Congregationis, Sacerdotem Villari in possessionem Archipresbiteratus immisit, ideoque Decreto Secretarii vitiosa illa atque attentata possessio circumscripta fuit.

323. Rebus sic stantibus, proposito dubio: – An et quae literae Apostolicae sint exequendae, et cui sint reficiendae expensae et damna in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Exequendas esse Literas Apostolicas favore Ianuarii Bellezza, et expensas et damna esse reficienda ab Episcopo – *in Minerbien. Archipresbiteratus die 10 Decembris 1746.*

324. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad damna et expensas, iterum proponatur, audito Episcopo: in reliquis, in decisis; et amplius – *in Minerbien. Archipresbiteratus die 14 Ianuarii 1747.*

325. Unde si, omnibus conditionibus mature perpensis, praeelectus minus idoneus videatur, nedum constat de irrationabili iudicio Ordinarii, sed et Paraecia magis idoneo, qui appellationem interposuit, debetur *in Urbinaten. Concursus die 28 Martii et die 18 Aprilis 1733.*

326. Iamvero indicto Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Cassiani, omnibus Examinatorum suffragiis approbati fuere plures competitores, inter quos erant Petrus Uguccinus et Antonius Praevidus. Archiepiscopus vero, aliis quoque conditionibus inspectis, praeferendum iudicavit Praevidum, cui Beneficium illud contulit. Appellationem interposuit Uguccinus ab irrationabili iudicio Episcopi; ipse enim, in Urbinatensi Diaecesi natus et cuius aetas erat quadraginta annorum, septemdecim ab illinc annis Sacerdotali Ordine initiatus fuerat; diu variis in locis humanas literas docuit, alibi per quadragesimam divini verbi praeconem egit, confessiones sacras per plures annos excepit, aliquando etiam animarum curam exercuit, ad Parochi officium obeundum idoneus itidem renunciatus fuit in aliis quatuor Concursibus, quin etiam anno 1726 ab eodem Archiepiscopo adiudicata illi fuit Paraecia S. Laurentii Cerqueti boni, quam tamen ille iustis de causis ab ipso Antistite approbatis abdicavit, denique plurium testimonio eius anteacta vita moresque commendabantur. Antonius vero Praevidus, civis Urbinas et quadraginta annos natus, tunc temporis erat solum Clericus, quamquam deinde post adiudicatam ei Parochialem Ecclesiam, de qua agebatur, ad omnes sacros Ordines fuerit promotus; matrimonii vinculis diu fuerat obstrictus, Uxore tamen iam e vivis sublata, sed ex eo Coniugio unus supererat filius, itemque superstites erant quatuor filiae adhuc innuptae; in ipsa Archiepiscopali Curia Cancellarii munere per annos quatuordecim perfunctus fuit, in quo etiam versabatur sub ipsum tempus habiti Concursus, fratremque habebat, qui a cubiculo inserviebat Archiepiscopo. At Archiepiscopus affirmavit, Antonium Praevidum visum sibi fuisse magis idoneum ad eum gregem ipsique Populo longe acceptissimum, quia Urbini ortum. Doctrinam prudentiam rerum ecclesiasticarum peritiam diuturno ex munere haustam morum integritatem pietatem in egenos aliaque virtutum ornamenta in eo plurimum laudavit. Praeterea significavit, Petrum Uguccinum claudum ambulare, adeoque aegre posse in repentinis casibus praesto esse Parochianorum necessitati, cum hyberno praesertim tempore pars aliqua Paraeciae equitando peragrari nequiret. Nonnulla etiam alia notavit in eodem Petro, de quibus ille satis se purgare videbatur ex documentis, quae ab eo proferebantur.

327. His utrinque perpensis, propositis

dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio Archiepiscopi? *Et quatenus affirmative.* II. An et cui debeatur Parochialis Ecclesia S. Cassiani in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 martii 1733 respondit: – Iterum proponatur; sed mox repropositis dubiis sub eadem formula respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, deberi Uguccino – *in Urbinaten. Concursus die 18 Aprilis 1733.*

328. Quando igitur quis maiora retulerit suffragia ab Examinatoribus Synodalibus et dignior magisque idoneus videatur, irrationabile declaratur iudicium Episcopi, ac ideo eidem, non vero praeelecto, adiudicanda est Parochia *in Aesina Concursus die 12 Maii 1736.*

329. Siquidem in Concursu ad Parochialem Ecclesiam S. Silvestri Montis Roberti Sacerdos Marinus Moriconi ab omnibus quinque Examinatoribus fuit approbatus; sed Episcopus praeelegit Hieronymum Novi, in quem trium dumtaxat Examinatorum suffragia confluxerant. Interiecta adversus Episcopi iudicium appellatione, Marinus ex pluribus haud rationabile illud fuisse autumavit; primo quod ipse erat Diaecesanus, Hieronymus eius competitor ortum habuerat in Castro Petaculi Diaecesis Senogalliensis; secundo quod in aetate annorum quadraginta novem Constitutus, atque ita plusquam decennio maior Hieronymo, eum quoque totidem annis praecedebat antiquitate Sacerdotii; tertio quod ad Parochi munus obeundum magis idoneus fuerat itidem renunciatus in aliis tribus Concursibus, et reipsa ab anno 1711 in Parochum Ecclesiae nuncupatae *del Poggio Cupo* praeelectus, indeque ad Parochialem Ecclesiam S. Mariae Novae, quam adhuc retinebat, translatus, ibi sedulo et laudabiliter animarum curam exercuit, cum e converso Hieronymus non solum in tot Concursibus non meruisset approbari, sed imo negotiis secularibus cuiusdam Hadriani Colocci impense addictus nullibi eo usque animarum curae vacasset; et quarto demum quod anno 1726, quo dictam Paraeciam S. Mariae Novae assecutus fuerat, muneri sibi commisso nunquam defuit, sed summa charitate et diligentia in spiritualem Populi sibi commissi profectum totus intendit ita quidem, ut, sicuti ab initio dignior et magis idoneus ab eodem Episcopo fuit renunciatus, potiori iure tamquam dignior et aptior ad animarum curam adeo laudabiliter exercitam in praefata Ecclesia praeferri novissime deberet Hieronymo, qui eousque memorato Hadriano – in qualità di Agente di Città, che di Campagna – inservivit. Verum Hieronymus propugnavit, in sui praeelectionem iure merito inclinasse Episcopum ob probatos anteactae vitae suae mores, quorum intuitu et a Populo controversae Parochiae pridem expetitus et eidem in praesens acceptissimus, ut patebat ex iteratis acclamationibus, quibus gentes illae electioni suae plauserunt. Contra vero iustissime posthabitum fuisse dixit praefatum Moriconum, quia licet plura ille gloriaretur exercuisse munia, exinde tamen probrum potius, quam laudem sibi comparasse dignosceretur, tum quia sacram supellectilem Parochialis Ecclesiae S. Mariae neglectam sordidamque retinuerat, tum etiam quia ludo ac otio deditus in excipiendis Sacramentalibus suorum Parochianorum confessionibus aliisque defungendis officii sui partibus desidiosum adeo se ostendit, ut ob eius incuriam illorum aliqui suprema Sacramentorum expiatione destituti obierint; iuxta allatas nonnullorum Testium depositiones, quibus concinere videbantur trinae Episcopi relationes, in quarum postrema is denuo repetebat, se conscientiae suae consulendo non potuisse annuere Moricono, ut ipsum Hieronymo anteponeret.

330. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio Episcopi? *Et quatenus affirmative.* II. An et cui sit adiudicanda Parochia S. Silvestri Terrae Montis Roberti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, adiudicandam esse Moriconi – *in Aesina Concursus die 12 Maii 1736.*

§. III.

CONCURSUS QUOAD PROVOCATIONEM AD NOVUM EXAMEN.

1. Compertissimi iuris est, novum examen esse de necessitate instituendum, quum aliquis ex Concurrentibus appellationem interposuerit a mala relatione Examinatorum vel ab irrationabili iudicio Episcopi; novi enim examinis facultas appellantibus datur in celebri Constitutione 33 Bullarii tom. 2 S. Pii V incipien. *In Conferendis,* ubi statuitur, – quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint a mala relatione huiusmodi appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis Iudice et eius Examinatoribus provocare; et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio provisio vel institutio spectabit – *in Cassanen. Concursus die 16 Decembris 1719* §. *Contendit.*

Item *in Nucerina Parochialis die 11 Maii 1720* §. *Excipit; in Assisien. Parochialis die 27 Novembris 1773* §. *Quamvis; in Alerien. Canonicatus Poenitentiarii die 19 Aprilis 1777* §. *Sacra; in Feretrana Parochialis die 8 Februarii 1783* §. *Ut.*

2. Quapropter appellans a mala relatione Examinatorum vel irrationabili iudicio Episcopi potest Electum provocare ad novum examen, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferat documentum ullamve probationem *in Pistorien. die 12 Iunii 1603.*

Item *in Isclana Parochialis die 23 Iulii 1718* §. *Absque; in Nucerina Parochialis die 11 Maii 1720* §. *Absque; in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Prima.*

3. Siquidem praefata resolutio capta in dicta Pistorien. die 12 iunii 1603 est impressa apud Fagnanum in Cap. *Eam te* de aetate et qualitate n. 31, ubi postquam Sacra Congregatio ponderavit, Pianam Constitutionem permittere appellanti, ut provocet ad novum examen, et postquam decrevit, quod constito de Episcopi eligentis irrationabili iudicio Parochialis magis idoneo conferatur, subdit, loquendo de dicta Constitutione: – Satis manifeste requirit novum examen ad huiusmodi irrationabile iudicium cognoscendum, ita ut non sit necesse de illo constare, antequam decernatur examen, sed absque eo quod de tali iudicio irrationabili constet, illud debere decerni, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis iudicii – *in Pistorien. die 12 Iunii 1603.*

Item *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Prima.*

4. Unde Sacra Congregatio mox quarto dubio proposito respondit: – Ad quartum, postpositum posse provocare praeelectum ad novum examen coram Iudice appellationis, et antequam per alia documenta doceat de irrationabili iudicio Episcopi, atque Congregatio ita intellexit Constitutionem s. m. Pii V – *in Montis Regalis die 2 Augusti 1607 lib. 11 Decretorum pag. 11.*

5. Idcirco licet tempore antecedenti Rota fuisset in sensu, quod docendum esset de gravamine ante admissionem ad novum examen, visa tamen allegata resolutione in Causa Pistorien., cui interfuerant tres Cardinales Blanchettus Mantica et Plattus, qui olim fuerant dicti Tribunalis Auditores, mutavit opinionem et se confirmavit sensui Sacrae Congregationis, nullam requirentis probationem gravaminis ad novum examen, sed illud absolute et simpliciter indulgentis, statim ac quis appellat in provisione Parochialis, uti late videri potest in decis. 5ª per totum et praesertim n. 10 coram Card. Celso, in decis. 476 Recent. part. 18 tom. 2, in decis. 64 n. 14 et 15 coram Ansaldo, in decis. 9 n. 3, in decis. 10 n. 4 post Monacellium in Formul. legal. tom. 4, in Lunen. Sarzanen. Parochialis 2 iulii 1706 §. Neque, in Comen. Praeposituraе 13 maii 1706 §. Clara coram Omanna, et in Rheginen. Parochialis 1 martii 1720 §. Aut coram Cerro, quod extenditur etiam ad casum, in quo intra legitima tempora non fuis-

set appellatio interposita ab irrationabili Episcopi iudicio vel a mala relatione Examinatorum, teste Card. De Luca de Parochis disc. 6 n. 8 *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Quodque.*

6. Amplia, patet insuper, licere et permissum esse appellanti electum provocare ad ad novum examen, etiamsi appellans fuerit quoad scientiam approbatus in aequali gradu cum illo, cui Parochialis fuit collata; ex ea potissimum ratione, quod appellans potest contendere, vel se debuisse qualificari tamquem magis doctum, vel alium non debuisse qualificari tamquam idoneum, uti habetur in in Comen. Parochialis 10 ianuarii 1707 §. Nec urgere coram Caffarello, et in Regien. Parochialis 1 martii 1720 §. Coaequalis coram Cerro *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Secunda.*

7. Qua de re nec idoneitatis approbatio a tribus ex quinque Examinatoribus Synodalibus reportata satis est, ut novum examen excludatur, cum in durioribus terminis duorum aeque approbatorum in Concursu, iuxta sensum tam Sacrae Congregationis, quam Rotae, novo examini sit locus, si alter ex eis appellationem interponat, iuxta firmata in memorata Comen. Parochialis 1 martii 1707 coram Caffarello, et in Comen. Praepositurae 13 maii 1707 §. Clara coram Omanna *in Nucerina Parochialis die 11 Maii 1720* §. *Nec.*

8. Siquidem Sacra Congregatio post maturam discussionem declaravit, ad novum examen posse provocare, praevia appellatione, qui fuerit in Concursu approbatus a quatuor Examinatoribus, reprobatus ab Episcopo, qui magis idoneum iudicavit alium Concurrentem a quinque Examinatoribus approbatum *in Firmana ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

9. Unde – nullus alius adest modus, quod electus effugere possit novum examen, quam ostendendo, quod appellans et provocans ad novum examen est de aliquo crimine diffamatus, in quibus terminis procedunt resolutiones huius Sacrae Congregationis in Mediolanen. seu Alexandrina Concursus die 28 novembris 1693 lib. 43 Decretorum pag. 586 et 13 februarii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 60 a tergo, et in Cassanen. Archipresbiteratus 3 octobris 1716 lib. 66 Decretorum pag. 439 a tergo; et bene adnotarunt Card. De Luca de Parochis discurs. 8 n. 5 et 6, atque Ansaldus in addit. ad decis. 64 n. 30, et in addit. ad decis. 32 n. 70, et firmavit Rota in decis. 311 coram Priolo, et in decis. 10 et 11 post Monacellium in formul. legal. tom. 4: idque ex ea ratione inductum dicitur, quod sicuti de crimine diffamatus Ecclesiam Parochialem numquam consequi potest, sic imperceptibile esse videtur, ut pro libito suae voluntatis valeat ipse electum provocare ad novum examen *in Discursu Secretariii die 1 Octobris 1720* §. *Ita.*

10. Idcirco quum Episcopus in Concursu habito ad Ecclesiam Parochialem S. Leonis Oppidi Saraceni praeelegisset Scipionem Perone magis idoneum ac reiecisset Innocentium Basilium minus idoneum, ex eo etiam quod is semel iterumque in exilium missus fuisset de stupro diffamatus, proposito dubio: – An Innocentio Basilio sit concedendum novum examen in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Cassanen. Archipresbiteratus die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

11. Excepto itaque casu diffamationis de aliquo crimine, reiectus in Concursu merito provocat ad novum examen in Urbe faciendum, quin ante novum examen de gravamine docere debeat, approbato autem praedicto reiecto in novo examine, facienda non est exhibitio requisitorum utriusque collitigantis, ex quo praeelectus noluerit se examini subiicere, sed Paraecia neutri attribuenda est, cum indicendus sit novus Concursus coram Metropolitano *in Isclana die 23 Iulii 1718 et die 1 Aprilis 1719.*

12. Iamvero Sacerdos Morgioni reiectus in Concursu habito occasione collationis Parochialis Ecclesiae S. Spiritus Suburbii Celsae in Civitate Isclana, interposita appellatione, contendit, Concursum non fuisse validum; et quatenus validus fuisset, sustinuit, esse locum provocationi ad novum examen in Curia faciendum. Quidquid enim esset, an ad tramites Concilii Tridentini cap. 18 sess. 24 vers. *Nec praedictorum* locus sit appellationi in devolutivo a iudicio Examinatorum tantum, vel etiam ab Episcopi collatione certum est, quod iuxta Constitutionem S. Pii V

33 Bullarii tom. 2 admittitur appellatio tam a relatione Examinatorum, quam ab irrationabili iudicio Episcopi; absque eo quod de gravamine per Episcopum illato docendum sit ante novum examen coram Iudice appellationis faciendum, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis in Causa Pistorien. 12 iunii 1603, et absque eo quod in novo examine instituenda sit quaestio de maiori probitate et experientia, de quibus ultra doctrinam habenda est ratio in collatione Parochialium; haec enim omnia sunt discutienda post novum examen completum; et quando, completo novo examine, assumitur principalis quaestio, an sit facienda collatio ob praeelectionis irrationabilitatem, tunc quippe clare docendum est de gravamine, et tunc indago instituenda est de moribus experientia et similibus, quae praeter doctrinam in Beneficiis Curatis requiruntur, uti Sacrae Congregationis resolutiones referendo et amplectendo respondit Rota in decis. 4 et 24 coram Card. Celso, et decis. 9 et 10 post Monacellium in Formul. leg. tom. 4. At Sacerdos Caietanus Boncore, qui fuerat praeelectus, et qui Literas Apostolicas super provisione Parochialis, uti vacatae in mense reservato, reportaverat, validum esse dixit Concursum, et Morgionum appellationem non interposuisse ante decendium, adeoque non esse locum ordinario remedio appellationis, sed extraordinario restitutionis in integrum, quod non datur sine laesione, et consequenter sine probatione gravaminis.

13. His igitur perpensis, Sacra Congregatio, postquam legitimum atque validum declaravit Concursum, proposito dubio: - II. An sit locus provocationi ad novum examen faciendum in Curia in casu etc. -, responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative; et ad mentem - *in Isclana Parochialis die 23 Iulii 1718.*

14. Mens autem fuit, quod exquireretur, an Concursus in terminis appellationis fuisset unquam in partibus delegatus: agebatur enim de provocato paupere et sene; pervolutisque regestis, cum unica tantum resolutio fuerit reperta in quadam Causa Melphien. Concursus die 21 iunii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 381, in qua commissum fuit examen Episcopo viciniori, sed propter timorem pestis tunc grassantis in Civitate Melphien., deprehensum fuit, resolutionem esse inapplicabilem, et reproposita Causa die 24 septembris 1718 rescriptum fuit, quod examinaretur in Urbe Thomas Morgionus, et quod reportata approbatione supplicaret pro facultate expediendi Bullas in Dataria *in Isclana Parochialis die 1 Aprilis 1719* §. *Thomas.*

Item *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Quarta.*

15. Morgionus fuit examinatus et approbatus ab Examinatoribus Synodalibus Urbis, eodemque deinde supplicante, pro dicta facultate recurrendi ad Datariam Apostolicam ad effectum Bullas expediendi, Sacra Congregatio die 4 februarii 1719 demandavit, quod producerentur requisita utriusque collitigantis, hoc est Caietani Boncore et Thomae Morgioni; et reclamante Morgiono adversus hoc Rescriptum, die 18 martii 1719 dictum fuit, quod Causa poneretur in folio. Itaque Caietanus Boncore dixit, se fuisse approbatum et praeelectum in Concursu habito occasione vacationis Parochialis, de qua agebatur, et Thomam Morgionum per approbationem subinde reportatam ab Examinatoribus Urbis nihil aliud obtinuisse, quam abstersionem maculae reiectionis passae in eodem Concursu: hinc inferendo, praesentem quaestionem esse inter duos approbatos tamquam idoneos quoad scientiam pro exercenda cura animarum, in quo rerum statu cetera requisita sunt examinanda; cum nemo non sciat, solius scientiae non esse habendam rationem in collatione Parochialium, nec doctiorem esse docto magis idoneum, ut Ecclesiam Curatam obtineat; puncto redacto ad alia requisita, Caietanus, qui sua enumerabat in scriptura per manus circumferenda, putavit, Causam esse ad sui favorem resolvendam. E contra Thomas Morgionus dixit, Causam praesentem non versari inter duos approbatos; approbatio siquidem et praeelectio reportata in Civitate Isclana a Caietano Boncore non erat habenda in ulla consideratione, cum eius effectus fuerit suspensus per medium appellationis a se interpositae, et cum idcirco perinde habenda esset ac si non emanasset. Absque eo quod quidquam referret, quod approbatio, quam ipse obtinuit ab Examinatoribus Urbis, eumdem constitueret et qualificaret tamquam idoneum, vel ad summum tamquam magis idoneum quoad scientiam,

sed nullo modo impediret, quod Caietanus non esset absolute et simpliciter dicendus approbatus tamquam aptus in his, quae pertinent ad literaturam, ita ut semper quaestio esset inter duos approbatos; tum quia si id admitteretur, frustratoria remaneret dispositio Bullae 33 S. Pii V, indulgens reiecto in Concursu appellationem, et concedens provocationem ad novum examen coram Iudice appellationis, cum approbatus in primo Concursu semper recusare posset accessum ad Iudicem appellationis, et semper se a novo examine subtrahere posset dicendo, se esse iam approbatum, et quaestionem unice reduci posse ad alia requisita, tum quia si Caietanus ad Urbem venisset et se Examinatoribus Synodalibus praesentasset, dari potuisset casus, quod reiectus fuisset, et quod ipse Thomas fuisset praeelectus, quae possibilitas operabatur, ut dictus Caietanus non esset absolute et simpliciter qualificandus tamquam approbatus. Addidit Morgionus, se ceteris non carere requisitis, eademque longe praeponderare requisitis Caietani, ut latius probare intendebat in sua scriptura per manus circumferenda.

16. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus exhibitioni requisitorum utriusque colligantis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Parochialis Ecclesia sit attribuenda Caietano, vel potius Thomae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ex quo Caietanus noluit se examini subiicere in Urbe. Ad secundum, instituendum esse novum Concursum coram Emo Archiepiscopo Capuano; et ad mentem (1) – *in Isclana Parochialis die 1 Aprilis 1719.*

17. Ceterum ad coercendas frivolas appellationes nec non incongruas provocationes ad novum examen, quibus iuxta iam invectam praxim locus erat, etiamsi appellans non doceret de ullo gravamine, Sacra Congregatio post maturam discussionem, annuente Clemente XI, nedum statuit modum, quo Concursus haberi deberent, ac tempus praestituit ad legitimas appellationes interponendas, sed et districte mandavit, quod appellans a mala relatione Examinatorum vel ab irrationabili iudicio Episcopi, in eo quod attinet ad literaturam, deberet in posterum docere de gravamine vel ex actis originalibus Concursus, vel ex copia authentica collationata ad formam iuris, in qua tam suae, quam Concurrentium responsiones proprio charactere una cum concionibus conscriptae invenirentur, et quod ante appellationis admissionem appellans ab irrationabili iudicio Episcopi, non ex capite literaturae, sed aliarum qualitatum, quibus se et non praeelectum contenderet praeditum esse, teneretur docere de gravamine, aut ex actis primi Concursus, aut ex aliis saltem extraiudicialibus ab ipso exhibendis *in Dubia Concursuum die 16 Novembris 1720.*

18. Siquidem in Concursu habito ad vacantem Vicariam Perpetuam SS. Annunciationis praeelectus fuit Ioannes Baptista Sifandi: hinc Sacerdos Ioseph de Candia, qui fuerat unus ex Concurrentibus, se gravatum reputavit, et recursum habuit ad Sacram Congregationem, ubi nullum dixit Concursum irrationabile indicium Episcopi et locum esse novo examini ad tramites Bullae 33 S. Pii V, quia licet ipse fuerit a duobus ex sex Examinatoribus approbatus, non fuerat tamen approbatus ab aliis; hinc inferendo, sibi denegari non posse provocationem ad novum examen. Contra Sacerdos Sifandi sustinuit, validum fuisse Concursum et rationabile iudicium Episcopi, quin locus esse posset novo examini, vel quia Sacerdos Ioseph quoad scientiam et literaturam fuerat ab omnibus Examinatoribus approbatus, vel quia cum ipse hic et nunc praetenderet, quod iudicium Episcopi fuerit irrationabile, tenebatur ad docendum concludenter de irrationabilitate et de gravamine, ad differentiam casus, in quo idem simpliciter instaret pro novo examine ad vindicandam propriam existimationem et idoneitatem, quae a reprobatione fuisset causata; tunc enim nulla probatio gravaminis reputaretur necessaria, iuxta concordem opinionem Sacrae Congregationis et Rotae, ceu videre est in Lunen. Sarzanen. Parochialis 2 iulii 1706 §. Neque obstare coram Omanna,

(1) Mens fuit, quod Episcopus transmittat Concursum noviter habendum coram E. S., prout fit in Parochialibus S. Sedi reservatis, et quando Concursus earumdem ad Datariam transmittuntur, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 25 die 1 Aprilis 1719.*

et in Fulginaten. Parochialis 13 ianuarii 1710 §. Inconcussa coram Aldrovando, quae sunt decisiones 9 et 10 post Monacellium tom. 4. His interim perpensis, propositis dubiis: – II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. III. An sit locus provocationi ad novum examen in casu etc. –, Sacra Congregatio, declarata Concursus validitate, respondit: – Ad secundum et tertium, Dilata; et exhibeantur acta Concursus – *in Cassanen. Concursus die 16 Decembris 1719.*

19. Repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et exhibeantur acta; et praefigatur terminus unius mensis pro exhibitione actorum – *in Cassanen. Parochialis die 13 Ianuarii 1720.*

20. Rursus repropositis iisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Cassanen. Concursus die 11 Maii 1720.*

21. Interim in eadem S. Congregatione diei 11 maii 1720 altera similis Causa proposita fuit, ex eo quod cum in Concursu habito ad Parochialem Ecclesiam sive Prioratum S. Angeli Terrae Saxoferrati Nucerinae Diaecesis Sacerdos Marcus de Evangelistis ex quinque Examinatoribus Synodalibus tres habuisset sibi favorabiles, et in Sacerdotem Paridem de Vimercatis omnium quinque Examinatorum favorabilia vota confluxissent, quemque Episcopus praeelegisset, praefatus Marcus appellationem interposuit atque contendit, locum esse novo examini, et quatenus novo examini locus non esset, saltem aliunde constare de irrationabili iudicio Episcopi. Sustinuit enim, novum examen esse de necessitate instituendum, cum appellationem ipse interposuisset, et novi examinis facultas appellantibus detur in celebri Constitutione 33 S. Pii V. tom. 2. Absque eo quod deberet ipse hic et nunc docere de gravamine per Episcopum illato, quandoquidem de hoc docere non debebat ante novum examen faciendum coram Iudice appellationis, iuxta antiquam Sacrae Congregationis resolutionem in Causa Pistorien. 12 iunii 1603, et iuxta recentem resolutionem in Isclana Parochialis 23 iulii 1718, quin esset hic et nunc agendum de qualitatum praeponderantia; de ea enim erat agendum postquam completum fuisset novum examen, et quando assumeretur principalis quaestio, an esset facienda nova collatio ob praeelectionis irrationabilitatem: tunc quippe erat assumenda indago de moribus de experientia et de consimilibus qualitatibus, iuxta Sacrae Congregationis resolutiones, quas Rota reverenter amplexa est in decis. 4 et 24 coram Celso, et decis. 9 et 10 post Monacellium tom. 4. Nec ulterius idoneitatis approbationem a tribus Examinatoribus Synodalibus reportatam satis esse, ut novum examen excluderetur, cum in durioribus terminis duorum aeque approbatorum in Concursu, iuxta sensum tam Sacrae Congregationis, quam Rotae, novo examini sit locus, si alter ex eis appellationem interponat, iuxta firmata in Comen. Parochialis 10 ianuarii 1707 §. Nec urgere coram Caffarello, et in Comen. Praeposituraе 13 maii 1707 §. Clara etenim coram Omanna. Contra Sacerdos Paris contendit, non esse locum novo examini, nisi aliqua probatio praecederet gravaminis ab Episcopo illati in sui ipsius praeelectione, et multo magis cum Sacerdos Marcus de Evangelistis suae idoneitatis honorabile testimonium habuerit, cum ex quinque Examinatoribus tres eum denunciaverint idoneum pro obtinenda Parochiali. Enumerans inde sua requisita ostendit, nedum constare de rationabili iudicio Episcopi, sed ulterius superfluum esse futurum quodcumque novum examen, in quo licet Sacerdos Marcus superior evaderet, non ob hoc tamen Parochialem consequi posset, cum Parochiales Ecclesiae conferantur non intuitu tantum literaturae, sed ex aliis etiam qualitatibus, ad quas conferens debet habere omnem considerationem.

22. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An sit concedendum novum examen? *Et quatenus negative.* II. An aliunde constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Nucerina Parochialis die 11 Maii 1720.*

23. Mens autem fuit tam in relata Cassanen. Concursus, quam in praefata Nucerina Parochialis, ut exquireretur, an adesset modus coercendi frivolas appellationes, quae a non approbatis in Concursu interponuntur, vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi, nec non incon-

gruas provocationes ad novum examen, quibus iuxta praesentem praxim locus est, etiamsi appellans non doceat de ullo gravamine *in Dubia Concursuum die 1 Octobris 1720* §. *In.*

24. Siquidem iuxta praxim, quae tunc vigebat, plura inconvenientia et praeiudicia derivabant, quorum nonnulla respiciebant iuris dispositionem et ordinem, nonnulla decorem episcopalem, et nonnulla damnum ipsarum Ecclesiarum Parochialium nec non Parochianorum. – Et quoad dispositionem et ordinem iuris, durum et durissimum dicitur esse quod, si praesumptio iuris est pro Episcopi iudicio, quoadusque contrarium doceatur, provocatio ad novum examen deinde admittatur nedum absque ulla probatione, sed etiam absque ullo fumo irrationabilitatis Episcopalis iudicii; et multo magis cum ex novo examine non desumatur, nisi maior vel minor literatura, quando certum est, maiorem literaturam non sufficere pro obtinenda Parochiali, ita ut possibilis sit casus, quod rite et recte Episcopus praetulerit minus doctum magis docto, ex quo minus doctus ceteris aliis necessariis polleret qualitatibus pro regimine animarum, ut in puncto perpensa praxi, de qua nunc agitur, ponderat Card. De Luca de Parochis disc. 6 n. 3. Quocirca dicunt Doctores, quod haec provocatio ad novum examen etiam cum subsecuto favorabili effectu, quod appellans scilicet remaneret approbatus et etiam qualificatus tamquam magis doctus, nullatenus ei sufficiat pro obtinenda Parochiali, sed tantum ad avertendam notam et infamiam reprobationis aut approbationis in secundo gradu reportatae in primo examine Episcopali, uti ponderat Ventrigl. in prax. rer. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 48, et sequitur Rot. decis. 10 n. 9 post Monacellium in form. tom. 4. Quoad decorem Episcopalem animadvertitur, quod provocans ad novum examen, et obtinens approbationem in secundo gradu, et ulterioribus examinibus, ut plurimum Parochialem consequitur, et a Tribunalibus Urbis respondetur, quod constat de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Parochia sit provocanti conferenda. Responsio autem, quod constat de irrationabili iudicio Episcopi, praeiudicium affert decori Episcopali, et quidem, ut aliqui dicunt, sine fundamento et ratione; deberet etenim de irrationabilitate constare ex actis Concursus habiti coram Episcopo et non ex novo examine, quia sicuti possibile est, ut aliquis male responderit in Concursu habito coram Episcopo et bene respondeat in Concursu, qui fit coram Iudice Appellationis, sic possibile est, quod rationabile fuerit Episcopi iudicium, non obstante approbatione a provocante reportata in secundo examine, in quo rerum themate nemo non videt sine fundamento et sine ratione et cum dedecore Episcopalis Dignitatis saepius responderi, quod constat de irrationabili Episcopi iudicio; eoque fortius, quod sive ex industria, sive ex accidenti magnum ut plurimum intercedit tempus inter examen Episcopi et examen coram Iudice appellationis, quo tempore intermedio reprobatus discere potest, et experientia teste habetur, quod reprobati discunt, edocti videlicet et praesertim in Urbe ab aliquo Viro peritiam habente Theologiae moralis et casuum, ut dicunt conscientiae. Quoad damnum denique et praeiudicium Ecclesiarum Parochialium et Parochianorum, de illo dicitur non esse dubitandum, quia postquam electus in Concursu possessionem obtinuit Ecclesiae Parochialis, si provocetur ad novum examen debet a Parochia discedere, debet accedere ad Iudicem appellationis, et ut plurimum ad Urbem, debet de necessitate non recedere ab Urbe, nec a loco Iudicii quoad usque fuerit completum iudicium novi examinis, quod ex supradictis tres et quatuor instantias admittit, quo in re, an contineatur nec ne damnum Ecclesiarum Parochialium et Parochianorum, unusquisque facile colligere poterit, tum ex lege residentiae impositae Parochis pro Beneficio suarum Ecclesiarum et Parochianorum, tum ex sacris Canonibus, qui diutinae Ecclesiarum adversantur vacationi propter damnum, quod in illas et earum Parochianos derivat, ex intermedia residentia Oeconomorum et Vicecuratorum – *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Quoad.*

25. Antequam vero Secretarius Sacrae Congregationis remedia ad huiusmodi inconvenientia et praeiudicia avertenda proponeret, praemittendum esse censuit, quod – ante tempora s. m. Innocentii XI proponebantur ab Examinatoribus oretenus nonnulli casus Theologiae moralis, et Concurrentes respondebant

oretenus et non in scriptis, et non iidem casus omnibus Concurrentibus proponebantur, sed aliqui casus uni, alii alteri; cumque frequens reclamationes audirentur, unus enim ex Concurrentibus asserebat, sibi propositos fuisse casus difficiliores et alterum fuisse de facilioribus interrogatum, quodque notabilius est, cum in magna Concurrentium multitudine et quidem respondentium non in scriptis, sed in voce, difficile admodum esset, quod Examinatores tutum de uniuscuiusque literatura possent efformare iudicium, de ordine s. m. Innocentii XI introducta fuit praxis in Tribunali Emi Vicarii Urbis, quod eadem omnino quaesita omnibus Concurrentibus proponerentur, quod omnes Concurrentes intra tempus ipsis assignatum, responderent non voce, sed scriptis, et quod pariter non voce, sed scriptis parvam exararent concionem super Textu Evangelii ipsis assignato, exclusa temporibus recentioribus consuetudine explicandi Concilium Tridentinum, cum ex responsionibus, quae lingua latina a Concurrentibus dantur respondendo in scriptis ad quaesita proposita, bene dignoscatur, an calleant linguam latinam, et sic an habeant capacitatem intelligendi et explicandi Concilium Tridentinum; et methodus haec, quod eadem omnino quaesita omnibus Concurrentibus proponantur, et quod ipsi in scriptis respondeant, exigitur a Dataria Apostolica quando vacat Parochialis Ecclesia, Sede Episcopali aut Archiepiscopali vacante, quando contigit vacatio alicuius Ecclesiae Parochialis iuxta Decretum, et quando vacat aliqua Dignitas maior in Collegiata aut Cathedrali Ecclesia, cui sit annexa cura animarum, de qua olim disputabatur, an esset nec ne conferenda per Concursum, iuxta late deducta per Fagnanum in Cap. *Cum sit ars* n. 19 et seqq. de aetate et qualitate. Sanctissimus etenim Dominus Noster voluit atque decrevit, quod occurrente vacatione alicuius maioris Dignitatis in Cathedrali aut Collegiata Ecclesia, cui sit annexa cura animarum, epistola scribatur ab Emo Pro–Datario ad Ordinarium loci, ut Concursum indicat, et quod deinde transmittat acta Concursus, et methodus denique proponendi eadem quaesita omnibus et exigendi responsionem in scriptis in pluribus viget Diaecesibus, sed non in omnibus; Bononiae etenim et Perusiae examen adhuc fit oretenus, et Concurrentes non respondent in scriptis – *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Ante*.

26. Praelaudatus Secretarius Sacrae Congregationis praemittendum esse etiam putavit, – quod in tantum fuit admissa provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum cum Concurrentes non responderent in scriptis, non poterat ex actis primi Concursus gravamen desumi, et sic nullus alius supererat modus inquirendi, an ille, qui fuerat in primo examine reprobatus, rite et recte fuisset reprobatus, quam novum examen decernendo, in quo rerum themate probatio gravaminis ante examen non videbatur, quod exigi posset, iuxta censuram Textus in Cap. *Si forte* de electione in 6; et in terminis quod provocatio ad novum examen admittatur absque ulla probatione gravaminis, ex quo gravamen ex actis primae instantiae desumi non potest, firmat Pax Iord. lucubrat. lib. 10 tit. 8 n. 227, Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 155, Garz. de Benef. part. 9 cap. 2 n. 250, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 4 n. 144: et quod in tantum admittatur provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum ex actis primi Concursus non habeantur interrogationes et responsiones, firmat Rota coram Ludovisio decis. 538 n. 3, et coram Celso decis. 5 n. 11, et conferunt ea, quae referuntur apud Auctores, et habentur in monumentis, in quibus aliquid de hisce Concursibus statuitur aut respective refertur, cum apud Fagnanum in Cap. *Eam te* de aetate et qualitate n. 48 habeatur, quod in Diaecesi Pistoriensi non aderat consuetudo scribendi interrogationes Concurrentium, cum in actis etiam Ecclesiae Mediolanensis pluries sermo fiat de examinibus faciendis ad tramites Concilii Tridentini pro conferendis Parochialibus Ecclesiis, scilicet part. 1 pag. 14, 120, 215 §. Tum periculum fiat, nec ullibi mentio fit de conscribendis interrogationibus et responsionibus, cum ulterius in Archiepiscopali Bononiensi edito a cl. me. Card. Gabriele Paleotto part. 4 tit. de ratione examinandi, expresse supponatur, quod interrogationes fiant oretenus et responsiones dentur consimili modo, cumque tandem ex actis Concursuum, qui conservantur in Archivio Sa-

crae Congregationis, et loquendo praesertim de actis antiquioribus desumatur, interrogationes et responsiones oretenus factas fuisse hoc solo intercedente discrimine, quod in nonnullis actis solum legitur, Titium E. G. fuisse ab Examinatoribus approbatum, et Cajum fuisse reprobatum, et in aliis interrogationes habentur per extensum et responsiones, sed scriptae a Cancellario, qui eas excepit ex ore interrogantium et respondentium, quique per consequens conscribendo modo praedicto interrogationes et responsiones, uni ex Concurrentibus auxilium et alteri praeiudicium afferre potest, vel ex industria, quod non est credendum, vel ex accidenti – *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Praemittendum.*

27. His itaque praemissis, laudatus Sacrae Congregationis Secretarius ita immediate pergit: – Supposito, quod Concursus, qui fiunt in Urbe, quippe ad Datariam Apostolicam transmittuntur, sint taliter confecti, ut eaedem interrogationes fiant omnibus Concurrentibus, et quod responsiones scriptae sint proprio uniuscuiusque Concurrentis charactere, videtur, quod praecipiendo, quod omnes Concursus fiant praedicto modo, quod statuendo tempus intra quod ille, qui fuit in Concursu reiectus, debeat appellare, decernendo ulterius, quod provocans ad novum examen gravamen ostendat ex actis primi Concursus, antequamno vum examen decernatur, gravamen etenim, si vere adest, potest ictu oculi ostendi ab appellante ex dictis actis primi Concursus, in quibus uti supponitur, tam suae, quam aliorum responsiones continentur, et quidem uniuscuiusque charactere conscriptae, et demum iubendo, ut appellans non ex gravamine in literatura, sed ex aliarum suarum qualitatum praeponderantia ostendat, si potest, gravamen, aut ex actis Concursus, aut aliunde et per documenta etiam extraiudicialia, antequam appellatio admittatur, videtur inquam, quod omnia praeiudicia cessent et inconvenientia, nihil quoque fiat adversus Concilium Tridentinum aut Bullam Pianam, nec adversus sensum Sacrae Congregationis – *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Supposito.*

28. Iamvero haec omnia praefatus Secretarius Sacrae Congregationis hisce ostendit rationibus, scilicet – quod omnia praedicta demandando, cessent praeiudicia et inconvenientia, patet; quia si praesumptio est pro Episcopi iudicio quoadusque contrarium doceatur, id totum verificatur in hypothesi, de qua nunc agitur, cum nec provocatio ad novum examen, nec appellatio admittantur, nisi docto de gravamine. Rursus si inconveniens reputatur, quod sine fundamento et ratione respondeatur, quod constet de irrationabili iudicio Episcopi, ex quo Episcopus potuit rationabiliter existimare, quod aliquis in examine coram se peracto esset reprobandus, qui deinde in successivis examinibus approbationem meretur, absurdum hoc nullum sibi potest locum vindicare in eo rerum statu, quo nunc agitur, cum in ipso irrationabilitas praelationis in eo quod attinet ad literaturam magna ex parte desumatur ab examine peracto coram eodem Ordinario. Denique si Parochorum absentia magnum tum Ecclesiis, tum Parochianis affert detrimentum, non erit absentia ita frequens, non solum quia frequentia cessabit ex temporis praefinitione ad interponendam appellationem, sed quod magis est, quia imposita lege de probando gravamine ex actis primi Concursus, antequam admittatur provocatio ad novum examen, non erunt provocationes adeo frequentes, et sic adeo frequens non erit absentia, quae ortum habet a provocatione ad novum examen. Quod ita praedicta omnia demandando, nihil committatur adversus Concilium Tridentinum aut Bullam Pianam, dignoscitur; quia appellatio a mala relatione Examinatorum, nec non ab irrationabili iudicio Episcopi, de quibus in Concilio Tridentino et respective in Bulla Piana praeservatur, et ad eam tantum regulandam nonnullae adduntur conditiones, ut appellatio rite et recte admittatur. Ultimo, quod nihil per methodum insinuatam inducatur contra sensum huius Sacrae Congregationis et Tribunalis Rotae ponitur in claris, cum in tantum in praeteritis fuerit dictum, esse locum provocationi ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum gravamen ex actis primi Concursus desumi non poterat, nec alius aderat modus ostendendi gravamen, quam per novum examen, quae ratio nullum amplius sibi vindicat locum, quando taliter

acta primi Concursus conficiuntur, ut ex illis gravamen valeat desumi; ad quod assumptum comprobandum mirifice confert, quod Sacra haec Congregatio, licet in Resolutionibus et Decretis indicatis et aliis, quae possent indicari, videatur, quod fuerit in sensu admittendi appellationem et provocationem ad novum examen absque ulla praevia probatione gravaminis,de fumo tamen gravaminis seu irrationabilitatis iudicii Episcopalis voluit aliquando gustare ante appellationis admissionem, teste Fagnano in Cap. *Eam te* de aetate et qualitate «ibi» Ceterum, etsi ad obtinendum novum examen in iudicio appellationis non sit necesse, ut prius constet de irrationabili iudicio, ut ex praedictis liquet, nihilominus Sacra Congregatio consuevit novum examen decernere dato aliquo fumo irrationabilitatis et malae praeelectionis ». Et rursus post expositum casum appellationis interpositae ex praeponderantia qualitatum et ex nimia erga approbatum Examinatorum familiaritate et benevolentia, subdit: « Sacra Congregatio censuit, Concursum novum in Urbe esse instituendum, ubi Orator de veritate narratorum dederit fumum, idest postquam per attestationes extraiudiciales vel alia informia documenta de huiusmodi suspicione et gravamine aliqualem fecerit fidem, ut sic probabilis et sufficiens causa eum excuset a calumnia » – *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Quoad autem.*

29. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An in Concursibus, qui imposterum fient occasione vacationis Ecclesiarum Parochialium praecipiendum sit, ut eadem omnino quaesita omnibus Concurrentibus proponantur, et quod unusquisque ex Concurrentibus intra congruum tempus assignandum debeat in scriptis satisfacere quaesitis propositis; et an ulterius praecipiendum sit, ut unusquisque ex Concurrentibus sermonem scribat super Textu Evangelii omnibus Concurrentibus assignando? II. An et quantum tempus praefigendum sit illis, qui intendunt appellationem interponere vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi? III. An, ante concessionem novi examinis, appellans a mala relatione Examinatorum vel ab irrationabili iudicio Episcopi, in eo quod attinet ad literaturam, debeat in posterum docere de gravamine ex actis primi Concursus, in quo tam suae, quam Concurrentium responsiones proprio charactere una cum concionibus conscriptae invenientur? IV. An ante appellationis admissionem, appellans ab irrationabili iudicio Episcopi, non ex capite literaturae, sed aliarum qualitatum, teneatur docere de gravamine, aut ex actis primi Concursus, aut ex aliis documentis saltem extraiudicialibus ab ipso exhibendis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative per modum instructionis. Ad secundum, esse praefigendum tempus decem dierum ad appellandum. Ad tertium, Affirmative; et doceatur de gravamine vel ex actibus originalibus Concursus, vel ex copia authentica collationata ad formam iuris. Ad quartum, Affirmative – *in Dubia Concursuum die 16 Novembris 1720.*

30. Cum huiusmodi Resolutiones fuerint captae annuente Clemente Papa XI, scripta fuit subsequenter Epistola Circularis ad Patriarchas Archiepiscopos et Episcopos, ut ipsis nota esset mens Sacrae Congregationis tum quoad modum explendi Concursus, tum quoad circumstantias, quas ipsa statuerat esse necessarias, ut locus esse posset appellationi a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi *in Nucerina Parochialis die 2 Octobris 1721* §. *In.*

31. At in eadem Congregatione habita die 16 novembris 1720 reproposita etiam fuit supra relata Causa Nucerina Parochialis, nec in eius examine opus fuit quaestionem assumere, an ad effectum admittendae appellationis seu provocationis ad novum examen sibi vindicaret locum regula contemporanee statuta de gravamine ex actis Concursus comprobande; Marcus enim de Evangelistis, quia appellationem interposuerat, docere praetendebat de gravamine ex ipsis actis Concursus, sed cum Paris de Vimercatis exciperet, quod acta Concursus transmissa non bene fuerant conscripta, Sacra Congregatio iisdem dubiis die 16 novembris 1720 respondit: – Dilata, et ad mentem –; et mens fuit, quod transportarentur acta originalia. Adimpleta fuit mens Sacrae Congregationis, et facta est transmissio actorum; sed cum Marcus de Evangelistis docere non potuerit de gravamine nec de irrationabilitate iudicii Episcopi, repropositis dubiis

sub eadem formula: – I. An sit concedendum novum examen? *Et quatenus negative.* II. An aliunde constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative – *in Nucerina Parochialis die 2 Octobris 1721.*

32. Idcirco super puncto probandi gravamen ab irrationabili iudicio Episcopi non proceditur amplius cum antiqua opinione Sacrae Congregationis et Rotae Auditorii, qua datum erat appellanti provocare electum ad novum examen, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferret documentum vel probationem, sed oportet, ut de gravamine doceat ex actis primi Concursus, iuxta generalem resolutionem captam super dubiis Concursuum die 16 novembris 1720 ad tertium et approbatam a Sanctissimo *in Casertana Concursus die 17 Decembris 1729* §. *Super.*

33. Unde si provocans ad novum examen non modo gravamen non probaverit, sed imo ex actis primi Concursus manifesto constet, quod nedum mala non fuerit relatio Examinatorum nec irrationabile iudicium Episcopi; sed et in propatulo sit incapacitas provocantis ad novum examen, Sacra Congregatio denegavit merito novum examen, licet ageretur de Ecclesia patronata, cum praesertim in propositione Causae Orator omnino sileret *in Auximana Parochiae die 6 Maii 1797.*

34. Siquidem ad vacantem Parochiam S. Luciae Auximanae Civitatis nominavit mense aprilis 1796 Marchio Bernardinus Pini Patronus Sacerdotem Antonium Pierucci, qui tamen, expleto examine, reprobatus fuit: nam ex suffragiis 51 favorabilia tantum habuit 24. Hinc Bernardinus provocavit ad Sacram Congregationem, petiitque revocationem iudicii Episcopi, vel admissionem saltem ad novum examen. Emus Antistes exhibuit propositos casus cum animadversionibus Examinatorum ad responsiones Pierucci, et ita suum aperuit votum; – Quid autem ipse in hac re sentiam, paucis me expediam. Legentibus, quum obvia casuum solutio sit, luculentissime patebit. Quum autem Sacerdos praedictus, quamvis difficultate non urgeretur, hallucinatus sit, coniici posse videtur, Deum ad munus huiusmodi eum adlectum noluisse, cum ipsi opem, ut bene res succederet, denegavit –. Inter cetera tertius Examinator adnotavit, plene sibi cognitum esse Sacerdotem Pierucci, quem olim inter discipulos habuit Theologiae; hinc et amplum eius ignorantiae dedit testimonium. Quae igitur essent causae, quaeve rationes, ad impetrandum novum examen, ignorabantur. Nam super iisdem Pieruccius silebat. Qua de re cum Sacra Congregatio declaraverit, haudquaquam constare de irrationabili iudicio Episcopi, proposito dubio: – II. An sit locus novo examini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Auximana Parochiae die 6 Maii 1797.*

35. Nam licet de iure sit, quod examen, ad quod electus provocatur, fieri debeat intra breve tempus, ne lapsu longi temporis reprobatus evadat doctior, uti bene habetur apud Ventrigliam in prax. rer. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 53 et 56, ut plurimum tamen id in praxi non verificatur; passim etenim admittitur intervallum unius anni et etiam aliquando viginti mentium a primo ad secundum examen, si provocans sit extra ecclesiasticum Statum, vel si tempus intermedium de necessitate insumatur in tricis iudiciariis et signanter in disputatione, quae statim excitatur inter appellantem et appellatum, an videlicet sit locus novo examini, uti ponderat Lotterius de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 155, et prosequitur Rota in decis. 32 n. 9, et in decis. 64 n. 25 coram Ansaldo *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Tertia.*

36. Quapropter, attenta etiam antiqua Sacrae Congregationis disciplina, huiusmodi provocationes ad novum examen illico reiiciebantur, si manifesta ex actis constabat imperitia appellantis: namque Fagnanus in Cap. *Eam te* de aetate et qualitate n. 39 et Fargna de iurepatronatus part. 5 can. 10 cas. 1 n. 40 tradunt, iure reprobatum ab Examinatoribus Synodalibus novo examini subiiciendum non esse, cum nulla esse possit ei spes, ut in novo examine approbetur *in Perusina Parochialis die 26 Iunii 1756* §. *Ecclesia.*

37. Unde si tunc temporis etiam luculenter constabat, quod iudicium Episcopi sic fuisset rationabile, ut novum examen esset prorsus inutile, nullatenus indulgebatur appellanti novum examen *in Clusina Parochialis die 15 Iunii 1697 lib. 47 Decretorum.*

38. Enimvero – indicto Concursu ad Parochialem Ecclesiam tunc vacantem S. Laurentii Oppidi Sarteani, duo comparuerunt Concurrentes et ambo fuerunt approbati, nempe Antonius Ciocchus omnibus votis quatuor Examinatorum, et Antonius Zanellus cum tribus ex quatuor. Cumque Episcopus Clusinus praeelegerit Ciocchum, hinc ad instantiam Zanelli interposita appellatione ad hanc Sacram Congregationem provocatur nunc idem Ciocchus in devolutivo ad novum examen in Urbe, super quibus auditus Episcopus refert: « Nello scrutinio segreto si ritrovò, che D. Antonio Ciocchi ne riportasse quattro voti favorevoli, quanti erano l'Esaminatori, ed il Zanelli solamente tre, e avendo inoltre il Ciocchi 41 anni compiti di sua età ed esercitata la cura delle anime per quattro anni in Caldana Diocesi di Grosseto con soddisfazione di quel Monsignor Vescovo ed edificazione di quel Popolo per l'attestati, che ne ricevei, con l'approvazione antecedente mia del 1690 non mai rivocatali d'amministrare il Sacramento della Penitenza e con l'esercizio continuo di molti anni di Maestro di scuola in Radicofani sua patria di questa Diocesi, fu da me preeletto a detta Pieve non tanto come superiore al Zanelli in detti voti, quanto che lo sopravanzava negl'altri requisiti, non avendo il Zanelli, che quello del Sacerdozio, al quale lo promossi il sabato de' quattro tempi di decembre 1695 in età di anni 24 e alcuni mesi; onde mi pare, che il Zanelli dovesse quietarsi alla volontà di Dio. » Quare his stantibus, allegante Ciocchо novum examen esse prorsus inutile, cum non irrationabile, sed potius summopere rationabile fuerit iudicium Episcopi, non gravabuntur EE. VV., Partibus hinc inde monitis et informantibus, declarare: – An sit instituendum novum examen et in quo loco in casu etc.–, Sacra Congregatio declaravit: – Negative – *in Clusina Parochialis die 15 iunii 1697 lib. 47 Decretorum.*

39. Qua de re multo minus post invectam iusta de causa novam disciplinam indulgetur huiusmodi provocatio ad novum examen, si ex actis primi Concursus satis constet de imperitia et minus honestis moribus appellantis, licet res sit de Parochiali iurispatronatus laicalis; nominatus enim a Patrono laico et reprobatus merito ab Examinatoribus et Episcopo tum ratione scientiae, tum praesertim ratione morum, frustra petit novum examen in Urbe – *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851.*

40. Iamvero Princeps Columna, qua Patronus, ad vacantem Archipresbiteratum Collegialis Ecclesiae S. Mariae Terrae Morolis nominavit Eusebium Canale e Collegio Canonicorum eiusdem Ecclesiae: sed tres Examinatores Pro-Synodales in secreto scrutinio de vita et honestate nominati unanimiter senserunt, non expedire, quod ipsi regimen committeretur animarum; et quoad scientiae specimen in scriptis exhibitum longe ille minora puncta consequutus est, quam quae sufficerent ad idoneitatem comprobandam. Eusebius a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi appellavit; ac institutionem petiit, vel saltem sustinuit, locum esse novo examini. Namque contendit, novum examen in Urbe summa ratione requiri ad propriam existimationem reparandam, tum ab indole Beneficii iurispatronatus, tum a discrimine inter Examinatorum et Theologorum Urbis iudicium intercedente, tum a iure ipso ex Benedictina Constitutione scatente, tum demum a Sacrae Congregationis praxi, quam nunquam huiusmodi veniam denegasse asserebat. Siquidem septem Urbis ecclesiastici viri in Theologica facultate praestantes, qui licet Eusebii responsa parum digesta, utpote pressim elucubrata, compererint, eam tamen agnoscebant in ipso idoneitatem, quae ad animarum curam gerendam sufficeret, cum praesertim non unus Parochus animarum curam praeerat, sed bini constituti ipsi erant ab Episcopo rite probati adiutores. At peritissimus Theologus Urbis, qui ex officio responsiones ab Eusebio datas singulis quaestionibus accurate expenderat, putavit, Examinatorum Pro-Synodalium iudicium esse confirmandum. Praeterea Episcopus retulit, Eusebium a die, quo e Seminario Diaecesano egressus fuerat, non ad calendas scientias theologicas, sed potius ad secularia vel ruralia negotia totum se dedisse; et quod peius erat, eius mores satis castigatos non esse. Unde ita conclusit: – Sentio, Eusebium Canale carere idoneitate ad animarum curam necessaria, tum ratione scientiae, cum ratione pro-

bitatis morum ac vitae; proindeque denegandam illi esse institutionem ad vacantem Paraeciam Archipresbiteralem –. Hinc quoad mores advertebatur, standum esse iudicio Episcopi, ab eoque haud recedendum, nisi dolus vel manifestus error atque iniustitia pateret.

41. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An praedictus Eusebius sit subiiciendus novo examini faciendo in Urbe in casu? –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, non constare de mala relatione Examinatorum nec de irrationabili iudicio Episcopi, responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851.*

42. Unde praesentatus a Patrono laico ad Ecclesiam Parochialem, sed reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus, novum examen obtinere non valuit, cum non bonis videretur moribus imbutus, licet ex iudicio doctorum virorum quoad doctrinam non fuisset reprobandus ac plura in medium protulerit, ut suspicionem averteret ac vitae honestatem probaret *in Asculana Parochialis die 30 Iulii 1763 die 15 Decembris 1764 et die 2 Martii 1765.*

43. Iamvero Sacerdos Franciscus Alfonsi praesentatus ad vacantem Parochialem Ecclesiam Castri Ripae – Berardae, cuius Patronatus ad loci Communitatem spectabat, fuit ad examen admissus, et ab uno tantum Examinatore approbatus fuit, a duobus reprobatus. Provocavit itaque ad Sacram Congregationem. Episcopus retulit, Oratorem minus idoneum sibi videri quoad scientiam et mores. Orator autem contendit, quoad scientiam, vel reprobationem non meruisse suas responsiones propositis quaestionibus casuum moralium, quas impressas exhibebat, correctis tamen nonnullis erroribus grammaticalibus, vel examen renovandum esse coram Examinatoribus ab EE. PP. designandis, cum ipse privari non deberet de iure quaesito ex praesentatione, nisi de imperitia constaret ex repetitis experimentis, quasi per rem iudicatam. Et quoad mores, illorum defendit honestatem testimonio fere totius Populi Ripae-Berardae et Oeconomi illius Ecclesiae Parochialis atque Parochi Rosariae ac testium aliorum locorum, in quibus moratus fuerat; disserens praeterea, suspicionem erutam ex conquestionibus defuncti Parochi et extraiudicialibus notitiis, ab Episcopo in sua relatione enunciatam, haud esse attendendam, imo suam probitatem comprobari ex facto ipsius Episcopi, a quo fuerat admissus ad examen, et ex Promotoris Fiscalis contumacia, cum dudum citatus in Causa nullas adduxerit assertorum criminum probationes, iuxta notata per Pitonium in discept. eccles. 21 n. 7. Communitas vero in precibus iam oblatis narravit, quod, attenta reprobatione Oratoris, ipsa iam duos alios praesentabat; et casu, quo secundus reprobaretur, tertius examinaretur, vel saltem Franciscus novo examini subiiceretur.

44. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum, ita ut Ecclesia Parochialis S. Aegidii Castri Ripae – Berardae sit adiudicanda Sacerdoti Francisco Alfonsi? *Et quatenus negative.* II. An praedictus Alfonsi sit subiiciendus novo examini faciendo in Urbe in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative – *in Asculana Parochialis die 30 Iulii 1763.*

45. Communitas interim, non elapso adhuc quadrimestre, nominavit quidem Clericum Michaelem Spinam et Sacerdotem Seraphinum Giacchini, sed nec ipsi nec eadem ad causam vocati comparuerunt. Qua de re solus Alphonsus institit, ut sibi Ecclesia adiudicaretur, vel saltem ad novum admitteretur examen. Exhibuit itaque ad suam probandam doctrinam iudicia doctorum virorum, qui, perpensis responsionibus datis, non fuisse reprobandum existimabant. Addidit, de moribus et prudentia nihil Examinatores cognovisse, suo ingenio asseruisse, quae affirmabant, nihil patere ex actis, quae unice erant inspicienda. Taxavit idcirco iudicium Episcopi, quia nihil ex actis Curiae attulit, omnia ex vaga fama ac suspicione dixit, quae non sufficiebant, ut praesentatus a Patrono laico reiiceretur, ceu ad rem Rota in Trevicana Iurispatronatus 17 iunii 1718 §. Constabilita coram Foscaro. Plura etiam protulit ad excludendam suspicionem et ad idoneitatem probandam. Repropositis interim dubiis sub formula: – An sit standum, vel re-

cedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit:–Dilata, et ad Emum Praefectum ad mentem – *in Asculana Parochialis die 15 Decembris 1764.*

46. Demum repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Asculana Parochialis die 2 Martii 1765.*

47. Quando enim res sit praesertim de moribus compertum est, standum esse Episcopi iudicio, cui, ut ait Benedictus XIV in sua Constitutione *Cum illud,* tamquam in specula constituto, patent subditorum excessus, ab eoque haud recedendum, nisi dolus vel manifestus error atque iniustitia pateat, iugis suadet Sacrae Congregationis praxis *in Sarsinaten. Concursus die 22 Iunii 1850* §. *Hinc.*

Item *In Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851* §. *Quae.*

48. Quin imo si Patronus, antequam duos Presbiteros ad Ecclesiam Parochialem nominavit, in simoniam inciderit, nedum locus non est Concursui, sed ad amissum ius patronatus ita attentis peculiaribus circumstantiis ex gratia rehabilitatur, ut nequeat illos iterum nominare, cum debeat alium nominare sub poena nullitatis ipsius indulti rehabilitationis *in Aretina Praesentationis et Concursus die 19 Maii 1832.*

49. Siquidem die 13 novembris 1830 Marchio Vincentius Riccardi e Civitate Florentiae publicas instrumenti tabulas Florentiae confecit, quibus suo etiam subscribente Curatore Benedicto Agrifoglio, dedit cessitque Aloisio Martelli Plebano Ecclesiae S. Bartholomaei, donec ipse viveret, iuspatronatus Prioralis Ecclesiae in honorem Beatae Mariae Virginis et S. Caroli dicatae, ea simul adiecta conditione, ut propriis expensis reaedificaret turrim praefatae Ecclesiae S. Bartholomaei, cuius patronatus ad eumdem Marchionem Riccardi spectabat. E vivis mox erepto Angelo Ninci Rectore memoratae Prioralis Ecclesiae Beatae Mariae Virginis et S. Caroli, cum tempore contractus insanabili vexaretur morbo, Plebanus Martelli de cessione huiusmodi contractus certiorem fecit Aretinum Antistitem, ab eoque supplici-ter petiit, ut dignaretur eidem concedere praesentationem praefatae Prioralis Ecclesiae, quam idem erga seipsum faciebat. Episcopus nullam dictam iurispatronatus cessionem utpote simoniacam edixit. Itaque Marchio Riccardi die 29 aprilis eiusdem anni Sacerdotem Thomam Ninci demortui Rectoris fratrem ad praedictam vacantem Ecclesiam nominavit; et die subsequenti 30 aprilis ad eamdem Ecclesiam praesentavit praefatum Plebanum Aloisium Martelli. Hac duplici delata praesentatione, Episcopus Concursum indixit: sed Martellius renuit ad eum accedere, cum ipse ius privativum, non vero cumulativum praetenderet. Quapropter recursum interposuit ad Sacram Congregationem, ut suum ius tutari posset. Quidquid vero esset de quaestione, utrum Patronus eum privative, an cumulative nominaverit cum Thoma Ninci, in facto tamen erat labes simoniaca, qua Riccardius iuspatronatus iam amiserat; idcirco is nominare deinceps non poterat Nincium, et multo minus Martellium simoniae reum.

50. His igitur perpensis, proposito dubio:– An constet de privativa Martellii praesentatione, seu potius locus sit Concursui inter Nincium et Martellium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus, et attentis peculiaribus circumstantiis consulendum Sanctissimo pro rehabilitatione Patroni ad exercitium iurispatronatus amissum ob simoniae labem, imposita tam eidem, quam Martellio salutari poenitentia arbitrio Episcopi, qui moneat Patronum, ut, posthabitis duobus ab eo nulliter nominatis, alium idoneum Presbiterum praesentet, sub poena nullitatis praesentis indulti rehabilitationis – *in Aretina Praesentationis et Concursus die 19 Maii 1832.*

51. Unde Episcopus potest quidem et tenetur praesentato a Patrono laico institutionem denegare, si idoneus et dignus repertus non fuerit, uti expresse sancivit Sacrosancta Tridentina Synodus in sess. 24 cap. 18 de reformatione hisce verbis: – Quod si iurispatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a Patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et nonnisi idoneus repertus fuerit, admitti –, et rursus in sess. 25 cap. 9:– Ad haec liceat Episcopo praesentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere – *in Spoletana Parochialis die 19 Ianuarii 1737* §. *Tertio.*

Item *in Asculana Parochialis die 15 Decembris 1764* §. *Tridentinum; in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851* §. *De.*

52. Hinc Sacra Congregatio declaravit, examinandos omnino esse ab Episcopo per caput 18 sess. 24, ubi disponitur, praesentatos et nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis non esse admittendos ad quaevis Beneficia, nisi praevio examine Episcopi; et Concilium non sustulisse institutiones legitime alioquin pertinentes ad Inferiores ex Cap. 9 vers. *Quod si* sess. 25, et quatenus in cap. 13 sess. 14 decernitur, praesentationem faciendam esse soli Episcopo, intelligendum de praesentatione ad effectum examinis dumtaxat *in Avenionen. mense Martii et mense Aprilis 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128 et 185.*

53. Idcirco examen per Concursum ad Parochiales Ecclesias, quamvis earum iuspatronatus ad Capitula exempta pertineret, coram Episcopo est faciendum, idemque faciendum est, etiamsi collatio ad ipsa Capitula spectaret: et Clerici oriundi, quamvis a Capitulis exemptis praesentati, possunt ab Episcopo examinari, qui ipsius Capituli assertioni circa ordinandorum probitatem et scientiam deferre minime tenetur *in Suessionen. die 16 Septembris 1622.*

54. Neminem hinc latet, examen per Concursum instituendum esse in Parochialibus iurispatronatus ecclesiastici *in Ordinis S. Bernardi mense Augusti 1586 lib. 4 Decretorum pag. 173.*

Item *in Monopolitana mense Augusti 1588 lib. 5 Decretorum pag. 177.*

55. Nec aliter observandum in Parochialibus iurispatronatus partim laici et partim ecclesiastici, et hoc ex Decreto S. Concilii Tridentini in cap. 18 sess. 24 de reformatione *in Nullius mense Februarii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 16.*

56. Unde examen praecedere debet collationem Beneficii in casibus, quibus est necessarium *Avenionen. mense Martii et mense Septembris 1586 lib 4 Decretorum pag. 128 et 185.*

57. Quin imo examinari debet ab Episcopo etiam Doctor vel Licentiatus, petens provideri de Parochiali vacante *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

58. Quapropter nil mirum, quod Episcopus examinare et approbare debeat etiam Canonicos exercentes curam animarum in Cathedrali deficiente Archidiacono, cui ex officio incumbit illam administrare *in Acheruntina Visitationis sacrorum Liminum die 3 Martii 1668 lib. 25 Decretorum pag. 552.*

59. Non requiritur vero examen per Concursum in collatione Parochialis, cuius cura animarum est penes Archipresbyterum Cathedralis, etiamsi in huiusmodi Civitate illa unica tantum Parochialis existat *in S. Angeli Bisacciarum die 2 Iunii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 508.*

60. Idcirco multo minus in Beneficiis simplicibus liberae Collationis requiritur examen et approbatio Episcopi *in Ioven. mense Martii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 125.*

Item *in Burgen. die 8 Maii 1592; in Cremonen. die 17 Maii 1593 lib. 7 Decretorum pag. 44 et 108.*

61. Imo nullum requiritur examen in collatione Capellaniarum onus personalis residentiae et servitii in Ecclesia Cathedrali annexum habentium, quarum collatio libere spectat ad Capitulum *in Aquilana die 30 Ianuarii 1644 lib 77 Decretorum pag. 276.*

62. Unde non requiritur examen in permutationibus huiusmodi Beneficiorum *in lib. 1 Decretorum pag. 97 a tergo.*

Item *in Ravennaten. lib. 2 Decretorum pag. 205.*

63. Nec imo requiritur examen in permutationibus Parochialium, nisi adesset magna inaequalitas numeri Parochianorum, vel permutantes examinati non fuissent de tempore, quo adepti sunt Parochiales; tunc enim requiritur, sed absque Concursu *in Mediolanen. Compostellana, et Ravennaten. lib. 1 Decretorum pag. 82, 97 et 205 lib. 2 Decretorum.*

Item *in Maioricen. mense Novembris 1588 lib. 5 Decretorum pag. 208.*

64. Novum hinc examen non requiritur ad obtinendum Beneficium simplex liberae collationis, cui certus Ordo est annexus, si Clericus provisus iam fuit examinatus et approbatus cum dictum Ordinem suscepit; secus vero si Beneficium est iurispatronatus; nam tunc praesentatus est iterum examinandus *in Hispalen. die 6 Decembris 1625 lib. 12 Decretorum pag. 334.*

65. At se iterum examini subiicere debet pro sacris Ordinibus suscipiendis, qui ad Parochialem Ecclesiam, etiam praevia forma examinis per Concursum vel ad Canonicatum Sacerdotalem, vel aliud Beneficium Ordinem sacrum requirens ab Ordinario vel a Sede Apostolica fuit approbatus, sive promoveatur ab Episcopo, qui Beneficium contulit, sive ab alio, nisi re ipsa cum collatione Beneficii examinatus et ordinatus fuerit *in Nullius anno 1622 lib. 12 Decretorum pag. 113.*

66. Unde Clericus praesentatus a Patronis ad Beneficium chorale, non vero cum cura animarum, et tamquam minus idoneus ab Episcopo reiectus, institutionem assequi non valuit, sed locus fuit novo examini, quo peracto ad suscipiendum ordinem Subdiaconatus et in eo idoneus repertus institutionem obtinuit *in Lauretana die 24 Aprilis et die 27 Novembris 1784.*

67. Iamvero anno 1783 Sodales SS. Iacobi et Philippi nominarunt ad unum ex Beneficiis Ecclesiae Collegiatae Oppidi Montis Cassiani Gervasium Andreani. Is accepta Sodalitii nominatione, instetit in Curia Episcopali pro obtinenda institutione. Episcopus Clericum Andreani in minoribus Ordinibus constitutum examini subiecit, eique institutionem denegavit tamquam minus idoneo. Ab hoc iudicio appellavit Clericus ad Sacram Congregationem, a qua postulavit ad Beneficium institui, vel saltem facultatem novo examini sese subiiciendi. Namque exposuit, electionis tempore in ea aetate constitutum fuisse, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri posset, assidue Ecclesiae inservisse, nihilque opponi quoad mores potuisse: neque institutionem retardari posse, eo quia in examine habito pro suscipiendo Ordine Subdiaconatus parum idoneus fuerit repertus, et in alio examine peracto pro Beneficii assecutione iidem Examinatores in lingua latina minus habilem illum diiudicaverint; respondit enim, se a moderno Episcopo Lauretano ad Ordines Exorcitatus et Acolytatus promotum fuisse, quos quidem Ordines ei nequaquam contulisset, si rudem in lingua latina deprehendisset, deinde post susceptos Ordines philosophiae et mathematicae studiis vacasse. Addidit, nullam ingerere admirationem, si in examine minus recte proposita dubia dissolverit, cum ad examen imparatus accesserit, et novitate perculsus, statim pavere et trepidare ceperit. Ceterum advertit, non agi de Beneficio curam animarum habente, sed de Beneficio cum onere chori, ad quod assequendum sufficere, ut illud obtinens bonis sit instructus moribus et Cantu Gregoriano polleat et habilis ad Beneficii munia obeunda. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit danda institutio, seu potius sit locus novo examini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Lauretana die 24 Aprilis 1784.*

68. Novum inde subiit examen Clericus Andreani, eoque peracto, Episcopus testatus est, quod – ad sacrum Subdiaconatus Ordinem per Examinatores a nobis constitutos acolyto Gervasio Andreani de Oppido Montis Cassiani huius nostrae Lauretanae Diaecesis rite examinato, eumdem in spectantibus ad dictum sacrum Ordinem laudabiliter instructum apud nos praedicti Examinatores renunciarunt –. Novas itaque preces exhibuit dictus Clericus pro Beneficii institutione obtinenda. Reproposito hinc dubio sub formula: – An quoad primam dubii partem sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, dandam esse institutionem Gervasio Andreani – *in Lauretana die 27 Novembris 1784.*

69. Quin imo quum Examinatores Synodales unum ex Concurrentibus dignum approbaverint quoad scientiam et alias qualitates, sed alterum quoad scientiam tantum, quin ullum fecissent verbum quoad alias qualitates, et Episcopus illum praeelegerit, qui de inhonestis actibus cum quadam Muliere fuerat accusatus in Curia Episcopali et absolutus cum clausula – ex hactenus deductis –, Sacra Congregatio declaravit, neutri adiudicandam esse Ecclesiam Parochialem, ac ideo mandavit, deveniendum esse ad novum Concursum *in Caputaquen. Concursus die 10 Iunii 1741.*

70. Enimvero in Concursu habito ad vacantem Parochialem et Receptitiam Ecclesiam S. Mariae Graecorum Terrae Polae tres Examinatores Synodales retulerunt, – Nicolaum de Donato Terrae Polae actualem Oe-

conomum Parochialis Ecclesiae S. Mariae Graecorum dictae Terrae Polae vacantis esse dignum scientia aetate gradibus filiatione et Cleri ac Populi acclamatione –, Bernardum vero Tramontani eiusdem Terrae dignum scientia, nulla aliarum eius qualitatum facta mentione. Episcopus Nicolaum de Donato praeferendum esse iudicavit. At Bernardus appellavit a mala relatione Examinatorum, quia iidem dum Nicolaum de Donato dignum renunciarunt non scientia tantum, sed etiam aetate gradibus filiatione et Cleri ac Populi acclamatione, nullum vero de moribus prudentia atque dexteritate, quibus ipse ad exercendam animarum curam se apprime idoneum pluribus documentis probasse asserebat, habuerunt verbum. Appellavit etiam ab irrationabili iudicio Episcopi, quia hic praeelegit Nicolaum, qui pridem fuerat in Curia Episcopali anno 1718 de inhonestis actibus cum Ursula Maurino habitis accusatus solumque cum clausula – ex hactenus deductis – absolutus, iniuncto etiam praecepto non accedendi ad Terram Polae suae Patriae sine praevia Episcopi licentia. Hinc enim contendit Bernardus, tantam adhuc infamiae notam haerere Nicolao, ut nedum ipse minime debuisset, se postposito, ad controversae Parochialis assecutionem praeeligi, imo vero ab illa esset omnino arcendus donec, qualibet abluta criminis macula, melioris vitae specimen non praebuerit, ad Textus expressos in Cap. *Inter delictos* de excess. Praelat. et in Cap. final. de purgat. can. docent Reiffenstuel in ius Can. lib. 5 tit. 37 n. 60, Schmalzgrueber eod. loc. n. 141, et alii adducti per Ventrigl. in prax. rer. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 65.

71. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum in casu etc. II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Ecclesia Parochialis, de qua agitur, sit adiudicanda Sacerdoti Bernardo Tramontani in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Deveniendum esse ad novum Concursum – *in Caputaquen. Concursus die 10 Iunii 1741.*

72. His autem missis, quoad novum examen monuit Card. De Luca ad Concil. Trid. disc. 32 n. 24 caute iubendum esse, ut novum fiat examen, si praeelectus sit senex et adversa valetudine vitiisque corporis affectus longum iter ad Urbem et sumptus itineris ferre non possit *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Quae.*

73. Qua de re cum in Concursu habito ad Ecclesiam Parochialem Civitatis Lacus liberi praelatus fuerit Franciscus Turturella, et Gallottus Gallotius provocans ad Sacram Congregationem a mala relatione Examinatorum nec non nullum edicens Concursum, postulaverit, ut sibi eadem uti devoluta ad S. Sedem conferretur, vel saltem novum fieret in Urbe doctrinae periculum, Sacra Congregatio, attentis relatione Examinatorum, vitiis nullitatis, quae proponebantur, nec non aetate sexaginta annorum praedicti Xaverii eiusque adversa valetudine vitiisque corporis, quibus is affectus longum iter ad Urbem et sumptus itineris ferre non poterat, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Concursus Ecclesiae Parochialis Lacus liberi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An supplicatio Sacerdotis de Gallottis sit relaxanda, seu potius sit locus sanationi? *Et quatenus negative ad primum.* III. An constet de mala relatione Examinatorum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. An sit locus provocationi Sacerdotis Turturella ad novum examen? –, die 18 septembris 1745 respondit: – Ad primum et secundum, esse locum sanationi ad cauthelam; et ad mentem. In reliquis, satis provisum –. Repropositis dein dubiis sub formula – An sit standum, vel recedendum, a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius. Ad tertium, Negative. Ad quartum, provisum in tertio *in Policastren. Parochialis die 28 Maii 1746.*

74. Quod si quis de sua idoneitate per documenta doceat, illius examen delegandum est in Curia Romana, dum appellatio penes Sacram Congregationem interposita fuerit *in Isclana Parochialis die 29 Maii 1852* §. *Atque.*

75. Quapropter praesentato a Patronis et ab Examinatoribus reprobato indulgetur novum examen in Curia, si plura de sua idoneitate exhibeat documenta *in Nucerina Paganorum die 20 Septembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

76. Siquidem - Matthaeus de Augustino

Sacerdos Civitatis Ravellensis a Patronis praesentatus ad Beneficium Curatum Terrae Angriae Nucerinae Diaecesis de iurepatronatus laicorum, dum institutionem peteret ab Ordinario, fuit in examine tamquam insufficiens ab Examinatoribus Synodalibus reprobatus per sententiam, per quam etiam declaratur, illum non esse ad dictum Beneficium instituendum; sed idem Augustinus appellationem ab ea interposuit, remissaque per R. P. D. Auditorem Sanctissimi Causa ad hanc Sacram Congregationem, pluribus modo per eumdem appellantem de sua idoneitate exhibitis documentis, Episcopo etiam informante ac transmittente dubia cum responsionibus per ipsum Augustinum traditis una cum sententia Examinatorum ab EE. VV. definiri petitur: - I. An sit locus novo examini? *Et quatenus affirmative.* II. An et cui sit delegandum?-, Sacra Congregatio respondit:-Ad primum, Affirmative. Ad secundum, in Curia - *in Nucerina Paganorum die 20 Septembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

77. Hinc unicus praesentatus a Patronis laicis ad Ecclesiam Parochialem, et reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus uti imperitus, admittendus est ad novum examen in Urbe Romae, si turbatus fuerit in primo examine reverentia Episcopi praesentis, torvo vultu Examinatorum, et perplexitate propositarum quaestionum *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749.*

78. Iamvero ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Eustachii Castri Maris, quae erat de iurepatronatus Familiarum Verdoliva et Firpi, praesentatus fuit a Patronis Sacerdos Antonius Verdoliva. Propositis Edictis, cum nullus sese contradictorem praestiterit, praesentationem ratam habuit Episcopus. Ad examen inde accessit Antonius, sed reprobatus fuit uti imperitus. Appellavit Verdoliva ad Sacram Congregationem et postulavit, ut EE. PP. alios darent Examinatores, ut novum suae doctrinae periculum facere posset, alias inutilis ei esset appellatio, cum ius quaesitum haberet ex praesentatione. Nam cum res esset de unico praesentato a Patronis admitti debebat, licet Examinatores recte retulissent, quia peritia vel imperitia unico experimento cognosci tuto non poterat, in casu praesertim, ex eo quod iustam habebat causam Antonius. Quandoquidem caput illi dolebat, turbatus erat reverentia Episcopi praesentis, torvoque vultu Examinatorum et perplexitate propositarum quaestionum. Insuper Populo acceptissimus erat, et unus ex Patronis. His itaque perpensis, proposito dubio: - An Sacerdos Antonius Verdoliva, praesentatus ad Parochialem Ecclesiam S. Eustachii Castri Maris de iurepatronatus illius Familiae et Firpi, sit admittendus ad novum examen coram Examinatoribus a Sacra Congregatione deputandis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative coram Examinatoribus ab Emo Urbis Vicario deputandis - *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749.*

79. Idcirco si reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus per acta Concursus et iudicio Theologorum Urbis Romae gravamen probaverit, multo magis Sacra Congregatio declaravit, esse locum novo examini in Urbe, cum praesertim res esset de Ecclesia Patronata *in Perusina Parochialis 26 Iunii et die 17 Iulii 1756.*

80. Siquidem anno 1753 Abbas Monasterii S. Petri, Eugubii existentis, Congregationis Olivetanae ad Parochialem Ecclesiam S. Crucis in Urbe Perusiae, subiective unitam ipsius Monasterio, Episcopo Perusino praesentavit Clericum Franciscum Delicati, quem pluries idem Episcopus testimonialibus suis literis commendaverat, et quem ad Beneficia etiam Curata idoneum in duobus Concursibus Examinatores Synodales renunciaverant. Instituto igitur examine, propositae ei fuerunt a tribus Examinatoribus quaestiones aliquot morales et Evangelii caput explanandum, indictumque tempus quatuor horarum: at responsis, quae ipse scripsit, expensis, reprobatus fuit. Appellavit Franciscus ad Sacram Congregationem. Episcopus acta transmisit, ac animi sui sententiam his verbis aperuit: - Tam male Franciscum insipienterque respondisse, ut non solum in morali scientia, sed in Grammaticis etiam elementis incredibilem ignorantiam ostenderit, non dicam Presbitero animarum curam petente, sed ne in Clerico quidem ad sacros Ordines promoveri cupiente ferendam -. Hinc ursit Promotor Fiscalis, iure reprobatum fuisse Franciscum, et novo examini subiiciendum non esse, cum nulla

esse posset ei spes, ut in novo examine approbetur. Contra Franciscus sustinuit, humani aliquid passos fuisse Examinatores, qui eum reprobarunt, cum longe aliud sentirent Theologi Urbis Romae, quorum responsa seorsim distribuit: quod si etiam iudicium Examinatorum sequendum esset, denegari non poterat novum examen, cum res esset de Ecclesia Patronata, ut distinguendo casus tradunt Massobrius in prax. habendi Concurs. de elect. requisit. 5 dub. 6, et alii frequenter, ac pluries respondit Sacra Congregatio.

81. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de mala relatione Examinatorum, ita ut R. D. Franciscus Delicati sit deputandus ad curam animarum Parochialis Ecclesiae S. Crucis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus novo examini in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse locum novo examini in Urbe – *in Perusina Parochialis die 26 Iunii 1756.*

82. Repropositis dein dubiis sub formula:– An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Perusina Parochialis die 17 Iulii 1756.*

83. Amplia, novo examini in Urbe locus est, nedum si agatur de appellante ab Ordinarii reprobatione, qui sit S. Sedi immediate subiectus, sed et si res sit de appellatione interposita ad Metropolitanum; quin obstet, quod huiusmodi postremo casu examen locum habere potius debeat coram Metropolitano, quippe qui iure Ordinario supplet Episcopi negligentiam, in actis praesertim Iurisdictionis necessariae *in Isclana Parochialis die 29 Maii et die 18 Septembris 1852.*

84. Hinc rite nominatus ad Parochialem Ecclesiam a Patronis, et reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus ex informata conscientia, iure pollet se novo examini subiiciendi in Urbe, cum etiam ab Ordinario provocatur ad Metropolitanum et inde a Metropolitano ad Sacram Congregationem, quin obstet, quod Episcopus praetextu nullitatis nominationis et praetenso iure devolutionis, indicto et expleto Concursu, alteri Parochialem contulerit *in Isclana Parochialis die 29 Maii et die 18 Septembris 1852.*

85. Siquidem Oppidi Barani Universitas, quam Syndicus et Decuriones repraesentabant, activo patronatus iure gaudebat super Parochiali Ecclesia S. Sebastiani titulo decorata. Passivum autem ius favore naturalium eiusdem Oppidi fuisse reservatum perhibebant transactionis tabulae anni 1701. Cum hinc ex Rectoris decessu vacatio Paraeciae contigisset die 19 ianuarii 1845, Communitas patrona in Comitiis diei 22 insequentis februarii congregata plures inter optantes, servata scrutinii forma, tres Candidatos elegit, idest Archangelum Balestrieri, Iosephum Conte, et Matthaeum di Costanzo, quos una, ipso Praesidente auctorante, adhuc decurrente quadrimestris termino, formiter praesentavit; quam inde electionem die 6 iunii eiusdem anni confirmavit adamussim. Haec quum, Sede vacante, agerentur, novus Episcopus die 11 decembris praestituit terminum ternatis electis, ut die 2 adventantis ianuarii 1846 quisque periculum suae idoneitatis faceret, servata forma Concursus. Adstitit autem stata die solus Ioseph Conte, qui, in aliorum contumacia ad examen admitti postulans, reiectus ab Examinatoribus oretenus fuisse videbatur ob defectum idoneitatis, et ut ipsis ex conscientia constare asserebatur, si fides ipsorum Examinatorum exhibito testimonio esset perhibenda; ac propterea reiecta fuit protestatio, quam ipse Ioseph apponendam esse censebat ad suam comparitionem et aliorum contumaciam declarandam. Interea primus ex nominatis Archangelus Balestrieri morte praeventus, et alter Matthaeus di Costanzo iuri suo ex praesentatione quaesito per renunciationem valedicens, solum superfuit inter praesentatos Ioseph Conte. Ex quo factum est, ut Episcopus novam ternam confici iusserit, in qua Dominicum Polito comprehendi exoptabat, cui opitulabatur Vir a Secretis Administratoris provincialis, qui et ipse alterum commendabat, nimirum Sacerdotem Mathiam di Meglio, firma semper electione Iosephi Conte. At uterque adversam expertus est Communitatis opinionem, quae mordicus, reiecta ternae necessitate, ius immotum in Sacerdote Conte unice proclamavit; praesertim cum tam Dominicus Polito, quam Mathias di Meglio inter Baranensium naturales minime adnumerarentur. Rebus ita se

habentibus, Episcopus die 1 aprilis 1847 Edictum emanavit pro indictione Concursus ad vacantem Paraeciam conferendam ex iure, quod ad se devolutum esse arbitrabatur. Ast quamvis Communitas patrona bis contra indictum Concursum protestaretur, reiectis tamen omnibus protestationibus, praeelectus fuit in Concursu Ioannes Castaldi, haud idoneo renunciato Iosepho Conte, stante iudicio reddito ab Examinatoribus Pro-Synodalibus ex informata conscientia, ac insuper perculso poena suspensionis a confessionibus excipiendis. Adversus hanc agendi rationem Baranenses Municipes cum Iosepho Conte reclamarunt, remque ad Metropolitanam Curiam diiudicandam detulere. Quod cum animadverteret Ioannes Castaldi, resignationem Paraeciae ultro emisit. Re tandem mature discussa, Curia Neapolitana sententiam protulit die 30 septembris 1848, qua, reiecta ternae necessitate ac reprobata collatione Paraeciae, sancivit, ut favore Iosephi Conte immissioni ad eamdem fieret locus, praevio tamen examine iuxta S. Tridentini Concilii praescriptum. Ab hac sententia statim Episcopus ad Sacram Congregationem appellavit.

86. Is enim contendit, electionem fuisse nullam, cum leges municipales in ea fuerint despectae, nonnulli ad suffragium ferendum admissi, qui ob sanguinis vinculum cum eligendo lege repellebantur, non omnes electores actui subscripserint, ac perspectae etiam artes, quas simoniacas appellabat. Necessariam inde fuisse sustinuit novam ternam, ac Syndicum Curiae praesentationem omisisse. Corruente hinc electione et praesentatione coram ius habente instituendi deficiente, nullum ius ad Beneficii institutionem seu possessionem Ioseph Conte acquirere poterat. Perspectum insuper erat, Sacerdotem Conte ob suas qualitates haudquaquam fore Plebi illi acceptum, quae quidem omnia ubi adiicerentur aliis, quae ex informata conscientia innotescere Episcopo ac Examinatoribus poterant, nemo non videbat, quam apta essent ad omnem ideam praeventionis ac humani favoris eliminandam. Denique reiectus Conte acquievit, nec remedium contra rem iudicatam quaerere poterat ab oppositione facta die 1 maii 1847. Longum enim silentium octo mensium ab anteriori reiectione servatum nec non fatalium decem dierum lapsum post evulgationem Edictorum facta 10 aprilis 1847, ad legitime opponendum et dicendum contra Concursum, omne inde ius perimere contendit ad reclamandum, maxime postquam actus fuerit consummatus et electo data institutio. Accedebat deinde supplex libellus Syndici ac Decurionatus porrectus, quo ius nominandi abdicatum voluit, remissa Episcopo facultate eligendi, quem magis in Domino idoneum iudicaverit, secluso quovis tempore Sacerdote Conte, quem ob illius reprobandas qualitates haud unquam ferendum Animarum Pastorem existimabant. Contra Ioseph Conte sustinuit, Communitatem patronam potuisse unum vel plures cumulative praesentare, quin obesset quaelibet legis Regni dispositio, cum nihil commune est electioni praesentationi canonicae cum officiis municipalibus. Exinde iustam fuisse arguit Communitatis oppositionem de nova terna exhibenda, donec unus ex legitime praesentatis remanebat, cum in defectu compraesentatorum totum in seipso consolidatum erat ius praesentationis, quin Communitas Patrona novam praesentationem facere potuisset. Ubi enim consumptum fuerit quadrimestre spatium, quodlibet eiusdem ius expiravit. Idcirco ipse instituendus erat, quin obstaret reprobatio ab Examinatoribus ex informata conscientia gesta: nam praesentati habilitas non aliter est dignoscenda, quam instituto examine vel per Concursum, vel in forma privata. Quin imo, etsi in absurda in facto hypothesi singula rite ad tramites iuris processissent, cum tamen nullum de ipsius idoneitate quoad scientiam existeret argumentum, quia nihil in scriptum traditum erat, necessitas proinde maneret novo Iosephum Conte examini subiiciendi, ut plenum appellationis beneficium perciperet. De nulla insuper rationabili reiectionis causa constare dixit, nec ex actorum processu, nec ex Episcopi relatione, praeter falsam irregularitatem nominationis iam alias excussam ac eversam, cuius veluti consectarium simoniae suspicio mera proferebatur, quae sicuti extabat gratuita assertio criminis, ita gratuita negatione erat refutanda. Plura demum documenta exhibuit, quibus suam idoneitatem morumque integritatem probare putabat. Qua de re locus erat novo examini, vel in Urbe,

vel coram Metropolitano, non vero apud Ordinarium et Examinatores Isclanos.

87. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An sit confirmanda, vel infirmanda sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae diei 30 septembris 1848 im casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et esse locum examini coram Emo Urbis Vicario – *in Isclana Parochialis die 29 Maii 1852.*

88. Novae audientiae beneficio recreatus Isclanus Episcopus enixius nullitatem nominationis, utpote gestae contra leges municipales, probare contendit. Nam electio et praesentatio ad Beneficium est actus mere laicalis et per laicos expletur. Unde mirum non est, si regulandus veniat iuxta dispositionem statuti, tametsi laicalis, ceu firmavit Rota in decis. 17 de iurepatronatus coram Falconerio n. 8 et 9. Hinc necessitatem novae ternae conficiendae iuxta imperium Praesidis civilis ostendere conatus est, cum id etiam accedebat, quod ceteris deficientibus unus ipse Ioseph Conte ex nominatis superfuisset. His tamen non obstantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Isclana Parochialis die 18 Septembris 1852.*

89. Nam praesentatus a Patronis laicis ad Ecclesiam Parochialem, si reprobatus sit in examine, admitti debet ad novum examen, alias appellatio inutilis ei esset; idque bis terque, ut quasi per rem iudicatam de eius imperitia constare dicatur, ut ex lege unica Cod. de Atlet. probant uno consensu allati per Gonzalez ad Regul. 9 Cancell. gloss. 4 n. 121, Piton. in discept. eccles. 13 a n. 3 ad 12 *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749* §. *Ad.*

Item *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851* §. *Quae.*

90. Siquidem praesentatus ius quaesitum habet ex praesentatione, quod ei tolli non debet negando novum examen, qua in re si nullus sit contradictor in Beneficio, nulla fit iniuria nullique detrimentum infertur, ut disserunt Garz. de Benef. part. 9 cap. 2 n. 76, Massobr. in prax. haben. Concurs. requis. 15 dub. 1 n. 5, Ventrigl. in prax. rer. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 13, Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 130, Nicol. in Floscul. verb. Examen n. 6, Piton. discept. eccles. 13 n. 14 *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749* §. *Ad.*

Item *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851* §. *Quae.*

91. Idcirco praesentatus a Patrono laico suum ius, nisi per triplex examen reprobatus, amittit nunquam, ut firmat Rota in Siracusana Praepositurae die 26 iunii 1693 §. Haud coram Muto *in Asculana Parochialis die 15 Decembris 1764* §. *De.*

Item *in Anagnina Parochialis die 29 Novembris 1851* §. *Quae.*

92. Amplia, id placuit locum habere, licet Examinatores bene retulerint: quandoquidem res non est de Parochiali liberae collationis, quo casu reiectus in Concursu monstrare debet iniustam reprobationem ex iisdem actis Concursus, sed res est de unico praesentato a Patronis, qui admitti semper debet ad novum examen, licet Examinatores bene retulerint, quia peritia vel imperitia unico experimento cognosci tuto non potest *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749* §. *Placuit* (1).

93. Multo magis si unus ex Patronis acceptissimus sit Populo; quo enim casu, etiamsi iure destitueretur, aequitas tamen suggerit, ut ad novum experimentum admitti debeat *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749* §. *Placuit* (2).

94. Nam si dignus et idoneus a Patronis laicis praesentetur, debet in Beneficio institui, cum ipsi ad differentiam Patronorum ecclesiasticorum non teneantur digniorem et magis idoneum praesentare, ad notata per Lambertinum de iurepatronat. part. 1 lib. 2 quaest. 10 art. 3 n. 17, Garz. de Benef. part. 7 cap. 16 n. 19, Ricc. in prax. Curiae Archiep. Neapol. part. 3 dec. 306 n. 4, Barbos. de offic. et potest. Paroch. part. 1 cap. 2 n. 102 *in*

(1) Gonzalez ad Regul. 9 Cancell. gloss. 4, n. 119 et seqq.; Garz. de Benef. part. 9, cap. 2, n. 251; Piton. discept. eccles. 13, n. 6.

(2) Genuen. in prax. cap. 66, n. 6; Piton. discept. eccles. 12, n. 8.

Spoletana Parochialis die 19 Ianuarii 1737 §. Tertio.

95. Nec obstat, quod de pluribus delictis et excessibus inquisitus fuerit et pars Populi adversetur, si praesentatus a Communitate suam innocentiam et integritatem ostendat, licet, eo reiecto, praefata Communitas patrona alium praesentaverit; his enim in terminis proposito dubio: – An praesentatio facta per Communitatem Castri Lacus favore Dominici Filicangeli sit exequenda, ita ut dictus Filicangeli veniat instituendus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Spoletana Parochialis die 18 Martii 1737.*

96. Unde praesentatus a Patrono laico, ut dignior, ad Parochialem vacantem debet ab Episcopo institui, etiamsi inter examinatos et approbatos ab Examinatoribus reperiatur alius dignior praesentato *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

97. Quin imo etiamsi non agatur de Ecclesia patronata, haud sufficit unum tantum novum examen, sed iuxta praxim secundum et tertium examen non denegatur, quoad usque per tria uniformia experimenta, ad instar rei iudicatae, de literatura vel illiteratura constare possit, uti plene habetur in decis. 10 n. 10 post Monacellium in formula legal. tom. 4; et ad maiorem praxis explicationem operae pretium est adnotare, quod si praeelectus ab Episcopo in Concursu, et ad novum examen provocatus per duas vices reprobetur, admittit ad novum examen, ex eo quod deficientia in successivis examinibus adscribi valet accidentali aegritudini corporis vel animi, ad effectum excludendi iuridicum vel iudicialem possessorem tria requiruntur uniformia iudicata in iudicio ordinario et devolutivo. At si aliquis praeelectus ab Episcopo in duobus successivis examinibus succubuisset et deinde tertio vicisset, tunc de iure non est locus quarto examini, sed ex quadam aequitate introductum est, ut quartum etiam concedatur examen, iuxta late firmata in Placentina Parochialis 16 martii 1708 n. 7 coram Ansaldo impressa post Monacellium in formul. legal. tom. 4 *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720 §. Quinta.*

98. Qua de re ad tramites Bullae Pianae novum examen fieri debet coram ipso Appellationis Iudice et eius Examinatoribus, et sic si appellatur ad sedem Apostolicam, novum examen fit in Urbe et coram Examinatoribus Emi Card. Vicarii, ita ut nec aetas provocati ingravescens, nec loci distantia ab Urbe, utpote si ipse extra montes degeret, eum excusare valeant ab accessu ad Urbem, ut se novo examini subiiciat, quemadmodum adnotavit Ansaldus in addit. ad decis. 32 n. 69, et firmavit Rota in decis. 5 n. 14 coram Celso, et in decis. 10 n. 14 post Monacellium in formul. legal. tom. 4 *in Discursu Secretarii die 10 Octobris 1720 §. Quarta.*

99. Iniquum enim esset, si novum eorumdem Examinatorum subire iudicium appellans cogeretur, a quibus reprobatus fuit, ut adnotat Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 245, et Pitonius in discept. eccles. 13 n. 18 *in Castrimaris Parochialis die 26 Aprilis 1749 §. Placuit.*

100. Idcirco non decet apud eumdem Ordinarium eosdemque Examinatores, quorum iam sinistra manifestata est intentio, praesertim ob litem contestatam, novum examen peragere, cum et in iure sancitum habeatur, appellantem non esse ab eo iudicandum, a quo appellavit, ut ad rem Pitonius in discept. eccles. 13 n. 15 *in Isclana Parochialis die 29 Maii 1852 §. Atque.*

101. Hinc examen devolutum per appellationem ad Metropolitanum debet fieri coram ipso ab Examinatoribus suis in Synodo deputatis, alias est nullum *in Patavina ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

102. Qua de re examen noviter faciendum, supposita appellatione ad Sedem Apostolicam ab examine facto in partibus, est committendum Cardinali Urbis Vicario *in Pistorien. Concursus die 1 Iulii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 336.*

Item *in Nucerina die 26 Iunii 1655 lib. 19 Decretorum pag. 479.*

103. Nam sola examinis subdelegatio in partibus admittitur in Parochialibus de iure patronatus laicorum aliisque Beneficiis, quae examen exposcunt et non Concursum, uti late habetur in decis. 348 n. 9 part. 10 Recent., in decis. 308 per totum et signanter n. 6 et 7 coram Celso, et in decis. 10 n. 13 et seqq. et praesertim n. 16 post Monacellium in Formular. legal. tom 4 *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720 §. Quarta.*

104. Hinc quum Petrus Guccius a iudicio Episcopi appellaverit, Sacra Congregatio mandavit, novum examen faciendum esse inter aemulos in Urbe ita tamen, ut quoad Petrum Megliorini, qui tamquam magis idoneus ab Episcopo fuerat praeelectus, quique septem annis animarum curam exercuerat, quae conditio non accedebat eiusdem adversario, haberetur ratio huiusmodi conditionis, adeo ut nisi Guccius quoad scientiam longe praestantior esset Megliorino, iudicium Episcopi favore Megliorini nullo pacto rescindi deberet *in Feretrana die 26 Maii 1612.*

105. Suspenditur hinc provisio Apostolica, monito Pro-Datario, usque dum novus Concursus super controversa Parochiali vacante instituatur et fiat in Urbe *in Pisana die 17 Augusti 1630 lib. 14 Decretorum pag. 318.*

106. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, approbatum in novo Concursu de mandato eiusdem Sacrae Congregationis peracto coram Emo Urbis Vicario immittendum esse in possessionem Parochialis vacantis probante SSmo eius sententia, praevia amotione praeelecti in Concursu coram Ordinario habito, non obstante sententia Rotali ad eius favorem edita *in Urbinaten. die 24 Martii 1629 lib. 14 Decretorun pag. 59.*

107. Imo Sacra Congregatio mandavit, approbatum in Concursu, coram Emo Urbis Vicario peracto, immittendum esse in possessionem Parochialis, remoto proviso Apostolico, qui possessionem acceperat, pendente in eadem S. Congregatione Causa nullitatis Concursus habiti penes Ordinarium *in Reatina die 17 Augusti 1630 lib. 14 Decretorum pag. 311.*

108. Ceterum aliquando Sacra Congregatio mandavit, novum Concursum indicendum esse coram Metropolitano *in Urbanien. Praebendae Theologalis die 23 iunii 1764* §. *Maximum.*

109. Enimvero si constet de nullitate Concursus et mala relatione Examinatorum, et alter ex Concurrentibus appellaverit ad Sacram Congregationem, deveniendum est ad novum Concursum coram Metropolitano; his enim in terminis proposito dubio: - III. An sit deveniendum ad novum Concursum in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative coram Metropolitano – *in Larinen. Concursus die 2 Septembris 1758.*

110. Similiter et in casu, quo solum constabat de mala relatione Examinatorum, Sacra Congregatio proposito dubio: – II. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Praebenda Theologalis sit adiudicanda Canonico Philippo Gatti in casu ?–, Sacra Congregatio respondit: - Ad secundum, provisum in primo; et indicatur novus Concursus coram Metropolitano, et amplius – *in Urbanien. Praebendae Theologalis die 23 Iunii 1764.*

111. Qua de re absoluto examinis iudicio, absolutum dici non potest iudicium super collatione Parochialis; cum enim doctior non sit dignior, et aliquis possit esse minus doctus, sed magis idoneus pro Ecclesia Parochiali, hinc est, quod expletis examinibus instituenda est quaestio circa collationem Parochialis, adeoque circa uniuscuiusque requisita, et tunc formiter et per concludentes probationes poni debet in claris, quod Ordinarius praeelegerit minus dignum in comparitione dignioris, et in his terminis procedere dicuntur verba Bullae Pianae: – Constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo conferatur –, et late ad rem prosequuntur Ventriglia in prax. rer. eccles. part. 2 annot. 3 §. 2 n. 53 et 54, Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 252, Monacellius in formul. legal. tom. 2 tit. 15 n. 20 et 21, Rota in Lunen. Sarzanen. Parochialis 2 iulii 1706 §. Neque obstare coram Omanna, et in decis. 10 n. 4 et 5 post Monacellium in Formul. legal. tom. 4 *in Discursu Secretarii die 1 Octobris 1720* §. *Ultima.*

112. Idcirco Sacra Congregatio primum commisit examen Episcopo viciniori causa provocationis, sed propter timorem pestis tunc grassantis in Civitate Melphis; dein, eo expleto, requisita utriusque Concurrentis expendit; ac praeferendum ex illis censuit Petrum Mazzuccam de Fovea oriundum ad Ecclesiam Parochialem Terrae Barilis vacantem, licet alter nobilis esset originarius eiusdem Terrae Barilis *in Melphien. Concursus die 21 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 381.*

113. Hinc ante novum examen agendum non

est de praeponderantia qualitatum; de ea enim erit agendum postquam completum fuerit novum examen, et quando assumetur principalis quaestio, an sit facienda nova collatio ob praeelectionis irrationabilitatem *in Nucerina Parochialis die 11 Maii 1720* §. *Et quia.*

114. Imo si Antistes successor deprehenderit, quod examen minus legitimum fuerit ac plura et vehementia adsint indicia de Parochi inscitia, ne dubium quidem, quod is ad novum revocari valeat examen, alias eodem renuente et contumace, recte proceditur etiam ad suspensionem et Oeconomi appositionem *in Surrentina Examinis et Suspensionis die 26 Iunii 1830.*

115. Enimvero in oppido Metae unica extabat sub auspiciis S. Mariae ad Laurum Parochialis Ecclesia, cuius patronatus ad universum illius Oppidi Populum pertinere dignoscebatur. Huiusmodi Paraeciam, quae suo dudum destituebatur Pastore, iam inde ab anno 1823 nactus est Sacerdos Antonius Trapani a Populo electus, et ab Examinatoribus Pro-Synodalibus approbatus. Usque dum in humanis versatus est Archiepiscopus Michael Spinellius, nullam constabat excitatam fuisse quaestionem sive de legitimo Parochi examine, sive de eius moribus et scientia: at ubi primum ad Surrentinam Sedem evectus est Praesul Gabriel Papa, illico ad eum deferri ceperunt querelae de illegitima Parochi institutione, deque eius inscitia in suis obeundis muneribus. Ad fidem exortae suspicionis plura ac gravia accerserunt argumenta. Etenim Surrentino Antistiti paulo post innotuit, Parochum Trapani iis, qui nuptias inire cuperent, status liberi testimonium pluries dedisse, licet uno vel altero eoque publico astringerentur impedimento Matrimonii vinculum dirimente. Praeterea evolutis examinis actis et accersitis ipsismet Examinatoribus Pro-Synodalibus, qui Trapani mores et scientiam expenderant, facile intellexit, duos tantummodo primum adhibitos fuisse Examinatores, ac tertium nonnullos post dies fuisse additum, quin Trapanius extemplo suae idoneitatis subierit periculum. Deprehendit insuper, ea, quae tunc asservabantur, examinis acta, esse ab autographis penitus diversa, quippe quae a Parocho Trapani erant quidem obsignata, sed omni carebant subscriptione tum Examinatorum, tum Cancellarii, atque ita prolixo et perpolito apparebant elucubrata sermone, ut cuique eadem legenti plane persuasum esset, nec a Trapanio, nec a quoquam alio tam brevi temporis spatio ea conscribi potuisse. Cum itaque examinis formam Concilio Tridentino atque Apostolicis Constitutionibus adversam existere et examinis acta prorsus conficta fuisse constaret, eo res perducta videbatur, ut Surrentinus Archiepiscopus iudicium super illegitima Paraeciae collatione instituere deberet. At mitiorem sibi ineundam esse rationem satius duxit; ac Trapanium ad novum subeundum examen accersiri iussit eo quidem consilio, ut si Trapanius mandatis paruisset, ac suae scientiae specimen dedisset, ab Summo Pontifice primi examinis sanationem deprecatus esset. Quocirca die 30 decembris 1828 Decretum prodiit, quo Parocho Trapani dies tertia ianuarii 1829 indicebatur pro novo explendo examine: cumque is contumacem se praebuisset eadem die decretum est, – quod dictus R. Parochus cum effectu praecise et peremptorie compareat ad examen, ideoque die 7 eiusdem mensis de mane circa horam decimam septimam in hac Metropolitana Curia se conferat coram Rmo Archiepiscopo et Examinatoribus Synodalibus ad explendum examen in forma valida –. At Parochus adeo Archiepiscopalis Curiae Decreta parvipendenda existimavit, ut non solum dictis non obtemperaverit, sed etiam ex sua residentia, inconsulto Archiepiscopo, discesserit ac Neapolim petierit. Quo factum est, ut Archiepiscopus die 29 ianuarii Trapanium tamquam contumacem et confessum illiteratum a Paraeciae administratione suspenderit eique suffecerit Vicarium, qui derelicti gregis curam gereret.

116. Decretum vero Archiepiscopi super novo examine omnino infirmandum putavit Parochi Trapani Defensor. Qui enim semel examen subiit probatusque evasit, sic Officium aut Beneficium assequitur, ut nequeat amplius ad novum examen revocari, suoque Beneficio destitui, nisi ea supervenerit causa, quae illum indignum efficiat aut ineptum declaret, quominus Beneficium et munus retineat. Inscitiam itaque in eo, qui rite probatus est, numquam suppeditare posse iustam causam

servandi examinis contendit idem Defensor, secus in dubium revocaretur possessio eius, qui per legitimam approbationem Beneficium est assequutus, contra notissimam regulam, quae tradit: qui semel est approbatus, non potest amplius reprobari, Card. De Luca de Parochis disc. 16 n. 8, Pignatellius consult. 133 tom. I. At Parochum Trapanium rite probatum fuisse patebat ex iudicio Examinatorum Synodalium, atque ex Bullis collationis Paraeciae, quin negotium facessere posset, autographa examinis acta deperiisse; certum namque exploratumque erat, Examinatores Trapanium dignum existimasse, qui Paraeciam assequeretur ac Metensem Populum regeret. Frustra autem Curia Archiepiscopalis eidem Parocho obiicere videbatur defectum scientiae; Archiepiscopus namque Spinellius adeo Parochi Trapani nedum morum honestatem, sed etiam scientiam sibi perspectam fuisse ostendit, ut illum ad vacantis Paraeciae Oeconomi munus obeundum prius delegerit, eidem subinde ad Populi nominationem Paraeciam contulerit, et nullam de illius imperitia unquam instituerit querelam. Tandem de Parochi pietate et scientia fidem perhibebant plurimi Testes, quos inter viginti sex sacerdotali charactere insigniti. Contra Archiepiscopalis Curiae Defensor sustinuit, Surrentini Antistitis Decretum tamquam sacris Canonibus ac Tribunalium decisionibus innixum plane esse confirmandum. Etenim ipsemet quidem fatebatur Defensor, haud fas esse Episcopo, qui Parochi scientiam probavit, ad novum examen illum revocare, nisi iusta aliqua supervenerit causa, vehemens nimirum suspicio de Parochi imperitia. Verum si agatur de Episcopo successore, potest hic pro suo lubitu ac nulla etiam imperitiae accedente suspicione Parochis iam semel approbatis novum etiam extra visitationem indicere examen, ceu ad rem Rota in Recent. decis. 257 n. 5 part. 19, Benedictus XIV Instit. 9 n. 16, et S. Congregatio in Caputaquen. 2 aprilis 1720. Idcirco multo magis Surrentinus Antistes novum indicere poterat examen, cum plura ac vehementia adessent indicia, quae Trapanium ad sua munia obeunda minus aptum patefaciebant; ita enim suadere videbantur examinis acta ab ipso Trapanio conficta, ita examen contra formam Concilii Tridentini expletum, ita testimonia status liberi iis tradita, qui consaguinitatis aut affinitatis impedimento palam devinciebantur, vel cum hac illac vagati essent, fieri poterat, ut aliquo indissolubili detinerentur vinculo.

117. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Decreta Ordinarii pro novo examine sint confirmanda, vel infirmanda in casu etc. – II. An sit servanda suspensio ab exercitio munerum parochialium et deputatio Oeconomi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative donec pareat mandatis Archiepiscopi – *in Surrentina Examinis et suspensionis die 26 Iunii 1830.*

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Arch. Salini Ord. Praed. S. P. A. Magister Socius.

GTU Library
3 2400 00622 0739

DATE DUE

DEMCO, INC. 38-2931

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

37245